This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

BUHK
L35.R

Collected

m

1. No subject

Both no. file

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

C. CORNELII TACITI

OPERA

AD OPTIMORUM LIBRORUM FIDEM

RECOGNOVIT

ET ANNOTATIONE PERPETUA

TRIPLICIQUE INDICE

INSTRUXIT

GEORGIUS ALEXANDER RUPERTI.

NEW YORK PUBLIC LIBRARY

VOLUMEN I.

SEX PRIORES ANNALIUM LIBROS COMPLECTENS.

HANNOVERAE
IN LIBRARIA AULICA HAHNII.
MDCCCXXXIV.

C. CORNELII TACITI

ANNALIUM LIBRI SEX PRIORES.

AD OPTIMORUM LIBRORUM FIDEM

RECOGNOVIT

ET ANNOTATIONE PERPETUA

INSTRUXIT

GEORGIUS ALEXANDER RUPERTI.

NEW YORK PUBLIC LIBRARY

ASTOR LIBRARY NEW-YORK.

HANNOVERAE
IN LIBRARIA AULICA HAHNII.
MDCCCXXXIV.

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

PRAEFATIO
DE TACITI VITA ET SCRIPTIS.

VITA ET AGRICOLAE ET TACITI PROBABILIBUS CONIECTURIS PER ANNOS DIGESTA.

§. I. *A. U. C. 790. Chr. 37.*

Tiberius iniectu multae vestis oppressus moritur et C. *Caesar* (Caligula) capit primordia imperii XVII Kal. Apr. v. Ann. 6, 45—51. — *Cn. Julius Agricola* natus Foroiulii Id. Iun. ex Iulio Graecino et Iulia Procilla. Pater eius M. Silanum Caligulae socerum accusare iussus, quia abnuerat, hoc vel proximo anno occiditur. v. Agr. 4. et 44. Dio 59, 8.

A. U. C. 792. Chr. 39. Agric. 2.

C. Caesaris alter consulatus et expeditio Germanica. v. Agr. 13. G. 37.

A. U. C. 793. Chr. 40. Agric. 3.

C. Caesaris tertius consulatus et ridicula in Britanniam expeditio.

A. U. C. 794. Chr. 41. Agric. 4.

C. Caesar a Cassio Chaerea necatur IX Kal. Febr. *Ti. Claudius* Imp. ab a. Chr. 41. ad 54. addictus tum uxoribus, Messalinae et ab a. Chr. 49. Agrippinae, tum libertis, Pallanti, Narcisso, Polybio, Posidi, Felici et aliis.

A. U. C. 796. Chr. 43. Agric. 6.

Auctore Berico, a Britannis pulso, *A. Plautius Silanus* primus legatus consularis in Britanniam cum exercitu mittitur adversus Siluras et Cynobellini filios, Caractacum et Togudumnum. Expugnatur a Claudio Camalodunum, et a Vespasiano legato II legionis, hostes tricies funduntur. Agr. 13. 14.

A. U. C. 797. Chr. 44. Agric. 7.

Triumphus Claudii de Britannis. Res prospere in

Britannia hoc et proximis annis gestae ab A. Plautio et Vespasiano legionis II. legato, qui tricies cum hoste conflixit. Agr. 13. 14. Suet. Vesp. 4.

A. U. C. 799. Chr. 46. Agric. 9.

Agricola parvulus sedem et magistram studiorum Massiliam habet. Agr. 4.

A. U. C. 800. Chr. 47. Agric. 10.

P. Ostorius Scapula legatus cons. in Britannia secundus, qui per quinque fere annos res bene gerit. Agr. 14. Ann. 12, 31—40. Mors Valerii Asiatici. Modus pecuniae ab advocatis capiendae positus. Bella Parthorum intestina. Ludi saeculares. Claudius novas literarum formas vulgat et ad senatum refert super collegio haruspicum. Italicus rex Cheruscis petentibus datur. Domitius Corbulo severus dux Chaucos Frisiosque componit et fossam ducit inter Mosam et Rhenum. Ann. 11, 1—23.

A. U. C. 801. Chr. 48. Agric. 11.

Civitas Rom. Aeduis aliisque Gallis data; patricii suppleti et lustrum conditum. Messalina Silio palam nubit et Principe ignaro ictu tribuni transfigitur. Ann. 11, 23—38.

A. U. C. 802. 803. Chr. 49. 50. Agric. 12. 13.

Claudius uxorem ducit Agrippinam, Germanici fratris filiam. L. Annaeus Seneca exsul, e Corsica revocatus, studiis Neronis praeest, eique despondetur Octavia. Res cum Parthis, qui regem Roma petierant Meherdatem, et cum Mithridate rege Ponti gestae. Pomoerium Urbis prolatum. Ann. 12, 1—25.

A. U. C. 804. 805. Chr. 51. 52. Agric. 14. 15.

A. Didius Gallus, tertius legatus cons. in Britannia, Ostorio mortuo succedit et parta a prioribus per VII annos continet. Ann. 12, 31—41. Agr. 14. Domitius Nero adoptatur a Claudio eique toga virilis maturatur. Bella cum Chattis, Suevis, Armeniis et Iberis gesta. SCta Claudiana de mathematicis et de poena feminarum, quae servis coniungerentur. Emissio lacus Fucini.

A. U. C. 806. Chr. 53. Agr. 16. Tac. 1.

Tacitus hoc anno vel a. 807. vel 808. natus esse videtur. Quamvis enim neque de gente et parentibus eius, neque de loco et anno, quo vel natus vel mortuus sit, quicquam certi possit tradi et explorati; probabilibus tamen coniecturis annus eius natalis colligitur tum ex legibus annalibus et legitimo tempore, quo Romanis honores sub Imperatoribus petere licuit, scil. exacto aetatis anno XXV quaesturam, XXVII aedilitatem et tribunatum plebis, XXIX praeturam et XXXIX consulatum, (v. ad Ann. 3, 29, 1. et conf. Ann. 11, 11. H. 1, 1. Agr. 9. O. 1. 2. 17. et infra ad a. U. 819. 830. 831. 833. 841.) tum ex Plinii ep. 6, 20. et 7, 20. In illa epistola Plinius dicit, se Vesuvini incendii tempore (a. U. c. 833. Chr. 80. secundo Titi anno, (v. Dio 66, 21. Euseb. Chron. et Zonar. p. 578.) *duodevicesimum egisse annum;* (unde natus est a. U. c. 816. Chr. 63.) in hac, se et Tacitum *aetate propemodum aequales* esse, se vero *adolescentulum* fuisse, quum Tacitus iam fama (sc. eloquentiae in foro et iudiciis) floruisset et gloria. Hinc Walther et alii non male coniiciunt, octo ad summum annos inter Taciti Pliniique aetatem intercessisse, non decem integros. Cf. Bredov. (des Tacitus Germania, neu herausg. von Billerbeck) p. 43 sq. Brotier. T. I. Weikert. T. I. Woltman. T. V. Fuhrmann Handb. d. klass. Lit. T. IV. p. 186 sq. T. V. p. 746 sq. Hegewisch hist. u. lit. Aufs. Kiel 1801. p. 71 sq. V. D. in Ephem. lit. Hal. a. 1827. p. 339. Passov. in Wachleri Philom. T. I. p. 58. sed etiam infra ad a. 833. et Walch. ad Agric. p. 129.

Tacito praenomen *C* datur tum in MSS. Farnes. Reg. et Vat. 1518. 1862. 4498. tum in Sidonii Apollin. ep. 4, 14. et 22. sed *Publius* in edd. Ber. Rhen. Ald. et nullum in MSS. Flor. Langob. Guelf. et Vatic. 2964. 3429. 5393. edd. Spir. et Put. ut in marm. testam. (v. Niebuhr's Rhein. Museum 1, 3. p. 252.) a Plinio in epistolis, ab Orosio, Vopisco, Tertulliano, Hieronymo et Fulgentio. De MSS. Flor. haec annotavit Bekkerus ad Ann. 1, 1. et in Praef. p. XX. nota ** et ***. „Prior a recentiore manu habet inscriptionem P. CORNELII TACITI. Ipse ita incipit: AB EXCESSU DIV AUG.

A. U. C. 812. 813. 814. Chr. 59. 60. 61. Agr. 22. 23. 24. Tac. 7. 8. 9.

Suetonius Paulinus quintus leg. cons. in Britannia. *Agricola* eius contubernalis et tribunus militum. Vincuntur Silures et Mona ins. capitur. Interea Britanni omnes sumunt bellum, instincti a Boudicea; sed magna clade afficiuntur expugnanturque Londinium, Verulamium et Camalodunum. Ann. 14, 29—39. Agr. 5. 14—16. Poppaea Sabina amatur a Nerone eiusque maritus Otho Lusitaniae praeficitur. Deleti Ansibarii et Chatti ab Hermunduris ad exitium paene caesi. Nero matricida, citharoedus, auriga, histrio, poeta. Iuvenalium ludi, Augustani et ludicrum quinquennale. Res a Corbulone in Armenia gestae. Ann. 13, 45—58. 14, 1—28.

A. U. C. 815. Chr. 62. Agr. 25. Tac. 10.

Agricola Romam reversus, ut capesseret honores, Domitiam Decidianam uxorem ducit petitque quaesturam. Agr. 6. Suetonius Paulinus *Petronio Turpiliano*, sexto legato cons., exercitum tradere iubetur in Britannia. H. 14, 39. Agr. 16.

A. U. C. 816. Chr. 63. Agr. 26. Tac. 11.

Agricola quaestor in Asia, cuius proconsul Salvius Titianus. Nascitur ei filia, sed filius moritur. Agr. 6. Mors Burri; Rufus et Tigellinus successores; Senecae periculum. Poppaea a Nerone uxor ducitur et Octavia in exsilium pulsa necatur. Res a Corbulone et Caesennio Paeto adversus Parthos et in Armenia gestae. Ann. 14, 48—65. 15, 1—31.

A. U. C. 817. Chr. 64. Agr. 27. Tac. 12.

Agricola Romae in otio vivit. Agr. 6. *Trebellius Maximus* septimus Britanniae legatus. Agr. 16. Feminae illustres et senatores in arena. Ann. 15, 32.

A. U. C. 818. Chr. 65. Agr. 28. Tac. 13.

Agricola tribunus plebis. Agr. 6. Nero in scenis Graecorum, et Pythagorae nubit. Magnum incendium Romae; domus immensa Neronis; Christianorum cruciatus. Ann. 15, 33—47.

A. U. C. 819. Chr. 66. Agr. 29. Tac. 14.

Agricola petit praeturam. *Tacitus* admodum iuvenis frequentat scholas rhetorum et studiose audit praeter alios inpr. M. Aprum, Iulium Secundum et Quintilianum. v. O. I. 2. et Plin. ep. 2, 14. His studiis excolit ingenium et praeparatur non minus ad res in foro iudiciisque agendas, quam ad magistratus capessendos. C. Pisonis in Neronem coniuratio. Mors Pisonis, Laterani, Senecae, Aspri, Subrii Flavii, Rufi, Vestini, Lucani, Senecionis, Scevini et aliorum. Ann. 15, 48—74. Nero victor in certamine lustrali. Idem Poppaeam mortuam laudat apud rostra. Ann. 16, 1—13.

A. U. C. 820. Chr. 67. Agr. 30. Tac. 15.

Agricola praetor. Agr. 6. Mors P. Anteii, Ostorii Scapulae, Rufii Crispini, Mellae, Cerialis, C. Petronii, Thraseae Paeti, Bareae Sorani. Helvidius et Paconius Italia pelluntur. Ann. 16, 14—35.

A. U. C. 821. Chr. 68. Agr. 31. Tac. 16.

Nerone occiso *Galba* Imp. Ab eo eligitur *Agricola* ad dona templorum recognoscenda. Agr. 6.

A. U. C. 822. Chr. 69. Agr. 32. Tac. 17.

Imperatores *Galba, Otho, Vitellius.* Mors Galbae et Pisonis. Proelium Bedriacense. Vitellius Neronis libidines imitatur. H. I. et II, 1—72. *Agricolae* mater in praediis suis interficitur ab Othonianis. Agr. 7. Trebellio Max. a militibus suis fugato succedit *Vettius Bolanus,* octavus Britanniae legatus, missus eo a Vitellio. H. 1, 60. 2, 65. Agr. 8. 16. *Vespasianus* Imperator salutatur in Aegypto et Iudaea. Mucianus, Antonius Primus et Cornelius Fuscus cum exercitibus praemissi adversus Vitellium et duces eius, Caecinam ac Valentem. Hi vincuntur ad Cremonam et portas Urbis, incenso antea Capitolio, quod Flavius Sabinus occupaverat. Vitellius ad gemonias trahitur. H. 2, 73—101. 3, 1—86. *Agricola,* in Vespasiani partes transgressus, in Galliam mittitur ad delectus agendos. Agr. 7.

A. U. C. 823. Chr. 70. Agr. 33. Tac. 18.

Agricola legioni XX in Britannia praeficitur. Agr. 7.

Domitianus agit filium Principis, et Mucianus Urbem ingressus cuncta in se trahit. Bellum in Batavis, Gallis et Germania motum a Claudio Civile, Classico et Iulio Tutore, opprimitur a Petilio Ceriale. H. 4, 1—86. 5, 5, 14—26. Hierosolyma a Tito expugnata. H. 5, 1—13.

A. U. C. 824. 825. Chr. 71. 72. Agr. 34. 35. Tac. 19. 20.

In locum Vettii Bolani, qui nimis placidus est, substituitur *Petilius Cerialis,* nonus Britanniae legatus, et *Agricola* modo minori, modo maiori exercitus parti praeficitur. Agr. 8. 16. 17. Tacitus in foro dicere coepit, ut Plinius iun. anno aetatis XIX. v. eius ep. 5, 8. Stipendia quoque fecisse videtur more Romanorum. Cf. tamen Ann. 12, 12. pr.

A. U. C. 826. Chr. 73. Agr. 36. Tac. 21.

Agricola Romam redit et inter patricios ascitur. Agr. 9.

A. U. C. 827. Chr. 74. Agr. 37. Tac. 22.

Agricola provinciae Aquitaniae praeficitur et per tres paene annos praeest. Agr. 9.

A. U. C. 828. Chr. 75. Agr. 38. Tac. 23.

Iulius Frontinus decimus Britanniae legatus. Agr. 17.

A. U. C. 829. Chr. 76. Agr. 39. Tac. 24.

Frontinus subigit Silures, sed impar est Brigantibus, et *Agricola* ex Aquitania revocatur. Agr. 9. 17.

A. U. C. 830. Chr. 77. Agr. 40. Tac. 25.

Agricola cos. suff. et pontifex. Idem *filiam egregiae spei* nondum XIV annos natam *Tacito* iuveni despondet et post consulatum collocat. Agr. 9.

A. U. C. 831. Chr. 78. Agr. 41. Tac. 26.

Agricola, XI legatus Britanniae, caedit Ordovicum gentem et Monam insulam expugnat. Per hiemem vero statum provinciae ordinat severitate et iustitia. Agr. 18. 19. *Tacitus* vigintivir et quaestor. v. H. 1, 1. et cf. ad Ann. 3, 29, 1. et ad a. U. C. 806. et 833.

A. U. C. 832. Chr. 79. Agr. 42. Tac. 27.

Imp. *Titus* mortuo patre. *Agricola* magnam subi-

git Britanniae partem et praesidiis castellisque circumdat. Idem hibernis mensibus rudes Britannos otio assuescit artibusque liberalibus imbuit. Agr. 20. 21.

A. U. C. 833. Chr. 80. Agr. 43. Tac. 28.

Agricola Caledoniae (Scotiae) nationes vastat usque ad Taum aestuarium et expugnata castellis firmat. Agr. 22. Incendium Vesuvii. v. ad a. 806. *Tacitus* tribunus pl. vel aedilis. Nam ipse dicit H. 1, 1. dignitatem suam inchoatam a Vespasiano et a Tito auctam. Alter vero honorum gradus erat aedilitas vel tribunatus isque sub Imperatoribus tum peti poterat anno aetatis XXVII. tum uno vel duobus annis interpositis post quaesturam obtineri solebat. Cf. Agr. 6. et ad Ann. 3, 29, 1. Neque est cur Tacitum, fama gloriaque in iuventute florentem (v. Plin. ep. 7, 20.) et Agricolae summi viri generum serius ad honores pervenisse credamus.

A. U. C. 834. Chr. 81. Agr. 44. Tac. 29.

Imp. *Domitianus*. *Agricola* quartam aestatem obtinendis, quae percurrerat, insumit praesidiisque firmat Clotam et Bodotriam. Agr. 23.

A. U. C. 835. Chr. 82. Agr. 45. Tac. 30.

Agricola domat ignotas ad id tempus Caledoniae gentes atque expugnationem Hiberniae meditatur. Agr. 24. *Tacitus* eloquentiae operam dedisse videtur.

A. U. C. 836. Chr. 83. Agr. 46. Tac. 31.

Agricola terra marique infestat Caledoniae populos et hostes atroci proelio fundit. Agr. 25—27. Eodem anno cohors Usipiorum tribus liburnicis circumvehitur Britanniam et primum a Suevis, mox a Frisiis intercipitur. Agr. 28.

A. U. C. 837. Chr. 84. Agr. 47. Tac. 32.

Agricola amittit filium anno ante natum et Calgacum Caledonum ducem ad Grampium montem vincit. Quo facto exercitum ducit in fines Horestorum et praefecto classis circumvehi Britanniam praecipit. Agr. 29-38. Domitiani expeditio in Chattos et falsus e Germania triumphus. Agr. 39.

A. U. C. 838. Chr. 85. Agr. 48. Tac. 33.

Agricola revocatus e Britannia redit Romam et exercitum Sallustio Lucullo tradere iussus in otium secedit. Agr. 39. 40. Suet. Dom. 10.

A. U. C. 839. 840. Chr. 86. 87. Agr. 49. 50. Tac. 34. 35.

Agricolae decernuntur triumphalia ornamenta; sed crebro absens et accusatur et absolvitur. Multi exercitus Rom. in Moesia, Dacia, Germania et Pannonia amittuntur temeritate aut ignavia Appii Sabini, Corn. Fusci aliorumque ducum, qui Decebalo impares sunt. *Agricola* dux poscitur ore vulgi. Agr. 41. Domitianus in Daciam profectus subsistit in Moesia. Dio 67, 6 sq. Oros. 7, 10. Plin. pan. 16.

A. U. C. 841. Chr. 88. Agr. 51. Tac. 36.

Tacitus quindecimvir sacris faciundis et praetor. Ludi saeculares. v. H. 1, 1. ad Ann. 11, 11. intpp. Suet. Dom. c. 4. Censorin. de die nat. c. 17. et Fasti consulares.

A. U. C. 842. Chr. 89. Agr. 52. Tac. 37.

Domitiani expeditio in Marcomanos et Quados. Mathematici et philosophi Urbe pulsi. Euseb. Chron. ad a. Domit. VIII.

A. U. C. 843. Chr. 90. Agr. 53. Tac. 38.

Agricola, occiso Civica, proconsulatum Asiae sibi oblatum respuit. Agr. 42. *Tacitus* Urbe cedit una cum uxore et per quadriennium abest, non in exsilium pulsus, (nam Agr. 44. dicit, socerum *salvis affinitatibus* obiisse) neque otii cupidine, sed vel taedio temporum vel potius ut pro praetore provinciae alicui praeesset. v. Agr. 45. Pax cum Dacis et Marcomanis.

A. U. C. 844. Chr. 91. Agr. 54. Tac. 39.

Domitiani triumphus. M. Ulpii Traiani consulatus et profectio in Germaniam.

A. U. C. 845. Chr. 92. Agr. 55. Tac. 40.

Pacorus II. Parthorum rex. Domitianus filios sororis erudiendos tradit Quintiliano.

A. U. C. 846. Chr. 93. Agr. 56. Tac. 41.

Agricola moritur, veneno fortasse interceptus, et *Tacitus* in Urbem redit. Agr. 2. 43—45. Carus Metius, Cotta Messalinus et Baebius Massa delatores. Helvidius iunior, Arulenus Rusticus et Herennius Senecio damnati. v. Agr. 45. ubi dicit *nostrae* (senatorum) *manus duxere Helvidium in carcerem.*

A. U. C. 847. Chr. 94. Tac. 42.

Arria, Fannia, Gratilla, Iunius Mauricus et Arulenus Rusticus in exsilium acti.

A. U. C. 848. Chr. 95. Tac. 43.

Interempti Acilius Glabrio, Flavius Clemens aliique. Mathematici et philosophi iterum Urbe pulsi. Agr. 2. 45. Dio 67, 13. Euseb. Chron. ad a. Domit. XV.

A. U. C. 849. Chr. 96. Tac. 44.

Imp. *Nerva* occiso Domitiano.

A. U. C. 850. Chr. 97. Tac. 45.

Tacitus consul suff. in locum Verginii Rufi summi viri, qui imperium a Germanicis legionibus sibi oblatum constanter repudiaverat et defunctus a successore pro rostris laudatus est. v. Agr. 3. Plin. ep. 2, 1. Dio 67, 24. 25. 68, 2. et fasti cons. Traianus a Nerva cum imperio in Germaniam mittitur, adoptatur et in senatu Caesaris Germanici titulo insignitur.

A. U. C. 851. Chr. 98. Tac. 46.

Nerva moritur et *M. Ulpius Traianus* Imp. salutatur IV Kal. Febr.

A. U. C. 853. Chr. 100. Tac. 48.

Tacitus adest Africanis, qui Marium Priscum proc. repetundarum accusaverant. v. Plin. ep. 2, 11. Ex eiusdem epist. 1, 6. 20. 2, 1. 11. 3, 16. 4, 13. 15. 16. 5, 8. 6, 9. 16. 20. 7, 20. 33. 8, 7. 10. 9, 10. 14. 23. intelligitur, quanta et Tacito fuerit cum Plinio familiaritas, et utriusque fama ac celebritas.

A. U. C. 853—856. Chr. 100—103. Tac. 48—51.

Prima adversus Dacos eorumque regem Decebalum expeditio Traiani et triumphus Dacicus.

A. U. C. 856—858. Chr. 103—105. Tac. 51—53.

Novum bellum adversus Decebalum gestum a Traiano, a quo Dacia in provinciae Rom. formam redacta.

A. U. C. 867—870. Chr. 114—117. Tac. 62—65.

Expeditiones Traiani in Armeniam, Mesopotamiam, Parthiam, Assyriam, Arabiam.

Tacitus post a. U. c. 850., quo consul fuit, se subtraxisse videtur a negotiis publicis otiumque in libris scribendis consumpsisse; mortem vero obiisse sub Hadriano, qui a. U. c. 870. Chr. 117. Imperator factus est: nam ad extrema Traiani tempora, quod iam Lipsius animadvertit, ea spectant, quae dicta sunt Ann. 4, 4. „*Quod mihi quoque exsequendum reor, quae tum Romana copia in armis, qui socii reges, quanto sit angustius imperitatum*“, et in primis Ann. 2, 61. „*Exin ventum Elephantinen ac Syenen, claustra olim Romani imperii, quod nunc Rubrum ad mare patescit*“, scil. temporibus Traiani, a quo fines imperii Rom. ad hoc mare promoti expeditione in Orientem facta a. U. 867. 868. p. Chr. 114. 115.

De liberis et progenie Taciti haud quicquam memoriae traditum legimus. Ex posteris tamen eius memorantur M. Claudius Tacitus Imp. a. U. 1028. Chr. 275. et Polemius, vir doctissimus et praefectus praet. circa a. U. 1229. Chr. 476. imperii Romani ultimum. De hoc v. Sidon. Apollin. ep. 4, 14. ad Polemium: (*Caius Cornelius Tacitus unus e maioribus tuis, Ulpianorum temporum consularis* cet.) de illo (cui tamen aliud fuit nomen aliaque gens) locus memorabilis Vopisci in Tac. c. 10. „*C o r n e l i u m T a c i t u m scriptorem historiae Augustae, quod p a r e n t e m suum eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari iussit, et ne lectorum incuria deperiret, librum* (libros eius) *per annos singulos decies scribi publicitus* (publico sumptu) et *civicis archiis* (MSS. *evicosarchis, enconsarchis, enicosarchis, evicis archiis*) *iussit et in bibliothecis poni.*“

Utinam Tacitus non modo Agricolae, sed et suam ipse vitam scripsisset! Tum multa eaque cognitu dignissima nobis innotuissent, quae nunc ignoramus.

SCRIPTA TACITI.

I. HAUD DUBIA.

§. II. 1. *Vita Agricolae.* Tacitus libros, qui superstites sunt, non eo, quem editores ex dignitate illorum rerumque gestarum serie induxerunt, ordine, sed alio scripsit; de quo scite disputarunt Passovius in Wachleri Philomathia T. I. p. 29—67. viri docti in Seebodii Bibl. crit. a. 1824. p. 1374 sq. et a. 1825. p. 194 sq. Walch. ad Agr. p. 100 sq. 121 sq. 132. et Bach in Allg. Schulzeit. a. 1831. p. 841 sq. a. 1832. p. 1039. Postquam sub Vespasiano et Tito, a quibus artium honor bonique mores restituti erant, iuvenis operam dederat eloquentiae, sed siluerat per quindecim annos, quibus et loquendi audiendique commercium per inquisitiones ademptum a Domitiano; post mortem huius tyranni primumque beatioris saeculi ortum historiam Imperatorum Romanorum ab Augusti imperio ad Traiani obitum, *memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum*, componere, prius vero vitam Agricolae tanquam libellum praecursorium vulgare in animum induxerat. Quorum consiliorum rationes dilucide exponit Ann. 1, 1. 3, 24. Hist. 1, 1. et Agr. c. 2. 3. Ex primis eiusdem cap. 3. verbis iudicio admodum probabili colligitur, hanc vitam in lucem prodiisse a. U. 850. Chr. 97. quo Nerva Traianum adoptavit XIV Kal. Oct. et hic *auxit felicitatem imperii* rebus prospere in Germania gestis, saltem initio proximi anni: nam Nerva e vita excessit a. U. 851. VI. Kal. Febr. et simpl. *Nerva*, non *divus Nerva* appellatur. Ceterum eodem a. U. 850. Tacitus fuit consul suffectus et annum aetatis XLV egisse videtur.

2. *Libellus de situ, moribus et populis Germaniae.* Hunc Tacitus imperante Traiano scripsisse videtur. Cf. §. IV.

3. *Historiae.* Has Tacitus ante Annales et eodem *Traiano* regnante edidit; sed quo anno, non liquet. Illud patet ex Ann. 11, 11. „*Utriusque Principis* (Augusti et Claudii) *rationes praetermitto satis narratas libris, quibus res Imperatoris Domitiani composui*“, et ex Hist. 1, 1. „*Quodsi vita suppeditet, principatum divi Ner-*

vae et imperium Traiani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui: „nam illo loco Historiarum fit mentio, hoc Nerva *divus* appellatur. Annales vero et Historias tum diversa fuisse opera, tum diverso tempore evulgata, tum illis titulis insignita, aliis quoque argumentis probabitur §. VI. Nodos a Woltmanno nexos (in Uebers. des Tac. T. V. p. 281 sq.) iam expedivit Weikertus in Übers. d. Tac. T. I. p. XX. XXI. Cf. ad Ann. 12, 40. et 54. — *Historiarum* libri tantum quatuor priores et XXVI. capita quinti supersunt ac novem libri integri interciderunt, quibus auctor totam Flaviae domus regnatricis historiam ab a. U. 824. ad a. 849. pertexuerat providamque Vespasiani mentem, breves eoque cariores Titi virtutes et immanem Domitiani crudelitatem adumbraverat. Annalium enim sedecim, Historiarum quatuordecim libros fuisse, vix ambigi poterit. Illud in dubium non a quoquam vocatum et colligendum est non modo ex MSS. et editt. vet., (nam ad calcem libri *II.* Hist. in MS. Flor. Langobardico adscriptum est: *Cornelii Taciti liber octavus decimus explicit: incipit nonus decimus,* libri III. Hist. in MSS. Harl. Bodl. Jes. *Cornelii Taciti actorum diurnalium historiae Augustae liber XVIIII explicit: incipit vicesimus feliciter,* libri IV. Hist. in MS. Bud. *Corn. Taciti liber XX. explicit: incipit XXI.* Annales vero et Historiae in MSS. et edd. Put. Rivii et Rhen. 1. 2. 3. inscribuntur *Annalium* vel *Historiarum* vel *Actionum diurnalium ab excessu Augusti libri sedecim qui supersunt,* scil. quinque priores et sex posteriores Annalium et quinque priores Historiarum) sed etiam ex eo, quod Tacitus in Annalibus extremas Augusti omnesque Tiberii, Caii, Claudii ac Neronis res tradere voluit (v. Ann. 1, 1.) et in libro XVI. ultima Neronis fata referuntur. Hoc intelligitur tum ex inscriptione MS. Reg. *C. Cornelii Taciti Historici illustris XXX. librorum, quos aedidit, fragmenta incipiunt* et ex verbis Hieronymi in comment. in Zachariam 3, 14. „*Haec omnia planissime Iosephus, qui Iudaicam scripsit historiam et multo majora, quam legimus in prophetis, eos sustinuisse commemorat: Cornelius quoque Tacitus, qui post Augustum usque ad mortem Domitiani vitas Caesarum triginta*

voluminibus exaravit, (Hieronymus autem ab a. Chr. 331. ad 420. vixit, quo tempore virum doctissimum in hac re errasse haud probabile est) tum ex ambitu Historiarum: nam numerus XIV librorum plane sufficit rebus Galbae, Othonis, Vitellii, Vespasiani, Titi et Domitiani enarrandis in Historiis, etsi quatuor libri priores ne integrum quidem biennium et decem posteriores spatium fere annorum XXVI. ab a. U. 824. ad a. 849. complectuntur. Illud enim biennium, quo tres Imperatores regnaverunt, multis ac gravissimis eventibus insigne fuit, et numerus librorum rebus gestis, non annis accommodandus est. Hinc primus quoque Annalium liber non nisi duos, sed quinque, qui eum excipiunt, duos et viginti, ac quatuor postremi quatuordecim annos comprehendunt. Praeterea perbrevis fuit dominatus Titi et maxima quinti libri pars iam pertinuit ad primordia imperii, quod Vespasianus obtinuerat. Itaque vel has ob causas non audiendus est Niebuhrius in: Rhein. Museum für Philol. II, 2. p. 293 sq. ubi suspicatur, *triginta voluminibus* in Hieronymi l. l. solos Historiarum libros designari. Sed accedunt aliae et graviores. Nam ita Tacitus, qui brevitatem in rebus et verbis amabat, nimia prolixitate fastidium creasset lectoribus, et Hieronymus diserte dicit: „*Tacitus post Augustum usque ad mortem Domitiani vitas Caesarum XXX voluminibus exaravit.*"

4. *Annales*. Hi post Historias scripti, neque ante a. U. 868. Chr. 115. vulgati sunt. Illud cognosci potest ex Ann. 11, 11. hoc ex Ann. 2, 61. et 4, 4. v. supra vitam Taciti in fine. Annalium restant libri IV priores, octava circiter pars quinti, sextus, quem a quinto primus disiunxit Lipsius, et XI — XVI. e quibus XI. prima et XVI. extrema parte mutilus est.

II. DUBIA TACITI SCRIPTA.

1. *Dialogus de oratoribus*, de quo v. §. XIV.

2. *Augusti vita et instituta*. v. Ann. 3, 24. Huius libelli scribendi consilium ceperat Tacitus, si vitam producturus esset ad eius exsecutionem; quam tamen mors praematura intercepisse videtur.

3. *Vitae Nervae et Traiani*. v. Hist. 1, 1. Quas

itidem senectuti sepositas in lucem non prodiisse, ex eo praecipue colligendum censet Walchius ad Agr. p. 132. quod Ammianus Marcellinus haud dubie continuare voluerit Historias Taciti et suas a principatu Nervae exorsus sit. Ita tamen mireris saltem, in his saepius quidem Virgilii et Ciceronis, semel etiam (15, 12.) Sallustii, sed nusquam Taciti mentionem, neque ullum imitationis vestigium deprehendi.. Eadem adversantur coniecturae eorum, qui telam Suetonii ab Ammiano detextam censent.

4. *Facetiarum liber* a Fulgentio Planciade Grammatico Saec. VI. memoratus in Expos. serm. ant. p. 782. ed. Stavern. his verbis: *Elogium est hereditas in malo. Cornelius Tacitus lib. facetiarum: Caesi itaque morum elogio in filiis derelicto.* Sed nomen *Cornelius* in MS. Lugd. et Exc. non reperitur, et Barthius in Adversar. 13, 11. pro *Tacitus* recte, opinor, coniecit *Catius*, de quo v. Cic. ep. ad fam. 15, 16. Quintil. I. O. 10, 1, 124. Horat. Sat. 2, 4, 1. ubi conf. Heindorf.

Plinius in ep. 7, 20. librum Taciti ad se missum dicit: „*Librum tuum legi et quam diligentissime potui annotavi, quae commutanda, quae eximenda arbitrarer*"; non vero, quem legerit librum amici. Eiusdem Plinii ep. 9, 10. a nonnullis perperam Tacito tribuitur.

Ex deperdito aliquo vel Annalium vel Historiarum libro deprompta videntur verba Taciti ab Orosio 7, 3. laudata: „*Deinde, ut verbis Cornelii Taciti loquar, sene Augusto Ianus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos novae gentes saepe ex usu, aliquando cum damno quaeruntur, usque ad Vespasiani duravit imperium.*" Quae verba ab historica veritate aliena sunt et fortasse non accurate descripta ab Orosio aut librariis.

VITA AGRICOLAE.

§. III. Hoc est immortale pii gratique in socerum animi monimentum, tam sententiis quam stilo insigne, et vitae exemplar, quo non melius ad imitandum proponi poterat. Praestantiam eius nimis elevavit Woltmannus in Germ. translat. opp. Taciti T. VI. p. 34—45 sed scite adumbravit Mohr in libello, qui inscriptus est:

über und zu T's Agricola, Meiningen 1823. et ingeniosissime Walchius in Proleg. ad Tac. Agric. p. XXXIII—LXXIV. ad quos delegare lectores licebit.

In Prooemio sive Prologo cap. 1. 2. 3. auctor docet, cur et quando libros historicos et hunc primum in lucem emittere animo meditatus sit. Postquam enim saeva et infesta virtutibus tempora Domitiani exceperat beatissimum Nervae et Traiani saeculum et Tacitus otium, in quod recesserat, ad memoriam rerum ab Imperatoribus ducibusque Romanis inde ab Augusto gestarum componendam conferre decreverat; non mirum est, eum auspicandi causa dedisse singulare ingenii documentum, quod et pietas postulabat et Agricolae dignitas. Hic scilicet et socer erat et vir ingenii animique virtutibus excellens nec minus pacis artibus quam belli clarissimus, a quo provinciae summa prudentia administratae et bellicosissimae gentes Britanniae armis subactae, quae antea tam parum curae et nota fuerat Romanis, ut ne insulam quidem eam esse prius cognovissent quam classis Agricolae illam circumvecta esset. v. Agr. c. 10. et 28.

Ipsa *Agricolae vita* instar dramatis in tres partes dispesci poterit. Describuntur in *prima* cap. 4—9. institutio eius puerilis in domo paterna et in sede ac magistra literarum Massilia; acrius philosophiae studium, ex qua animus flagrans, prudentia matris coercitus, quod est difficillimum, retinuerit modum; prima castrorum rudimenta in Britannia et in contubernio Suetonii Paulini, quibus iuvenis artem et usum et stimulos et militaris gloriae cupidinem debuerit; magistratus et honores ei in Urbe, in Asia, Britannia et Aquitania mandati: in *altera* cap. 10—38. res praeclare ab illo gestae in Britannia provincia ab aliis legatis et praefectis non bene et feliciter administrata: in *tertia*, in qua solvitur nodus a auctore nexus, cap. 39.—46. extrema fata viri praestantissimi, ex amplissimo gloriae campo revocati ab invido Domitiano; quibus Epilogus sive Apostrophe subiuncta.

Longe maior libelli pars ad publicam quam ad privatam Agricolae vitam spectat, (minus enim interest nostra, hanc quam illam noscere) maxima ad Britanniam,

spectaculum rerum praecipuarum a socero gestarum praemissa hac admonitione c. 10. *Britanniae situm populosque multis scriptoribus memoratos non in comparationem curae ingeniive referam, sed quia tum primum perdomita est: itaque, quae priores nondum comperta eloquentia percoluere, rerum fide tradentur.* Ad privatam tamen Agricolae vitam referenda cap. 4. 6. 7. 9. 2 41 — 46. et ad ingenium moresque huius viri cap. 4. 19. 20. 22. 42. 44. 46.

Quae quum ita sint, gener vitam soceri et privatam et publicam eo consilio depinxisse videtur, ut imaginem talis viri delinearet, quae et cognatis amicisque perpetua recordationi ac solatio, et aequalibus posterisque admirationi, documento atque imitationis incitamento esse posset. His praecipue inculcavit cap. 42. praeceptum illud ad quod etiam tanquam ad caput argumenti omnia referri possunt: *Sciant, quibus moris est, illicita mirari posse etiam sub malis Principibus magnos viros esse obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum rei publicae usum, ambitiosa morte inclaruerunt.* Quantopere autem illos affecisse censendus est dulcissimis illis et gravissimis verbis, quae in extremo capite leguntur! Cf. nota 17.

LIBELLUS DE GERMANIA.

TEMPUS ET CONSILIUM QUO SCRIPTUS SIT.

§. IV. De *tempore* et de *consilio*, quo Tacitus hunc libellum scripserit, multi disputarunt, qui tamen valde inter se dissentiunt. Omnes paene arbitrantur, tempus illud satis luculenter significari verbis illis cap. 37. *Sexcentesimum et quadragesimum annum urbs nostra agebat, quum primum Cimbrorum audita sunt arma, Caecilio Metello ac Papirio Carbone consulibus. Ex quo si ad alterum Imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti ferme et decem anni colliguntur.* His vero verbis tempus tantum designatum videtur, ante quod libellus haud compositus sit, et quidem memorabilis ille annus U. c. 850. Chr. 97. quo a Nerva non m

Verginius Rufus, qui devicerat Vindicem et imperium a Germanicis legionibus sibi oblatum constanter respuerat, collega in consulatu ascitus, sed etiam Traianus in Germaniam inferiorem cum imperio missus est, et quo hic disciplina militum restituta transrhenanas gentes a Rheni transitu arcuit resque tam feliciter gessit, ut proximo anno ab eodem Nerva adoptaretur et in senatu *Caesaris Germanici* titulo insigniretur. v. Dio 68, 2. 3. Plin. pan. 9. et 14. In ipso enim Taciti libello nonnulla reperiuntur, quae ad primos imperii a Traiano ab a. Chr. 98. ad a. 117. administrati annos pertinent. Eo referenda videntur primum ipsa verba modo adscripta e cap. 37. quibus *Imperator* dicitur Traianus, qui tamen *alterum consulatum* ante principatum inierat, deinde ea, quae leguntur *α.* cap. 1. *de cognitis nuper quibusdam gentibus* (Buriis s. Burriis, Marsignis, Gothinis, Osis aliisque, de quibus v. cap. 43.) *ac regibus, quos bellum aperuit,* scilicet ab Imp. Traiano adversus Dacos et Decebalum regem eorum a. U. 853 — 856. Chr. 100 — 103. gestum, quod ne susciperet ei suaserant Burrii aliique huius regis socii. v. Dio 68, 8. *β.* cap. 29. de *limite acto promotisque praesidiis,* castellis, propugnaculis, munimentis a Traiano ad Danubium, Rhenum Moenumque restitutis, ut impetus Germanorum cohiberentur. Cf. ad Tac. Ann. 1, 50, 1. Wilhelmi Germania p. 291 — 310. verba Aelii Spartiani in Hadr. c. 12. *Per ea tempora et alias frequenter in plurimis locis, in quibus barbari non fluminibus, sed limitibus dividuntur, stipitibus magnis in modum muralis sepis funditus iactis atque connexis barbaros separavit,* et praecipue Eutropii 8, 2. *Traianus Romani imperii, quod post Augustum defensum magis fuerat quam nobiliter ampliatum, fines longe lateque diffudit: urbes* (praesidia, castella, munimenta) *trans Rhenum in Germania reparavit. γ.* cap. 33. de *Bructeris penitus excisis,* de qua re in maius aucta Plin. ep. 2, 7. *Vestricius Spurinna Bructerum regem vi et armis induxit in regnum ostentatoque bello ferocissimam gentem, quod est pulcherrimum victoriae genus, terrore perdomuit. δ.* cap. 41. de *splendidissima Raetiae provinciae colonia.*

Haec itaque loca ad res egregie a Traiano et ant principatum et primis eius annis in Germania gesta spectant. Alia vero ita sunt comparata, ut Tacitus vald metuisse videatur, ne interitus imperii, saltem magnum periculum Romanis immineret a Germanis. Cf. Joh. Müller in: Schweizer-Geschichte T. I. p. 67. ed. II. et Walchii Proleg. in Tac. Agr. p. XLV. Huc potissimum pertinent verba cap. 33. *Maneat, quaeso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui, quand urgentibus imperii fatis nihil iam praestare Fortun maius potest quam hostium discordiam;* sed et totum cap. 37. in quo Tacitus ex historia docet, Germano prioribus Romanorum ducibus et Imperatoribus inde ducentis annis maiori fuisse terrori, quam Samnites, Poeni, Hispani, Galli et Parthi fuissent, et triumphatos magis quam victos; nec non cap. 6—27. in quibus more Germanorum describuntur tanquam gentis, quae mascul sit proles rusticorum, non educationis mollitie et delicii infracta, sed simplicitate morum et severitate corroborata, libertatis amantissima, fortissima et bellicosissima Taciti vero metus augeri poterat temporum rerumqu conditione et corruptela morum, quae rem publicam Romanorum invaserat inde ab Imperatorum temporibus Cf. nota 8. et 10.

Neque tamen inde colligendum, quod multi sib persuaserunt, consilium Taciti eo spectasse, ut utriusqu populi mores compararentur et Germani Romanis insta exempli ad imitandum proponerentur. Verissimum quidem est iudicium Livii in Praef. *Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita moniment intueri. Inde tibi tuaeque rei publicae quod imitere ca pias, inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vites* Sed non minus vitia Germanorum quam virtutes ab auctore huius libelli adumbrantur, et illa aeque ac ha sunt, qualia rudium populorum esse solent. Hinc etiam Tacitus neutiquam nimii favoris in Germanos et odii i Romanos insimulandus, vel illos propensius laudasse, ho acerbius et satiricorum more increpasse censendus est Cf. Bouterwecii: Geschichte der Poesie und Bereds

T. IX. p. 22 sq. Intimo potius amore patriae ad illum scribendum impulsus est, ut, quantum in se esset, periculum ei imminens propulsaret.

Huic vero consilii rationi accesserunt aliae et prae ceteris, quae a Kiesslingio in Proleg. ad Tac. Germ. p. 2. et 14. allatae sunt, scilicet propositam esse in hoc libello imaginem, in qua Germaniam eiusque populos cum horum moribus institutisque plane ad veritatem, quatenus eam tum Romani in tali rerum genere assequi et possent et vellent, et ea arte, ut ubique summum auctoris ingenium facile agnoscatur, expressos videamus; natam eam esse ex Taciti studiis ad historiam sui temporis scribendam conversis; res vero ab eo enarrandas magnam partem in Germania gestas easque singulari libello comprehensas, quum amplior fuisset et uberior earum pictura quam quae maioribus scriptis apte interponi potuisset, quumque eas esse Germanorum proprietates et virtutes intellexisset, ut plurimum tum Romanorum interesse videretur, si horum populorum, et finitimorum et formidabilium, plenior et accuratior, quam tum esset, contingeret notitia. Cf. Bähr in: Röm. Lit. Gesch. §. 329.

Neque silentio praetermittendae sunt virorum doctissimorum et acutissimorum coniecturae, Walchii ad Agric. p. 124. et Passovii in Wachleri Philomathia T. I. Ille libellum hunc a Tacito editum esse censet a. Chr. 98. ut laudes Traiani, Caesaris Germanici, non proprio quidem et manifesto panegyrico, ut Plinius amicus, at tecto tamen et pulchriore celebraret. Hic suspicatur, Germanis saepius quidem victis, sed nunquam debellatis, contemptui illo tempore fuisse Romanos et multas eorum gentes in foedera coiisse; hinc Traianum in Germaniam cum imperio missum esse a. Chr. 97. et novam deinde expeditionem adversus Germanos parasse, ut bellum prospere gestum profligaret; tum vero hunc libellum a Tacito in vulgus emissum esse, ut liquido appareret, hanc expeditionem esse periculosissimam, et ut Imperator a proposito deterreretur. Prior sententia pluribus fortasse arridebit; sed multis paulo serius editionis tempus statuendum videbitur. Alteram impugnavere Kiesslingius l. l. et Hoffmeister in libro, quem inscripsit: die Welt-

anschauung des Tacitus p. 220 sq. quia nec historiae nec tali consilio respondeat.

INDOLES LIBELLI DE GERMANIA.

§. V. Quod ad *indolem* libelli attinet, aureus est et in tres partes divisus, quarum prima cap. 1 — 5. ad terram, secunda cap. 6 — 27. ad mores, tertia c. 28—46 ad populos Germanorum spectat. Secunda longe diligentia et arte excellit, et veritas eorum, quae a Tacito tradun-tur, maxime firmatur eo, quod concordant cum moribus non modo Canadensium aliorumque rudium populorum sed etiam Germanorum, Francorum et Anglorum anti-quioris et recentioris aevi, nec non cum institutis eorum et legibus Salicis, Ripuariorum, Burgundionum, Anglo-rum, Langobardorum. Quanti vero Germanorum intere-rit, similitudinem institutorum rituumque veterum e hodiernorum in hoc libello deprehendere!

Ceterae eius partes, prima et tertia, exiles sun et produnt mancam terrarum populorumque, in primi australium et septentrionalium, notitiam, quam Tacitu eo tempore habuit. [1]) Aliquot enim annis post plur cognovit et accuratiora, quod ex Annalibus et Historii intelligitur et praecipue ex illis horum operum locis, i quibus sermo est de Albi, Visurgi, Amisia, Luppia aliis que fluviis, de Marsis, Marsacis, Sugambris, Ansibarii Tubantibus, Batavis, Mattiacis, Chaucis, Cheruscis e Chattis, de Tauno, silva Caesia et Teutoburgiensi saltu de Germanorum armis, (Ann. 2, 14. 21. G. 6.) rapini (Ann. 11, 18. 13, 55. G. 35.) et urbibus: nam G. 16 *nullas urbes habitari* dicit. Ex eo et ex locis non pau cis, quae ex hoc libello in maiora Taciti opera translat et ad verbum repetita sunt, patet, illum et prius quam haec et seorsum in lucem prodiisse neque fragmentum fuisse et ἐπεισόδιον intextum extremo Historiarum l

---

[1]) Verba Schloezeri in Allg. Nord. Gesch. p. 147 sunt: Irrt Taci-tus, so hat sein Zeuge die Schuld. Er protokollirte nu was eine aufgeklärte Nachwelt bei mehrerem Vorratl geographischer Kenntnisse prüfen sollte. So hören al Disputen auf, die von jeher über die Glaubwürdigkeit d Tacitus geführt worden.

bro; quae est coniectura Falkii in: Kieler Beiträgen T. II. Slesv. 1821. et U. I. H. Beckeri in Seebodii nova Bibl. crit. a. 1825. p. 195 sq. et in eiusdem: Anmerkungen u. Excursen zu Tac. Germ. Cap. I — XVIII. Hannov. 1830. p. 3 — 20. Ei etiam ambitus libelli repugnat: nam similes quidem descriptiones Iudaeae et Britanniae quinto Historiarum libro et vitae Agricolae inseruit Tacitus, sed breviores et aptioribus locis. Si vero quaesiveris, cur ille aliquot annis post non retractaverit libellum et correxerit, respondeo, quia vel cura et elaboratio maiorum operum ei hunc libellum quasi de manibus subtraxerat, vel multa eius exemplaria iam descripta erant et emissa eaque ab ipsis lectoribus ex Historiis et Annalibus facile emendari poterant. Illud suspicatur Kiesslingius; hoc mihi verisimilius videtur. — Alios nodos a Beckero nexos iam solverunt Bähr in Annal. Heidelb. a. 1831. Sc. 43. Bach in Allgem. Schulzeitung a. 1832. p. 1041. et idem Kiesslingius.

Non magis probanda opinio Ludeni V. cl. in: Geschichte des teutschen Volks T. I. p. 431 sq. et p. 696 sq. libellum hunc esse rudem et indigestam collectaneorum farraginem, sensim et in usum auctoris consarcinatam et post eius mortem a quopiam coagmentatam; cui iudicio non tantum ea adversantur, quae cap. 27. 33. et 37. leguntur, sed etiam ipsa libelli indoles, ordo nexusque rerum et ars, qua singula tractantur. Cf. Kiessling. l. l. p. 2 — 4. Leo in Annal. crit. Berol. a. 1827. p. 136 — 159. et Hoffmeister l. c. p. 226 sq.

Probabilior videri possit sententia Passovii in Wachleri Philomathia T. I. p. 50 — 61. et viri docti in Annal. lit. Goetting. a. 1818. p. 1610 sq., Tacitum vel in pueritia et iuventute, (si filius fuit Corn. Taciti Equitis Rom., qui Belgicae Galliae rationes procuravit, de quo v. §. 1. ad vitam Taciti a. U. c. 806.) vel una cum Agrippa socero et quatuor deinde annis, quibus ante obitum eius et post praeturam a. U. 841. gestam Roma abfuerit, (cf. §. 1. ad vitam Taciti a. U. 843.) tum in Britannia, tum in Germania aliquamdiu commoratum esse. Id tamen haud probant loca, ad quae provocatur, Germ. 8. *vidimus sub D. Vespasiano Veledam,* et Agr.

24. *saepe ex eo audivi*, scil. ex Agricola, qui aliquoties ex Britannia Romam rediit, non ex regulo: nec facile cum eo conciliari poterunt altum Taciti silentium, manca regionum populorumque notitia et verba illa cap. 27. *Haec in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus.*

Ceterum eo fides Taciti neutiquam minuitur. Ipse fuit veritatis amantissimus et sua haurire potuit ex puris fontibus et scriptis multorum fide dignorum, praecipue *Caesaris*, qui cap. 28. sed solus in toto libello laudatur, *Plinii maioris*, qui militavit in Germania et viginti libris bellorum Germanicorum omnia bella a Romanis gesta cum Germanis collegit, (v. Ann. 1, 69. et Plin. ep. 3, 5.) eiusdem *Plinii* in libris XXXVII. hist. nat. et CLX Electorum, *Livii* in libris LXIII—LXVIII, CIV—CVII. et CXXXVII—CXL, *Catonis* in libro de rebus Germanicis, *Aufidii Bassi* in libris de bellis Germanicis, *C. Sullae* in libro de bello Cimbrico, *Strabonis* in l. IV et VII. *Velleii*, *Ptolemaei*, (qui tamen accuratior est) *Melae*, *Suetonii*, *Frontini* aliorumque. Quibus non annumerandus est *C. Asinius Pollio*, qui, quantum novimus, praeter orationes et tragoedias non nisi libros XVII. bellorum civilium scripsit, neque *Asinius Quadratus*, qui teste quidem Agathia *τὰ Γερμανικὰ ἐς τὸ ἀκριβὲς ἀνεγράψατο*, sed saeculo demum III. p. Chr. n. vixit. Cf. Hor. od. 2, 1. Suet. Caes. c. 56. Strabo IV, p. 193. Suidas et Thorbecii commentat. de Asinii Pollionis vita et studiis, Lugd. Bat. 1820. — Praeterea Tacitus multa a militibus, amicis, mercatoribus et ab ipsis Germanis, eorum legatis Romam missis et exsulibus ibi commorantibus comperire poterat: nam varius et frequens usus inter Romanos et Germanos tam pacis quam belli temporibus intercesserat a duobus inde saeculis.

ANNALES ET HISTORIAE.

§. VI. Tacitus, qui dignitatem suam a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam gratus profitetur Hist. 1, 1., primum ad solam Flaviae domus regnatricis historiam scribendam animum appulerat et hinc telam non a Neronis morte exorsus

erat, sed a legionum, praecipue Germanicarum, seditione, qua Galbae, Othoni et Vitellio via ad brevissimum, Flaviis ad diuturniorem dominatum munita: nam *historicis*, ut verba Macrobii Sat. 5, 2. mea faciam, *lex est, incipere ab initio rerum et continuam narrationem ad finem usque perducere.* Hoc opere absoluto eius successu et gravitate otiive dulcedine captus simulque precibus amicorum permotus ad historiam primorum Caesarum attexendam se parasse videtur, ut ita in Annalibus et Historiis contineretur continua paene Imperatorum Romanorum historia ab Augusto ad Nervam, et quidem in illis priorum ex Iulia et Claudia gente ab Augusto ad Galbam, in his posteriorum, Galbae, Othonis, Vitellii, Vespasiani, Titi et Domitiani, (e quibus *quatuor ferro interempti*, Hist. 1, 1. et 2.) sed in illis ab extremis demum et morte Augusti, (Ann. 1, 1. 7. 14.) in his a secundo Galbae consulatu et imperii anno. Cur Augusti res a tali Imperatorum Rom. historia excluserit, ipse docet Ann. 1, 1. his verbis: quia *temporibus Augusti dicendis non defuere decora ingenia.* Addit tamen: *donec gliscente adulatione deterrerentur;* et hac potissimum ratione postea Augusti quoque vitam et instituta, rei publicae finem, initium dominationis tantarumque rerum causas exponendi consilium capere potuit. Cuius exsecutionem utinam non distulisset in serum vitae tempus! *Haec memorabo,* inquit, *si effectis, in quae tetendi, plures ad curas vitam produxero,* Ann. 3, 24.

Annales et Historiae Taciti in codicibus MSS. primisque editionibus ita connectuntur, ut unum, non duo scripta esse videantur: nam et omnes eorum libri una serie numerantur, et opera haec eodem titulo insigniuntur. v. §. 2. Ea autem diversa fuisse et inscripta *Annales* et *Historias*, tum ex eo intelligitur, quod ipse Tacitus illud *Annales* appellat Ann. 3, 65. 4, 32. 71. 13, 31. hoc *libros, quibus res Domitiani composuerit,* Ann. 11, 11. quodque nonnunquam easdem res in utrisque et vel diverso modo, ut Ann. 13, 46. et H. 1, 13. vel brevius et copiosius, ut Ann. 12, 54. et H. 5, 9. exposuit; tum ex verbis Tertull. in apolog. adv. gentes c. 16. *Somniastis, caput asininum esse deum nostrum.*

Hanc Cornelius Tacitus suspicionem eiusmodi inseruit. Is enim in quinta Historiarum suarum bellum Iudaicum exorsus ab origine gentis cet., Iornandis in rebus Goth. 1, 2. ubi Tacitus *Annalium scriptor* dicitur, et Plinii epist. 7, 33. *Auguror, nec me fallit augurium, Historias tuas immortales futuras: quo magis illis* (*ingenue fatebor*) *inseri cupio* (h. e. actionem meam contra Baebium Massam, cuius viri optimo cuique exitiosi saepe a Tacito in Historiis mentionem factam esse ex Hist. 4, 50. patet) tum ex diversitate indolis internae.

De discrimine *Annalium* et *Historiarum*, non modo Taciti, sed etiam aliorum, multi disputarunt, olim in primis Cicero et Gellius, nuper viri illustres et acutissimi Humboldtius, Süvernius, Niebuhrius, Hegewischius, Rothius et Bachius in commentationibus infra §. XXXIII. laudatis. Locus Gellii in Noct. Att. 5, 18. est: *Historiam ab Annalibus quidam differre eo putant, quod, quum utrumque sit rerum gestarum narratio, earum tamen proprie rerum sit historia, quibus rebus gerendis interfuerit is, qui narret. Eamque esse opinionem quorundam Verrius Flaccus refert in libro de significatu verborum quarto, ac se quidem dubitare super ea re dicit; posse autem videri putat nonnihil esse rationis in ea opinione, quod historia Graece significet rerum cognitionem praesentium. Sed nos audire soliti sumus, annales omnino id esse quod historiae sint, historias non omnino esse id quod annales sint, sicut, quod est homo, id necessario animal esse, quod est animal, non id necesse est hominem esse. Ita historias quidem esse aiunt rerum gestarum vel expositionem vel demonstrationem vel quo alio nomine id dicendum est; annales vero esse, quum res gestae plurium annorum observato cuiusque anni ordine deinceps componuntur. Quum vero non per annos, sed per dies singulos res gestae scribuntur, ea historia Graeco vocabulo ἐφημερίς dicitur, cuius Latinum interpretamentum scriptum est in libro Sempronii Asellionis primo, ex quo libro plura verba adscripsimus, ut simul, ibidem quid ipse inter res gestas et annales esse dixerit, ostenderemus. Verum inter eos, inquit, qui annales relinquere voluissent,*

et eos, qui res gestas a Romanis perscribere conati essent, omnium rerum hoc interfuit. Annales libri tantummodo, quod factum quoque anno gestumque sit, id demonstrabant, quasi qui diarium scribant, quam Graeci ἐφημερίδα vocant. Nobis non modo satis esse video, quod factum esset, id pronuntiare, sed etiam quo consilio quaque ratione gesta essent demonstrare. Priorem sententiam unice probandam censuit I. Fr. Gronovius ad Tac. Ann. 1, 1. ubi haec annotavit: „Mascardus in Arte sua historica differentiam *Annalium* et *Historiarum* e Tacito discendam scribit: Annales admittere, quicquid patitur historia, sed id tradere concisius et brevius; dein habere aliquid proprium, nempe res minus graves quam frons historiae postulet. At quod discrimen reiicit ac pro nullo putat, id solum secutus est auctor noster. Sic enim tradunt Servius ad Virg. Aen. 3, 373. et e Verrio Flacco Gellius 5, 18. visum quibusdam antiquis, *Annales* temporum esse illorum, quos scriptoris haud viderit aetas, *Historiam* eorum, quibus interfuerit. Et ut huius rei obscura esset ratio, quam multa sunt, quorum significationes ab origine non diversas usus secreverit, ut certa essent cuique rei vocabula? Sed et praebet rationem evidentem, si non *Annalium*, at *Historiae* vox dicta ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, quod est noscere visendo vel inspicere, ut καθ' ἱστορίαν ἰέναι et πλανηθῆναι, lustrandi vel visendi gratia, apud Plut. ἱστορῆσαι τὴν πόλιν, ap. Palaephatum: καὶ γέγραφα ταῦτα, οὐχ' οἷα ἦν λεγόμενα, ἀλλ' αὐτὸς ἐπελθὼν καὶ ἱστορήσας, i. e. quae ipse adii et comperi vel contemplatus sum. (Sic et ap. Aelian. H. Anim. 16, 42. οὐκ ἀκοὴν λέγειν ἀλλὰ ἱστορίαν.) Iam Tacitus iis, quae H. 1, 1. scripsit, satis demonstrat, quae tradit in Annalibus, ea praecessisse suam aetatem, duntaxat illam, quae rebus intenta esse et maturum de illis iudicium facere posset." Sed Mascardi sententia neque verbis Taciti Ann. 13, 31. congruit, neque rebus quas, et rationi qua eas in Annalibus tractavit; Gronoviana non sufficit ad veram talium operum et diversam indolem accurate definiendam. Hanc tamen secutus est Hugo Grotius, qui historiam quam

scripsit Belgicam in Annales et Historias divisit. — Alii opinionem Sempronii Asellionis amplexi sunt, in *Annalibus* exponi tantum, quae quovis anno, in *Historiis* simul, quo ea consilio quaque ratione gesta sint. At in neutra re multum differt inter Annales et Historias Taciti, et utrumque valet etiam in praestantissimas Thucydidis, Polybii, Dionysii Halicarnassensis et Livii historias. Itaque quaeri possit, quare Tacitus maiora quae edidit opera non iisdem titulis insigniverit. Huius rei causas et interiorem simul Annalium formam, aliquantum ab illa Historiarum diversam, ingeniose explicavit *Niebuhrius* in: Rhein. Museum für Philol. u. Gesch. II, 2. p. 284—294. [2])

---

[2]) Praecipue his verbis: „Der Definition, Historie sei die Geschichte erlebter Zeiten, liegt Wahrheit zum Grunde: sie kann aber nicht als eine allgemeine gelten, weil man dann verlegen seyn würde, wohin man Sallusts Jugurtha und die gröfsere Hälfte von Herodots Historien zählen wollte. — Die Historien waren die Geschichte der Flavier, und in ihnen ist epische Einheit. Für diese Geschichte brauchte Tacitus weder die Form in Theorieen zu suchen, noch sich nach einem Namen umzusehen: beides ergab sich von selbst. Als nun sein Werk vollendet war, mochte er eine Leere empfinden und verlangen, ein anderes zu schaffen; auch werden die Leute der gebildeten vornehmen Gesellschaft nicht unterlassen haben, den grofsen Mann, der in ihrer Mitte lebte, zu drängen und zu bitten, dafs er eine andere Geschichte schreiben solle. So lange Traian lebte, konnte er die nicht erzählen wollen, die er seinem Alter vorbehalten hatte: er entschied sich für die des halben Saeculum von Augustus's Tod bis auf den Anfang seiner Historie. Hätte er nun diese Historie nicht vollendet gehabt, so möchte er eben so wenig wie Livius sie von der frühern geschieden haben. Aber um beide zu vereinigen, hätte der Anfang der Historie zerstört und verändert werden müssen. — Die Schwierigkeiten, welche der historischen Erzählung früherer Zeiten entgegen stehen, waren für die des Tiberius eigentlich unüberwindlich. — Für die Geschichte der Herrschaft eines Despoten, wenn sie nicht in Zeiten grofser Ereignisse fällt, worin seine Persönlichkeit unbedeutend wird, ist Biographie die angemessenste Form; wozu auch das Wesen der Sache den Suetonius und seine Nachfolger geführt hat. Vielleicht aber konnte Tacitus den Schmerz nicht überwinden, die Geschichte Roms in der Darstellung wie in der Wahrheit zu einem kleinen Theil der Lebensgeschichte, nicht allein eines durch Laster entarteten Tyrannen, welcher doch zu grofsen und heilsamen Dingen geboren war und nicht wenige vollbrachte, sondern eines unglücklichen und bösartigen Blödsinnigen und zweier Ungeheuer herabzuwürdigen. Auch konnte durch die Einstimmigkeit der Vorgänger, welche jenen Zeitraum durchgehends als Annalen geschrieben zu haben scheinen, (s. Ann. 4, 53.) diese Form ein solches Ansehen gewonnen haben, sich für diesen Zeitraum zu verstehen, dafs auch Tacitus's freier Geist sich ohne Grübeln dafür entschied. — Wer nun die Annalen von Anfang her liest, kann unmöglich in ihnen den Cha-

Annales proprie appellantur libri, in quibus continuo ordine enarrantur, quae quovis anno facta sunt et gesta, Germ. Jahrbücher, et Tacitus omnia strictius in annos et iusta annorum tempora digessit in Annalibus quam in Historiis. Ipse profitetur Ann. 4, 71. *Ni mihi destinatum foret, suum quaeque in annum referre, avebat animus anteire statimque memorare exitus, quos Latinius atque Opsius ceterique flagitii eius repertores habuere: — verum has atque alias sontium poenas in tempore trademus;* Ann. 12, 40. *Haec quanquam a duobus Ostorio Didioque propraetoribus plures per annos gesta coniunxi, ne divisa haud perinde ad memoriam sui valerent: ad temporum ordinem redeo;* Ann. 13, 9. extr. *Quae in alios consules egressa coniunxi.* Sed propterea Annales eius neutiquam responderunt annalibus maximis, neque iis, quos Cato, Pictor, Piso aliique his similes ante eum scripserant, neque diurnis senatus populique actis, de quibus v. ad Ann. 3, 3, 1. Ab his Tacitus Annales suos diserte distinxit Ann. 3, 3. 13, 31. et hinc maiora eius opera perperam in codicibus MSS. et editt. vet. inscribuntur *Actionum vel Actorum diurnalium historiae Augustae.*

---

rakter derjenigen verkennen, welche den Namen ursprünglich führten; und nicht zufällig, sondern höchst sorgfältig gehalten: nur mit dem Unterschied wie zwischen einer Madonna von Cimabue und von Raphael. Jedes Jahr ist streng geschieden: der Gang längerer Begebenheiten ist immer vom Jahreswechsel durchschnitten. Im Umfang des Jahres wird nach einander das Fremdartigste verzeichnet, manchmal Unerhebliches, was aber dann immer den Zeitgenossen interessant gewesen war; vieles, dem die Historie der Römer und des Reichs, wofern sie es nicht ganz ausgeschlossen hätte, seinen Ort in einer Episode angewiesen haben würde. Diese Mannichfaltigkeit ist neben einander gestellt ohne alle Verknüpfung: vielmehr wird eine jede Verbindung vermieden. Eben so absichtlich beobachtet der kunstvolle Meister den Charakter der Anzeichnung und bewahrt ihre Verschiedenheit von überschauender Erzählung. In diesem ist es, dafs er die Begebenheiten nur theilweise berichtet; bald wegläfst, was der Leser sich hinzudenken mag, bald von dem, was vollständig einen weiten Umfang haben würde, einzelnes aushebt, weil er Weitläufigkeit meidet. Um so helleres Licht sucht er auf die ausgewählten Partieen zu werfen. — Vertheidigen läfst sich jene Unvollständigkeit und Eilfertigkeit nicht immer, noch sogar leugnen, dafs Tacitus sich hier zuweilen verirrt hat. — Im Wesentlichen frei von jenen Mängeln, aber auch von einem weit unbestimmteren Annalencharakter, sind die sechs letzten Bücher, also dafs, was unmittelbar sich an die Historie angeschlossen haben würde, eigentlich gleichartig mit ihr würde gewesen seyn."

Quid iudicandum sit tum de rebus, quae in Annalibus traduntur, tum de utilitate ex earum notitia redundante, Tacitus ipse docuit Ann. 4, 32. 33. 6, 7 extr. et 13, 31. quae loca plurimum valent ad veram Annalium indolem cognoscendam. Quanti vero referat, qua ratione res enarrentur, egregie declaravit Cicero de orat. 2, 12. his verbis: *Qualis oratoris et quanti hominis in dicendo putas esse historiam scribere? Si, ut Graeci scripserunt, summi; si, ut nostri, nihil opus est oratore: satis est, non esse mendacem. Graeci quoque sic initio scriptitarunt, ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso. Erat enim historia nihil aliud nisi Annalium confectio, cuius rei memoriaeque publicae retinendae causa ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium pontificem maximum res omnes singulorum annorum mandabat literis pontifex maximus efferebatque in album et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi, ii qui etiam nunc annales maximi* (a pontificibus maximis) *nominantur. Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monimenta solum temporum, hominum, locorum gestarumque rerum reliquerunt. Itaque qualis apud Graecos Pherecydes, Hellanicus, Acusilas fuit aliique permulti, talis noster Cato et Pictor et Piso, qui neque tenent, quibus rebus ornatur oratio: modo enim huc ista sunt importata et dum intelligatur quid dicant, unam dicendi laudem putant esse brevitatem. Paululum se erexit et addidit historiae maiorem sonum vocis vir optimus, Crassi familiaris, Coelius Antipater. Ceteri non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt. Sed iste ipse Coelius neque distinxit historiam varietate locorum, neque verborum collocatione et tractu orationis leni et aequabili perpolivit illud opus, sed ut homo neque doctus neque maxime aptus ad dicendum, sicut potuit, dolavit; vicit tamen superiores.* Cf. idem Cic. de leg. 1, 2. 3. ubi et alii Graecorum Romanorumque historici recensentur. Qui si superessent et Tacito comparari possent, clarius appareret, quid et quantum intersit inter hunc et illos. Cf. inf. §. XII.

INTERIOR ET EXIMIA INDOLES
LIBRORUM A TACITO VULGATORUM.

§. VII. Si quaesiverit aliquis, quaenam historia sit perfecta omnibusque numeris absoluta, scite responderi poterit verbis Ciceronis de orat. 2, 15. *Quis nescit, primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat; deinde ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis? Haec scilicet fundamenta nota sunt omnibus. Ipsa autem exaedificatio posita est in rebus et verbis. Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem: vult etiam, quoniam in rebus magnis memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus exspectantur, et de consiliis significari, quid scriptor probet, et in rebus gestis declarari non solum quid actum aut dictum sit, sed etiam quo modo, et quum de eventu dicatur, ut caussae explicentur omnes vel casus vel sapientiae vel temeritatis, hominumque ipsorum non solum res gestae, sed etiam qui fama ac nomine excellant, de cuiusque vita atque natura. Verborum autem ratio et genus orationis fusum atque tractum et cum lenitate quadam aequabili profluens sine hac iudiciali asperitate et sine sententiarum forensium aculeis persequendum est.*

Ad eiusmodi historiam, ad quam scribendam Ciceronem exhortati erant amici, quia nondum ulla Romanarum spem eorum et desiderium expleverat, haud dubie aspiravit Tacitus et felicissimo successu. Iudex enim vel severissimus, si historica scripta, praecipue Annales et Historias, quae memoriam eius immortalem reddiderunt, ad illas leges et virtutes exegerit, fatebitur profecto, eum ita satisfecisse omnibus et, quod Cicerone iudice perfectissimum sit in ea re, ita assecutum esse, ut princeps censendus sit historicorum Romanorum, neque secundus a Livio, sed loco superior. Ad talia quoque opera perficienda non facile quisquam vel maioribus pluribusque vitae et temporum opportunitatibus adiutus, vel natura et arte paratior accessit. Nam Tacitus, quo tempore ad ea componenda animum applicaverat, et otio abundabat, in quod post consulatum a. U. c. 850. secessisse vide-

tur, [3]) et fruebatur non modo ubertate fontium, ex quibus omnia haurire poterat, sed etiam *rara temporum felicitate, ubi sentire quae vellet et quae sentiret dicere ei licebat.* (H. 1, 1.) Idem erat vir acerrimi ingenii, quod non minus assidua optimorum scriptorum lectione, quam acri studio artium, in primis eloquentiae et philosophiae, excoluerat et perpoliverat. [4]) Quantus ille fuerit orator quantaque eius fama et celebritas, intelligitur potissimum ex Plinii epistolis vel ad Tacitum vel ad alios amicos missis; 2, 1, 6. Verginius Rufus *laudatus est a consule Cornelio Tacito: nam hic supremus felicitati eius cumulus accessit-laudator eloquentissimus;* 2, 11, 17. *Respondit Tacitus eloquentissime et, quod eximium orationi eius inest.* σεμνῶς; 4, 13, 11. *Iniungo et pro rei magnitudine rogo, ut ex copia studiosorum, quae ad te ex admiratione ingenii tui convenit, circumspicias praeceptores, quos sollicitare possimus;* 4, 15, 1. Asinius Rufus *Cornelium Tacitum* (*scis quem virum*) *arcta familiaritate complexus est;* 4, 16, 1. *Petis, ut tibi avunculi mei exitum scribam, quo verius tradere posteris possis. Gratias ago: nam video, morti eius, si celebretur a te, immortalem gloriam esse propositam;* 7, 20, 4. *Equidem adolescentulus, quum iam tu fama gloriaque floreres, te sequi, tibi longo, sed proximus intervallo et esse et haberi concupiscebam. Et erant multa clarissima ingenia; sed tu mihi* (*ita*

[3]) *Historia nec institui potest, nisi praeparato otio, nec exiguo tempore absolvi,* Cic. de leg. 1, 3. Cf. nota 4.

[4]) Verba eiusdem Ciceronis de orat. 1, 13. 14. sunt: *Minime mirum, inquit Antonius, si ista res* (historia) *adhuc nostra lingua illustrata non est: nemo enim studet eloquentiae nostrorum hominum, nisi ut in causis atque in foro eluceat. Apud Graecos autem eloquentissimi homines remoti a causis forensibus cum ad ceteras res illustres tum ad scribendam historiam maxime se applicaverunt. — Sic Thucydides, qui omnes dicendi artificio vicit. — Hunc consecutus est Syracusius Philistus, qui otium suum consumpsit in historia scribenda maximeque Thucydidem est imitatus. Postea vero quasi ex clarissima rhetoris officina duo praestantes ingenio Theopompus et Ephorus ab Isocrate magistro impulsi se ad historiam contulerunt. Denique etiam a philosophia profectus princeps Xenophon Socraticus ille, post ab Aristotele Callisthenes comes Alexandri scripsit historiam, et hic quidem rhetorico paene more et impetu oratoris, ille leniore quodam sono est usus et dulciore. Minimus natu horum omnium Timaeus longe eruditissimus et rerum copia et sententiarum varietate abundantissimus et ipsa compositione verborum non impolitus.*

similitudo naturae ferebat) maxime imitabilis, maxime imitandus videbaris; 7, 33, 1. *Auguror, nec me fallit augurium, Historias tuas immortales futuras: quo magis illis (ingenue fatebor) inseri cupio. Nam si esse nobis curae solet, ut facies nostra ab optimo quoque artifice exprimatur, nonne debemus optare, ut operibus nostris similis tui scriptor praedicatorque contingat?* 9, 23, 2. *Tacitus narrabat, sedisse secum circensibus proximis Equitem Romanum; hunc post varios eruditosque sermones requisisse: Italicus es an provincialis? Se respondisse: Nosti me et quidem ex studiis. Ad hoc illum: Tacitus es an Plinius? Exprimere non possum, quam sit iucundum mihi, quod nomina nostra quasi literarum propria, non hominum, literis redduntur, quod uterque nostrum his etiam ex studiis notus, quibus aliter ignotus est.*

Hisce Plinii locis adiungendum crediderim insignem illum Quintiliani or. inst. 10, 1, 104. *Superest adhuc et exornat aetatis suae gloriam vir saeculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur. Habet amatores, nec immerito; cui libertas, quanquam circumcisis quae dixisset, nocuerit.* (In quibusdam libris: *Habet amatores nec imitatores, ut libertas, q. c. q. dixisset, ei nocuerit.*) *Sed elatum abunde spiritum et audaces sententias deprehendas etiam in iis, quae manent.* Quibus verbis plerique non Tacitum significari putant, sed Fabium Rusticum vel Cremutium Cordum vel Herennium Senecionem vel Vipstanum Messalam vel Cluvium Rufum, quia Quintilianus librum suum iam ante a. U. 847. imperante Domitiano, (v. Dodwelli Ann. Quintil. p. 130.) et Tacitus nondum quicquam tunc temporis in vulgus ediderit. Haec vero causa non satis idonea et gravis videri potest, cur ille Quintiliani locus ad eos potius referendus sit, quorum scripta plane interciderunt neque a nobis comparari possunt, quam ad Tacitum nostrum, cuius *libertati* et famae iam ante editionem librorum inter aequales illorum temporum partae apprime congruit. Nam hic, qui historica, non oratoria, ut Quintilianus, scribere constituerat, nihil quidem eorum ante Domitiani obitum, (a. U. 849.) nedum historiam

primorum Principum, inter quos ille erat, sed nonnull tamen ipso beatissimi saeculi ortu et vitam Agricolae tanquam librum praecursorium, iam a. U. 850. evulgass videtur. (v. Agr. 1—3. 44.) Idem haud dubie script olim in lucem emittenda et in his potissimum Histo rias et Annales, opera non minus laboriosa quam peri culosae aleae plena, diu ante tum meditatus est et per polivit, tum more illius aevi et recitavit in coetu amicorun et ad eos misit, ut annotarent, quae commutanda, qua eximenda (*circumcidenda* potissimum utpote nimis *au dacia*) arbitrarentur, (quod de Tacito diserte tradit Pl nius ep. 7, 20. 33. et 8, 7.) memor praeceptorum Horat A. P. v. 386. sqq. *Si quid tamen olim Scripseris, i Maeci descendat iudicis aures Et patris et nostra nonumque prematur in annum Membranis intus positi delere licebit Quod non edideris; nescit vox missa r verti.* Praeterea vix est quod dubitemus, quin Quintili nus Taciti, ut Plinii minoris, praeceptor fuerit et script noster illorum praecipue iudicio historias suas in scrini tunc latentes et temporibus Domitiani infestis virtuti nc sine summo periculo publicandas subiecerit, (cf. Agr. 2. 3 Quintilianus autem illis perlectis ita iudicaverit ut Pl nius ep. 7, 33. *auguror, nec me fallit augurium, hist rias tuas immortales futuras.* Id quoque iudicio adm dum probabili colligas ex his Quintiliani verbis: *qui oli nominabitur, nunc intelligitur.* Denique et audaciae T citi periculosae et temporibus Domitiani, quibus ille ia honoribus et ingenii laude floruit, admodum conveniu illa: *cui libertas, quanquam circumcisis quae dixiss nocuerit,* et praecipuam causam continere videntur, c exierit Urbe et quadriennio demum post redierit, (A 45.) scil. ut malevolorum offensiones, insidias accusatoru et iram tyranni effugeret. [5])

[5]) Conf. Spalding. et Buttman. ad Quintil. 10, 1, 104. et p. 711 s Zumpt. ibid. in Supplem. T. V. p. 417. Frotscher ad Quintil. l. X. p. 2 et Herzog. ad Quintil. l. X. p. 188. Sarpe quaest. philol. Rost. 1819. I. Fr. Manso über einige den Quintilian betreffende Meinungen der lehrten p. 10. Walch. ad Tac. Agr. 3. p. 129. 130. Conz Museum die griech. und röm. Literatur Zürch. 1795. P. II. p. 140. Niebul kleine hist. und philol. Schriften. Bonn 1828. Boetticheri Lex. Tac V. Fr. Iacob in Iahnii Annal. VII, 2. p. 178.

§. VIII. Quod ad primam historiae legem attinet, ne quid falsi dicere audeat et ne quid veri non audeat, (quae sunt verba Cic. de or. 2, 15.) Tacitus incorruptam fidem et professus est H. 1, 1. et ita praestitit, ut hac quoque in re cunctis historiae Romanae scriptoribus antecelleret. Verum enim dicere non tantum voluit sine studio et ira, sine amore et odio, (Ann. 1, 1. H. 1, 1.) sed etiam potuit: nam libri eius in lucem prodiere beatissimo saeculo, quo sentire quae vellet et quae sentiret dicere licebat, (H. 1, 1. Agr. 3. 44.) et longe plurima, quae in Annalibus et Historiis tradidit, vel iis quibus vixit temporibus vel paulo ante gesta sunt et spectant ad Imperatorum illustriumque illius aevi hominum familias, coniuges, liberos, vitam, ingenium, mores, facta. Huc accedit quod ipse fuit vir celeberrimus et tum summis honoribus magistratibusque functus, tum multis familiariter usus est. Hinc facile quae retulit eorumque veram rationem, ordinem, nexum, causas et eventus vel ab ipsis rerum auctoribus horumque amicis et posteris resciscere, vel ex monimentis publicis, in capitolio, tabulariis et aerario asservatis, excerpere potuit.

Ad *fontes*, e quibus Tacitus pleraque in Annalibus et Historiis exposita hausit, (nam de auctoribus ad libellum de Germania collatis v. supra p. XXIV. et vita Agricolae resque ab eo gestae non latere poterant generum, qui praeter socerum etiam multos rerum Britannicarum scriptores consuluit, de quibus v. cap. 10.) referenda sunt *acta senatus* vel *Patrum* sive *commentarii senatus* et *acta urbana* vel *publica* vel *Urbis* vel *diurna populi Romani,* (de quibus v. ad 3, 3, 1. 5, 4. 6, 47. 12, 24. 13, 31. 15, 74. 16, 22. O. 37. et e quibus excerpta sunt acta apud Patres, quorum mentio fit in plerisque Annalium et Historiarum capitibus) *commentarii principales,* H. 4, 40. *Claudii* 13, 43. et *Agrippinae* 4, 53. *fasti* 3, 17. 18. H. 4, 40. *annales* 3, 65. 4, 32. 13. 67. 13, 31. *edicta Principum* 1, 7. 8. 3, 6. 4, 67. 5, 5. 11, 13. 14, 36. 45. 63. H. 3, 73. 4, 45. 49. *tabulae publicae* 13, 28. 29. H. 4, 9. *senatus consulta* 1, 7. 1. 32. 85. 3, 51. 57. 63. 4, 45. 63. 6, 12. 11, 13. 15. 13. 12, 51. 52. 53. 66. 13, 32. 41. 42. 49. 14, 41. 42.

15, 19. 16, 9. H. 1, 78. 2, 4. 10. 62. 4, 45. *oration* in senatu habitae, (v. Ind. I.) *literae* vel a Principibu vel ab imperatoribus magistratibusque provincialibus a Patres vel ab his et Principibus ad illos duces et mag stratus vel ab aliis ad alios missae et in senatu recitat 1, 7. 25. 48. 2, 65. 78. 79. 3, 16. 5, 2. 12, 19. 15, 2 H. 3, 53. al.

Praeterea a Tacito permulti scriptores historiae R manae consulti sunt et collati, non tamen nominati: na olim non, ut nunc, ita inanis gloria et libris ornat quaerebatur. Hinc plerumque contentus ille fuit dixis *diversa apud auctores reperiuntur* 1, 81. *reperio apu scriptores senatoresque eorundem temporum* 2, 88. *na rata, audita scriptaque senioribus* 3, 16. 11, 27. 2 *quae plurimis maximeque fidis auctoribus memorat sunt retuli* 4, 10. *id ego a scriptoribus annalium n traditum reperi in commentariis Agrippinae* 4, 5 *plurimos auctores secutus sum* 4, 57. *scriptores in dissentiunt* 4, 65. *tradunt temporis eius auctores* 5, *plerique temporum illorum scriptores haec prodideru* vel *tradunt* 12, 67. 13, 17. *nos consensum auctoru secuti, quae diversa prodiderint, sub nominibus ipsoru trademus* 13, 20. *quae Cluvius, eadem ceteri quoq auctores prodidere* 14, 2. *sunt qui tradiderint, sunt q abnuant* 14, 9. *invenio hoc apud quosdam auctores* 2, 37. *id asseverare non ausim, quanquam alii tradid rint* H. 3, 22. *primum irrupisse C. Volusium int omnes auctores constat* H. 3, 29. *celeberrimos aucto habeo* H. 4, 51. *quidam tradidere* H. 4, 54. *sunt tradunt* H. 5, 2. *plurimi auctores consentiunt* H. 5, *sic veteres auctores; sed gnari locorum tradunt h* H. 5, 6. ut aliis locis *ferunt, ferebatur, memorant, moriae proditur, comperi, accepimus* et similia.

Nonnulli scriptores diserte laudantur et quidem *Livius* 4, 31. Agr. 10. *C. Iulius Caesar* 4, 34. 13, 3. 9. 28. *Plinius maior,* qui praeter alia scripsit XXXI bros historiarum a fine (historiarum) Aufidii Bassi, 1, 13, 20. 15, 53. H. 3, 28. *Fabius Rusticus* recenti eloquentissimus auctor, qui historias sui temporis scrip 13, 20. 14, 2. 15, 61. Agr. 10. *Vipstanus Messala,*

Vespasiani aevo floruit et historiam sui aevi composuit, H. 3, 9. 11. 18. 25. 28. 4, 42. O. 14—35. *Cluvius Rufus*, qui consul et proconsul fuit atque res Neronis, Galbae, Othonis et Vitellii enarravit, Ann. 13, 20. 14, 2. (Cf. Ind. I.) *L. Cornelius Sisenna* rerum Romanarum ab a. U. c. 365. ad 668 gestarum scriptor Hist. 3, 51. *Cremutius Cordus*, qui libros de bellis civilibus et de rebus Augusti edidit, Ann. 4, 34. 35. *P. Rutilius Rufus* et *M. Scaurus*, qui suam ipsi vitam et res Romanas narrarunt, Agr. 1. *Arulenus Rusticus*, qui Thraseae Paeti, *Herennius Senecio*, qui Prisci Helvidii, *Iulius Secundus*, qui Iulii Asiatici facta moresque posteris tradidit, Agr. 2. O. 14.

Nec temere secutus est Tacitus monimenta illa et scripta historica, sed critico et subtili iudicio eorum fidem exploravit: nam indicat, fastos adulatione foedatos esse, Hist. 4, 40. scriptores in aliqua re vel consentire vel dissentire Ann. 1, 81. 4, 10. 57. 65. 5, 9. 12, 67. 13, 17. 20. 14, 9. H. 2, 37. 101. 3, 29. 51. 54. alia vel rumore et fama vel a gnaris locorum tradi Ann. 4, 10. Hist. 5, 6. prompte refutanda esse et incredibilia vulgo iactata et avide accepta Ann. 4, 11. improbabilia, ambigua et fabulosa a quibusdam tradita Ann. 6, 28. Hist. 2, 50. (*conquirere fabulosa et fictis oblectare legentium animos procul gravitate coepti operis crediderim*) 3, 22. incertas res G. 2. 3. 33. 46. earumque causas Ann. 1, 5. 2, 43. 49. 67. 83. 3, 31. 5, 1. 10. 11, 22. 12, 8. 26. 13, 19. 15, 38. 60. Hist. 2, 9. 4, 47. 49. alia audita quidem et narrata, sed non asseveranda Ann. 3, 16. 4, 11. quaedam consulto omissa a se Ann. 11, 21. 13, 31. 14, 14. male ab aliis Ann. 6, 7. 16, 16. nihil certi a se tradi posse Ann. 5, 10. 6, 7. 14, 9. H. 2, 42. G. 9. Praeterea causae rerum investigantur Ann. 2, 73. 3, 55. 11, 11. ipsa Imperatorum aliorumque verba referuntur in rebus ix credendis Ann. 11, 21. 37. 67. 14, 59. 16, 4. Hist. 1, 39. et saepius; iudicium auctoris interponitur in dubiis rebus et harum causis Ann. 1, 6. 11. 36. 76. 81. 2, 16. 17. 3, 16. 6, 28. 30. 13, 20. 14, 2. 15, 46. 16, 6. Hist. 1, 42. 2, 37. 73. 100. 101. 3, 22. 56. 5, 7. G. 2 — 5. 9. 34. 37. 45. 46. Agr. 43. Huc accedit quod auctor noster amicos rerumque testes rogavit, ut cer-

tiora sibi nuntiarent et accuratiora. v. Plin. ep. 6 16. et 20.

§. IX. Non defuere tamen, qui Taciti fidem in du bium vocarent eumque potuisse quidem vera tradere, se noluisse contenderent. Notissima sunt et verba Paul Orosii, qui hist. 1, 5. illum nonnunquam mentitum ess dicit ac *palam prodidisse, non sibi cognitionis fide defuisse sed exprimendae fidei voluntatem*, et iudici eorum qui hinc provocant potissimum ad falsa, quae a eo de Christianis et Iudaeis memoriae produntur Ann. 15 44. et Hist. 5, 2—8. Qui vero illum malignitatis ve diversae religionis causa haec consulto corrupisse, au propterea fidem etiam illis, quae de Romanis et peregrini saltem populis tradiderit, denegandam eumque *mendacio rum loquacissimum* fuisse opinantur, ut Tertullianus apolog adv. gent. c. 16., vix digni sunt qui refutentur. Tacitu ut in omnibus ita et in his rebus retulit ab aliis narrat et congrua iis, quae de superstitione prava, pervicacia e ritibus Iudaeorum dixerunt Apollonius aliique in libell Iosephi contra Apionem, Cicero pro Flacco c. 28. Pli nius H. N. 13, 9. Iustinus 36, 2. 3. Iuvenalis 6, 54 sq. 14, 96 sq. Quintil. 3, 7, 21. Martialis, Plutarchu et alii. Cf. nota 1. Idem non modo annotavit et disser sum auctorum — *memorant plerique; sunt qui tradant alii* tradunt; *plurimi auctores consentiunt* Hist. 5, 2. 3. — et quae parum probabilia vel dictu mira sibi videren tur Hist. 5, 5. 6. 7., sed etiam miseratur immeritam tristemque Christianorum sortem Ann. 15, 44. et ver quoque tradit de Iudaeis ac laudabilia, quo in primi referendum est quod legitur Hist. 5, 5. ab illis *unu numen mente sola intelligendum, summum illud et aete num, neque mutabile neque interiturum coli sine simulacris* [*]. Nec mirum est ei non innotuisse alia et accuratoria, qua ex Philonis et Iosephi libris discere potuisset. Nam Ro mani et Iudaei mutuo contemptu et odio abalienati om fastidiebant commercium vitae literarumque, et hi aeq ac illi tenacissimi religionis et rituum avitorum, praecep vero et notiones Iudaeorum de numine divino eiusq

---

*) Cf. Süvern. in diss. infra §. XXXIII. laudata p. 135.

cultu risui erant Romanis, ut nova doctrina Christianorum, qui tunc temporis vix a Iudaeis discernebantur, iisdem et Graecis: quod notissimum ex Plin. ep. 10, 97. 98. Actis apost. 17, 22—33. et prima Pauli epist. ad Corinth. I, 17—25.

Alii Tacitum tyrannorum fautorem ac praeceptorem Machiavellio similem fuisse arbitrantur [7]). Huius vero opinionis perversitas ex quavis fere Annalium et Historiarum pagina elucet, in quibus ille incorruptam fidem eo ostentat, quod non modo vitia tyrannorum et flagitia liberrime castigat neque ulla obtegit elevatve, sed etiam haud reticet, quae vel in his laudanda sint vel iniuste de iis dicantur: nam boni historici est nihil falsi dicere, nihil veri omittere.

Alii e contrario contendunt, Tacitum nimis rigidum fuisse Imperatorum hominumque illius aevi censorem, malignum et μισάνθρωπον, qui omnia vel adulterasset suspicionibus, vel in deteriorem partem traxisset. Cf. Broterii Praef. ad Tac. p. XI. Neque negandum est, eius iudiciis de pravis moribus tunc vigentibus amaritudinem aliquam inesse et mordacem acrimoniam vel quod V. cl. Creuzer venenum ναρκωτικόν appellat. At reputandum quoque, quales tunc fuerint homines, qualia tempora, (quibus *non mos, non ius, deterrima quaeque impune ac multa honesta exitio erant* Ann. 3, 28. quibusque vigebant omnia vitiorum genera et instrumenta tyrannorum, *lex maiestatis, saeva iussa, continuae accusationes, fallaces amicitiae* Ann. 4, 33. et vis praetorianorum,) quam perversa liberorum educatio, quanta adulatorum et delatorum, adulteriorum et stuprorum multitudo [8]); atque

---

[7]) Cf. Boccalini in Gordoni discours hist. crit. et polit. sur Tacite, Amst. 1742. p. 70. et verba Balth. Bonifaz. de Rom. hist. scriptoribus: in edit. Taciti a Fr. Gron. curata Amst. 1673.) *Adiiciunt calumniatores, hunc esse Latinum Xenophontem, crudelis ac detestabilis cuiusdam Tiberiopaediae scriptorem, qua Principes ad tyrannidem non perfunctorie sed accurate instruuntur.*

[8]) Quam morum corruptelam Horat. od. 3, 6, 17 sq. gravissimis verbis increpuit: *Fecunda culpae saecula nuptias Primum inquinavere et genus et domos. Hoc fonte derivata clades In patriam populumque fluxit. — Non his iuventus orta parentibus Infecit aequor sanguine Punico*

Tacitum mala vitiaque acerbe quidem, non tamen lubenti ut quidam putant, sed maesto animo [9]) et document causa notasse [10]), bona vero laudabilia silentio haud prae termisisse [11]). Quod docebunt potissimum loca haec

---

Pyrrhumque et ingentem cecidit Antiochum Hannibalemque dirum. Se rusticorum mascula militum Proles, Sabellis docta ligonibus Versare gl bas et severae Matris ad arbitrium recisos Portare fustes. — Damnos quid non imminuit dies? Aetas parentum peior avis tulit Nos nequior mox daturos Progeniem vitiosiorem. Hinc recte Tac. G. 19. *corrumper et corrumpi saeculum vocatur.* Cf. nota 10. et Dial. de orat. 27 — 3 de prava liberorum educatione, Ann. 1, 72. 2, 27. 32. 50. 55. 3, 38. 20. 28. 29. 30. 31. 36. 69. 6, 7. 9. 28. 30. 47. 12, 59. H. 1, 2. 77. 2, 5 4, 6. de accusatoribus et lege maiestatis, Ann. 3, 52 — 55. de luxu, An 2, 50. 85. 3, 24. 4, 42. de adulteriis et stupri licentia, Ann. 3, 65. temporibus adulatione sordidis, Ann. 1, 74. 3, 38. 66. 70. 4, 19. 11, 6. 13, 33. 43. 14, 28. de repetundarum criminibus, Ann. 1, 2. 4, 6. 72. 1 32. 15, 20. H. 1, 51. 60. Agr. 12. 30. de avaritia magistratuum et Rom norum.

[9]) Ad Taciti scripta plane transferri potest, quod de libris Maxin sui universis generaliter iudicavit Plinius ep. 4, 20. *Est opus pulchru validum, acre, sublime, varium, elegans, purum, figuratum, spatiosu etiam et cum magna tua laude diffusum; in quo tu ingenii simul dolori que velis latissime vectus es et horum utrumque invicem adiumento fui nam dolori sublimitatem et magnificentiam ingenium, ingenio vim amaritudinem dolor addidit.*

[10]) Egregie Livius in Praef. *Ad illa mihi,* inquit, *pro se quisq acriter intendat animum, quae vita, qui mores fuerint; per quos vir quibusque artibus domi militiaeque et partum et auctum imperium si Labente deinde paulatim disciplina velut desidentes primo mores sequat animo; deinde ut magis magisque lapsi sint; tum ire coeperint praecipit donec ad haec tempora, quibus nec vitia nostra nec remedia pati poss mus, perventum est. Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salub ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monimen intueri. Inde tibi tuaeque rei publicae quod imitere capias, inde foedu inceptu, foedum exitu, quod vites. — Nuper divitiae avaritiam et abu dantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perden que omnia invexere. Sed querelae ne tum quidem gratae futurae, qu forsitan et necessariae erunt, ab initio certe tantae ordiendae rei absint.* H verbis conferenda illa Taciti Ann. 4, 32. 33. *Non sine usu fuerit, introsp cere illa primo aspectu levia, ex quis magnarum saepe rerum motus oriunt — Haec conquiri tradique in rem fuerit, quia pauci prudentia honesta deterioribus, utilia ab noxiis discernunt, plures aliorum eventis docent*

[11]) Verba Ioh. Mülleri in: Allg. Gesch. 1, 5, 10. sunt: Tacit ist in den Verdacht gekommen, die Verbrechen und Last gestürzter Fürsten vergrößert zu haben; aber was erzählt, ist in dem Gange des menschlichen Herzens, b sonders unter jenem Himmelsstrich, und andere Zeit dienen zur Bestätigung. Man hat ihm wie dem Guiccia dini vorgeworfen, die Menschen schwarz zu malen: ab die Geschichte beschäftigt sich mit Menschen, welc Leidenschaften von genugsamen Feuer hatten, um mer würdige Bewegungen zu veranlassen u. s. w.

Ann. 3, 65. *Praecipuum munus Annalium reor, ne virtutes sileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit. Ceterum tempora illa adeo infecta et adulatione sordida fuere, ut non modo primores civitatis, — sed omnes consulares — foeda et nimia censerent. Memoriae proditur, Tiberium, quotiens curia egrederetur, Graecis verbis in hunc modum eloqui solitum: o homines ad servitutem paratos! Scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam proiectae servientium patientiae taedebat;* Ann. 16, 16. *Patientia servilis tantumque sanguinis domi perditum fatigant animum et maestitia restringunt;* Ann. 1, 75. 2, 18. 3, 65. 69. 4, 47. 64. 6, 17. ubi nonnulla in laudem dicuntur Tiberii, ut Ann. 6, 46. Claudii, H. 1, 49. Galbae et H. 2, 46 — 48. Othonis; Ann. 1, 76. 3, 69. 4, 6. 11. 11, 27. 15, 53. quibus locis vel refelluntur vel in dubium vocantur, quae malis Principibus eorumve filiis et cognatis per iniuriam exprobrari videantur; Ann. 2, 88. *vetera extollimus recentium incuriosi;* Ann. 3, 55. *non omnia apud priores meliora, sed nostra quoque aetas multa laudis et artium imitanda posteris tulit;* Hist. 1, 3. *non tamen adeo virtutum sterile saeculum, ut non et bona exempla prodiderit;* Agr. 42. *Sciant, quibus moris illicita mirari, posse etiam sub malis Principibus magnos viros esse,* et loca illa in Ind. I. laudata de talibus viris bonisque exemplis, de Agricola, Antistio Labeone, Ateio Capitone, Barea Sorano, C. Cassio Longino, Cluvio Rufo, Cocceio Nerva, Corbulone, Cremutio Cordo, Germanico, Helvidio Prisco, Messala Corvino, P. Rutilio, Suetonio Paulino, Thrasea Paeto, M. Vipstano Messala, L. Volusio et aliis.

Nonnulli culpant Tacitum, quod in gratiam Romanorum a veritate nonnunquam declinaverit rebus eorum iusto plus auctis et peccatis cladibusque occultatis, v. c. Ann. 1, 63. *manibus aequis abscessum.* Sed talia vel vera sunt vel, si falsa, auctoribus, quos secutus erat, imputanda. Nostrum ab omni partium studio alienum fuisse, vel ex eo cognoscitur, quod neque res male a Romanis gestas, v. c. Hist. 4, 37. 70. et G. 37. neque vitia eorum celavit, ne iis quidem locis, ubi id ei licuisset, v. c. Ann.

4, 72. Agr. 12, 30. quodque haec vel aperte carpsit vel tecte, ut in eximia Calgaci oratione Agr. 30 — 32. et saepius in libello de Germania [12]).

Sunt denique qui vitio ei vertant, quod non reddiderit ipsa aliorum verba et orationes, sed suo more expresserit et, *quod iam Trogus Pompeius in Livio et Sallustio reprehendit, conciones directas pro sua* (obliqua) *oratione operi suo inserendo historiae modum excesserit:* (v. Iustin. 37, 3.) quo potissimum referunt orationes Claudii et Calgaci Ann. 11, 24. Agr. 30 — 32. tanquam nimis alienas ab ingenio illius Imperatoris et rudis Caledonii. Sed Tacitus in hac re imitatus est Thucydidem aliosque historicos, ut hi tragicos in choris: nam ab illis composita artis opera, quae nimiam dictionis dissimilitudinem respuunt [13]).

§. X. Tacitus non solum dixit verum, sed etiam egregie dixit secundum leges perfectae historiae et praecepta Ciceronis, de quibus v. §. VII. princ. Res Romanas inde ab extremis Augusti ad mortem Domitiani accurate et ordine et cum delectu, (nam *ex dignitate populi Romani repertum, res illustres Annalibus, talia,* res nullius fere momenti et memoria parum dignas, *diurnis Urbis actis mandare* Ann. 13, 31.) graviores fuse, leviores paucis, omnes vero ita enarravit, ut lectores iis ipsi interesse sibi videantur. Populorum, regionum et urbium indolem bene adumbravit, in quantum certe potuit: nam si manca sunt neque satis exacta quae tradit, culpa non in ipsum conferenda, sed in auctores fontesque, e quibus sua de-

---

12) Conf. Süvern. in disp. §. XXXIII. laudata p. 82. et Ernestii commentat. de qua v. nota 5. §. XXXIV.

13) Cf. §. XII. Walch. in Proleg. ad Tac. Agr. p. LII. LXVII. sq. (Die einem Kunstwerk nöthige Gleichheit des Tons untersagt alle schroffe Darstellung des Individuellen im Stoff und in der Form u. s. w.) et Wachsmuth. in animadv. in Tac. hist. expeditt. Germanici in Germ. Kil. 1821. („Tacitus orationes immiscens narrationi totus pendet e more veterum, qui quidem non religiosa fide quae dicta sint, sed quae dicta esse vel dici potuisse verisimile sit, pro genuina oratione, itemque codicillos literasque non iisdem verbis, sed quam in formam fuerint concepta, eius summam tradiderit. Nec ipse rationem suam in his tradendis dissimilat: dicit enim *haec taliaque* Ann. 2, 38. 14, 49. 15, 63. *verba eius in hunc modum fuere* 1, 58. 3, 65. *ad hunc modum* 2, 37. 71. 3, 49. 52. 4, 34. 6, 8. 34. 43. *his ferme verbis usus est* 2, 38. *huius modi orationem habuit* 4, 37. *Nero sic ferme respondit* 14, 55.")

prompsit. Quid in urbibus oppugnandis, in bellis gerendis, in eligendo campo locoque castrorum, in instruenda acie et subsidiis disponendis, quid in senatu, in Principum palatiis, in privatorum aedibus bene aut male sit actum, apte et luculenter declaravit. Hominum celebrium non modo facinora sive bona sive mala, sed etiam ingenium, vitam, mores, vitia et virtutes vere descripsit. Quibus consiliis, qua ratione et quo ordine memorabilis res acta sit, qui eius eventus, quae huius causae fuerint, quae casui seu temeritati seu sapientiae tribuenda, (*non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed rationem etiam causasque* H. 1, 4.) scite explicuit. Quae sunt virtutes historiae ἀποδεικτικῆς, (darstellender Erzählung) διδακτικῆς et πραγματικῆς, cuius primum egregiumque exemplum ad imitandum Livio et Tacito proposuit Polybius. Cf. eius lib. 1, 2. 35. 2, 37. 3, 1. 7. 31. 32. 6, 5. 9, 2.

Quam varia sit rei publicae forma, quae melior et, si non votis, saltem temporibus hominibusque accommodata, sapienter iudicavit. Eo potissimum referenda quae dixit Ann. 4, 33. *Cunctas nationes et urbes populus aut primores aut singuli regunt: delecta ex his et consociata rei publicae forma laudari facilius quam evenire vel, si evenit, haud diuturna esse potest* cet. Ipse quidem summo patriae et libertatis amore flagrabat; sed praedicabat obsequium et modestiam, non inanem libertatis iactationem et contumaciam Stoicorum illicita et abrupta mirantium, (Agr. 42. cf. Ann. 4, 20. *est aliquid in nostris consiliis licetque inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum*) minusque optabat restitutionem liberae rei publicae, quam dominatum prudentis mitisque Principis, qui *converso statu neque alia re Romana, quam si unus imperitaret, mixturus esset res olim dissociabiles, principatum ac libertatem: non enim hic, ut in ceteris gentibus, quae regnentur, certam esse dominorum domum et ceteros servos, sed imperandum hominibus, qui nec totam servitutem pati possint, nec totam libertatem;* Ann. 1, 33. Agr. 3. Hist. 1, 16. [14])

[14]) Cf. Süvern. in disp. §. XXXIII. laudata p. 84 sq. Mohr: über und

Minus nobis, quibus clarior philosophiae, physicae et religionis lux affulsit, arridere possunt et satisfacere dubia et incerta Taciti iudicia de moderatione, nexu et mutatione rerum humanarum, (v. Ann. 3, 30. 5, 4. 11, 26. 31. 13, 12. in primis 4, 20. et 6, 22.) quam plerumque viribus hominum causisque naturalibus, saepius autem Fato, ut Stoici, (v. Ann. 1, 55. 3, 18. 4, 20. 6, 22. 46. 14, 59. 15, 61. H. 1, 16. 18. 2, 69. 82. 3, 1. 56. 4, 5. 68. Agr. 13. G. 33.) et nonnunquam vel Fortunae, casui et necessitati, ut Epicurei, (v. Ann. 3, 18. 6, 22. 15, 17. 16, 33. H. 1, 4.) vel diis eorumque irae tribuit; (Ann. 4, 1. 28. 6, 22. 14, 2. 16, 33. H. 1, 3. 5, 3.) de ominibus, prodigiis, vaticiniis, oraculis Ann. 2, 17. 53. 4, 58. 6, 22. 46. 12, 64. 14, 9. 15, 7. 47. H. 1, 62. 2, 4. 50. quibus locis non contraria sunt illa Ann. 13, 17. 41. 14, 12. 15, 74. H. 1, 10. 86. 4, 26. Talia vero iudicia non vitio vertenda sunt scriptori Romano, neque iis historiae, quam composuit, fides et praestantia minuitur. [15])

§. XI. Praeter has Taciti virtutes sunt aliae nec

---

zu Tac. Agr. Meiningen 1823. p. 31 sq. Stäudlin: über die Philos. u. Denkart des Tac. in Conz: Beitr. zur Philos. u. Aesthetik. Reutlingen 1787. 1. St. et Hoffmeister: die Weltanschauung des Tacitus. Essen 1831.

[15]) Cf. nota 19. et iudicia Hoffmeisteri in: Weltanschauung des Tacitus. Essen 1831. et: sittlich-religiöse Lebensansicht des Herodotus. Essen 1832. sic fere expressa: „Der Grundgedanke und eigentliche Lebenskern der Darstellungen ist bei Herodot die Lehre von dem Neide der Götter, von dem das Wohl und Wehe, das Glück und Unglück der Sterblichen unter einander ausgleichenden und zuletzt Alles auf ein Gleichgültiges und Nichts reducirenden Schicksal; bei Tacitus ein Zweifel an aller Wirklichkeit einer göttlichen Weltregierung und der Argwohn einer völligen Sorglosigkeit der Götter um Gutes und Böses unter den Menschen. Jener scheint ein künftiges Leben sogar zu leugnen; dieser spricht nur dunkle Ahnungen desselben, wenigstens für die gröfseren Seelen aus, wie Agr. 46. jedoch ohne wesentlichen Einfluſs auf seine Beurtheilung der irdischen Begebenheiten, des menschlichen Daseins und der menschlichen Tugend. Bei der resignirenden Religiosität des Herodotus wird der hellenische Polytheismus das Element, in welchem sich menschliche Tugend und menschlicher Werth unabhängig von jedem bindenden Gesetze und jeder Furcht und Lockung unzugänglich aus einem innern und eingebornen Principe zu freier Naturschönheit entfalten. Bei der skeptischen Religiosität des Tacitus ersetzt dessen schöpferischer Geist den Mangel eines theologischen Systems durch eine freie dichterische Ausdrucksweise über die Theilnahme der Götter an menschlichen Begebenheiten und giebt darin die tiefsten Ahnungen seines religiösen Gemüths kund.“

minoris aestimandae, quae ex eius scriptis spirant et in iis enitent: mens candida et recti pervicax; maximum assentationis, simultatis, fraudis aliorumque vitiorum odium; summus amor veritatis, libertatis et virtutis, quae quo rarior est, quo magis opprimitur et quo constantius fortiusque obluctatur, eo maiori vel admiratione vel laetitia vel miseratione animum perfundit; vividus veri, pulchri et honesti sensus et prompta cogitandi dicondique vis diuturna exercitatione subacta; iudicium subtile et rectum mirumque ingenii acumen, quod in veram intimamque rerum naturam et in altissimos mentis humanae recessus latebrasque penetrat; exacta rerum humanarum cognitio et prudentia longo usu comparata; multiplex eruditio et sapientia; eximia ars omnia, etiam levissima, tanta ἐνεργείᾳ et ἀκριβείᾳ exponendi iisque iudiciis, sententiis ac verbis tanquam sale condiendi, ut semper retineantur et redintegrentur legentium animi atque non minus admirentur sententiarum et praeceptorum in omni vitae genere salubrium quam orationis gravitatem, quae Plinio ep. 2, 11. σεμνότης dicitur. Hinc scite iudicavit Heinsius, Taciti scripta meram esse prudentiae medullam et ei occultam quasi mysticamque haruspicinam, quae non animantium scrutaretur exta, sed hominum corda mentesque introspiceret, ipsum vero sapientiae corculum fuisse. Quam eius sapientiam admiraberis, si expenderis iudicia eius de moribus Tiberii Ann. 1, 11. 72. 80. 3, 38. 56. 60. 65. 67. 4, 2. inpr. 6, 51. Caligulae 6, 20. Claudii 6, 46. 11, 3. 13. 28. 12, 1. 3. Galbae H. 1, 49. Othonis H. 1, 22. 2, 31. 46. 50. Imp. Vitellii H. 1, 52. 2, 31. Vespasiani H. 2, 5. Seiani Ann. 4, 1—3. 54. 71. 74. 6, 8. Liviae Augustae 5, 1. Poppaeae Sabinae 13, 45. C. Petronii 16, 18. 19. Muciani H. 1, 10. 2, 5. T. Vinii H. I, 37. 48. Antonii Primi H. 2, 86. Fabii Valentis H. 3, 62. Helvidii Prisci H. 4, 5. [16]) Stoicorum Ann. 14, 57. 16, 32. H. 4, 5. saeculi, aulicorum, nobilium et plebis Ann. 1, 2. 4. 7. 3, 28. 65. 4, 60. 14, 14. 15, 64.

---

[16]) „Qui Flaxmani Retzchiique egregia artificia, quibus ingenia moresque insignium hominum in Homeri ac Shakespearii libris obviorum adumbraverunt, non vidit modo, sed penitus introspexit, is haud absurdam dixerit Annalium Taciti cum his sciagraphiis ingeniosissimis comparationem.“ Boetticher in Lex. Tac. p. XVI.

H. 1, 1—3. 7. 25. 35. 39. 69. 80. 2, 29. Agr. 1. 2. timidorum ignavorumque Ann. 3, 9. *pavidis consilia in incerto sunt* 3, 58. *in metu consilia prudentium et vulgi rumor iuxta audiuntur*, 15, 36. *quae natura magnis timoribus, deterius credebant quod evenerat*, H. 1, 35. *Ignavissimus quisque et in periculo non ausurus nimii verbis, linguae feroces: nemo scire et omnes affirmare*, 1, 68. *multi in periculo pavidi ante discrimen feroces*, 2, 76. *Satis clarus est apud timentem quisquis timetur*, 3, 69. *consilium ab omnibus datur, periculum pauci sumunt*, 3, 85. Vitellius *mobilitate ingenii et, quae natura pavoris est, quum omnia metuenti praesentia maxime displicerent, in palatium regreditur vastum desertumque*; Agr. 25. *regrediendum specie prudentium ignavi admonebant*, 27. *modo cauti ac sapientes prompti post eventum ac magniloqui sunt*, 32. *Metus et terror infirma vincula caritatis: quae ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient.* — *Trepidos ignorantia, coelum ipsum ac mare et silvas, ignota omnia circumspectantes, clausos quodammodo ac vinctos dii nobis tradiderunt:* de Principibus Ann. 1, 47. *Principis maior e longinquo reverentia*, 2, 42. *Regibus aequa, nedum infima insolita sunt*, 3, 6. *Principes mortales, aeterna res publica.* — *Principibus non eadem decora, quae modicis domibus*, 3, 53. *Maius aliquid et excelsius a Principe postulatur, et quum recte factorum sibi quisque gratiam trahant, unius invidia ab omnibus peccatur*, 3, 56. *successore certo cohibentur pravae aliorum spes*, 4, 38. *Cetera Principibus statim adesse, unum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam*, 4, 40. *Principibus praecipua rerum ad famam dirigenda*, 11, 19. *Princip[i] ignavo praegravis vir insignis*, 14, 56. *finis omnium cum dominante sermonum gratiarum actio*, 15, 1. *Id in summa fortuna aequius quod validius, et sua retinere privatae domus, de alienis certare regia laus est*, 15, 53. *cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior est* H. 1, 7. *invisum semel Principem seu bene seu male facta premunt*; 1, 15. *Suadere Principi quod honestum multi laboris: assentatio erga Principem quemcunque sine affectu peragitur*, 1, 21. *dominantibus suspectu[s]*

invimsque, qui proximus destinatur, 1, 16. ubi Galba Pisonem ita alloquitur: *Generari et nasci a Principibus fortuitum nec ultra aestimatur; adoptandi iudicium integrum et, si velis eligere, consensu monstratur.— Nero a pessimo quoque desiderabitur: mihi ac tibi providendum est, ne etiam a bonis desideretur. — Utilissimus idem ac brevissimus bonarum malarumque rerum delectus est cogitare, quid aut volueris sub alio Principe aut nolueris;* 1, 30. *Nemo unquam imperium flagitio quaesitum bonis artibus exercuit*, 1, 40. *sceleris ultor est quisquis successit Princeps*, 1, 83. *principatus scelere quaesitus non potest retineri subita modestia et prisca gravitate*, 2, 74. *imperium cupientibus nihil medium inter summa et praecipitia*, 4, 7. *amici boni maximum imperii instrumentum*, 4, 42. *optimus est post malum Principem dies primus*, 4, 52. *Non legiones, non classes perinde firma imperii munimenta quam numerum liberorum: nam amicos tempore, fortuna, cupidinibus aliquando aut erroribus imminui, transferri, desinere; suum cuique sanguinem indiscretum, sed maxime Principibus, quorum prosperis et alii fruantur, adversa ad iunctissimos pertineant*, 4, 73. *Non quisquam alienum servitium et dominationem sibi concupivit, ut non libertatem et speciosa nomina praetexeret*, 4, 74. *Principum laudatorum usus ex aequo quamvis procul agentibus, saevi proximis ingruunt;* de ducibus H. 2, 7. *duces etiam egregii rebus secundis insolescunt*, 3, 20. *militibus cupidinem pugnandi convenire, duces providendo, consultando, cunctatione saepius quam temeritate prodesse. — Rationem et consilium proprias ducis artes esse*, 3, 41. *pudor et praesentis ducis reverentia haud diuturna vincula apud avidos periculorum et dedecoris securos*, Agr. 27. *Iniquissima haec bellorum conditio est: prospera omnes sibi vindicant, adversa uni duci imputantur;* de militibus H. 1, 5. *Vox Galbae pro re publica honesta, ipsi anceps: legi a se militem, non emi*, 1, 83. *milites tam nescire quaedam quam scire oportet. — Si, ubi iubeantur, quaerere singulis liceat, pereunte obsequio etiam imperium intercidit*, 2, 39. *miles alacer, qui tamen iussa ducum interpretari quam exsequi mallet*, 2, 76. G.

44. Agr. 16. *pace et otio mitescit miles ac lascivit,* 2, 99. *miles quantum hebes ad laborem, tantum ad discordias promptior;* de pace et bello Ann. 3, 44. *Pax misera vel bello bene mutatur,* 12, 12. *Militares artes per otium ignotae industriosque aut ignavos pax in aequo tenet,* 15, 2. *Causa quam armis vincere melius.* H. 1, 54. *Facilior inter malos consensus ad bellum, quam in pace ad concordiam,* 2, 7. *Victi victoresque nunquam solida fide coalescunt,* 2, 37. *Pacis caritate bellum non deponunt, qui pacem belli amore turbaverant,* 4, 74. *Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt. — Aurum et opes praecipuae bellorum causae,* G. 36. *Inter impotentes et validos falso quiescas: ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt,* 43. *oculi primi vincuntur in proeliis;* de legibus Ann. 3, 69. *Ideo leges in facta constitui, quia futura in incerto sint: sic a maioribus institutum, ut, si anteissent delicta, poenae sequerentur: — minui iura, quotiens gliscat potentia, nec utendum imperio, ubi legibus agi possit,* 15, 20. *Usu probatum est, leges egregias, exempla honesta apud bonos ex delictis aliorum gigni: nam culpa quam poena tempore prior; emendari quam peccare posterius est,* G. 19. *Mores boni ibi plus valent quam alibi bonae leges;* de vi conscientiae Ann. 1, 39. *vecordes conscientia in metum proni,* 4, 33. *Reperies, qui ob similitudinem morum aliena malefacta sibi imputari putent: etiam gloria ac virtus infensos habet ut nimis ex propinquo diversa arguens,* 6, 6. *Tiberius literas his verbis exorsus est: Quid scribam vobis, P. C. aut quomodo scribam aut quid omnino non scribam hoc tempore, dii me deaeque peius perdant quam perire me quotidie sentio, si scio. Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant: neque frustra praestantissimus sapientiae* (Socrates) *firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus et ictus, quando, ut corpora verberibus, ita saevitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasque*

ipse poenas fateretur, 15, 36. *Nero in Capitolio veneratus deos, quum Vestae quoque templum inisset, repente cunctos per artus tremens, seu numine exterrente, seu facinorum recordatione nunquam timore vacuus, deseruit inceptum*, 16, 15. *Ostorius metum Neroni fecerat, ne invaderet pavidum semper et reperta nuper coniuratione magis exterritum*, H. 4, 41. *Senatus inchoantibus primoribus ius iurandum concepit, quo certatim omnes magistratus deos testes advocabant, nihil ope sua factum, quo cuiusquam salus laederetur, neque se praemium aut honorem ex calamitate civium cepisse, trepidis et verba iuris iurandi per varias artes mutantibus, quis flagitii conscientia inerat* cet.; de fama et rumoribus, Ann. 2, 76. *Inania famae non pertimescenda*, 2, 77. *Relinquendum rumoribus tempus, quo senescant: plerumque innocentes recenti invidiae impares*, 2, 82. *Falsa tempore ac spatio vanescunt*, 3, 44, *Famae mos, cuncta in maius credere*, 6, 30. *Fama magis quam vi stare res eius*, 13, 8. 15. 59. H. 2, 20. *Fama in novis coeptis validissima*, 13, 19. *Nihil tam instabile quam fama*, 14, 58. *Fama augetur otio credentium*, H. 1, 17. *Famam male coercitam supprimentes augent*, 2, 83. *Fama ipso spatio gliscit*, 5, 10. *Fama multum in bello valet*, Agr. 9. *Fama non semper errat, aliquando et elegit*, 25. *Fama de ignotis maior*, 30. *Ignotum omne pro magnifico est;* de gloria eiusque cupidine et perennitate Ann. 4, 35. *Suum cuique decus posteritas rependit*, 4, 38. *Famae contemptu contemnuntur virtutes*, 11, 6. *Fama in posteros pulcherrimum praemium*, 15, 16. *Certamen virtutis et ambitio gloriae felicium hominum affectus*, H. 4, 6. *Etiam sapientibus cupido gloriae novissima exuitur*, Agr. 5. *Militaris gloriae cupido ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio nec minus periculum ex magna fama quam ex mala*, 9. *famae etiam boni saepe indulgent*, 46. *Admiratione te potius quam temporalibus laudibus et, si natura suppeditet, aemulatione decoremus. Is verus honor, ea coniunctissimi cuiusque pietas. — Ut vultus hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt: forma mentis aeterna, quam tenere et exprimere non per alienam materiam et artem, sed tuis ipse moribus possis.*

Quicquid ex Agricola amavimus, quicquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum, fama rerum: nam multos veterum velut inglorios et ignobiles oblivio obruet, Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit; de infamia Ann. 2, 33. *Serica vestis foedat viros,* 3, 65. *Ex posteritate et infamia metus pravis dictis factisque,* 11, 26. *Infamia apud prodigos novissima voluptas est;* de libidinibus Ann. 4, 3. *Femina amissa pudicitia non alia abnuerit,* 11, 37. *Animo per libidines corrupto nihil honesti inest;* de alia naturae ingeniique humani indole Ann. 1, 10. *Odia privata publicis utilitatibus remittenda,* 1, 33. *Odiorum causae acriores quae iniquae,* H. 1, 34. *De odio facilius creditur,* 2, 8. *Odium praesentium rerum parit cupiditatem novarum,* 4, 70. *Odia proximorum ferme acerrima sunt,* G. 21. *Inimicitiae periculosiores sunt iuxta libertatem;* Ann. 1, 28. *Perculsae semel mentes sunt mobiles ad superstitionem,* H. 2, 1. *Inclinatis ad credendum animis loco omnium etiam fortuita,* Ann. 1, 56. *Quod in seditionibus accidit, unde plures erant omnes fuere;* H. 3, 11. *Velut absolverentur aliorum seditione, iterare culpam gaudebant;* 2, 39. *Veritas visu et mora, falsa festinatione et incertis valescunt,* 3, 66. *Brutidium artibus honestis copiosum et, si rectum iter pergeret, ad clarissima quaeque iturum festinatio exstimulabat, dum aequales, dein superiores, postremo suasmet ipse spes anteire parat: quod multos, etiam bonos pessum dedit, qui spretis, quae tarda cum securitate, praematura vel cum exitio properant,* 13, 27. *Dispiceret quisque merita tarde que concederet, quod datum non adimeretur,* 15, 59. *Experiendo multa confiunt, quae segnibus ardua videntur,* H. 1, 21. *Cunctatione opus non est, ubi quies perniciosior quam temeritas,* 1, 32. *Scelera impetu, bona consilia mora valescere,* 1, 55. *Insita mortalibus natura propere sequi quae piget inchoare,* 1, 62. *Nihil in discordiis civilibus festinatione tutius, ubi facto magis quam consulto opus est,* 2, 25. *Cunctator natura ille et cui cauta potius consilia cum ratione quam prospera ex casu placerent,* 2, 32. *Multa bella impetu valida per taedia et moras evanuisse,* 2, 34. *Sapientiae loco e*

alienam stultitiam opperiri, 2, 77. *Qui deliberant, desciverunt*, G. 30. *Velocitas iuxta formidinem, cunctatio propior constantiae est*; Ann. 2, 77. *Multa, quae provideri non possunt, fortuito in melius cadunt.* — *Periisse Germanicum nulli iactantius maerent quam qui maxime laetantur*, 2, 88. Arminius *Graecorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur, Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus recentium incuriosi*, O. 18. *Non statim deterius esse quod diversum est, vitio autem malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio esse*, Agr. 1. *Incuriosa suorum aetas nostra* et *vitium parvis magnisque civitatibus commune ignorantia recti et invidia*; Ann. 4, 18. *Beneficia usque laeta sunt, dum videntur exsolvi posse*, 15, 21. *Plura saepe peccantur, dum demeremur, quam dum offendimus: quaedam immo virtutes odio sunt, severitas obstinata, invictus adversum gratiam animus*, H. 4, 3. *Proclivius est iniuriae quam beneficio vicem exsolvere, quia gratia oneri, ultio in quaestu habetur*; Ann. 4, 58. *Patuit breve confinium artis et falsi veraque quam obscuris tegerentur*; 4, 68. *Amicus florentis domus afflictam deserit*, H. 3, 58. *Amicorum quanto quis clarior, minus fidus*; Agr. 41. *Inimicorum pessimum genus laudantes*; Ann. 5, 2. *Acerbarum facetiarum apud praepotentes in longum memoria est*, 15, 68. *Facetiae ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt*; Ann. 11, 26. *Insontibus innoxia consilia: flagitiis manifestis subsidium ab audacia petendum*, H. 1, 9. *In consiliis infelicibus evenit, ut optima videantur, quorum tempus effugerat*, 1, 83. *Saepe honestas rerum causas, ni iudicium adhibeas, perniciosi exitus consequuntur*, 2, 76. *Omnes, qui magnarum rerum consilia suscipiunt, aestimare debent, an quod inchoatur rei publicae utile, ipsis gloriosum aut promptum effectu aut certe non arduum sit: simul ipse qui suadet considerandus est, adiiciatne consilio periculum suum, et si Fortuna coeptis affuerit, cui summum decus acquiratur*; Ann. 11, 7. *Nihil a quoquam expeti nisi cuius fructus ante praeviderit: sublatis studiorum pretiis etiam studia peritura*; Ann. 11, 17. *Falso* *l i b e r t a t i s* *vocabulum*

obtendi ab iis qui privatim degeneres, in publicum ex tiosi nihil spei nisi per discordias habeant, H. 1, 1 *Libertas, amicitia et fides praecipua humani animi bon* 4, 17. *Libertatem natura etiam mutis animalibus datan virtutem proprium hominum bonum,* 4, 64. *Libertas domini haud facile miscentur,* O. 40. *Licentia, qua stulti libertatem vocant;* Ann. 12, 67. *Summa sceles incipi cum periculo, peragi cum praemio,* 14, 10. *Sc lerum magnitudo intelligitur demum illis perfectis,* H. 32. *Scelera impetu, bona consilia mora valescere,* 3, 3 *Scelera invisa etiam quibus prosunt,* 4, 42. *Invenit etia aemulos infelix nequitia: quid si floreat vigeatque?* 56. 70. Agr. 31. *Veniae spe sublata accenditur pertin cia, crescit vinculum sceleris sumuntque animum ta quibus salus quam quibus gloria carissima est,* H. 74. *Vitia erunt donec homines; sed neque haec con nua, et meliorum interventu pensantur;* Ann. 14, 4 *Habet aliquid ex iniquo omne magnum* (poenae) *exe plum, quod contra singulos utilitate publica rependitu* 14, 56. *Sapienti haud decorum viro, unde amico inf miam paret, inde gloriam sibi recipere;* 14, 62. *Mal rum facinorum ministri quasi exprobrantes aspiciuntu* 15, 50. *Impunitatis cupido magnis semper conatibus a versa;* Hist. 1, 1. *Obtrectatio et livor pronis aurib accipiuntur; quippe adulationi foedum crimen servitu malignitati falsa species libertatis inest;* H. 1, 15. *cundae res acrioribus stimulis animos explorant qu adversa fortuna, quia miseriae tolerantur, felicitate c rumpimur. Fidem, libertatem, amicitiam, praecipua an humani bona, tu quidem* (Piso) *eadem constantia retinel sed alii per obsequium imminuent. Irrumpet adula blanditiae, pessimum veri affectus venenum sua cu utilitas. Ego* (Galba) *ac tu simplicissime inter nos h loquimur; ceteri libentius cum fortuna nostra quam biscum;* 1, 22. *Ptolemaeus mathematicus Othoni Hispania comes — persuaserat fore ut in imper ascisceretur. Sed Otho tanquam peritia et monitu f rum praedicta accipiebat cupidine ingenii humani li tius obscura credendi: nec deerat Ptolemaeus ian sceleris instinctor, ad quod facillime ab eiusmodi*

transitur; 1, 29. *Occidere apud bonos aeque miserum est quam perire*; 1, 30. *Falluntur, quibus luxuria specie liberalitatis imponit: perdere iste sciet, donare nesciet*; 1, 72. *Pessimus quisque diffidentia praesentium mutationum pavens adversus publicum odium privatam gratiam praeparat, unde nulla innocentiae cura, sed vices impunitatis*; 1, 73. *Pecunia et orbitas bonis malisque temporibus iuxta valent*, 2, 32. *Pecunia validior ferro* 4, 74. *Aurum et opes praecipuae bellorum causae*; H. 2, 20. *Insita mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem aegris oculis introspicere modumque fortunae a nullis magis exigere, quam quos in aequo videre*; 4, 6. *Variis, ut sunt hominum ingenia, sermonibus moderationem laudantium aut constantiam requirentium*; 4, 42. *Exempla diutius durant quam mores*; Agr. 1. *Virtutes iisdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur*; 2. *Non tam in nostra potestate est oblivisci quam tacere*; 3. *Natura infirmitatis humanae tardiora sunt remedia quam mala, et ut corpora lente augescunt, cito exstinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius quam revocaveris. Subiit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo, et invisa primo desidia postremo amatur*; 6. *In bona uxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpae est*; 21. *Convivia delenimenta vitiorum*; 22. *Honestius est offendere quam odisse*, 42. *Proprium humani ingenii est odisse quem laeseris*; 33. *Honesta mors turpi vita potior*; O. 13. *Alligati adulatione nec imperantibus unquam satis servi videntur nec nobis satis liberi*; G. 26. *Ignotum magis servatur quam vetitum*; 27. *Lugere feminis honestum, viris meminisse*; O. 8. *Divitias et opes facilius invenies qui vituperet quam qui fastidiat*; 12. *Felix illud et aureum saeculum et oratorum et criminum inops poetis et vatibus abundabat, qui bene facta canerent, non qui male admissa defenderent*; 23. *Prope abest ab infirmitate, in quo sola sanitas laudatur*; 37. *Eloquentia quo acriores pugnas sibi ipsa desumpserit, tanto altior — in ore hominum agit, quorum ea natura est, ut secura nolint*; 40. *Plurimi disertorum ad incessendos principes viros,*

ut est natura invidiae, et histrionalibus artibus utebantur. Conf. nota 20.

§. XII. Praeterea Tacitus non, ut Suetonius et Dio Cassius, quaecunque, etiam levissima, sine delectu nexuque interiori corrasit, sed Herodoti et Thucydidis exemplo *opera artis* composuit [16]), h. e. omnia ita selegit e

---

[16]) Historiae Herodoti et Thucydidis ποιήσεις dicuntur Dionysio Halic. ad Pompeium 3, 21. et 51, 3. ed. Krügeri. „Ubi Annales Historiasque Taciti legimus et quae singuli meliore aevo digni conantur contra Principum saevitiam morumque communem corruptelam ad irritum cadere videmus, simul tamen sub malis etiam Principibus bonos fortesque viros esse posse perspicimus, ubi fortunam, fatum, deos ipsos miro nec unquam satis cognito mortalibus modo regere cernimus varios rerum humanarum casus, in Annalium libris contemplati funestum Iuliae gentis exitum, in Historiis summam vacui iam debilitatique principatus denuo confirmandi contentionem; nonne tragicam aliquam compositionem, quales sunt Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, legere nobis videmur? Non oculis nostris obversatur Niobes tristissima imago, non horrore quodam perfundimur velut Laocoontis aspectu diros serpentium nodos disrumpere frustra tentantis? Est vero dignum Tacito, dignum etiam Romani imperii maiestate consilium, tantae artis studio adhibito exponere, quo fato quibusque rerum casibus *iam pridem praevalentis populi vires se ipsae confecerint,* (Liv. in Praef.) quibus et civium et Principum vitiis immortalium deorum poenam suppliciumque provocantibus ingens imperii moles in praeceps ruere coeperit. En iterum Scipionem non altae Carthaginis fato iam functae ruinis, sed Romae ipsius iam iam collabentis solo insidentem patriaeque excidium lacrimis obortis vaticinantem aspicimus Tacitum eumque non quaesito ac longe arcessito studio, sed undique obviis et tali ingenio sponte se offerentibus rerum formis tam praeclaram omnibusque partibus absolutam convulsae et collabefactae patriae imaginem meditantem. Neque minorem quam in Olympici Iovis statua Phidiam, in divinis suis tragoediis Sophoclem, ad singula etiam componenda et suo quaeque loco proponenda artem eum adhibuisse videmus. Per omnes quasi actionis stationes et ad ipsas res et ad artis leges apte congruenterque dimensas modo citato modo remisso atque inhibito gradu legentium ducit animos.“ *Boetticher* in Lex. Tac. p. XXX sq. Cui iudicio adiungimus illud *Ferleti* de veteris et recentioris aevi historicis in Observations sur les histoires de Tacite 2, 77. T. I. p. 275. „Quel naturel! quelle grandeur! quelle énergie! quelle politique sublime! Avec quel plaisir de pareils morceaux se font lire et soutiennent notre attention! Deux choses empêcheront toujours, que nous n'ayons de grandes histoires vraiment intéressantes, l'exactitude minitieuse, dont nous nous faisons une loi, et la monotonie de la narration. C'est un travail, une occupation pénible, que de lire nos histoires de France, celle d'Angleterre par Hume et autres semblables. Les ouvrages des anciens dans ce genre sont au contraire toujours piquans, et jamais ils ne lassent quelque longs qu'ils puissent être. C'est qu'ils ne présentent que de grands résultats et qu'ils sont semés de discours, qui leur donnent un mouvement dramatique. Ce ne sont pas de froids récits, hérissés de discussions chronologiques, géographiques, généalogiques, ce sont des espèces de poêmes épiques, où la vérité est embellie de tous les charmes de l'imagination et de l'éloquence.“

contexuit, ut unum esset caput argumenti, (Germ. Einheit der Idee, Einheit des Grundgedankens, Idee des Ganzen, Grundprincip, Tendenz) cuius vinculo continerentur et ad quod singula tanquam membra cum eodem corpore cohaerentia referrentur: quod consilium ab ipso non obscure significatur Ann. 4, 32. 33. 6, 7. et 13, 31 [17]). Eiusmodi argumentum primarium Herodoto fuit libertas Hellenum fortiter feliciterque defensa adversus Persas, ad quorum bella historiam universi orbis terrarum tunc temporis noti artificiose attexuit; Thucydidi totius Graeciae de ὀλιγαρχίᾳ et δημοκρατίᾳ concertatio; Tacito in *vita Agricolae:* posse etiam sub malis Principibus magnos viros esse atque inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergi

---

17) Verba Walchii in Proleg. ad Tac. Agric. p. XXXIII sq. LVII. LVIII. LXXIV. sunt: „Das erste Erfordernifs eines Kunstwerks ist eine den Zeitverhältnissen und dem eigenthümlichen Charakter des Schriftstellers gemäfse Idee des Ganzen oder das was dem Künstler vorschwebend beim Abfassen der Schrift den Mittelpunkt bildete, worauf alles Einzelne der Darstellung sich hin und zurück bezog; was Cicero or. 3. von einem Künstler sagt: *Nec vero ille artifex, quum faceret Iovis formam aut Minervae, contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret, sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia, quam intuens in eaque defixus ad illius similitudinem artem et manum dirigebat.* Das Grundprincip aber bringt nur das Mannichfaltige des Stoffes zur Einheit für den Verstand, und das Motiviren einer Begebenheit aus socialen oder psychischen Verhältnissen, selbst das Subsummiren einer Reihe von Begebenheiten unter ein Allgemeines, wie es des Forschers unbefangenem Blick sich darstellt, liegt noch innerhalb der Grenzen des historischen Wissens. Kunst wird erst dann sichtbar, wenn die darzustellende Masse in ihrer Form der Phantasie und dem Gefühle als Einheit erscheint, d. h. wenn sie, wie man aus Aristoteles doch wissen sollte, als in der Zeit sich entwickelnd, Anfang, Mitte und Ende hat. Das von der Zeit gestaltlos Aufgeschichtete mufs, nachdem es innerlich verbunden ist, zugleich für die Darstellung oder seiner Wirkung nach auf Gefühl und Phantasie geordnet werden; wodurch dann für das historische Epos eine Reihe von Dramen, gleichsam einzelne Ringe entstehen, alle in einem grofsen, umfassenden sich schliefsend; für das historische Drama oder die Biographie nur ein Knoten sich schürzt, der des Helden Handeln und somit des Lesers Interesse auf einen Punkt vereinigt. Diesen Punkt bietet Agricolas Leben in der Schlacht am Berge Grampios dar, wodurch sein Ruhm gekrönt, die Ueberwältigung Britanniens vollendet und zugleich die Peripetie seines Lebens begründet ward: das Grundprincip aber und die Tendenz, den mittelst desselben zur Einheit des Wissens gebrachten Stoff durch dramatische Behandlung für die Phantasie und das Gefühl als Einheit abzuschliefsen und somit die Kunstform der Biographie auszusprechen, wird zwar nicht an die Spitze gestellt, aber doch im 42sten Kap. deutlich angedeutet.“

iter ambitione et periculo vacuum; (v. Agr. 42. et Ann. 4, 20.) *in Historiis* acerrima vacui et iam infirmati dominatus denuo corroborandi contentio et historia Flaviae gentis regnatricis.

Non eiusdem indolis est Taciti *libellus de Germania*, in quo primum geographica, deinde omnium Germanorum mores, postremo singularum gentium instituta ritusque describuntur. Num vero *Annales* eius hisce artis operibus annumerandi sint, dubium videri potest, neque in eo consentiunt viri clarissimi infra §. XXXIII. laudati. Niebuhrius, (v. nota 2.) Rothius p. 16. aliique contendunt, eos propius accedere ad similitudinem librorum proprie ita dictorum et in illis cuncta accurate secundum temporis ordinem, sed simpliciori pressiorique dicendi genere quam in Historiis et sine artificio enarrari. Alii contra in Annalibus perfectissimum ingenii artisque exemplum ad imitandum esse propositum opinantur; in his Walchius ad Agr. p. L. et 130. et Süvernius p. 77. 78. 88. 94. qui tamen ad diversum argumenti caput omnia referunt; ille ad certamen servilis plurimorum et contumacis multorum ingenii cum dominatu, ex quo tanquam fonte degeneratio principatus in tyrannidem et Iuliae Claudiaeque gentis interitus manavissent; hic ad acerrimam concertationem veteris ingenii Romanorum cum communi morum corruptela et cum dominatu, qui temporibus illis necessarius quidem, non vero mitis, sed immanis fuisset [18]).

---

[18]) *Walchius* iudicium suum his verbis expressit: „Der Römergeis mufste, sobald sein reales und praktisches Element ihm entzogen wa in freier Theilnahme an der Staatsverwaltung, nothwendig doppel leicht einer Philosophie Eingang gestatten, ja bald zu der allgemei herrschenden sie erheben, welche tröstend für die Nichtigkeit alles Ir dischen ein fast grob idealistisches Princip verfolgte. Eben so gewil ist der Mifsbrauch, dem diese Philosophie erlag in einer mit Schwärmere schwangern Zeit, der Oppositionsgeist gegen Bestehendes, die revolu tionären und doch ohnmächtigen Tendenzen, die aus ihr hervorginger die mit dem niedrigen Sklavensinn der Mehrzahl in reinem Gegensat durch ihren Wechselkampf die Ausartung des Principats zur nothwen digen Folge hatten. Diesen Wechselkampf des entarteten Volks deutlic zu machen mit jener Folge, so wie die hiedurch wieder begründet Vernichtung des Iulischen Geschlechts, jenes das Grundprincip für de Verstand, dieses für die Phantasie, ist die Tendenz der Annalen, wen man die kurze geistvolle Vorrede recht versteht.“ *Süvernius* ita: „In Drama ist Handlung. Was sich nun in den Annalen als Handlung kun

Historiae Taciti epico quidem carmini comparandae et una quasi historia, scil. gentis Flaviae regnatricis, esse videntur; sed in iis aeque ac in *Annalibus* formae expositionis impressus simul χαρακτήρ vere dramaticus, qui in illis ex actionis ardore et continuatione magis elucet quam in his, quibus multa insunt dramata tanquam annuli minores connexi cum maiori [19]).

---

giebt und als solche näher bezeichnen läfst, ist der Todeskampf des alten Römergeistes im Ringen nicht sowohl mit dem Principate als mit dem um sich greifenden Verderben, worin das in Despotismus ausartende Principat Hauptsymptom und wechselwirkende Ursache zugleich ist. Die Tendenz der Annalen ist, die Nothwendigkeit des Principats bei der Lage und Gröfse des Reichs und dem Charakter des Volks darzustellen; für die unter ihm Lebenden und zumal auf dem Schauplatze der öffentlichen Geschäfte Handelnden komme es darauf an, sich mit Würde und Klugheit zu benehmen, den Herrscher nicht ohne Noth zu reitzen, ihm nicht kriechend zu schmeicheln, müsse es dennoch seyn, auf eine des Römers würdige Art zu fallen, aber doch auch nicht übergeduldig die grausamen Launen der Tyrannei zu tragen. Eine nicht im Widerspruch mit dem Geiste des Römerthums stehende Ansicht, welcher den Grundzug im Charakter des Tacitus ausmacht. Vergl. Tac. Ann. 4, 20. 33. Hist. 1, 16. Agr. 3."

19) Conf. nota 17. et haec verba Süvernii p. 96. 121—136. „Die Form der Darstellung hat in den Historien und Annalen einen dramatischen Charakter, welcher in jenen leichter und deutlicher zu erkennen ist als in diesen. Es gleichen die Annalen einem grofsen dramatischen Gewebe, in welchem sich viele kleinere und gröfsere, theils einzelne, theils mit der Haupthandlung enger verschlungene, alle aber der letztern untergeordnete und auf ihr Thema sich beziehende Handlungen, auch von Nebenscenen und Episoden, die aber nicht minder zur Charakteristik des Ganzen gehören, unterbrochene, neben und durch einander hinflechten, jedoch ohne dafs diese über das annalistische Skelett hingesponnene Kunstform das Ansehen hat, als sei sie vom Tacitus gesucht worden, sondern vielmehr, sie habe sich dem reinen und hellen Blicke, womit er seinen Stoff aufgefafst, und der Treue, womit er ihn in seiner wahren Gestalt abgebildet, von selbst ergeben. Schwieriger war dieser Stoff allerdings in hohem Grade als der der Historien, und die ihm gegebene Form erforderte bei weitem reifere Klarheit und Kraft des Geistes; was auch mit für die Annahme späterer Abfassung der Annalen als der Historien spricht. — Der dramatische Charakter wird in den Annalen und Historien durch die eingewebten Reden verstärkt, und drückt sich noch in einem wesentlichen Punkte aus, den die Historie mit dem tragischen Drama gemein hat. Wie beide nämlich ein gemeinsames Urbild haben, das Leben und die Geschichte selbst, so suchen beide in die Quellen und Triebfedern derselben einzudringen. Diese fand man in der ältesten Zeit in dem Einflusse der Gottheit, des Verhängnisses und allgemeinen Naturgesetzes; später führte man sie auf psychologische und sociale Motive und Verhältnisse zurück. Beide Ansichten können jedoch neben einander bestehen, wie im Leben das freie Handeln des Einzelnen für sich mit der höhern Ordnung des Ganzen besteht. Dafs nun Tacitus sehr oft auf psychologische und sociale Causalverhältnisse tief eingeht, ist allgemein anerkannt; aber eben so

TACITI ORATIO SIVE STILUS.

§. XIII. Oratio Taciti et dictio est consentanea diversae rerum et levium et gravium indoli, aevo, quo vixit, et ingenio eius. Est pura et tersa, vivida et sublimis, diserta et gravis, (nam summus ille orator fuit, qui pro rostris *eloquentissime et, quod eximium orationi eius inerat, δεινῶς dicere solebat;* Plin. ep. 2, 11.) docta et ornata, concinna verborum collocatione et colore, tam graeco quam poetico distincta, nec minus ubertate ac pondere sententiarum, quam expositionis dictionisque modo varietate et copia, modo brevitate abrupta et nervosa insignis, cuius singula nonnunquam verba, praecipue in morum, temporis et locorum descriptionibus, attentionem lectoris desiderant et intendunt: est (ut verba Mureti or. 2, 13. mea faciam) *sicca et sobria, adstricta verbis, densa sententiis, in qua nihil notari potest*

---

wenig läſst sich leugnen, daſs er, abweichend vom Thucydides, welcher aus der bloſsen Verknüpfung der Begebenheiten den Finger der waltenden Nemesis erkennen läſst, auch den religiösen Zusammenhang der Begebenheiten ausdrückt und den Einfluſs einer übermenschlichen Macht in der Geschichte anerkennt, hierin dem Herodot sich nähernd, dessen Erzählungen gänzlich auf der religiösen Ansicht der Geschichte beruhen. Es müſste nur diese höchste Reflexion, sollte sie sich einmal über und durch das Ganze hinziehen, in sich selbst so übereinstimmend und von Zweifeln ungestört seyn, wie die des Herodot, wenn sie wohlthätig und erhebend auf das Gemüth des Lesers wirken sollte: was zugleich für die Vollendung der Werke auch in ihrem Kunstcharakter erwünschter seyn würde. Denn alle edle und erhabene Züge, die Tacitus entwirft, können das Gemüth nicht anders ansprechen, als jede Kraft und Gröſse, die sich gleich bleibt im Sturz und über die Flachheit des allgemeinen Ruins hervorragt, nicht das Herz freudig erweiternd, doch auch nicht narkotisch lähmend, sondern zu stoischer Fassung die Seele stählend. — Tacitus giebt dem System und der Moral der Stoiker am meisten Beifall: aber unverkennbar ist auch ein bedeutendes Schwanken zwischen Stoicismus und Epicureismus. S. Ann. 6, 22. 16, 33. H. 1, Hierüber darf man sich nicht wundern, da Tacitus wohl minder Philosoph als scharfer Beobachter und erfahrner Weltmann war. Auch hat es auf die Bildung seiner Werke selbst keinen wesentlichen Einfluſs gehabt, da dieselbe, auch von aller Reflexion über den Quell und Grund der Geschichte abgesehen, diesen in dem Conflikte menschlicher Willkür und Verblendung mit einer über Alles erhabenen Macht und dem ewigen siegreichen Durchbrechen der letztern darstellt und, wie immer er über dieselben denken mag, selbst den Hauptinhalt der Handlung, das Leiden, die Zerrüttung und das Verderben des Staats durch seinen Abfall von echtrömischem Geist und urväterlicher Sitte an den Zorn der Götter und das Verhängniſs als letzte und höchste Ursache anknüpft.“ Cf. §. et nota 15.

diffluens, nihil inane, nihil redundans, atque singulis saepe verbis singulae sententiae continentur. [20]) Proxime accedit ad similitudinem eius, qua usus est Thu-

---

[20]) Praeclare dixit Meierotto in Progr. de moribus Taciti Berol. 1790. „Si inter recentiores quis alius Tacitus sibi vixerit neque ad aliorum voluntatem ne rei publicae quidem causa mentem sensumque inflexerit, is ille erit cui Tacitus scripsit, qui Tacitum intelliget, qui cum illo consentientes sensus geret. — Non aliam ob causam vel iuvenis mihi probabitur, qui Tacitum, non dico prae Floro Curtioque, (quis enim illos cum Tacito composuerit?) non dico prae Suetonio, sed etiam prae Livio probat legitque. — Mentem rectam, honestam, a mollitie remotam is significare videtur, cui Tacitus, non dico ob argutias, non ob ingeniosam brevitatem, sed ob iudicium rectum, rigidum, nonnunquam forsan severum placet. Viro digna loquitur Tacitus, virilem idem lectorum prolem effingere potest. Avertit et repellit a sui commercio, quicunque non nisi humilia cogitat, non nisi voluptatem spirat, non nisi vana et fluxa ambit et cupit. In talis scriptoris familiaritate diu versatus non secus fingitur ac formatur ac si in contubernio et disciplina senis alicuius vixisset, quem varius rerum usus maturum iudicii et sapientiae reddidit. — Equidem vel eo nomine Taciti lectionem provectiori iuventuti potissimum commendandam puto, quod intentum ubicunque lectorem desiderat. Inimicus est omni levitati. Nunquam igitur illi magnopere placebit, qui non nisi remissionem quaerit. Si quis quasi aliud agendo et per ludum Latinorum lectioni vacavit, eum renuntiare oportet huius auctoris lectioni. Quicunque vero dum legit animum intendere, vires mentis augere adque meditandi et observandi operationes confirmatior inde redire vult, cuicunque tanti est, dum hominis naturam variosque mores modosque vitae cognoscit, suam potissimum indolem cognosse, didicisse, quomodo sibi imperet, sibi temperet sibique semper potens sit, is me auctore Tacitum sibi prae aliis reddat familiarem. — Tironum ingenio obesse posset, si in contracta Taciti brevitate quasi in sicco desidere et haerere adacti fuerint, antequam rerum verborumque necessaria copia instructi et referti quasi essent. In extremo vero scholastico spatio iuventuti nihil utilius hac lectione novi. — Offerant alii scriptores rerum Graecarum Romanarumque amoena loca, recessus molles et invisitatos, deducant ver vireta et prata floribus vestita et distincta: ad Taciti lectionem admissus intras lucum prisca veneratione horroreque quodam sacrum. Hunc non delectationis quidem brevis et ubivis obviae sensu delenitus cursu quasi transmittes; sed quum mente composita ad honestatem, quum sensu conformi destinationi huius loci, quum integris moribus et seriis consiliis huc fueris ingressus, imbutum et percitum te senties sensu venerationis, confirmatum te videbis ad gravissima quaeque utilissimaque suscipienda. Videberis tibi admissus ad commercium eorum, qui vitae laboribus et officiis rite perfuncti, qui iam beati, iam securi, ut Minoes, ut Rhadamanthi iudicium agunt eiusmodi, quod opiniones, famam, rumores, speciem externam, splendorem nominum honorumque spernit, quod facta sola eorumque vel latentes causas respicit. Coram numine aliquo tibi versari videberis, cuius sola praesentia cupiditates fluxas et noxias mitigat, voluptates inanes purgat, immortalia contra et supra huius vitae sortem elata cognoscere, aestimare, malle iubet.“ Ingenium Taciti breviter et bene adumbravit Owenus Epigr. 2, 159. Veracem fecit probitas, natura sagacem, Obscurum brevitas te gravitasque brevem. Cf. nota 21.

cydides, princeps historicorum Graecorum, quem Tacitus, ut hunc Joh. Müller et Seume nostrates, sicut in aliis rebus, ita et in oratione, prae ceteris ad imitandum sibi proposuerat. Is vero est *subtilis, acutus, brevis, sententiis magis quam verbis abundans,* (Cic. de or. 2, 22.) *grandis verbis, creber sententiis, compressione rerum brevis et ob eam ipsam causam interdum subobscurus,* (Cic. Brut. 7, 7.) *ita creber rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur, ita verbis aptus et pressus, ut nescias, utrum res oratione an verba sententiis illustrentur.* (Cic. de or. 2, 13.) Conf. Roth. in disp. inf. §. XXXIII. laudata et Quintil. 10, 1, 73. ubi Thucydides Herodoto ita comparatur: *Densus et brevis et semper instans sibi Thucydides, dulcis et candidus et fusus Herodotus: ille concitatis, hic remissis affectibus melior; ille concionibus, hic sermonibus; ille vi, hic voluptate.*

Non tamen audiendi sunt, qui Tacitum aliorum quoque auctorum, praecipue Ciceronis, Livii, Sallustii et Virgilii, imitatorem fuisse et data opera ex his multa orationis ornamenta delibasse opinantur. Talis imitatio, quae a nonnullis ei vitio, ab aliis laudi ducitur, nimis curiose a viris doctis anquiritur et non modo ad exquisitiores loquendi formulas, sed etiam ad vulgares et valde dissimiles refertur. Neque mirum videri potest, si quis ingenium suum assidua praestantissimorum scriptorum lectione subegerit, eum adsuescere horum dicendi scribendique rationi et quaedam illis propria, optima quaeque et pulcherrima memoriae suae infigere ac deinde orationi suae inserere, etsi inter scribendum ipse nesciat, ex quo fonte manaverint.

Scriptor qualis Noster fuit proprium sibi stilum in verborum structura ipse formare solet; et singularis Taciteae orationis indoles cognosci poterit ex Boettcheri Lex. Tac. Berol. 1830. et eiusdem libello de vita, scripti ac stilo Taciti Berol. 1834. nostrisque Indicibus II. et III. Ad eam potissimum referenda sunt inusitata Ablativi, Accusativi, Dativi, Genitivi, Adiectivorum, Adverbiorum, Coniunctionum, Infinitivorum, Nominum, Numerorum, Praedicatorum et Subiectorum, Participiorum, Praepos

tionum, Substantivorum et Verborum structura, frequens Ellipsium, orationis poeticae, Graecae et praegnantis, figurae Hendiadyoin dictae, Synonymorum, Syllepseos, Zeugmatis, Anacoluthorum, Asyndetorum, Pleonasmi, Homoeoteleutorum usus, rarior comparationis modus, perpetua constructionis variatio, insolentior vulgarium verborum significatio et novorum formatio. Qui hunc Taciti stilum tum nimis obscurum et asperum, tum a Latini sermonis legibus et concinnitate alienum esse contendunt, iam bene refutati sunt a Mureto. [21])

---

[21]) In orat. 2, 14. his verbis: „Equidem quum istos de obscuritate Taciti querentes audio, cogito quam libenter homines culpam suam in alios conferant quantoque facilius omnia alia accusent quem semet ipsos. — In Thucydide et obscuritas et asperitas notatur a Graecis, et utraque inter virtutes illius, non inter vitia numeratur. Quanquam enim nuda et perspicua oratio [Ciceronis et lactea Livii ubertas] delectat, interdum tamen in scribendo laudatur obscuritas, quae orationem a vulgari loquendi consuetudine abducens ex ipsa peregrinitate dignitatem ei maiestatemque conciliat et attentionem legentium continet. Hoc quasi velum est, quod profanis obtenditur: [vel, quod acute dixit Gordon, Poppaeae Sabinae velamentum, quae raro in publicum egredi solebat idque velata parte oris, ne satiaret aspectum vel quia sic decebat; Tac. Ann. 13, 45.] sic templa sublustria ingredientes sacro quodam horrore perfunduntur. Asperitas autem illa idem plane est quod in vino amarities; quae in quo est, id optime ferre vetustatem putatur. Eam Graeci ita esse in Thucydide perpetuam notarunt, ut, quum ille in piaculi Cyclonii narratione aliquid ex ea de industria remisisset, Leonem risisse dicant. — Andreas Alciatus et Aemilius Ferrettus quum Tacito cetera concedant, male eum Latine locutum dolent. Sed si ipsi tam bene Latine scripsissent quam sibi videbantur, non nihil fortasse nos illorum commoveret auctoritas. — Qui autem nos sumus, si omnes in unum conferamur, quicunque hac tempestate Latine loqui videmur, ut de scriptore sapientissimo, nato iis temporibus, quibus adhuc Romana lingua florebat, (plane enim floruit usque ad Hadrianum) et habito disertissimo aetatis suae, sinistre iudicare audeamus? Aliter loquitur quam aut Cicero aut Caesar: aliud enim dicendi genus adamarat. Ne Ciceronis quidem temporibus omnes, qui diserti habebantur, Ciceroniani erant. Multa in Cicerone Brutus, multa Calvus, multa Pollio, quaedam etiam Atticus non probabat. [C. Asinius Pollio Patavinitatem Livio exprobrabat; v. Quintil. 1, 5, 56. et 8, 1, 3.] Idem Cicero et multa novavit ipse, et aliis ut alia novarent auctor fuit: cuius est illud praeclare dictum: Quod Catoni licuit, id cur non liceat Varroni? — Nobis hodie minor eius rei licentia est, qui Latinam linguam non aliunde quam e libris petere possumus: illi solutiores ac liberiores. Deinde quis hodie pro certo affirmare audeat, quum tanta veterum scriptorum facta iactura sit, ea, quae apud Tacitum nova videntur, non apud veteres in usu fuisse? — Magna profecto est stultitia nostra, qui in tanta veterum scriptorum dispersione, tam longo temporum intervallo, tanta Latini sermonis oblivione et ignoratione optimae notae scriptores damnare non veremur, quorum coqui et muliones multo melius quam

DIALOGUS DE ARTE ORATORIA.

I. Tempus quo scriptus sit.

§. XIV. Incerta sunt omnia, quae tum de tempore quo scriptus sit dialogus, tum de auctore eius vel disputata sunt a viris doctis vel disputari possunt. Scriptor eius dicit quidem cap. 17. et 24., colloquium hoc a viris tunc temporis disertissimis institutum esse anno CXXmo ab interitu Ciceronis, sexto principatus Vespasiano traditi, (a. U. c. 828. p. Chr. n. 75.) et cap. 1. se ei interfuisse admodum iuvenem et repetiturum, quae tum audivisset. Sed nusquam nos docet, quo tempore et paucisne an multis annis post ex memoria haec exposuerit, et ex primo libelli capite intelligitur, eum a viro iam maturioris aetatis scriptum esse: nam Fabius Iustus non *admodum iuvenem* saepius rogasse censendus est, ut suam de quaestione gravissima sententiam proferret. Praeterea haud dubie illud colloquium non vere factum est, sed potius ad vere facti similitudinem effictum et compositum, ut similia a Platone, Cicerone et aliis. Quis enim crediderit, aliquem tot sermonum paulo post, nedum in virili aetate, si eos ineunte adolescentia excepisset, memorem esse potuisse et quidem ita, ut singula et contraria *a praestantissimis viris et excogitata subtiliter et dicta graviter iisdem numeris, iisdem rationibus persequi* quivisset *servato ordine disputationis?* (cap. 1.) Quemadmodum itaque omnia, ita et illa: *quae iuvenis admodum audivi* et *non ingenio, sed memoria ac recordatione opus est*, et haec quidem veniae lectorum impetrandae causa videntur esse ficta. Eodem retulerim nomina moresque Apri et Materni, quorum certe non alibi fit mentio. Quae quum ita sint, frustra a multis consumpta est opera, ut anquirerent, utrum illa temporis designatio cap

---

omnes nos Latine et intelligebant et loquebantur. — Multa in Tacito nova istis videntur, quae ex ultima antiquitate repetita sunt quaeque apud Catonem, Varronem, Sallustium, quaedam etiam apud Ciceronem ipsum leguntur, quaedam fortassis novata, sed ita ut elegantius non potuerint, quaedam parce ex Graeco fonte detorta, quibus oratio ipsius tamquam modice asperso sale suavissime condiatur. Et hoc quoque habet simile Thucydides, in quo Graeci Critici quasdam voces antiquas, quasdam ab ipso cusas et novatas notant.“ Cf. nota 20.

17. 24. et praecipue verba cap. 1. *quos* viros disertissimos (Aprum, Maternum, Iulium Secundum et Vipstanum Messalam) eandem hanc *quaestionem pertractantes iuvenis admodum* (v. ad Ann. 1, 3, 8.) *audivi* satis convenirent in Tacitum, Quintilianum, Suetonium, Plinium iuniorem aliosve. Non defuere tamen, qui dialogum extremis Domitiani temporibus compositum esse contenderent et provocarent ad ea quae dixi ad cap. 1. n. 1. de Fabio Iusto, ad cap. 2. n. 1. de Materno, Apro et Secundo, ad cap. 39. n. 2. de paenulis.

II. Auctor dialogi.

§. XV. Quis re vera fuerit auctor, *Grammatici certant et adhuc sub iudice lis est*, ut utar verbis Horatii A. P. v. 78. [22]) Ex plurimorum sententia, quae ceteris probabilior est, libellus hic *Tacito* tribuendus, eamque potissimum defenderunt Dodwellus, (in Annal. Quintil.) Schurzfleischius, Schulzius, Lamallius, Broterius, Oberlinus, Woltmannus, Weikertus, Langius, Orellius, Boetticher in Lex. Tac. p. VIII—XIII. et impugnarunt Rhenanus, Lipsius, Crome, Klossmannus, Gutmannus. [23]) Argumenta et externa et interna, quibus fulciri potest, sunt haec, quae ita recensebuntur, ut non reticeantur ea, quibus tum ab aliis iam sint labefactata, tum labefactari queant:

I. Tum in codicibus MSS. et quidem in Farnesiano, Vindobonensi et quatuor Vaticanis n. 1518. 1862. 2964. 4498. praeter quos alii nondum collati sunt, tum in editionibus antiquissimis libellus hic inscriptus est *C. Cornelii Taciti dialogus*. In iisdem MSS. Vaticanis non subiunctus Annalibus et Historiis, sed, ut reliqua Taciti opera minora in omnibus MSS., si Farnesianum et Vin-

---

[22]) Cf. Fabricii Bibl. ed. Ernest. T. II. p. 325. Schulzii edit. dial. in Proleg. p. XXI — XXXVI, Crome in Progr. (Magazin für öffentl. Schulen, Bremen 1791. T. II. P. I.) Füllebornii Encyclop. philol. Vratisl. 1805. ed. II. p. 36 — 43. Weikertus in translat. Germ. Taciti T. I. p. LX. sq. Woltmannus in translat. Germ. Taciti T. V. p. 260. sq. Fuhrmanni Handbuch der klass. Literatur, Rudolst. 1810. T. IV. p. 180. sq. Cfr. Baehr Gesch. der Röm. Literatur, Carlsruhe 1829. §. 267.

[23]) De diss. et libellis singularibus Schurzfleischii, Cromii, Langii, Klossmanni et Gutmanni v. inf. §. XXXIII.

dobonensem exceperis, vel separatim vulgatus, vel ceteris scriptis minoribus annexus; primis vero Taciti editionibus additus et recentioribus Quintiliani. Codices quidem MSS. post inventam demum typographiam, sed, aeque ac primae editiones, ex antiquioribus descripti sunt. [24] Neque tamen dissimilandum, inscriptiones dialogi librariis grammaticisve serioris aevi tribuendas esse, quod tum ex diversitate earum cognoscitur, (v. §. XXII.) tum ex eo quod in primis editt. (Spir. Put. Ber. Riv. Rhen. I Iunt. Ald.) nomini *Taciti* addita sunt verba *equitis* (in ed. Put. *aequitis*) *Romani.*

2. Pomponius Sabinus grammaticus ad carmen d obitu Maecenatis annotavit haec: *Cornelius Tacitus appellat scripta Maecenatis calamistros,* et auctor dialogi cap. 26 pr. dixit: *malim hercule C. Gracchi impetum aut L. Crassi maturitatem quam calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis.* Huius tamen Grammatici non magnam in hac re auctoritatem esse iam docuerunt Orellius et Gutmannus: obiit enim a 1498. aetatis LXXmo, et aliquamdiu vixit Venetiis, ubi iam quatuor Taciti et dialogi nomine eius insigniti editiones typis erant expressae, Spirensis a. 1470. duae Venetae a. 1484. et 1494. Puteolani altera a. 1497. Idem proprie dictus est *Iulius Pomponius,* sed varie cognominatus, *Sabinus, Picentinus, Sanseverinus, Laetus, Fortunatus* et *Infortunatus* h. e. nothus. Scripsit de antiquitatibus urbis Romae et edidit Sallustium, Quintilianum Virgilium aliosque. v. Christoph. Saxii Onomast. literar. Trai. 1775. T. II. p. 491. et Tiraboschii Storia della letteratura Italiana ed. di Milano 1824. T. VIII. p. 962 s

3. Accedit testimonium Plinii iunioris a Langio primum hanc in rem allatum, quod maximi est momenti. Nam hic in ep. 9, 10. scripsit: *Itaque poemata quiescunt*

---

[24]) „Id sane maximum est testimonium, quod codices Taciti non prae se ferunt et antiquiores sunt Grammaticis Italis, qui falsam inscriptionem appingere potuissent. Priori enim aetati, saeculorum d ante decimum quintum, Tacitus prope ignotus erat. Accedit, quod maximi est momenti, quod hic libellus, prorsus ut a Senecae libris eiusdem Ludus, ita hic separatim a reliquis Taciti scriptis nobis servatus est; quo minus etiam vel fortuitus error vel fraus locum habere potuit." Orell. p. LXIV.

quae tu inter nemora et lucos commodissime perfici putas; auctor vero dialogi cap. 9 extr. *Adiice quod poetis, si modo dignum aliquid elaborare et efficere velint, relinquenda conversatio amicorum et iucunditas urbis, deserenda cetera officia, utque ipsi dicunt, in nemora et lucos id est in solitudinem recedendum est,* et cap. 12 pr. *Nemora* vero *et luci et secretum ipsum, quod Aper increpabat, tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter praecipuos carminum fructus numerem, quod nec in strepitu — componuntur, sed secedit animus in loca pura atque innocentia fruiturque sedibus sacris.* Iunguntur quidem *nemora* et *luci* etiam G. 9. 10. 45. atque eadem sententia ab aliis quoque prolata est et expressa, sed a Tacito,, cui eam Plinius tribuit, singulari vi neque alio librorum, qui supersunt, loco quam in dialogi cap. 9. et 12. Neque audiendi sunt Catanaeus aliique, qui illam epistolam non Plinii sed Taciti esse contendunt respondentis ad priorem illius 1, 6. et praeceptis eius obsequentis. Quam opinionem nuper propugnavit Gutmannus his verbis: „Quicunque Plinii epistolas 1, 6. et 9, 10. leget nominibus non inscriptis, duo sunt inquiet qui alter alteri respondent. Ille venationem commendat, hic consilium reiicit; ille scribit: *experieris, non Dianam magis montibus quam Minervam inerrare,* hic refert: *Minervae tantum serviendum est.* Scriptor posterioris epistolae, *Ais,* inquit, *Minervam et Dianam pariter colendas esse;* in priore autem haec dicta erant, quanquam non iisdem verbis. Itaque qui credas, utrasque literas ab eodem ad eundem esse scriptas? Etenim idem dicerent ac *quae ego dixi tu dixisti,* atque sibi responderent, ut cuculi cuculis solent. Vel quomodo Plinius Tacito scribere potuit *cupio praeceptis tuis parere* scil. venationem cum studiis coniungere, quum ipse priore epistola amico idem praecepisset? Quaenam porro est ista *aprorum* mentio, quorum modo abundantia, modo penuria est, si ponas, eundem esse utriusque epistolae auctorem? Huc accedit, quod Plinius venationis amans erat, (v. ep. 5, 6. 9, 16. 36.) et scriptor posterioris epistolae ei non favebat, quodque hic dicit se *vehiculo* usum esse, quum in villam abiret, Plinius autem 9, 36. de se:

non vehiculo, sed, quod brevius quia velocius, equo gestor." Ipse tamen Gutmannus haec fatetur: „Non nego, huic opinioni quaedam non levia obstare. Stilus epistolae 9, 10. similis est argutiis Plinianis; verba eius *in via plane nonnulla leviora statimque delenda ea garrulitate, qua sermones in vehiculo seruntur, extendi*, severitati Taciti non videntur convenire; eiusdem poemata et oratiunculas non novimus; epistolarum denique Plinianarum libris nulla alia ullius amici inest." Iisdem aliisque argumentis Catanaei opinio dudum refutata est a Gesnero et Gierigio, Plinii editoribus, recenter a Langio, qui etiam nodos illos a Gutmanno nexos bene expedivit l. l. ubi haec dixit: „Prolixior fuit Gierigius in opinione hac refellenda; debebat autem Casaubonum sequi, de cuius sententia Plinius hic respondet ad eam epistolam, quam Tacitus miserat accepta illa priore. In hac Tacitus, ut licet ex altera priori Plinii colligere, consilium dederat Plinio *Minervam atque Dianam pariter colendi*, quas ille scripserat simul *montibus inerrare*. Ita quidem nexus epistolarum bene se habet, neque opus est, aut memoriae lapsum excusare, aut nova proverbia in subsidium huius loci cudere."

4. Aetas Taciti convenit tempori, quo dialogus e[t] habitus est et scriptus, quodque cap. 1. 17. 24. designa[-]tur. Eo tamen non efficitur, Tacitum re vera huius li[-]belli auctorem fuisse, sed esse potuisse ut complures[.] Cf. §. XIV.

5. „Non minus congruunt, quae et ipso dialogo e[t] historicis Taciti libris continentur: argumentum non alie[-]num a persona Taciti eximii oratoris (v. Plin. ep. 2, 11[.] 17.) et rhetoris de arte sua perite Ann. 4, 21. 61. 13, 3 et alibi loquentis, qui invidiam taediumque, quae facil[e] ex tractatione eius enasci poterant, optime cavit eo quo[d] non se, sed alios loquentes induxit;[25]) comparatio inte[r] antiqua et recentiora Romanarum literarum tempora C

---

[25]) „Idem de claris cuiusque aevi oratoribus iudicium quam subt[i]lissimum tulit Ann. 3, 31. 34. 4, 61. 13, 3. H. 1, 90. et alibi." *Boe[t]ticher* Lex. Tac. p. XI. Cf. Plin. ep. 1, 20. in qua Tacitus consulitu[r] amplum et copiosum dicendi genus, an breve et concisum magis pr[o]bandum sit;

14 sq. Ann. 2, 88. H. 3, 51. 83. disputatio de aurei saeculi innocentia atque de legum et eloquentiae origine O. 12. 36. Ann. 3, 26. monita de educatione liberorum O. 28. 34. Agr. 4. iudicia et narrationes de Cassio Severo O. 19. 26. Ann. 1, 72. 4, 21. de Caesaris eloquentia O. 21. Ann. 4, 35. de M. Bruto O. 25. Ann. 4, 35. de Eprio Marcello O. 5. Ann. 16, 23. de Vipstano Messala O. 14—35. H. 4, 42. de Pomponio Secundo O. 13. Ann. 12, 28. de Vatinio O. 11. Ann. 15, 34. de Cn. Pompeio O. 38. Ann. 3, 28. — Si totum, non singula spectes, eadem est sententiarum gravitas, iudicii maturitas, morum severitas, priscae virtutis et libertatis amor. — Praeterea in dialogo et historicis Taciti libris eaedem reperiuntur voces ac formulae peculiares v. c. *caementum et tegulae* O. 20. G. 16. *nomen ac clientelae* O. 35. Ann. 3, 55. *circumstare* (poetice, ut ap. Virg. Aen. 2, 559. et ἀμφιβαίνειν ap. Soph. Oed. Col. v. 1478.) O. 8. H. 1, 17. *habere dicendum, existimandum, tolerandum* cet. O. 1. 8. 13. 19. 31. 36. 37. Ann. 4, 40. 14, 44. H. 1, 15. *dicentes, orantes* et *praecipientes* O. 6. 8. 28. ut *peccantes* Agr. 4. 6. *porro* pro *atqui* O. 23. Agr. 15. 31. *plerique* pro *multi* O. 15. 17. 31. Ann. 3, 28. 4, 9. 12, 35. 13, 25. H. 1, 86. G. 14. Agr. 1, 36. *plerumque* pro *saepe* O. 15. Ann. 4, 57. 74. H. 3, 63. 85. [26]) — sententiae universae de natura ingenii humani O. 18. 37. 40. H. 1, 22. 55. 2, 20. 3, 85. 4, 6. 70. Agr. 42. — arguta brevitas O. 1. *ut aut de ingeniis male existimandum habeam, si idem assequi non possumus, aut de iudiciis, si nolumus,* c. 23. *prope abest ab infirmitate, in quo sola sanitas laudatur,* c. 27. *ab antiqua libertate vel magis degeneravimus quam ab eloquentia,* ut G. 45. — anti-

---

26) „Add. *pater familiae* O. 22. G. 10. *exuberare, histrionalis, duraturus* et *mansurus, admodum, igitur, itaque, etsi non - at certe, vel - sive - sive, quin immo, admissum, auris, affluere, inserere, proeliator, proferre. rapere, rubor, vanescere, ut sic dixerim.*“ *Boetticher* Lex. Tac. p. XII. „Sed facile contra dici potest, omnes has formulas ac voces eiusdem aetatis aut vere esse aut esse posse, non vero scriptoris.“ *Lange.* „Eodem facili negotio e Ciceronis, Quintiliani aliorumque scriptis congeri et cumulari possint tum eaedem formulae et voces, tum loca similia, quibus insit haud obscura iudicii sententiaeque affinitas; neque ideo quisquam temere de Cicerone aut Quintiliano auctore somniaverit.“ *Schulze* p. XXX.

theta concinne et acute innexa, in quibus Tacitus miri fice sibi placet, ut c. 4. *ego, cui desidiam advocationu obiicis, quotidianum hoc patrocinium defendendae advei sus te poeticae exerceo,* c. 8. *divitiae et opes, quas fac lius invenies, qui vituperet quam qui fastidiat,* c. 1 *felix illud et aureum saeculum et oratorum et criminu inops poetis et vatibus abundabat, qui bene facta can rent, non qui male admissa defenderent,* c. 13. *alliga cum adulatione nec imperantibus unquam satis servi v dentur, nec nobis satis liberi,* c. 40. *nec tanti rei publ cae Gracchorum eloquentia fuit, ut pateretur et lege nec bonae formam eloquentiae Cicero tali exitu pens vit;* — verborum lusus, ut c. 4. *omissis forensium Mu sarum angustiis sanctiorem istam et augustiorem el quentiam colam,* c. 32. *non exstitisse unquam confirm eum, qui tanquam in aciem omnibus armis instructus, s in forum omnibus artibus armatus exierit,* H. 2, 96. *m gis alii homines quam alii mores,* Agr. 6. *nec minus p riculum ex magna fama quam ex mala* et c. 19. *n poena semper, sed saepius poenitentia contentus esse* Ita *Langius,* cuius iudiciis et verbis in nota [27]) subiung

---

[27]) Verba Orellii p. LXI sq. sunt: „Antiqua libertate usurus aper profitebor, me quoque non ab alio quam a Tacito profectum esse egr gium hunc libellum arbitrari. Omnes et sententiae et sensus digni su et tali viro et tali scriptore, quem venerabundi suspicimus atque int Lares nostros familiares sancte colimus. — Recens tum erat a rhet rum scholis et res ad easdem quam maxime spectantes tractabat. Qu mirum, si ex iis in toto scribendi genere aliquid contraxit? Manifes praeterea insunt et multa vestigia recentis lectionis vel, si mavis, im tationes operum rhetoricorum Tullii; (cf. inpr. c. 31.) si quidem alit fieri fere nequibat, quam ut tale ingenium iuvenilibus praesertim anni quibus hoc opusculum elaborasse mihi videtur, (cf. §. XIV.) summa cu reverentia operam daret perfectissimo scriptori eumque tanquam absol tum eloquentiae Latinae exemplar sequendum sibi proponeret, antequa suae et propriae indoli tandem prorsus obsecutus ab unius imitatio recederet atque maioribus ac vere aeternis in scriptis se ipsum praet ceteros exprimeret vir generosissimus. — Verum ipsae illae schol rhetoricae et imitationis studia multis utique perniciosa divinum Tac ingenium provecta deinde aetate adiuverunt potius quam oppresseru Quintilianus scholis sane par; superior Tacitus, quem, si hic aliquoti aberravit a vera dictionis norma, postmodum vix unquam fugit, qu quum suae indoli potissimum satisfaceret, etiam ex rhetorum scena a sciscendum, quid studiose devitandum esset. Tria videlicet veluti el menta stili Tacitini equidem agnosco, historicum, rhetoricum, poeticu quae singulari arte miscuit atque inter se temperavit, ita ut ipsius su limis mens libere dominaretur elocutioni per eamque semper claro

similia Orellii. De his tamen rebus in utramque partem disputari potest. Cf. nota 26. et quae contra dixerunt Schulzius, Cromius, Gutmannus.

6. Minus congruit dicendi genus in Dialogo et in historicis Taciti libris: nam in his est ubivis breve et concisum, acutum, abruptum et severum, in illo fusum et numerosum, floridum, lepidum, vividum et oratoria ubertate laetum. Quae differentia magni est momenti, non vero tanti, ut libellus noster abiudicandus sit a Tacito sine ulla dubitatione [28]). Haec iam valde minuetur, si illum ab eo vel ineunte adolescentia, vel ante alios

---

lumine posita compareret lectoribus. Illud insuper velim animadvertas, in Dialogo quoque, ut ceteris in libris, Tacitum ubique memorem esse veteris ac liberae rei publicae, cuius interitum, quocum una conticuerat vera eloquentia, ex animo deflet ac luget, illa tamen cautione adhibita, quae decebat sapientem virum unius dominationi subiectum simulque quam iniqua sors esset utique agnoscentem nec tamen novarum rerum cupidum. (Cf. O. 17. 29. 37. 40. 41. Ann. 4, 20. Agr. 3. 4. 42.) Neque vero hic minus quam alibi libere in suorum temporum vitia atque ignaviam invehitur."

[28]) Ita iudicabat *Lipsius:* „Stilus, aiebat, valde abnuit, non fallax in hoc genere argumentum: qui in nostro constrictus ubique, teres, acutus et severus magis quam lepidus; hic omnia contra. At mutari is in aetate aut argumento potest, inquiunt. Non nego: sed nunquam ita, ut abeat prorsus a sese. Quicquid Cicero scripsit, iuvenis, senex, philologicum, philosophicum, in iis tamen lineamenta quaedam apparent eiusdem viri et vultus. Nec aliter fit in omnibus nobis." Quae *Langius* sic refutavit: „Aetatem nolim urgere; nam ab homine iam maturioris aetatis scriptum esse librum ipsa praefatio docet. Fusa autem, soluta et aequali ratione, lepida quoque, quando vellet, *potuisse* Tacitum uti, quis serio dubitabit? Quo enim iure talis orationis fingendae facultatem simpliciter denegabimus ei, qui teste antiquo Grammatico *facetias* scripsit (sed v. §. II.) et causas atque orationes coram iudicibus et populo disertissime egit? praesertim quum pro ingenii humani natura promptius videatur, genus dicendi breve, acutum et sententiis refertum nonnunquam liberius reddere et amplius, quam fusum et dissolutum adstringere. *Voluisse* autem Tacitum in hoc sermone non suum, sed aliorum dicendi morem sequi, ipse statim ab initio disertis verbis praemonet. Tametsi igitur Lipsio concedimus, orationem numerosiore decursu et laetiore verborum copia colorem quendam a Taciti dictione, qualis est in reliquis eius scriptis, aliquantum discrepantem traxisse, ille nondum persuasit, Tacitum hoc in dialogo prorsus a se abiisse, ita ut non hic illic sui indicia inscius quasi et invitus reliquerit. Ciceronis autem exemplo melius abstinuisset. Exemplorum enim in hoc genere nulla vis est. Quid enim, si dicamus, fore aliquando, qui Criticam purae rationis (Kritik der reinen Vernunft) et Observationes de sublimi et pulchro (Beobachtungen über das Erhabene und Schöne) ab uno eodemque auctore proficisci potuisse ob nimiam stili differentiam negent? Ipsum Lipsium diversis temporibus satis constat diversissime scripsisse."

certe libros compositum esse dixeris: (v. §. XIV.) nam diversis temporibus diversissime scribere solemus. Magna quoque orationis discrepantia est in singulis Taciti scriptis atque insignis congruentia in dialogo et permultis horum locis. Praeterea stilus in libello nostro quam maxime dialogo consentaneus, et longe aliud est dialogum quam historiam vel philosophica et rhetorica scribere. Huc accedit quod auctor dialogi virorum in eo disputantium, non suo dicendi genere uti voluit; quod ipse significat cap. 1. disertis verbis: *Percontationi tuae respondere et tam magnae quaestionis pondus excipere — vix hercule auderem, si mea sententia proferenda ac non disertissimorum, ut nostris temporibus, hominum sermo repetendus esset, quos eandem hanc quaestionem pertractantes iuvenis admodum audivi. Ita non ingenio, sed memoria ac recordatione opus est, ut, quae a praestantissimis viris et excogitata subtiliter et dicta graviter accepi, quum singuli diversas vel easdem, sed probabiles causas afferrent, dum formam sui quisque et animi et ingenii redderet, iisdem nunc numeris iisdemque rationibus persequar servato ordine disputationis.*

7. Dialogus est libellus aureolus et Tacito neutiquam indignus, sive inventionem et iudicium, sive argumentum et formam et stilum spectes; iniqua vero iudicia sunt Klossmanni, de quo v. nota 29. et Gutmanni in Orelliana edit. p. 106. illum tot vitiis et in verbis et in sententiis laborare, ut nemo subtiliore sensu praeditus sibi persuasurus sit, Taciti librum esse quem legat. v. §. XIX — XXVIII.

§. XVI. *Quintilianum*, cuius scriptis in editt. recentt. annexus est dialogus noster, eius re vera auctorem fuisse suspicati sunt Graevius, (ad Cic. de off. 2, 13. et in Lectt. Hesiod.) Modius, (in Novant. Lect. ep. 15.) Dousa, Berneggerus, Freinshemius, Buchnerus aliique. Quam opinionem acerrime propugnavit Heumannus, sed multis argumentis refellerunt Dodwellus, (in Annal. Quintil.) Schurzfleischius, Schulzius et Cromius, gravissimis Spalding. in prooem. ad Quintil. inst. or. lib. VI. T. II. p. 424 sq. et novis (quod Ebertus notavit in Lex. bib

N. 18488.) Florez in España sagrada T. 35. p. 82—85. Utriusque argumentationis summa est fere haec:

1. Quintilianus scripsit *librum de causis corruptae eloquentiae*, quod ipse dixit Inst. or. lib. V. c. 12, lib. VI. in prooemio, lib. VIII. c. 3. et 6. neque negandum est, *dialogum* etiam vocari posse *librum* illumque titulum a librariorum potius editorumve quam ipsius auctoris ingenio profectum videri. Sed *librum* Quintiliani haud dubie diversum fuisse a *dialogo* nostro, vel ex eo patet, quod ille in libro suo de imitatione veritatis, de tropis, de hyperbole et de κακοζηλίᾳ uberius et fusius disputavit, (v. eius Inst. Or. lib. V. c. 12. lib. VIII. c. 3. et 6.) auctor vero dialogi neque haec neque alia tractavit praecepta rhetorica et tractare voluit, sed causas, cur recentioris aevi oratores ab eloquentia antiquiorum recesserint. Quae sententia neutiquam labefactatur eo quod eadem est inscriptio dialogi: *de causis corruptae eloquentiae;* nam haec recentior est, a Lipsio primum imitando efficta et ad illam *libri* Fabiani accommodata. Neque maioris momenti est congruentia aliqua eorum, quae in Dial. c. 35. de scholarum rhetoricarum ineptiis nugisque dicta sunt et a Quintiliano de declamationibus ad puerilem magis in rebus fingendis et exornandis ostentationem, quam ad veram orandi imaginem et causarum forensium imitationem compositis.

2. Aetatem convenire nonnulli arbitrantur, modo ne verba cap. 1. *disertissimos homines — iuvenis admodum audivi* nimis premantur, alii negant. Quintilianus sexto Flaviani imperii anno, quo dialogus noster habitus est et auctor eius *admodum iuvenis* fuit, (v. cap. 1. 17. et 24.) tricesimum tertium vel sextum egit annum. Idem Iulium Secundum, quem scriptor dialogi aeque ac Aprum domi et in publico assectatus est, (v. cap. 2.) *aequalem suum et familiariter a se amatum* dicit Inst. Or. 10, 3, 12. Apri vero et Materni nusquam mentionem facit. Cf. tamen §. XIV.

3. Multi manifestum sibi invenisse videntur consensum iudicii sensuumque in Dialogo et scriptis Quintiliani: sed Schulzius et alii contra dicunt, similia quoque iudicia reperiri in rhetoricis Ciceronis libris, contraria in Dialogo

et Quintiliano, v. c. de paenularum et togae usu in iudiciis O. 39. et Inst. Or. 11, 3. de Coelio et Calvo oratoribus O. 21. et Inst. Or. 10, 1, 115. de saeculi istius ingeniis O. 1. et Inst. Or. 10, 1, 122. de Saleio Basso poeta O. 5. et Inst. Or. 10, 1, 90.

4. Plurimi sibi persuaserunt, stilum Dialogi et Quintiliani tam geminum et similem esse quam ovum ovo. Sed non desunt, quibus ille altior videatur et asperior, hic placidior, facilior et elegantior. Iudice Spaldingio maior est in Quintiliani scriptis puritas et sobrietas orationis, lubrica autem ista observatio similitudinem dictionis inter duos scriptores concernens quaeque exercitatissimum quemque exigat iudicem.

5. Quintilianus clarissimus et publicus fuit magister rhetorices, ac Fabius Iustus (v. O. 1.) aequalis amicusque Plinii iunioris, (v. ei. epist. 1, 5. 11. 7, 2.) hic vero discipulus Quintiliani. Quae rationes sunt leves et infirmae.

§. XVII. *Plinio iuniori* asserendum esse dialogum contendit Nastius in Proleg. ad translat. Germ. huius libelli p. 12—22. idque aliquando a se probatum iri dixit Frotscher ad Quintil. Inst. Or. 10, 3, 22. p. 152. Argumenta Nastii sunt: congruere tum tempus habiti dialogi cum adolescentia Plinii, (v. O. 17.) tum elocutionem utriusque et quidem non minus in singulis dictis quam in toto dicendi colore, tum etiam iudicium de antiquioris eloquentiae praestantia; (v. O. 14 sq. et Plin. ep. 1, 5. 6, 21.) Fabium Iustum (O. 1.) familiarem fuisse Plinio, (v. ei. epist. 1, 5. 11. 7, 2.) hunc vero discipulum Sacerdotis Nicetae, (v. O. 15. et Plin. ep. 6, 6.) et aequalem Aquilio Regulo fratri Vipstani Messalae; (v. O. 15. n. 1. et Plin. ep. 1, 5. 20. 2, 20. 4, 2. 7. 6, 2.) eundem Plinium iam anno aetatis XIV. scripsisse tragoediam et a. XIX. in foro dixisse; (v. ei. ep. 5, 8. 7, 4.) dialogum scriptis Taciti facile attexi potuisse, quia Plinius iudicio eius sua submittere consuevisset. v. eius epp. ad Tacitum 1, 6. 20. 4, 13. 6, 9. 16. 20. 7, 20. 33. 8, 7. 9, 10. 14. Quae omnia esse futilia et magnam stili differentiam censuere Cromius, Weikertus, Woltmannus et Fuhrmannus, de quibus v. nota 22.

§. XVIII. *Suetonio* dialogus noster assignatus est a nonnullis, quos refutarunt Schulzius et Cromius his argumentis usi: a Suetonio libros quidem scriptos esse de claris rhetoribus et grammaticis, non vero alium de oratoribus antiquis et recentioribus, huius enim mentionem non iniici a Suida, qui omnes eius libros recensuerit; eundem Suetonium longe alio usum esse dicendi genere et sexto Flaviani imperii anno (O. 17.) quinquennem fuisse vel sexennem. Cf. Suet. Ner. 57. — Alii M. Valerium Messalam, (non Vipstanum Messalam) alii Curiatium Maternum scriptorem dialogi fuisse crediderunt. — Non tamen defuere qui Lipsio suffragarentur, cuius haec fuit confessio: Ambigo et quum multa dixerim, claudo tamen omnia et signo hoc responso: *mihi non liquere.*

III. Dialogi indoles generatim examinata.

§. XIX. Longe maioris momenti est quaestio, qualis sit dialogi indoles. De qua diversissimae sunt virorum doctorum sententiae, quales esse solent, quoties quaeritur, quid sit pulchrum et decorum. Iniquissimum et quod longissime a vero abesse videtur, ne quid gravius dicam, est Klossmanni iudicium [29]), aequius et

[29]) Is in Proleg. in Dial. de oratoribus claris Vratisl. 1819. 4. haec disputavit p. 3. 4. 7. 13. »Omnino tantae circumferuntur libri laudes, eam iudicii maturitatem auctori videmus attribui, tantam ei assignari gravitatem, ingenium et intelligentiam, talem eius probari iucunditatem in scribendo et orationis florem, copiam et varietatem, qualem omnino auctori melioris notae iure existimaveris propriam. Hinc viri docti antiquitatis desiderium et studium, saeculi acerbam vituperationem et fastidium atque summam illam, quam Taciti statuunt, indignationem aut omnino hominis sapientissimi aut eiusdem esse animi magni et ingenii unius existimant, nitorem vero et colores orationis senectute admota abiisse in concisum et severum, sententiis pressum et grande verbis Historiarum et Annalium dicendi genus. Sed multa sane me offendunt, quae non solum a grandi Taciti ingenio plane aliena et sapientia et arte indigna existimo, sed mediocris tantum hominis esse, antiquarii, scholastici et rhetoris, praeceptorum veterum copiam recoquentis et rhetoricam nobis officinam aperientis in explicandis mutatae decursu temporum eloquentiae momentis. Partes enim argumenti non sunt inter se aptae et connexae; non omnes, nervis argumentationum et sententiarum vinctis, ad unum et accuratum conspirare videntur demonstrationis exitum, neque vim et gravitatem argumentorum explanare arte collocationis, sed abruptae, temere arreptae, longius repetitae et tractae consilium explicatione implicare, turbare, occultare. Nam mirum est, auctorem ipsa

aptius aliorum, sed fere brevissimum nec firmis rationi bus subnixum [30]): nam longe plurimi contenti fuere, le

quaestione, cur recentiores, quum prima oratorum saecula ingeniis glo riaque effloruerint, optimam eloquentiae speciem non habeant, ingeniorui antiquorum gloria concessa, tamen disputatiuncula de praestantia poeseo quae a materia abhorret eique fere contraria est, praemissa maiore explere partem dialogi quaestione, an sit veterum eloquentia praeferend Quae quaestio a sola contradicendi cupiditate derivata certo iudicii ca cello non circumscribitur, ipsis disputantibus inanis visa. Neque min offendit, auctorem, quum fractae eloquentiae causas prudenti, ut exsp ctaveris, temporum existimatione enarrandas sibi proposuerit, omnino no quod ad perfectissimum oratorem requiratur expedire munerique ant quarii satisfacientem totum esse in laudanda antiquitate et perstringendi non explicandis vitiis temporis sui. Sed tota fere disputatio inanis v deatur et inutilis, quia non docte et accurate rei summam scientia con prehendit et cogitatione, sed dum nomine capit virorum disertissimorui angustiis confabulationis domesticae non superatis, studia aetatis iud canda animo eorum subiicit, qui subita quadam contentione excitati, v luntate ducti, affectu praesenti huc illuc agitantur. — Nexum tame partium auctor ita composuisse videtur. Aprum, qui pugnax est et s cum pugnans, eloquentiae artem curto operarii recentioris apparatu la dantem inducit, ut adversariorum sententiis maius inde veritatis nascat pondus. Qui, certaminibus tum de optimo genere dicendi celebrati quum studia quotidiana hominum de foro ad severitatem praeceptoru redigant, omnem emortuam esse eloquentiam statuunt. Ac Materni v luntas altior quum fatalis fuerit, tum ut infelix rei publicae status po sit cognosci, qui est totius dialogi finis, laudatio et explicatio virtutu antiquitatis eo maiore affectus vehementia, quo tristior casus, quo pr pius adstat sordes, proponitur. — Qualis sit libelli indoles, ex prim et extremis eius verbis intelligitur. Non est commentatio, in qua ius ordine, accurate et subtiliter singula pertractantur, sed dialogus, in q Maternus poetarum, Messala antiquariorum, Aper scholasticorum rhet rumque causam, Secundus auditoris potius quam iudicis partes agit que formam sui quisque et animi et ingenii reddit, multa vero insu quibus vel contradixissent iidem vel plura subiunxissent, nisi iam d esset exactus."

30) Talia sunt iudicia *Ernestii* in Praef. T. I. p. LXI. „In libro oratoribus non eam diligentiam adhibui in notandis lectt. veterum e tionum: nam nec tanti putabam in isto libello, cui ego nunquam tant pretii statuissem quantum vulgo solet, et tanta est multitudo varieta nullum magnopere usum habiturae, ut nemini me gratum facturum p tarem." *Gutmanni*: (in Orell. edit. Dialogi p. 106. et 109.) „Hic libell tot vitiis et in verbis et in sententiis laborat, ut nemo subtiliore sen praeditus sibi persuasurus sit, Taciti librum esse quem legat. — Mag tamen laude dignus est; multa acute et subtiliter dicta invenies. In prin praeclara sunt, quae Messala de educando instituendoque oratore dis tat." *Wolfii* in Miscell. (Vermischte Schriften) p. 158. „Dialog hic grandi Taciti ingenio indignus est, praeclaris tamen sententiis locis refertus, unde vel literarum Romanarum sub primis Caesaribus ciem intueri, vel saluberrima monita de optima educationis et institut nis ratione haurire licet." *Eiusdem* in Praef. ad Cic. orat. pro Marce p. XXI. „Plura sunt in aureolo dialogo, quae labem saeculi pingu nonnulla, quae divinitus dicta videntur in strenuam desidiam nostro

viter in transitu attingere qualitatem dialogi et acrius indagare auctorem eius sensumque verborum; perpauci interiorem libelli indolem, argumentum eius et formam, virtutes et vitia, quae explorari et cognosci multo pluris

temporum." *Lipsii*: „Scriptum sane optimum stilo, inventione, iudicio, et quod in hoc genere (integrum esset modo) conferre nihil verear cum iis, quae optimi saecli et optimae notae." *Broterii*: „Ut in *Annalium Historiarumque libris* absolutissimum habemus politicae artis monimentum, in *libro de Germania* egregium humanitatis rudimentum nostrarumque legum fundamentum, in *vita Agricolae* splendidum cultissimae virtutis exemplum, ita in *dialogo de oratoribus* optimum literarum documentum, validissimum ingeniorum incitamentum uberrimamque praeceptorum segetem, quibus literae ad meliora promoveantur. Sic in uno Tacito reperimus, quomodo regantur imperia, formentur homines, instituantur leges, alantur virtutes, vigeant literae." *Schulzii* p. VIII. „Profecto non caret Dialogus noster gratiis et illecebris, quae legentium animos mira suavitate afficere valeant. Ea enim est sermonis elegantia et concinnitas, ea orationis ubertas et laetitia, ea in disserendo sollertia, ea argumenti gravitas et doctrina, ut certe haud procul absit ab elaboratissimorum scriptorum virtute. Equidem hunc libellum dignissimum existimaverim, qui a iuventute veteris eloquentiae cupida studiose legatur et in scholis omnibus explicetur. Etenim cum ipsa collocutorum disputatio non abhorret ab adolescentium intentione, tum haud improba libelli moles patitur, ut prima quasi velitatione ad varietatis et coniecturarum crisin invitentur et adhibeantur tironum ingenia." *Orellii*, de quo v. nota 27. *Langii*: (in Dronk. edit. Dialogi p. XXIII.) „Perversa est laudatio eorum, qui dialogum hunc plane Socraticum nominant aut perfecti dialogi exemplar haberi volunt. Multum urbanitatis ei inesse video, artem autem Socraticam plane nullam; neque negari poterit, quartam Iulii Secundi personam loqui vehementer laborare, quod vel finis dialogi docet, Maternum dominationis laudes in exitu praedicantem sibi non satis constare, cuncta denique oratoriae magis declamationis quam familiaris cum facilitate quadam et negligentia profluentis sermonis speciem prae se ferre." *Goeringii* in diss. de dialogi de oratoribus praestantia Lubec. 1829. P. I. p. 5. ubi, quae Langius dixit, ita labefactat: „Socraticum hunc dialogum esse vix quisquam defendet, et de vera et genuina Socratici dialogi vi et natura eo minus disputo, quo longius hic colloquendi et animi sensa eliciendi modus, quem nunc quidem *Socraticum* appellamus, ab eo disserendi genere, quo ipse Socrates utebatur, recedit. De Iulio Secundo, ut eum defendam, quid sentiam, olim in huius diss. P. II. proferam. (Cf. §. XXI.) De Materno plura habeo quae illi sententiae opponam: ante omnia decernatur id, quod ambiguum est, a quibus verbis Materni sub finem dicentis oratio initium ducat. (Cf. ad O. 35. n. 5. et §. XXI extr.) Oratoriae declamationis speciem aliquam libellum prae se ferre non nego; sed quum homines, qui colloquuntur, iurisconsultorum partes sustineant, sub primi p. Chr. n. saeculi finem vivant atque literis et scholasticis exercitationibus, quae tum erant, exculti sint, tantum abest, ut hanc speciem vituperem, ut, si non esset, ab auctore eam similandam fuisse dixerim. Tota enim res ita agitur, ac si sub iudice lis esset; unde leporis et hilaritatis aliquid dialogus traxit. A familiaris sermonis facilitate, quae desideratur, quatenus in scripto dialogo esse debeat, dialogum destitutum esse nego, et negligentiam, si esset, vituperarem."

nostra interest, sollertius examinarunt, neque alii quam *Woltmannus* in Proleg. ad translat. Germ. operum Taciti T. V. p. 257 sq. T. VI. p. 19 sq. *Cromius* in Magazin für öffentl. Schulen und Schullehrer, Bremen 1790. T. I. Fasc. I. p. 37—56. et *Goeringius* in diss. de Dialogi de oratoribus praestantia, Lubec. 1829. P. I. quae ad argumentum eius spectat. Horum commentationes lectu sunt dignissimae; sed aditus ad eas difficilis erit et permultis, praecipue iuventuti scholasticae, praeclusus. Hinc satius esse duxi excerpere potiora, quae illi et praecipue Goeringius animadverterunt, quam silentio ea praetermittere, aut horum virorum scrinia et sapientiam compilare, aut lectores remittere sive ad fontes iis non apertos, sive ad solum *Breviarium*, quod Dialogo praeposui: nam eo quidem pleraque continentur, e quibus tum materia, tum forma huius colloquii elucere possit; sed omissa sunt non pauca et acriori indagine digna.

§. XX. In libris rhetoricis de colloquio virorum doctorum praeter alia, quae trita sunt et vulgaria, praecipitur primum, ut *materies* eius tam in universum quam in singulis partibus non sit futilis et levis, neque ieiuna et arida, neque nimis abstrusa et recondita, a facundia et festivitate aliena, sed gravis et copiosa, sermoni, ingeniis et moribus hominum, qui disputantes inducuntur accommodata et e cuius expositione non minus utilitatis quam voluptatis capi queat; deinde ut *forma* eiusdem argumento et sermoni familiari congruat, ut omnes, qui colloquuntur, si non alta et multiplici, saltem communi eruditione imbuti sint atque ingeniis, moribus et iudiciis dissimiles, ut quisque eorum *iudicium animi citra damnum affectus proferat*, (cap. 27.) h. e. et libere et, ut amicos decet, humane, ita ut neminem offendat et sic amicitiae iacturam faciat, ut ab iis singula iusto quidem ordine non vero mathematicorum vel philosophorum ac rhetorum, sed hominum confabulantium more pertractentur, ut oratio omnium et elocutio sit pura et fluens, venustatis et urbanitatis, leporis et hilaritatis plena, ab initio ad finem sui similis et naturae ingenioque cuiuslibet consentanea, ut denique omnia ita et disserantur et peragantur, ut ea non legere, sed audire et cernere nobi

videamur [31]). Ad quae praecepta si exegeris dialogum nostrum, fateberis profecto, eum egregie ad illa conformatum et acuti ingenii fetum esse. Itaque primum videamus, quinam, deinde de quo et quomodo illi disputaverint; nam utrumque, argumentum et formam colloquii, iungamus, ne eadem saepius inculcanda sint et in primis ea, quae de his iam diximus in *Breviario Dialogi.* Ceterum talis tractatio rei et quaestionis gravioris non minus valet ad eam illustrandam et plus fere ingenii et eruditionis exigit, quam mathematica et philosophica vel rhetorica, licet in his docte et ingeniose lucidoque ordine dubia et obscura et contraria exponantur et argumentis arcte connexis explicentur. Eadem et auctorem scripti, qui suam abscondit sententiam, ab invidia ac rigida censura tutiorem praestat, et animos legentium maiore voluptate afficit. Hinc et illa valde arrisit praestantissimis cultiorum populorum et tam veteris quam recentioris aevi scriptoribus, qui eandem viam ingressi sunt.

IV. Dialogi indoles singulatim et accuratius examinata.

1. Viri docti in dialogo colloquentes.

§. XXI. Quatuor sunt et amici et disertissimi, ut illis temporibus, homines, qui in hoc libello de eloquentia disputantes inducuntur.

Primus est *M. Aper*, natione Gallus, ut Maternus et Secundus, non Britannus, etsi in Britannia aliquamdiu commoratus, (v. ad cap. 7. n. 1.) homo novus, qui Romae ingenio potius et vi naturae quam institutione et literis famam eloquentiae consecutus (cap. 2.) aditus sibi ad senatoriam dignitatem, ad quaesturam, tribunatum plebis et praeturam comparaverat, (cap. 7.) sed acer, vehemens, contentiosus et pervicax nec nisi communi eru-

---

[31]) Cf. Woltmann. l. l. Goering. diss. p. 7. et 10 — 12. Additamenta ad Sulzeri Theoriam bonarum artium in: Neuer Bibliothek der schönen Wissensch. T. XVI. p. 177 sq. Eschenburg: Entwurf einer Theorie u. Lit. der schönen Wissensch. Ber. 1783. p. 243 sq. Erschii et Gruberi Encyclop. scientt. voc. *Dialog.*

ditione imbutus, qui contemnebat potius literas quam
nesciebat, tanquam maiorem industriae glòriam habiturus,
si ingenium eius nullis alienarum artium adminiculis in-
niti videretur. (cap. 2.) Idem forensis tantum eloquen-
tiae studio, quae in causis et foro elucere nititur, non
summae et perfectae, quae non magis exercitatione et
facultate, quam omnium scientiarum et artium cognitione
continetur, (cap. 33. et Cic. de or. 1, 2.) ingenium suum
exercebat et otium consumere malebat more novorum
rhetorum quam oratorum veterum et omnibus numeris
absolutorum, quorum speciem quandam et formam effin-
xit Cicero in libello, qui Orator inscriptus est, et in tri-
bus dialogis de oratore. (v. cap. 14.) Hinc primum elo-
quentiae et quidem forensis praestantiam prae poesi contra
Maternum, deinde recentioris aevi oratores adversus eun-
dem et ceteros amicos, Secundum et Messalam, antiquo-
rum patronos, acrius et intento ore defendit, quia non
re vera aliter sentit, sed contradicendi partes sibi sumpsit
et disputat more tam *scholasticorum* et *rhetorum*, in
quorum scholis suasoriae orationes et themata de rebus
causisque sive veris sive fictis et controversis, sed verisi
milibus, elaborabantur et declamabantur, (quae *scholasti*
cae controversiae et *declamationes*, μελέται et ἐπιδείξεις
dicebantur) quam *Academicorum* philosophorum, qui in
utramque partem disserere et adversari semper omnibu
in disputando solebant quique contendebant, probabil
quidem (εὔλογον) aliquid esse et videri posse, non tame
prorsus verum ac certum, ideoque sapientis esse ἐπέχει
v. cap. 14. 15. 16. 24. 42. ad cap. 14. n. 3. et 4. a
c. 31. n. 7. ad c. 35. n. 1. Ceterum huius Apri et Ma
terni nomina et mores non aliunde nobis nota sunt et for
tasse commenticia. Cf. §. XIV.

Alter colloquentium est *Julius Secundus*, vir dise
tissimus, (cap. 1. 2. et 23.) mirae facundiae et elegan
tiae, sed infinitae curae et anxietatis, cui purus et pressu
et profluens, non tamen promptus sermo fuit. v. a
cap. 2. n. 1. Inde ab Apro et Materno arbiter quide
litis sumitur, (cap. 15.) sed pauca tantum dicit, quae l
guntur cap. 3. 5. 14. 16. Plura tamen intercidisse v
dentur. v. §. XXVI pr. et ad cap. 35. n. 5. Idem u

amicitiae et assiduitate contubernii coniunctissimus fuit Saleio Basso poetae absolutissimo (cap. 5.) et Iulii Asiatici vitam componendo spem hominibus fecerat plurium eiusmodi librorum. (cap. 14.)

Tertius est *Curiatius Maternus*, homo probus atque ad eloquentiam virilem et oratoriam natus (cap. 5. 13. et 23.) liberalioris vividiorisque ingenii, ex oratore poeta, qui doctrina non minus quam ingenio praepollebat et iuvenis causas non sine laude egerat, sed deinde forensis molestiae pertaesus omne otium studiumque non invita Minerva consumebat in poetica arte exercenda et scribendis potissimum tragoediis, (Thyeste, Medea, Catone et Domitio) quarum argumenta ex Graecorum mythis et ex historia Romana deprompserat et in quibus adumbraverat mores et facta improborum hominum et impotentis dominationis cupidorum. Hinc recitatione earum et praecipue Catonis offenderat quidem animos Neronis aliorumque potentium et aulicorum, qui se oblique carpi suspicabantur: sed innocentia sua fretus et patriae amantissimus nihil curabat malignorum iudicia et admonitionem Secundi de periculo παῤῥησίας vitando. (cap. 3. 11. et 13.) Eundem mentis liberius sentientis poenas tandem capite luisse colligitur ex loco Dionis 67, 12. de Domitiano: *Μάτερνον δὲ σοφιστὴν, ὅτι κατὰ τυράννων εἰπέ τι ἀσκῶν, ἀπέκτεινε.* Sed haec verba ad rhetorem potius eiusdem nominis huiusque declamationem referenda, et nomen moresque nostri Materni, ut et Apri, ficta esse videntur. Cf. §. XIV.

Quartus est *Vipstanus Messala*, (non *Vipsanius Messalla*, de quo v. ad Ann. 2, 32, 1. et 11, 23, 1.) vir egregius et claris maioribus, (v. Tac. H. 3, 9.) fortasse filius C. Vipstani cos. a. U. c. 812. (Ann. 14, 1.) orator celeberrimus, summae eruditionis et ingenii praestantissimi; (v. cap. 1. 16. 23.) unde primas in dialogo partes agit cap. 14—35. Hic a. U. c. 822. p. Chr. 69. tribunus praefuit legioni septimae Claudianae et Aponium Saturninum, legatum eius et unum ex Flavianarum partium ducibus, eripuit militibus; solus vero ad bellum inter Vitellium et Vespasianum de imperio gestum artes bonas attulit. (Tac. H. 3, 9. 11. 18.) Idem historiam

huius belli vel temporum suorum scripsit (Tac. H. 3 25. 28.) et a. U. c. 823. p. Chr. 70. magnam pietatis e eloquentiae famam adeptus est, nondum senatoria aetat ausus pro fratre Aquilio Regulo, famoso delatore e omnibus inviso, (de quo v. Plin. ep. 1, 5. 2, 20. 4, 2. 7 6, 2.) deprecari. v. O. 15. et Ann. 4, 42. Eum deind consulem fuisse sub Traiano a. U. c. 868. p. Chr. 115 Ryckius (ad Tac. H. 5, 9.) patere putavit ex antiquis la pidibus apud Gruterum et Reinesium. In his quiden illius anni consules vocantur *L. Vipstanus Messala* e *M. Pedo Vergilianus,* sed in Petavii ration. temp. alii que monimentis *M. Valerius Messala et C. Popiliu Carus Pedo;* et ille *L. Vipstanus Messala,* si vera e nominis scriptura, filius potius nostri Messalae eius cognatus quam idem fuisse videtur.

Quam bene quilibet horum disputantium ab initi colloquii ad finem sustinuerit partes sibi delatas more que suos servaverit, ex §. XXIV. et seqq. cognosceti „Auctor dialogi amicos corruptae eloquentiae causas i vestigantes non solum de minoribus quibusdam partibu quae illi primariae finitimae sunt, dissentientes finxit, s etiam admodum diversis ingeniis moribusque induit suam quemque animi ingeniique formam ubique et s stinentem et reddentem optime et accuratissime depinx (Cf. cap. 1.) Similes quidem in eo sunt, quod mag doctrinae et eruditionis gloria excellunt, vehementi cu omnium literarum tum eloquentiae amore incenduntur iurisconsultorum arti, quam in foro vel exercent vel ex cuerant, eximiae eloquentiae laudem addunt, sed in no nullis rerum, quas quisque defendit, partibus et mu magis in pluribus ingenii facultatibus, animi virtutib et dicendi generibus valde discrepant, et haec discrepa tia per totum libellum optime descripta est et in sing lis quibusque verbis accurate reddita; unde admirabi quaedam varietas exoritur. et iucundissima diversitas Ita Goering. p. 16. 17. Cf. nota 40. Non defuere q dem, qui verba Materni cap. 40. et 41. aliis eiusd cap. 3. non congruere existimarent [32]). Sed hi in scir

[32]) Gutmanni verba in diss. inserta Orellianae editioni dialogi p. 1

quaesiverunt nodum ab aliis iam varie expeditum et omnia ingenio Materni accommodatissima sunt. Cf. nota 40. et Th. Fr. Strodtbecii Progr. *quo ostenditur Maternae personae in dialogo de oratoribus obviae vultus ironicus* Heilbronnae 1831. 4. Hic ingeniose suspicatur, omnia inde a cap. 36. tribuenda esse Materno eumque non serio pleraque dixisse, sed εἰρωνικῶς obtexisse animi sensa et c. 39. singula extenuasse. Idem de verbis *sine servitute* cap. 40, quae multum negotii facessiverunt interpretibus, scite iudicat et ita: „Maternus, disserens perinde ac si in vitio esset vacare servitute, vere illudit adversario, cuius sermonem imitatur, quippe quem servile suum ingenium cum ridicula quadam pinguetudine effantem inducit."

§. XXII. Materia sermonum sive argumentum libelli varie et definitur a viris doctis et in inscriptionibus designatur. Harum antiquissimae sunt in MSS. Vatic. et Farnes. *dialogus de oratoribus* et in ed. Spir. et Micyll. *dialogus de oratoribus claris;* sed utraque repudianda est, quoniam non omnes paene omnium aetatum oratores et Graeci et Romani, ut a Cicerone in libro de claris oratoribus, cui ille titulum *Bruti* dedit, sed pauci tantum nec nisi cap. 15 — 25. neque alio consilio percensentur, quam ut doceatur, hos neutiquam a vitiis immunes fuisse. Magis quadrat inscriptio in MS. Vindobonensi sive Sambuci *dialogus de oratoribus suis* (fortasse

---

sunt haec: „Maternum non satis sibi constare iam monuit Langius. Ille nimirum cap. 40. in hunc modum loquitur: *Magna illa et notabilis eloquentia alumna licentiae, quam stulti libertatem vocant, comes seditionum, effrenati populi incitamentum, sine obsequio, sine servitute, contumax, temeraria, arrogans, quae in bene constitutis civitatibus non oritur.* Quo modo hic sermo convenit Materno, qui fama ferebatur potentiorum aures liberius loquendo offendisse (c. 2.) et tamen securitatem suam non curans respondet c. 3. *Leges quid Maternus sibi debuerit et agnosces quae audisti: quodsi qua omisit Cato, sequenti recitatione Thyestes dicet!* Facile quidem hic nodus praecideretur, si cum Woltmanno contendas, sermonem illum non esse Materni, sed Messalae, initio cap. 42. legendum esse *Finierat Messala. Tum Maternus*, verba quoque *poetis* et *antiquariis* transponenda esse. Sed neque Messalae illa oratio c. 40. et 41. convenire videtur, quum Aper c. 15 dicat: *Non desinis, Messala, vetera tantum et antiqua mirari, nostrorum autem temporum studia irridere atque contemnere.* Alia autem ille orator sentit, alia loquitur: accusat arrogantiam et temeritatem aetatis antiquae, laudat moderationem et quietem suae aetatis. Itaque Woltmanni arbitraria verborum mutatio nodum non expedit."

sui s. h. e. *sui saeculi) et antiquis comparatis.* Alia est Puteolani recepta a Ber. Riv. Rhen. Iunt. et Aldo: *Taciti dialogus, an sui saeculi oratores antiquioribus et quare concedant:* (in Salutatione editioni Puteol. praemissa *de genere eloquentiae non corruptae*) novissimae autem sunt Lipsianae et quidem in primis editionibus *incerti scriptoris dialogus de oratoribus sui temporis*, in posterioribus, ut in recentioribus Gronoviorum aliorumque *dialogus de causis corruptae eloquentiae.* Quod ad has attinet, iudició Goeringii secunda Lípsii parum idonea et apta est, aptior illa Puteolani, aptissima vero haec: *causae, cur recentioris temporis oratores a veteribus recesserint,* seu *causae, cur oratores non amplius ii sint qui fuerint* [33]). Mihi tamen tum posterior Lipsii,

[33]) Sententia Goeringii, quae etiam Cromio haud improbabilis visa, his verbis declaratur p. 9: „Inscriptio illa *de causis corruptae eloquentiae* iudicii, quod libri auctor liberum et ab omni opinione praecepta alienum servari vult, integritatem tollit et abripit. Profitetur quidem libri auctor cap. 1. se *quaestioni, cur sua aetas deserta et laude eloquentiae orbata vix nomen ipsum oratoris retineat,* responsurum esse; sed id ipsum nos non movet, ut eum corruptae ipsius eloquentiae causas expositurum esse exspectemus. Praeterea qui colloquentes inducuntur viri lenioribus verbis utuntur; tam provide et circumspecte agunt, ut, quum non desit qui diversam quoque partem suscipiat et recentiorum temporum eloquentiam antiquorum ingeniis anteferat, (cap. 1. et 16 — 24.) non simpliciter quaerant, cur corrupta sit eloquentia, sed explorent, quae sint *infinitae* illius inter antiqua et recentiora tempora *differentiae* causae, si de eloquentiae laude disputetur, (c. 15.) item *cur in tantum ab* antiquorum *eloquentia recesserint* recentiores. (c. 24. 27.) Sunt quidem loci, ubi Maternus et Messala disertiores fuisse antiquos et degenerasse eloquentiam dicant atque se sui temporis eloquentiam minus quam eam, quae olim floruerit, perfectam habere profiteantur. (c. 14. 15. 16. 24. 27. 28.) Sed quum Aper id ipsum negare videatur, quum non de interna eloquentiae vi et natura sermo fiat, sed cur recentior eloquentia orbata sit gloria (c. 1. 28.) et pristini temporis oratores eminentiores fuerint quaeratur (c. 25. 27.) atque Maternus petat, ut causae reddantur, cur recentiores ab antiquorum eloquentia recesserint, (c. 24.) neque vero cur ipsa eloquentia corrupta et in peius mutata sit, vix quisquam obtinebit, verba illa *de causis corruptae eloquentiae* libri argumento satis idonea esse et apta. (?) Neque tamen hoc ita accipiendum est, ut, quae diversis temporibus diversae fuerint immutatae eloquentiae causae, eae ad rerum eventum et seriem historico quasi modo, qui procedentis temporis decursum per gradus sequatur, enumerentur et singulatim, quam unaquaeque causa eo quo orta sit tempore habuerit vim, exponatur. Nam quod a Messala dictum legitur c. 27. *ut appareat, quibus gradibus fracta sit et deminuta eloquentia,* postea negligitur et ad communes causas universum enumerandas sermo reflectitur. [Cur id factum sit, v. in XXV extr.] De ea tantum totius rei conditione, quae eo tempore era

tum Puteolani inscriptio ad argumentum dialogi, si non universum, cui aptior erit nostra, (de qua v. §. XXIII.) saltem praecipuum, paucis verbis exprimendum accommodatior videtur quam hae Goeringii, quae et ambiguae sunt et minus congruae, si ita ut ille vult capiuntur, ut non deterior, sed diversa tantum recentioris eloquentiae indoles significetur, et non corruptae, sed immutatae eloquentiae causae in dialogo exponantur: quae sententia rationibus ab eo prolatis labefactatur potius et refellitur, quam firmatur, et ab argumento totius dialogi consilioque scriptoris aliena est. Nam Messala optat quidem cap. 15. ut amici *causas huius infinitae differentiae scrutentur ac reddant*, et Maternus exhortatur Messalam c. 24. ut *causas* expromat, *cur in tantum ab eloquentia veterum oratorum recesserimus:* sed *recedere* est h. l. idem quod c. 27. *degenerare*, c. 28. *desciscere*, c. 24. *longe abesse*, ut alibi *declinare*, *deflectere*; et *infinita differentia* ad praestantiam internae indolis est referenda. Itaque haec non alio sensu dicta quam cap. 27. *cur non minus degeneraverimus ab eloquentia quam a libertate antiqua*, c. 28. *cur eloquentia desciverit ab ista vetere gloria*, c. 25. et 27. *cur eloquentia illorum temporum eminentior* et *antiqui oratores disertiores fuerint*, c. 27 pr. *quibus gradibus fracta sit et deminuta eloquentia.* Hoc vero primarium dialogi argumentum esse iam e primis eius verbis et e cap. 24 — 42. elucet: nam Fabius Iustus ex illius auctore *saepe requisiverat, cur, quum priora saecula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque effloruerint, nostra potissimum aetas deserta et laude eloquentiae orbata vix nomen ipsum oratoris retineat; neque enim ita appellandos nisi antiquos, horum autem temporum disertos causidicos et advocatos et patronos (et rhetores) et quidvis potius quam oratores vocandos esse:* Is autem *tali percon-*

---

quo dialogus habitus esse fingitur, pluribus disseritur eaeque duntaxat immutatae eloquentiae causae, quae tum invaluerant, perquiruntur. Ea omnia, quae ab historia repetita sunt, non ideo scripta sunt, ut, quomodo procedente tempore sensim sensimque eloquentiae forma per gradus quasi corrupta sit, cognoscamus, sed ut pristinam eloquentiam non gravis ex parte perfectam, sed naevis quibusdam maculisque conspersam fuisse intelligamus"

tationi se responsurum profitetur in hoc libello, et pro misso suo satisfecit cap. 24 — 42. quibus causae huiu rei et corruptae eloquentiae exponuntur neque ostenditur cur eloquentia veteris et huius aetatis diversa, sed cu illa eminentior fuerit et haec a vetere gloria desciveri v. cap. 28. De *differentia* enim antiquae et recentiori eloquentiae eiusque causis unice disputat Aper cap. 16 – 24. et quidem ita eoque consilio ut cognoscatur, horun temporum eloquentiam dissimilem quidem antiquae e diversam esse, non vero deteriorem sed illi anteferen dam, (cap. 18.) et veteres oratores neutiquam immune fuisse a vitiis, recentiores non dignos esse qui a Messal contemnantur et irrideantur. (c. 15.) Ceteri amici, Ma ternus, Secundus et Messala ubivis praedicant eminenti rem veterum temporum eloquentiam tanquam non du biam et quae defensionis haud indigeat. c. 14. 15. 1 24. 27. 28. Eam quoque defendit Messala c. 25. 2 adversus Aprum, qui solus more suo contradicit (§. XXI.) et c. 16 — 24. *differentiam* oratorum veteru et recentiorum concedit, non *excellentiam* illorum. C §. XXV. Idem Aper obmutescit inde a cap. 24. et ip una cum Materno et Secundo urget Messalam c. 33. non unam sed plures causas expromat, cur eloquentia ceterae artes desciverint a vetere gloria. — Quam ve haec sint, patebit ex §. XXV.

§. XXIII. In dialogo nostro ab initio ad finem viris disertissimis disputatur de eloquentia, de ea arte re, quae tum dignitate et gravitate, tum pulchritudine elegantia, tum ubertate et varietate quam maxime co mendatur et animos lectorum allicit [34]). Tres aute

---

[34]) „Vix quisquam de eloquentiae dignitate et gravitate unquam d bitavit. Meminerimus autem, quanta vi illa apud Graecos Romanosq in iudiciis dominata sit, in consultationibus regnaverit, in magnor virorum laudibus celebrandis valuerit, denique quanto studio a Roman quod ad universam civitatis disciplinam constituendam et ad civium a mos in administratione publicarum rerum regendos plurimum fece tractata sit et exculta. Quae quum nobis obversentur, quo altius e assurrexisse et praevaluisse scimus, eo magis miramur, quod eam br delapsam et neglectam iacuisse ipsi Romani querantur, eoque magis g demus, quod, quae huius conversionis fuerint causae, eae ab ipsis Ro nis civibus, qui priorum temporum gloriam iamiam interituram dep rent, expositae nobis tradantur. Accedit quod, quo maiore studio ve

eius partes sunt, et in prima (c. 4 — 14.) disquiritur, utra ars sit praestantior, oratoria et potissimum forensis an poetica, in altera (c. 14 — 27.) utrum ars oratoria apud Romanos desciverit a vetere gloria, in tertia, (c. 27 — 42.) quaenam huius rei causae sint: unde libellum inscripsi *dialogum de arte oratoria*. Quae praemissa sunt c. 1 — 4. ad prooemium totius libelli spectant.

3. *Prima dialogi pars.*

§. XXIV. Prima pars et exordium colloquii cap. 4 — 14. in quo disceptatur, *utra ars, oratoria an poetica, praestet*, et hae comparantur, apprime respondet tum iis, quae generatim de omnium librorum et singulatim de orationum et talium dialogorum prooemiis prae-

---

ribus de huius facultatis gloria, quam e recentioribus vix singuli adepti sunt, invidemus, eo vehementiore favore et sollicitudine, quae eam et auxerint et imminuerint, percipiamus. — Praeterea in toto dialogo legendo in ea arte consideranda versamur, quae inter omnes, in quibus de pulchritudine et venustate praecipitur, satis eminet et excellit. Quod ut permultum facit ad mentem nostram alliciendam, ita laeta nos erigit spe ut, quum in tali re versemur, eiusmodi verba legamus, quae ab hac pulchritudine nitidum quendam colorem traxerint. Nam ut pulchritudinem rerum claritas orationis illuminat, ita orationem natura rerum mutat et fingit, et ut de magnis elate, de parvis tenuiter dicimus rebusque aliis aliud dicendi genus congruit, ita vel nobis invitis e diversa rerum natura diversum orationis genus exoritur et succus quidam atque color, qui e rerum vi et ratione effluit, per omnes orationis partes aequabiliter diffunditur. Quum igitur de eloquentia disseritur, qua in arte satis multa ad id quod pulchrum est et decorum referuntur, ad omnia urbanitatis et facetiarum genera, quae facunde disserentibus et lepide iocantibus in promptu esse possunt, facilis aditus aperitur. — Quo in genere non est quod timeamus, ne forte spinosis et infinitis verborum concertationibus a suavi delectationis, qua in legendo frui cupimus, usu arceamur. Nam in dialogo non id agitur, ut reconditae et abstrusae rhetoricae artis partes et praecepta subtiliter tradantur, sed ut rei ab historia repetitae et mutationis alicuius e rerum temporumque serie profectae causae colligantur collectaeque describantur. Inde fit, ut duarum illarum disciplinarum, quae eruditissimos quosque maxime solent delectare, historiae quidem et philosophiae, fontes adeundi sint. Historia, quae eloquentium hominum artisque ab iis expolitae conditio fuerit et quibus conversionibus artis usus turbatus sit, nobis ostendit atque ad causas, quibus eloquentia depravata sit, cognoscendas nos deducit. Philosophia res ab historia traditas et segregat et connectit, illarum conversionum vim exquirit, et has causas ordine disponit, ut alia alius vim et auctoritatem firmet. — Ex eodem fonte, e quo haec deduximus, largissima maximarum et suavissimarum rerum, quas in dialogo expositas habemus, ubertas et varietas effluunt.“ *Goering*.

cipiuntur [35]), tum dialogo nostro, in quo ab initio a
finem de eloquentia sermo est et homines, ut illis tem
poribus, disertissimi et tam omnium literarum, quai
poesis, eloquentiae et iurisprudentiae peritissimi conve
nisse finguntur, tum denique ingenio moribusque Apri e
Materni, quorum alter eloquentiae, saltem forensis, alte
et oratoriae et poeticae artis gnarus, sed nunc huic unic
deditus erat, uterque autem tam singulari amore studii su
captus, ut totum paene animum omnesque curas in illu
defigeret; unde et saepius de illa quaestione inter se con
certaverant. Itaque ab eadem disceptatione, utra ars si
praestantior, oratoria an poetica, scite ducitur initiun
colloquii et quidem aptissime hoc modo c. 3. et 4.

Aper et *Iulius Secundus* intrant cubiculum *Matern*
amici, quem deprehendunt sedentem et quam pridi
recitaverat tragoediam, Catonem, in manibus habenten
Tum *Secundus:* Quo consilio, inquit, legis hanc fabu
lam? Fortasse, quod et ipse tibi suaserim, ut, antequar
vulgetur, deleantur vel immutentur loca, quorum recita
tione heri potentium animos offendisti. *Ille* contra: Im
mo id abhorreret a moribus meis: non enim curo iudici
malignorum et plura huius generis expromere decrevi i
alia tragoedia, cui absoluta prioris retractatione omn
tempus impensurus sum. Hinc *Aper:* Neutiquam prob
verim consilium tuum, quod ab arte oratoria, quae mult
utilior est, ad poeticam unice animum studiumque tuu
convertisti. (cap. 3.) Tum *Maternus:* Iam frequens in
ter nos contentio fuit, cuinam harum artium principatu
dignitatis esset concedendus, et laetor, optimum nur
arbitrum litis adesse, Iulium Secundum nostrum. (cap. 4
At hic: Sentio, ait, quam honorifica sit mihi haec sen
tentia tua et provocatio; deprecanda tamen est, quia Ap

---

[35]) Quae iam declaravit *Goeringius* p. 20. his verbis: „Naturae
disputantium amicorum rationibus accommodatum sit prooemium; re
per se satis gravem, si non perquirat, tamen ita tangat et degustet,
totius operis legendi amor et studium excitentur; eius argumentum i
eligatur, ut cum re, in qua controversia erit, arcte cohaereat; legent
ad ea, quae sequentur, mente percipienda bene praeparet et sensim d
ducat iisdemque multa praebeat, e quibus statim ab initio eorum, q
collocuturi sint, mores et ingenia, si non accurate cognoscant, tam
suspicentur et cogitatione praesumant; nec brevius sit, quam totius se
monis spatium exigit, nec longius.“

videri possim iudex alterius partis studiosior: nostis enim, mihi familiarissimum esse et contubernalem Saleium Bassum, poetam absolutissimum eundemque pauperrimum. (c. 5.)

„Bene haec dicta et ad characteres cuiuslibet accommodate; apte ab Apro, comiter a Materno et officiose; facete et urbane a Secundo, nec sine multo lepore ac humanitate. Actionis autem et colloquii iam videmus antecessionem et progressionem, aptas illas ex personarum velut dramatis characteribus, sensibus, affectionibus, temporibus; nec minus eleganter inductam quaestionem illam atque disceptationem, ars utra praestet, oratoria an poetica.“ *Cromius.*

Sequitur iam cap. 5—11. oratio *Apri*, qui contendit, longe maiorem esse artis oratoriae quam poeticae tum voluptatem, et quidem non modo vulgarem et imperitorum quoque oculis expositam, sed etiam secretiorem et tantum ipsis oratoribus notam, (c. 6.) tum utilitatem ac dignitatem. Cf. Breviarium dialogi. Bene agit partes suas, sed male cap. 5. et 8. provocat ad exempla Eprii Marcelli et Vibii Crispi. (v. nota 37.) Id vero ipsum non abhorret a moribus hominis, multo minus oratio paulo acrior et vehementior; quae tamen insigni arte et urbanitate mitigatur concedendo iis, qui causas agere nequeant, ut faciant versus, non Materno, qui ad eloquentiam virilem et oratoriam natus sit, ut summa adepturus in levioribus subsistat. v. cap. 5. 10. et cf. §. XXI. et XXV.

Apri sermonem excipit c. 11. 12. 13. oratio remissior et dulcior, elegantiae et urbanitatis plena *Materni*, viri doctrina non minus quam ingenio praepollentis et utriusque artis, oratoriae et poeticae, peritissimi, qui maiorem huius praestantiam et voluptatem miris laudibus et instar vatis ab ipsis Musis inspirati praedicat nec *de arte* tantum, (quod iam Cromius annotavit) sed *ex arte* etiam loquitur. Cf. Breviarium dialogi.

4. *Altera dialogi pars.*

§. XXV. In eo colloquium a re breviter tractata ad aliam sed illi similem et cognatam deflectit, a com-

paratione eloquentiae et poesis ad comparationem eloquentiae veteris et recentioris, vel a quaestione, *utra ars, oratoria an poetica, sit praestantior* ad illam, *utrum praestantiores sint oratores antiqui an recentiores.* c. 14—27. Qui transitus per se facilis et idoneus ingeniose contexitur et acceleratur interventu quarti amici, *Vipstani Messalae* [36]), et quidem talis viri: nam et hic ingenio non minus quam eruditione excellebat, et Apro frequens iam de hac quaestione cum Messala, ut de illa cum Materno concertatio fuerat vel fuisse fingitur. cf. §. XIV. et XXI. Eidem transitioni locum dant verba huius Messalae cap. 14. et mores colloquentium.

Messala cubiculum Materni ingressus suspicatusque ex ipsa intentione trium amicorum, Apri, Materni et Secundi, altiorem inter eos esse sermonem: Num parum tempestivus, inquit, interveni secretum consilium et causae alicuius meditationem tractantibus? *Secundus* respondet: Minime, minime; atque adeo vellem maturius inter-

---

36) „Erectum iam videmus denuo Dialogum accessu quartae personae, nec opinato illo, sed, ut fit, casu facto et pro familiaritate et consuetudine amicorum. Mira itaque quaedam inest suavitas in eo, quod non ab initio statim omnes adsunt colloquii personae, sed nunc demum intervenit et accedit is, cui vel praecipuas destinaverat noster disputationis illius partes. Hinc in dialogo nostro, ut in dramate, *non quarta loqui persona laborat*, Horat. A. P. v. 192.“ *Crome* p. 51. 52. „Transitum et decursum, quamvis per se ob rerum similitudinem acceleretur, auctor dialogi mirifice eo adiuvit, quod intervenit Messala, qui amicos a re breviter exposita ad finitimam et propinquam fusius explicandam deflectit. Sic enim in vitae quotidianae sermonibus fieri solet; interveniente et disputationem interpellante amico sermonis filum si non discinditur, tamen paulo aliter atque antea factum erat nectitur. Sed hoc vinculum, quod rerum similitudine iungitur, eo aptius constringitur, quod Aper et Maternus, quum suam quisque artem, quam vehementi amore complectitur, laudet, copiosissimum habeant locum, in quo detegant, quibus moribus studiisque ornati sint. Suam enim quisque et ingenii et animi formam, quum suae artis, cuius utilitatem et voluptatem mirifice effert, amore et studio abripiatur, ita patefacit, ut, qualis quisque sit, quas partes in reliquis dialogi partibus secuturus et quo dicendi genere postea usurus sit, non amplius dubitemus. Itaque, quum quartus amicus interveniat Messala, priorum illorum, Apri, Materni et Secundi, mores ita habemus perspectos, ut intentior quaedam cogitatio ad hunc, qui accedit, Messalam convertatur. Nam quod hic eo ipso, quo advenire fingitur, tempore intercedit, id non modo rei consentaneum est, sed etiam prohibet, quo minus prooemium ultra iustum et reliquis dialogi partibus idoneum spatium producatur: de quo tamen certi quid statui non potest, quum quanta dialogi pars perierit ignoremus.“ *Goeringius* p. 21. 22.

venisses: delectasset enim te et Apri accuratissimus sermo, quo Maternum, ut a commercio, quod nunc haberet cum Musis, ad studium artis oratoriae cum laude olim exercitae rediret, exhortatus est, et Materni pro carminibus suis laeta utque poetas defendi decebat audentior et poetarum quam oratorum similior oratio. Me vero, ait ille, et sermo ipse infinita voluptate affecisset, quippe qui non minus vobis, Materne et Secunde, congruit, qui non forensibus tantum negotiis, sed etiam poeticae et historiae studio ingenia vestra exercetis, quam tibi, Aper, qui otium tuum mavis *novorum rhetorum* more quam *veterum oratorum* consumere. cap. 14.

Hisce verbis irritatus Aper: (c. 15.) Non desinis, inquit, Messala, *vetera tantum admirari, nostrorum autem temporum studia contemnere atque irridere.* Quin immemor tuae et Aquilii Reguli fratris tui eloquentiae contendisti aliquando, *neminem hoc tempore oratorem esse,* (ut cap. 1. *neque enim ita appellemus nisi antiquos: horum autem temporum diserti causidici et advocati et patroni et quidvis potius quam oratores vocandi*) atque id eo, credo, audacius, quod malignitatis (maligni in hoc tempus eiusque oratores animi) opinionem non verebaris, quum eam gloriam, quam tibi alii concedunt, ipse tibi denegares [37]. *Messala:* (c. 15.) Neque illius sententiae nunc me poenitet, neque aut Secundum aut Maternum aut te ipsum, Aper, quanquam interdum (comiter pro *plerumque* vel potius *semper*) in contrarium disputes, aliter sentire credo. At velim aliquis vestrum scrutetur ac reddat *causas huius infinitae differentiae* et cur a Cicerone aut Asinio Pollione *longissime absint* celeberrimi huius aevi oratores, ut Domitius Afer, Iulius Africanus aut vos ipsi, multo

---

[37]) Humaniter hoc dictum; sed illa Reguli mentio non aliena videri possit a *malignitate* et amaritudine: nam hic erat omnium bipedum nequissimus et famosus delator. v. ad H. 4, 42. et Plin. ep. 1, 5. 7. 2, 20. 4. 2. 6, 2. Idem tamen Aper impense etiam laudaverat c. 5. et 8. Eprii Marcelli et Vibii Crispi, pessimorum hominum et accusatorum, eloquentiam, quae a Materno c. 12. recte dicitur *lucrosa et sanguinans,* cuius *usus et recens sit et malis moribus natus et in locum teli repertus:* nam illi non utebantur arte sua dicendi, ut innoxiis opem ferrent et praesidium, sed ut metum iis et terrorem, periculum et perniciem pararent et lucrum inde facerent. Cf. c. 13. et Ind. I.

magis vero ab illorum eloquentia *recesserit* (desciverit et in peius mutata sit) haec nostrorum rhetorum et scholasticorum, quemadmodum etiam apud Graecos ab Aeschine et Demosthene seriori aevo, quo valde corrupta est eloquentia, immensum quantum recesserunt Sacerdos Nicetes aliique rhetores Ephesii vel Mytilenaei, qui abstrusas sententias et alte sonantia verba aucupabantur. *Secundus:* (c. 16. et urbanissime) Sed quis iustius id explicabit quam tu ipse, ad cuius summam eruditionem et ingenium praestantissimum cura quoque et meditatio accessit? *Messala:* Aperiam cogitationes meas, si istud a vobis ante impetravero, ut vos quoque sermonem hunc meum adiuvetis. *Maternus:* Pro duobus promitto; nam et ego et Secundus exsequemur partes, quas intellexerimus te non tam omisisse quam nobis reliquisse. (Lepide haec dicta.) Aper autem dissentire solet, ut tu paulo ante dixisti, et iam satis manifesto significavit, se prius tibi contradicturum esse nec aequo animo perlaturum hanc nostram *pro antiquorum laude* concordiam. c. 16.

Tum *Aper:* Utique non patiar, inauditum et indefensum a vobis *damnari saeculum nostrum* i. e. huius aevi oratores.

Iam suscipit Aper patrocinium eloquentiae recentioris in oratione prolixa cap. 16—24. in qua contendit hanc quidem antiquae dissimilem esse et *diversam* propter temporum, ingeniorum, iudicii, sensuum et aurium diversitatem, non vero deteriorem, (non enim statim deterius esse quod diversum sit, vitio autem malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio esse, c. 18.) et scripta veterum oratorum vitiis scatere. Haec oratio paulo acrior est et vehementior quam prior eiusdem Apri de principatu dignitatis arti oratoriae non poeticae concedendo c. 5—11. sed cum insigni urbanitate concluditur c. 23. v. Breviarium dialogi.

De huius orationis indole diversissima sunt et plane contraria Goeringii et Gutmanni iudicia [38]), neutrum ve-

---

[38]) Sententia *Goeringii* (p. 18. 19.) est haec: „In Apri oratione quiritur, quid inter utriusque aevi oratores intersit. (Cf. §. XXII.) vero quis ieiunam et nudam singularum rerum, in quibus ab antiquibus oratoribus recentiores discesserint, enumerationem exspectaret, ve-

ei satis accommodatum videtur. Aper omnino partes suas egregie egit et prudentissime. Bene animadvertit,

---

menter deciperetur; sed idem, nisi fallor, ab elegantiae et pulchritudinis ratione aberraret. Nec fieri poterat, ut dissimilitudinis, quae inter utriusque aetatis oratores intercedit, singulae partes minutatim et membratim recenserentur. Sunt enim in eiusmodi re permulta, quae elegantiae sensui et iudicio, quae in diversis hominibus diversissima sunt, relinquenda videantur; praeterea oratorum alius alia virtute excellit et inter seriores haud pauci prioribus illis, si non omnibus laudibus dicendique generibus, tamen multis iisque dissimilibus aequiparant. Neque id voluit auctor, ut qui aetate posteriores essent contemnerentur, superiores laudarentur, sed ut causae, cur ab his illi recesserint, investigarentur. Quam ob rem Aper, cui hoc munus, ut quomodo aetates differrent exquireret, commode impositum erat, rectissime rem ita vertit, ut quam vaga et ambigua sit rei, quae ad literarum studia referatur, definitio aliqua, quae a temporis et annorum ordine desumatur, luculenter ostendat. Totum eloquentiae habitum et vultum animo complectendum et considerandum esse affirmat atque quaerendum, isne mutatus sit? nec fieri posse, ut haec mutatio, si quando rem converterit, ab uno homine et anno profecta dicatur. Intelligit igitur de eloquentiae vultu disserens totum dicendi genus, eloquentiae quasi colorem diversamque disserendi speciem et effigiem. Hunc autem colorem omnino mutatum esse concedit; sed quum plura sint eloquentiae genera, quae cum temporum conditione et vicissitudine mutentur, aliud alii simpliciter praeferendum esse negat. Pendet enim haec mutatio atque ipse honor, qui eloquentiae generi alicui habetur, e communi et universa uniuscuiusque aetatis cultura et ex diverso hominum sensu, quibuscum rebus eloquentia debet congruere et e quibus secundum earum diversitatem ipsa eloquentia dissimilem trahit colorem. Nec adeo ieiunam et pauperem natura eloquentiam fecit, ut una de re bene dici nisi uno genere non possit, quo praeclusa nobis a prioribus via sit. — Qui locus ne vel rerum obscuritate aliqua vel orationis exilitate laboret, multis exemplis ita distinguitur et illustratur, ut et praeclarissimi prioris temporis oratores recenseantur, et quae in iis vituperanda sint exponantur. Quo fit, ut, dum veteres illi enumerentur, simul singulae partes nominentur, in quibus posteriores a superioribus maxime recesserint, atque uberrima rerum et exemplorum copia nobis proponatur. Nam qui sermonem ab Apro habitum diligenter perlegerit, ea ipsa, in quibus posterioris aetatis eloquentia a superiore discesserit, exposita esse intelliget. Postulat enim serior aetas ampliorem doctrinam et eruditionem, subtiliorem artem, quae orationes ad disciplinae rationem revocat ex eaque componit, magis ornatam et limatam elocutionem, magis splendidum et quasi poetico colore tinctum descriptionum nitorem, largiorem sententiarum ubertatem et copiam et maiorem dicendi brevitatem ad gravissimas cuiusque causae partes illustrandas sufficientem nec a re, quae in controversia est, aliorsum aberrantem. Hoc modo Aper omnino et suas partes et dialogi munera sustinuisse censendus est; quid quod ita iis satisfacit, ut rerum copiam admiremur, exemplorum multitudine et iudiciorum de priscis oratoribus latorum subtilitate delectemur nec in tanta et rerum et exemplorum varietate ullo taedio afficiamur. Neque omittendum est, huius rei exponendae munus ipsi Apro nec alii cuiquam optime mandatum esse. Ceteri enim amici haud ambigue a *veterum* oratorum partibus se stare significaverant. Erat igitur, quum non id ageretur, ut utrius ae-

cum conditione temporum ac diversitate iudiciorum, sen suum et aurium mutari genera dicendi; sapienter autem omisit inquirere, utrum gustus iudiciumque hominum in melius an in peius sit mutatum et eloquentia inde pulchriorem traxerit colorem an potius foediorem, quod Messala docet c. 26. Ita et recte ac scite notavit viti veterum oratorum; sed plane silentio praetermisit long plura et maiora recentiorum, quin ne hos quidem nominavit, et quidem callide, ne iis comparari possent et singulis ab eo incusatis singuli pluresve opponi; quod itidem monuit Messala c. 26. Malam enim agebat causam non modo rhetorum huius aevi, sed etiam pessimorum hominum, quales iam imprudenter in scenam et aciem produxerat et miris celebraverat laudibus, Eprii Marcelli Vibii Crispi et Aquilii Reguli. (v. nota 37.) Idem long sermoni plura immiscuit, quae vel nimis arguta et languida, vel ad persuadendum parum apta, ne dicam futilia videri possint et absurda; quo praecipue referenda quae cap. 16. 17. de quaestione, quinam oratores *antiqui* sint vocandi, ac *de magno et vero anno*, cap. 17. 19. 21 de malis oratoribus, qui veteribus sint annumerandi, copiose disseruntur. Verum nec haec nobis taedio erunt si meminerimus, pugnacem hunc hominem et pertinacem disputare more rhetorum vel scholasticorum et Academicorum, qui in utramque partem disserere et adversari semper omnibus solebant atque in fervore dicendi saepe ad argutias ineptiasque delabebantur. v. §. XXI.

---

tatis eloquentia praestaret decerneretur, cur vituperationis a recentioribus oratoribus ad veteres transferendae locus concederetur. N hos quidem a criminibus et vitiis puros fuisse copiosius demonstrandum erat, ne, si eorum praestantia simpliciter concederetur, ipsa pristini temporis eloquentia laudis aliquid inde traheret et disputantes ami studio aliquo et amore deciperentur." — *Gutmanni* iudicium in dis quam Orellius suae dialogi editioni inseruit p. 106. est hoc: „Quae ca 16. et 17. copiose dicuntur ab Apro interrogante, quinam *antiqui* vocandi sint; quae deinde disputantur de *magno et vero anno* plus duodecim millia annorum, nescio quare, complectente; item quod contenditur oratorem ante unum saeculum mortuum non inter antiquos numerandum esse, quia senex plus centum annorum illum aeque ac tunc viventes audire potuisset, quasi coram puerulis infantibus et senibus decrepitis orationes haberentur, — haec omnia inepti et inconcinni aliquid prae ferunt. Neque de vocabulo pugna erat, quinam antiqui sive veteres appellandi essent. Id agebatur, an saeculo proximo superiore (v. cap. 25 corrupta sit eloquentia et quare."

Quae quum Aper dixisset, Magno, inquit *Maternus*, non solum ingenio ac spiritu, sed etiam eruditione et arte antiquos incessivit oratores et recentiores defendit Aper noster. Age tamen, Messala, exprome nobis quod promisisti, non laudationem antiquorum, — satis enim istos fama sua laudat et Aper ne ipse quidem ita sentit — sed *causas, cur in tantum ab eloquentia eorum recesserimus* sive declinaverimus. c. 24. Tum *Messala:* Faciam quod exigis, si prius Apro pauca opposuero.

Haec Messalae oratio cap. 25. 26. brevis est, sed scita, qua bene refutantur quae Aper dixerat. v. Breviarium dialogi. Idem Messala in animo habuerat plura adiicere et potissimum nominare oratores huius saeculi, (quod Aper omiserat) quo facilius propositis exemplis et oppositis appareret, *quibus gradibus fracta esset et deminuta eloquentia.* Sed sermo eius (nollem factum) interrumpitur a Materno his verbis: Appropera potius exsolvere promissum: neque enim hoc comprobari desideramus, *disertiores esse antiquos,* quod apud me equidem in professo est, sed *causas* huius rei exquirimus, quas te solitum tractare paulo ante dixisti.

Tum *Messala:* Non sum offensus Apri mei disputatione, nec vos offendi decebit iis, quae dixi ut amicus inter amicos. *Maternus:* Perge et, quum de antiquis loquaris, utere antiqua libertate dicendi.

5. *Tertia dialogi pars.*

§. XXVI. Iam transit *Messala* ad primarium dialogi argumentum, ad causas, cur eloquentia corrupta sit et desciverit a vetere gloria. Duas autem affert et quidem *internas,* quarum altera est depravata liberorum educatio cap. 28—33. altera exercitationum mutatio cap. 33 — 36. v. Breviarium dialogi [39]).

39) De causis tam *internis* a Messala allatis c. 28—36. quam *externis* a Secundo et Materno vel a solo Materno c. 36—42. annexis Goeringius p. 15 — 17. ita disputat: „Libelli scriptorem has causas enumerantem ab ea initium duxisse apparet, a qua, si pueri ad eloquentiam informandi essent, iniunctum munus susciperet. Primum de parentum, quorum sollicitudini puer mandatus est, cura loquitur; deinde ad scholarum studia recensenda accedit; tum ea omnia, quae, si publicae vitae lux affulget et apud iudices dicendum est, ad eloquentiae usum moderandum aliquam

Hisce causis *internis* Secundus et Maternus, qui promiserant, se executuros esse partes a Messala omissas, (c. 16.) adiungunt *externas* cap. 36—42. de quibus v. idem Breviarium dialogi. Sed interciderunt cap. 35. extrema Messalae verba et prima vel Secundi et Materni, vel Materni tantum. Cf. p. LXXXI. et ad cap. 35. n. 5. et Doederl. in

---

habent vim, persequitur. Quum itaque a prima puerilis aetatis parte rem repetiverit puerumque, donec causas ageret, deduxerit, in uberrima materia, quae educationis et eruditionis est, pertractanda versatur: qua in re, ut etiam in singulis querelis, quae de puerorum educatione tum depravata apud nostrum leguntur, magna inter eum et Quintilianum, qui suum opus aggrediens ab eadem re praeceptorum initium duxit in instit. or. 1, 1. 2., similitudo intercedit. Primo enim loco, quae privatae et domesticae educationis ratio apud Romanos fuerit, describitur cap. 28—33. Res ita explicatur, ut simul haud pauca de communi et quotidiana vivendi consuetudine, quae Romae invaluerat, legamus totiusque domesticae vitae aliquam nobis fingamus imaginem. Quem locum si leges, eo maiore delectatione frueris utilitatemque maiorem percipies, quo plura ex iis, quae tradita sunt ab auctore, nostris quoque temporibus, quae iisdem fere vitiis contaminantur, scripta esse inveneris. Praeclarissimis et utilissimis praeceptis omnia abundant. — Quae secundo loco posita est causa, ea aliorsum nostram mentem deflectit, ad literarum studia et varia genera exercitationum, quibus qui iam adolescebant ut bene dicerent, erudiebantur cap. 33—36. Qui locus arctioribus circumscribitur finibus et in exercitationum ad eloquentiam augendam aptarum generibus recensendis proxime continetur. Idem mutilus est, sed haud pauca proponit, quae, qualis universa omnium literarum discendarum apud Romanos fuerit ratio, indicant et quae a praeceptoribus, qui iuvenibus erudiendis vires addixerint, utilissime cognoscuntur. Saluberrima insunt monita et exhortamenta, quae ad nostra tempora recte transferuntur. — Tertius locus multo amplior est et hoc causarum genus in plures commode dividitur species. Ad publicas enim res considerandas, ad iudiciorum Romanorum formam et consuetudinem cognoscendam, ad totam vim, quam universa civitatis ratio ad eloquentiam mutandam habeat, examinandam, quin etiam ad diversum modum, quo civitatis disciplina, quae ab uno regitur et quae a pluribus, universam civilium rerum salutem augeat minuatve, animo complectendum nos deducit. Est igitur maximarum et gravissimarum rerum, quae e diversissimis locis ab educationis ratione, a literarum studiis, a civitatis disciplina depromptae sunt, larga copia et suavis varietas. — Qua rerum ubertate ut vel magis delectemur, duplici auctor usus est artificio. Alterum in eo cernitur, quod amicos colloquentes admodum diversis ingeniis, iudiciis moribusque induit, (de quo v. §. XXI.) alterum in eo, quod ubique duae aetates, quae multis partibus differunt, et duae artium, quae in iis floruerint, rationes ita sibi opponuntur, ut alteri parti ab altera clarior quaedam lux affulgeat. Quicquid consideres, sive eloquentiam sive educationem sive exercitationem sive iudiciorum formam et rei publicae disciplinam, ubique contrarias atque oppositas et praeteriti et praesentis temporis imagines adumbratas et diversos antiquorum et recentiorum mores descriptos intueberis. Quanta e diversarum et oppositarum rerum comparatione delectatio ad peritissimum quemque iudicem redundet et quantum inde rerum locorumque copia augeatur, facile apparet."

Museo Rhenano 3, 1. p. 16. vel in Orelliana edit. dialogi p. 99. [49]) Multa saltem a Secundo fuisse annexa haud probabile est, quia et ipse non prompti sermonis fuit, (v. §. XXI.) et cap. 42. ceterorum quidem, qui collocuti sunt, amicorum, non vero Secundi mentio fit.

---

[49]) Verba Doederleinii sunt: „Die Lücke des 35sten Capitels begreift nicht blofs den Schlufs von Messala's Rede und den Anfang von der des Maternus, sondern höchst wahrscheinlich auch eine ganze Rede des Secundus. Denn wenn Tacitus dem Secundus wirklich eine so untergeordnete Rolle zugedacht hätte, wie etwa der Chor im tragischen Dialog spielt, warum liefs er dann im 16ten Cap. den Maternus ausdrücklich ankündigen, dafs er und Secundus nach Messala sprechen würden. Auch möchte er im ersten Cap. kaum *quum singuli diversas causas* und *sui quisque* gesagt haben, wenn er nur zwei Personen als eigentliche Sprecher wollte auftreten lassen: denn Aper, welcher den Verfall der Beredsamkeit läugnet, kann doch wohl unter den *causas afferentibus* nicht mitgezählt werden. Was konnte aber des Secundus Rede enthalten? Neben dem, was Messala über den Verfall der innern Bildung, der Pädagogik, des Geschmacks, und neben jenem, was Maternus über die Veränderung in den äufsern und politischen Verhältnissen Roms sagt, bleibt nicht leicht ein Thema übrig, welches nicht als integrirender Theil der einen oder der andern Rede anzusehen wäre. Vielleicht hatte Secundus Messala's Äufserungen über allgemeine Bildung mit besonderer Beziehung auf die juristische Bildung ausgeführt, er, ein thätiger Geschäftsmann und *celeberrimum ingenium fori*. Oder er konnte auch der alten republikanischen Zeit noch manche von Maternus nicht berührte Lichtseite abgewinnen, da Maternus von Anfang an, so weit wir seine Rede übrig haben, das Gedeihen der Redekunst lediglich in seiner Abhängigkeit von den die politische Freiheit begleitenden Unruhen und andern Übeln darzustellen bemüht ist. Mochte also Secundus den Grund in dem Verfalle der Bildung oder in dem Untergange der Freiheit suchen, so gab er im Allgemeinen *easdem causas* entweder mit Messala an, oder mit Maternus, der nach ihm das Wort nahm. Auch ist schon aus seinem frühern Antheil am Gespräche, in welchem er weit mehr Wifsbegierde als Entschiedenheit der Ansicht verräth, und besonders aus dem Schlusse des Ganzen, wo nur seiner Rede keine besondere Erwähnung mehr geschieht, mit ziemlicher Sicherheit zu schliefsen, dafs dem Secundus eine minder bedeutende Rolle als den übrigen aufgehoben war. Denn wie Aper, dessen Panegyricus auf den Rednerberuf mit all seinen kleinlichen Eitelkeiten an manche ähnliche Äufserung des jüngern Plinius erinnert, nur für das moderne Rom und die Beredsamkeit seiner Zeit einseitig eingenommen ist; so preis't ihm entgegen Messala, wie ein Cato, das alte Rom auf Kosten der neuen Zeit; bis endlich der Dichter Maternus, welcher bei allem Talent für das praktische Leben doch nur in contemplativer Thätigkeit Ruhe und Frieden sucht und findet, auf den welthistorischen Standpunkt tritt und den Zwiespalt vermittelnd und versöhnend zeigt, wie der Verfall der Beredsamkeit als ein nothwendiges Übel aus dem unschätzbaren Gut eines festen innern Friedens fliefse: in demselben Sinne, in welchem Tacitus selbst, besonders in den Annalen und am bestimmtesten in der berühmten Stelle 3, 55., die Klage über die Gegenwart zu mäfsigen pflegt."

6. *Stilus dialogi.*

§. XXVII. Dictio et elocutio est pura, concinna e tersa, numerosa, florida et oratoria ubertate laeta, inge niis etiam moribusque diversis hominum illius tempori disertissimorum, qui colloquuntur, accommodatissima ne scriptore optimi saeculi indigna, (cf. §. XV. n. 6. ε §. XIX.) si perpauca exceperis, quae serius aevum redc lent. Eo potissimum referenda cap. 8. *substantia facu tatum*, c. 17. *principatus statio*, c. 20. *sensus aliqu arguta et brevi sententia effulsit* et c. 23 pr. *terti quoque sensu pro sententia positum* hoc, minus vero ali quae notavit Gutmannus, cuius iudicium est iniquum [41]

[41]) Verba eius, quibus nonnulla et intexui et subiunxi, (nam de pl risque v. notas ad loca laudata) in diss. inserta Orellianae edit. dialo p. 106 sqq. sunt haec: „Vestigia Latinitatis in deterius paulatim labe tis insunt; corruptus interdum sermo, satis vigoris, sed saepe detor Aureolus iste Dialogus non ex auro puro compositus, sed vilioribus m tallis mixtus. Non Ciceronis, non Livii elocutionem ubique audimu non Sallustii neque ipsius Taciti. Quamvis multi loci sine dubio egr gii sint, tamen quaedam minus bene dicta satis arguunt, eius auctore non iniuria conquestum esse de corrupta eloquentia, v. c. cap. 3. *neg tium sibi importare*, c. 4. *desidiam advocationum*, c. 5. *Hercule*, qu vocabulum plus decies a dialogi scriptore nobis obtrusum non rep ritur in Taciti libris nisi Ann. 1, 17. ubi gregario militi sugge tur, [cf. Ann. 1, 26, 2. 12, 43. H. 1, 84. Goerenz. ad Cic. Fin. 2, 23. et reputa, hanc asseverandi formulam aptiorem esse sermoni fan liari quam historiae eamque sexies tantum in dialogo inveniri, c. 5. 14. 19. 21. 26.] cap. 7. *latus clavus oblatus — quo homo*, ut c. 29. *se ministerio*: nam male sonant quae simile sonant; [Cf. Ind. III. voc. *I moeoteleuta*.] cap. 8. *paupertas et angustia rerum nascentes eos circumste runt*, quo loco inconcinne et inepte *homines circumstare* dicuntur *ino et angustia rerum*, quae sunt negativa, ut dicunt, vocabula: at eximie paene poetice H. 1, 17. *circumsteterat palatium publica exspectatio* h. turba hominum, qui suspenso animo exitum exspectabant; cap. 9 *utilitates alunt*; cap. 40. *nec bonae formam eloquentiae Cicero tali ex pensavit*, quae non nervose mihi, sed incongrue dicta videntur: q enim sibi volunt verba *non tali exitu* verbis *bonae formam eloquentiae* posita? Sed omnem librum eo modo perlustrare longum et diuturn erit, (ut Dialogi sermone utamur) quum haec causa iam satis large copiose disputata et explorata sit. In vitiis autem libelli non mi numeramus bina illa vocabula idem fere significantia, quae apud Ta tum quoque leguntur, sed rarissime nec nisi cum pondere quodam, Dialogo plerumque non minus otiosa quam frequentia sunt, v. c. cap *memoria et recordatio*, c. 5. *metus et terror*, c. 6. *plena et frequens don* c. 9. *carmina et versus*, c. 17. *coniungere et copulare*, c. 25. *et invidere livere*, c. 7. *fama et laus — negotiosos et rebus intentos — iuvenes et a lescentes*, c. 6. *veteres et senes*, c. 6. 8. *nova et recentia*, c. 15. 16. 17. *tera et antiqua* et quamplurima huiuscemodi, nec tantum in orati Apri et Materni, sed etiam Messalae, ut c. 30. *neque oratoris vis et*

CODICES MANUSCRIPTI
LIBRORUM A TACITO VULGATORUM.
I. ANNALIUM ET HISTORIARUM.
A. ANTIQUISSIMI.

§. XXVIII. 1. *Florentinus* vel *Mediceus prior* vel *Corbeiensis* e monasterio Corbeiensi Westphaliae ad Leonem X. Pontificem Romanum a Ioh. Angelo Arcimboldo quaestore pontificio delatus et quingentis numis aureis venditus, qui nunc asservatur in bibliotheca Medicea Laurent. plut. 68, 1. v. Heeren Gesch. der klass. Literatur im Mittelalter T. I. p. 163. Hic est unicus codex MS. qui sex (quinque in edd. vet. ante Lips.) priores Annalium libros antea plane incognitos continet: nam saepius quidem memorantur *veteres libri* sive *codices* et *Ursini* et *Petri Danesii* episcopi Vaurensis et *Ioh. Iocundi* Veronensis; sed his titulis tum unus idemque liber designari videtur, tum apographon exemplaris Florentini a Iocundo confectum. Codicem vero MS. Florentinum Ioh. Iocundi Veronensis non inferioris esse aetatis quam Pandectas Florentinas, ex orthographiae similitudine collegit Fr. Taurellus in Praefat. ad istas Pandectas ed. Flor. a. 1553. Cf. Monum. Paderb. p. 69. 79. Montefalc. bibl. MSS. p. 374. et Pertz Italienische Reise p. 45. qui codicem permultis locis correctum vidit a manu recenti, fortasse Beroaldi. Is certe primus ex eo quinque vel sex priores Annalium libros typis exprimendos cu-

---

[...]itas *angustis et brevibus terminis cluditur.*" Talia vero synonyma etiam [i]n ceteris Taciti libris frequentissime iunguntur, (v. ad H. 4, 65. G. 40. [...] II. 0. 5. n. 4. cap. 6. n. 5. cap. 15. n. 1. inpr. Ind. III. v. *Synonyma*) [e]t nonnunquam cumulantur in eodem capite, v. c. Ann. 3, 30. *per cultum [e]t munditias, copiaque et affluentia luxu propior — somnum et inertiam,* H. 1, [8]4. *quem animum, quas mentes, quam seditionem et discordiam — ad sanguinem et caedem — cuius splendore et gloria sordes et obscuritatem — domicilia et tectis et congestu lapidum — muta et inanima — a parente et conditore urbis — continuum et immortalem,* H. 4, 58. *proelium et acies — frumentum et commeatus — auxilia exercitusque — te precor venerorque — castra incorrupta et intemerata — pollui foedarique,* Agr. 4. *mixtum ac compositum — incensus ac flagrans animus — sublime et erectum ingenium — pulchritudinem ac speciem excelsae magnaeque gloriae.*

ravit Rom. 1515. ita tamen ut multa quidem librarii mend correxerit, sed non raro etiam per negligentiam vel in scitiam veteris scripturae vera corruperit. Quod pate ex variis lectionibus olim a Curtio Pichena, Ryckio e Iac. Gronovio, et nuper, sed minus diligenter, a Franc Furia in usum V. C. Imm. Bekkeri excerptis, quae no semper consentiunt.

2. *Florentinus alter* in bibliotheca Medicea Lauren plut. 68, 2. literis Langobardicis ideoque non ante Sae VII. nec post XI. (tamdiu enim Langobardicum in It lia duravit imperium et scriptura Langobardica in us fuit) e vet. MS. descriptus, non a. Chr. 395. quod P chena perperam coniecit ex libri subscriptione in calc *Ego Sallustius legi et emendavi Romae foelix Olibr et Probino coss.* (a. U. c. 1148. a. Chr. 395.) *in fo Martis controversias declamans oratori Endelechi Rursus Constantinopoli recognovi Caesario et Atti coss.* (a. Chr. 397.) Nam ea potius a librario ex ant quiore MS. repetita. Hic codex sex posteriores Ann lium libros et quatuor Historiarum integros cum fra mento quinti complectitur, et lectiones eius tam ver quam corruptae novissime quidem, sed oscitanter, Franc. Furia, diligentius a Pichena, Ryckio et Iac. Gr novio, accuratissime a *Petro Victorio* Florentino ad ma ginem Beroaldinae editionis et quidem eius exemp quod in bibliotheca regia Monacensi reperitur, enotat sunt; quas omnes summa cura descriptas editioni su inseruit Walther una cum Victorii emendationibus coniecturis. Illa vero horum virorum excerpta saep sime a se discrepant, cuius rei ratio non tam in eoru socordia quam in eo quaerenda, quod difficillima recta scripturae Langobardicae et compendiorum illi pr priorum intelligentia. De MS. Flor. bene disputarunt specimen scripturae dederunt Mabillon. Operis Diplo lib. V. Tab. 5. n. 5. p. 353. et Auctores Novi Ope Diplom. tab. 49. et p. 278. 279.

B. RECENTIORES.

α) SAEPISSIME COLLATI.

3—6. *Quatuor Vaticani.*

3. ***Vaticanus 1863.*** membranaceus, Saec. XIV. exeunte aut XV. ineunte scriptus et similis codici MS. *bibliothecae regiae Parisiensis*, ex quo profecta videtur editio princeps.

4. ***Vaticanus 1864.*** membranaceus et eiusdem ferme antiquitatis, neque absimilis codici, quem Lipsius *Farnesianum* appellat et *Romanum*. Cf. n. 13.

5. ***Vaticanus 1958.*** membranaceus, ceteris accuratior et descriptus ex MS. *Genuensi*, qui non amplius Genuae vel alio loco, quantum novimus, reperitur, sed fons est, ex quo tum editio Puteolani, tum hic codex MS. et alii mox memorandi fluxerunt. Aetas MSti Vaticani 1958. in libri fine his verbis expressa est: *Si quispiam hinc descripserit novum, sciat me quantum referri fideliter ab exemplo transscripsisse, quod inter cetera, de quibus scitur, non est neque pessimum neque mendosissimum.* Τέλος Θεῷ Χάρειν. *Die septimo decimo Octobris ab ortu Salvatoris nostri domini Iesu Christi anno MCCCCXLVIIII Genuae pridie festum divi Lucae Evangelistae.*

6. ***Vaticanus 2965.*** multo recentior, ex eodem MS. Genuensi *descriptus, neque membranaceus, sed chartaceus.*

Hi sunt quatuor *Vaticani*, quos Broterius excussit, sed minus diligenter, quam optandum erat: nam omnibus paene, qui mox memorabuntur, praeferendi sunt. Nonnullas quoque codicum Vaticanorum lectiones dederunt Lipsius et Vertranius, nusquam vero dixerunt, utrum idem et quinam ex his an alii fuerint.

7—9. *Tres Oxonienses ex MS. Genuensi descripti.*

7. ***Harleianus*** a. 1452.

8. ***Collegii Iesu*** a. 1458.

9. ***Bodleianus*** a. 1463. scriptus, quod patet ex notis quidem in Harl. ad H. 3, 34. *Hodie autem ab ortu Creatoris sunt anni MCCCCLII.* in MS. Coll. Iesu ad H. 3, 34. *Hodie autem ab ortu Creatoris sunt anni*

MCCCCLVIII. in Bodl. ad calcem, ubi eadem legunt verba, quae ex Vatic. 1958. supra adscripsi.

Multae lectiones MS. Coll. Iesu a Iac. Gronovio Bodleiani ab Abrah. Gronovio excerptae et editionib I. Fr. Gron. 1672. et Iac. Gron. Trai. Bat. 1721. su iunctae, plures vero et trium MSS. a Sam. Musgrav enotatae et Broterio traditae, qui eas commentario s inseruit. An vero Bodleianus Gronovii fuerit idem Broterii, dubitare possis propter aliquam excerptor differentiam.

10.—12. Tres Parisienses.

10. *Regius* seu *regiae bibliothecae Parisiensis*, ch taceus et Saec. XV. exeunte scriptus, sed melioris no et cum editt. collatus a Ryckio, Lallemando, Dottevil et Broterio. Consentit plerumque cum edit. Spir. et eodem fonte fluxisse videtur. Inscriptio eius est: *C. C nelii Taciti Historici illustris XXX librorum, quos didit, fragmenta incipiunt. — Bibliothecae Regiae obt Carolus du Fresne, Dominus du Cange, a. 1682.*

11. *Corbinelli* h. e. codex MS. non valde dissim Farnesiano et excussus a Iacobo Corbinelli, qui ve eius indolem non significavit, sed variam scripturam scripsit ad oram editionis Beroaldinae, ex qua illam prompsit Broterius.

12. *MS. in bibliotheca congregationis* sive *Inst tionis Oratorii Iesu*, membranaceus, quo usus est I. Dotteville in curanda edit. Tac. III. Paris. 1792. 8. dice Broterio (Opp. Tac. T. I. p. XXXIII.) est i qui *MS. Corbinelli* dicitur.

13—16. Alii codices.

13. *Farnesianus* a Lipsio, Iac. Gronovio et Corbinelli saepe inspectus, nuperrime a Car. Guil. Scl tigio, qui varias eius lectiones in Dialogo de orator excerpsit et codicem ita descripsit: „Codex IV. C. in Catalogo Bibl. Latinae veteris et classicae manuscri quae in Regio Neapolitano Museo Borbonico asserv Membranaceus est in folio et accurata literarum f descriptus Saec. XV. In eo continentur I. Taciti A lium libri ab XI. ad XVI. et Historiarum a libro

V. Titulus est *C. Cornelii Taciti Romanas historias scribentis ex his, qui reperiuntur, Liber primus incipit. Lege foeliciter.* Similis titulus ceteris libris praefixus est ita ut libri XI. ordine numerentur. II. *C. Cornelii Taciti Dialogus de Oratoribus foeliciter incipit.* III. *C. Cornelii Taciti de origine et situ Germaniae.* IV. *C. Suetonii Tranquilli de Grammaticis et Rhetoribus* libelli, qui incipiunt sub unico titulo et capite. Tituli codicis omnes aureis et pulchris literis conspicui. Literae omnes initiales auratae et sollertissime expictae. Orae omnium paginarum, in quibus libri initium est, saltem ex magna parte, operose et diligenter pictae. Primae paginae ora universa omnium operosissime vario colore et schemate exornata.“ Haec codicis Farnesiani vel Neapolitani descriptio una cum Lect. Var. in Dialogo de oratoribus a Schluttigio Saxone, qui Romae a. 1830. mortuus est, ad Doederlinum Prof. Erlang. et ab hoc ad Waltherum missa erat. v. huius edit. Tac. T. IV. in Praef. p. VII. VIII. et inf. p. CVIII. CIX. Broterius et Oberlinus egregium hunc codicem putabant eundem esse cum Vaticano 1864. a quo tamen non raro discrepat.

14. *Guelferbytanus,* membranaceus et nitide scriptus, tum Ferrariae a. 1461. a. P. Candido, deinde a Marquardo Gudio emptus et tandem delatus in bibliothecam Guelferbytanam, ubi est Gud. 118. Scripturae varietates primum, sed negligenter excerpsit Ernestius, maiori cura Strombecius, sed accuratissime Walther, qui iam haec annotavit: „Codex compendiis utitur vulgaribus et singulari orthographia, v. c. *quoi, quoius, quom, cur, sçevus,* (*pro saevus*) *sçeuitia, ortus,* (pro *hortus*) *ceptus,* (pro coeptus) *contio, contionari, phama,* (pro *fama*) *questus,* (pro *quaestus*) *nôquam,* (pro *nunquam*) *nô,* (pro *non*) *coatus,* (pro *coactus*) *accintus,* (pro *accinctus*) *imputerum, impace,* (pro *in pace*) *sequutus, mile* et al. Eiusdem est familiae cum MSS. Oxoniensibus et plerumque cum his ita conspirat, ut ex eo possis scripturam Oxoniensium divinare, si quando Broterius eam non prodidit. Multae insunt correctiones a recentiore manu factae, quae plerumque consentiunt cum editione Spirensi.“

15. *Budensis*, membranaceus et sine titulo, quem olim Matthias Corvinus Hungariae Bohemiaeque rex e alio MS. Florentiae describendum et Budae in bibliothec regia asservandum curaverat; unde *Budensis*, *Corvini nus* et a Rhenano *Regius* dicitur. Eum paulo post Vl dislaus II. rex Iac. Spiegelio, qui Imp. Maximiliano manu et consiliis erat, et hic a. 1518. Rhenano d no dederat. Tandem vero ille et abhinc fere ann L. hereditario iure ad Dorsnerum pervenerat, torment riae rei per Galliam praefectum, isque usum eius co cesserat Oberlino. Hic est codex ille, quo duce Rhen nus et Oberlinus nonnulla quidem Taciti loca, praecipu ea, quibus nihil paene enotatum ex aliis MSS., emend runt et restituerunt, sed longe plura et paene innume depravarunt: nam dici vix potest, quam multa in eo v socors stupidusque librarius corruperit et omiserit, v ineptus glossator orationis contextui adsperserit. De i terna eius indole v. Oberl. in Praef. p. XIII—XX.

16. Rudolphi *Agricolae*, recentissimus et mire i terpolatus, cuius lectiones vulgarunt Lipsius, (cui e miserat Modius) Ryckius, Iac. Gronovius et Heinsiu De eo Lipsius in Praef. ad edit. a. 1585. „Multa R dolphus observarat et ad marginem libri sui retuler sed ita ut iure ambigas, prompta ea e vetustissimis libr sint an ab ipso.“ Cf. p. CV.

β. RARO ET PAVCIS LOCIS COLLATI.

17. *Bambergensis*, qui nostris temporibus saepiu sed frustra quaesitus est, a Lipsio.

18. 19. Duo *Florentini*, quorum alter sex posterior Annalium et quinque Historiarum, alter eosdem Ann lium et duos priores Historiarum libros complectitur, Pichena.

20. *Hispanus* vel *Covarruviae* h. e. Didaci Anton Covarruviae Leiva ICti, a Lipsio, ad quem excerpta c dicis miserat Andr. Schottus.

21. *Sambuci*, qui Vindobonae asservatur, a Lipsi et Grutero H. 1, 12. 13. 55. 2, 23. 27. Non magr huius codicis Vindobonensis auctoritas est, quia plan consentit cum ed. Spir. et vel ex ea vel ex eoder

fonte fluxit. A Wissowa in Lect. Tac. Ratiboriae 1832. p. 5. ita describitur: „Codex Vindobonensis numero CCCLI. insignitus est ex iis, quos Matthias Corvinus rex Hungariae suis sibi sumptibus Florentiae, Romae aliisque locis describendos curaverat. Infra subscripta leguntur haec: *Ioann. Sambuci, Pannonii,* 1563. Codex est membranaceus formae maximae foliisque constat CCXXXVI. Continet Annalium libros XI—XVI. et Historiarum libros usque ad verba *navium magnitudine potiorem* in medio capite XXIII. libri quinti: qua in re consentit cum cod. Vat. 1863. Regio Parisiensi et edit. Spir. Annalibus statim continuantur Historiarum libri nullo singulorum librorum integrorumve operum interposito titulo. Historias excipit libellus de Germania; ordinem claudit Dialogus, cui ab alia manu praescriptum: *De oratoribus suis et antiquis comparatis.* Additum est alio atramento aliaque manu, nescio an Sambuci, *Quinctil.* In calce libri nihil subscriptum est coronidis loco. Scriptura est recens quidem, sed nitidissima; compendia paucissima. Literae initiales magna arte sunt exornatae."

22. *Spinae*, a N. Heinsio. v. ei. notas ad Tac. H. V.

23. *Mirandulanus*, cuius excerpta personatus quidam Pompeius Lampugnanus (sub quo nomine Marqu. Freherum latere putant) protulit in libello, qui inscriptus est: *Collatio notarum Iusti Lipsii in Corn. Tacitum cum MS. Mirandulano. Bergomi* 1602. 8. Hinc a Lipsio *dispunctio notarum Mirandulani codicis ad Corn. Tacitum* edita est a. 1602. et deinde subiecta eius editt. Antverp. 1607. 1627. 1637. 1648. 1667. in qua hunc codicem MS. aut nullum esse aut nullius pretii probavit.

γ. INSPECTI TANTUM ET MEMORATI.

24. *Gemuensis*, de quo v. ad N. 5.

25. 26. duo *Vaticani* n. 585. et 3405. v. Noris. Epoch. Syro — Maced. diss. III. p. 184. ed Lips.

27. 28. duo *Veneti*, alter Bessarionis n. 381. Bononiae scriptus a. 1453., alter bibliothecae S. Marci, cuius mentionem fecit P. Victorius ad Cic. ep. ad div. 2, 12.

29. *Herbipolensis* laudatus a I. Schegkio ad Vell. p. 504. ed. Burm.

Praeter hos *Neapolitani, Caesenatenses, Ottoboniani S. Iohannis in Carbonaria et tres Florentini*, ab anti quiori s. Langobardico diversi, quorum mentionem feci Montefalconius in Bibl. MSS. p. 374. quo tamen numer eximendi fortasse duo illi supra memorati n. 18. 19.

Multi itaque sunt codices MSS. recentiores, et plure haud dubie in bibliothecis latent, qui nondum innotue runt; neque ullus eorum satis accurate cum editionibu est comparatus. Id tamen non valde dolendum videtur Nam omnes isti non fere ante Saec. XV. et inventionen typographiae scripti sunt, iisque ea tantum quae anti quiori MS. Florentino, quem Langobardicum vocant continentur, scil. sex posteriores Annalium et quinqu Historiarum libri, (in quarum postremo alius prius desi nit alio) non sex priores Annalium libri, quorum unicu codex scriptus est antiquissimus ille Florentinus siv Corbeiensis, neque minora Taciti scripta, quae omni seorsum descripta sunt, non in aliquo MSto Annalibu Historiisve annexa, si exceperis Farnesianum, in quo dia logus de oratoribus illis est subiunctus. Praeterea per pauci sunt magni pretii, et hi ipsi aut consentiunt cun illo Florentino, aut deteriora dant, ubi dissentiunt, au coniecturas et emendationes parum probabiles substituun iis, quae in hoc codice vel corrupta sunt a librario ve mutilata, aut denique non modo repetunt glossemata quae in Florentinos irrepserunt, sed etiam alia et ineptior addunt. Omnes enim ex uno eodemque fonte archetypo que, nec tamen ex ipso illo MS. Florentino sive Lango bardico, sed una cum illo ex alio et antiquiori fluxerunt quod tam ex multitudine earundem corruptelarum (v. c Ann. 11, 4. 22. 23. 12, 46. 54. 13, 9. 13. 15. 26. 14 7.) et glossarum, (v. ad Ann. 14, 8. H. 2, 98. 3, 20. quam potissimum ex eadem longiorum locorum integra rumque paginarum transpositione (v. ad H. 3, 5. 65. e 4, 46.) colligi potest. Hinc vero intelligitur, comparation omnium, quos commemoravi, pluriumque codicum nihi quidem aliud effici posse, quam ut indagetur, quid i uno illo archetypo fuerit, eam tamen hanc ipsam ol causam multum valere ad veritatem integritatemque scri pturae investigandam et restituendam, dummodo in ha

re magis dignitas et praestantia, quam multitudo MSS. respiciatur.

Ex illo codicum recentiorum recensu cognoscitur diversa eorum indoles, quam bene iam adumbravit Walther his verbis, quibus perpauca adiiciam uncinis inclusa: „Nepotes hi sive pronepotes codicis Florentini [vel potius archetypi, ex quo et hic codex et illi ducti sunt] in duas potissimum discesserunt familias, quarum alteram dixerim Genuensem, alteram Romanam eamque avo propiorem. [Illa appellatio aptior quam haec.] Ad hanc pertinent tum codices MSS. Vaticani 1863. et 1864. Regius Parisiensis, Corbinelli [et Farnesianus], tum editio Spirensis. [Cf. N. 3. 4. 10. 11. 13.] Eiusdem stirpis proles videtur esse codex Agricolae, quanquam degener et maiorum auctoritatem parum curans. Plurimis locis hic liber consentit cum editione Spirensi: quae ubi aperta laborat depravatione, codex Agricolae plerumque indulget emendandi studio. Alterius familiae haec innotuerunt capita: Vaticanus 1958. [et 2965.] tres Oxonienses et Guelferbytanus. [Cf. N. 5—9. et 14.] Ex eodem fonte [non satis puro] derivatae sunt editiones Puteolani [et plurimae veterum]. — Codex Budensis inter utrasque familias fluctuat, ut nescias, ad quas praecipue pertineat. Reliquorum codicum indoles nimis adhuc occulta mansit, quam ut certi quid de eorum genere definiri possit.“

II. MINORUM TACITI LIBRORUM.

§. XXIX. Hi seorsum vulgati sunt, si exceperis duos codices, Farnesianum s. Neapolitanum et Vindobonensem sive Sambuci, de quibus v. supra N. 13. et 21.

A. LIBELLI DE VITA AGRICOLAE.

1. *Codex MS.* nobis ignotus, ex quo Puteolani editio descripta est. Cf. Walch. Praef. ad Agr. p. IV. et VI. n. 4.

2. *Fulvii Ursini*, de quo v. eius Annotatt. ad Tacitum, quarum excerpta exstant in Fragm. vett. Historic. collect. ab Ant. Augustino, emend. a F. Ursino, Antverp. 1594. 8. Ab eodem Ursino laudatur *alius liber* c. 19.

et *alius codex* cap. 33. de quibus nihil nunc constat Cf. Walch. l. l. p. IV.

3. *Vaticanus 3429.* chartaceus et exeunte Saec. XV scriptus, cuius titulus est: *Vita Agricolae scripta manu Pomponii Laeti; et erat codex Fulvii Ursini.* Hinc nonnulli putant, eum fuisse ipsum Ursini codicem modo laudatum, saltem ex eo descriptum: sed lectiones utriusque valde discrepant. Cf. Becker in praef. ad Tac. Agr. p. XIII sq. Walch. praef. ad Agr. p. IV. V. Bähr Gesch. d. Röm. Literatur Carls. 1828. p. 312. Primus e assignatur locus a Beckero, postremus a Walchio. Lectiones eius primum excerpsit Broterius, deinde Maggioran in usum Dronkii, qui altera collatione firmari dicit fidem Broterii in codd. MSS. consulendis, quae suspecta fueri viro docto in Actis philol. Monac. T. II. fasc. III. p. 369

4. *Vaticanus 4498.* a Broterio paucis tantum loci collatus. Cf. p. CVII. ubi etiam titulus libelli adscriptus qui ex librarii aut grammatici cuiusdam ingenio profectus videtur, ut et alius in edd. Puteol. *Iulii Agricolae vita per Corn. Tacitum eius generum castissime composita.*

B. LIBELLI DE GERMANIA.

1. *Arundelianus* sive *Pirckheimerianus*, quondam Bilibaldi Pirckheimeri, (cf. Gron. ad G. 11.) deinde Arondelii sive Arundelii Comitis, nunc bibliothecae Oxoniensis, nonnunquam vera, sed plerumque deteriora suggerens.

2. *Bambergensis*, qui nunc loco ignoto latet.

3. *Farnesianus* sive *Neapolitanus*, ex quo Lipsius bona, sed perpauca, enotavit. Cf. supra Codd. Annalium et Hist. N. 13. p. C. et CI.

4. *Hummelianus*, chartaceus, cuius olim possessor fuit Bern. Frid. Hummelius, Rector gymn. Altdorfini.

5. *Longolianus* Pauli Dan. Longolii et deinde Ioh Kappii Baruthini, chartaceus, maximam libelli partem cap. 8 extr. usque ad cap. 43. continens, qui saepius discrepat ab edit. Norimb. ex qua eum descriptum cen set Passovius.

6. *Stuttgartiensis* chartaceus, Saec. XV. scriptus.

7. *Turicensis* in biblioth. Carolina Rep. C. 56. chartaceus, formae maioris et bonae notae, in cuius calce legitur: *Transcriptum manu Petri Numagen Treverensis, capellani Sancti Leonhardi prope Turegum, anno Domini MDII.*

8. *Vaticanus 1518.* membranaceus Saec. XIV. *C. Corn. Taciti dialogus de oratoribus. C. Corn. Taciti de origine et situ Germanorum libellus.*

9. *Vaticanus 1862.* membranaceus Saec. XV. *C. Corn. Taciti de origine et situ Germanorum. C. Corn. Taciti Dialogus de Oratoribus.*

10. *Vaticanus 2964.* chartaceus Saec. XV. *Corn. Tacitus de origine et situ Germanorum. Pars Dialogi de oratoribus* inde a verbis cap. 26. *Ego autem exspectabam, ut incusato Asinio* cet.

11. *Vaticanus 4498.* membranaceus Saec. XV. egregie scriptus, quo continentur: *C. Corn. Taciti libellus de vita et moribus Iulii Agricolae. — Dialogus de Oratoribus. — Tacitus de origine et situ Germanorum.* Qui codex non amplius reperitur in biblioth. Vaticana et fortasse in aliquo eius angulo delitescit.

Hi codices recentissimi sunt, scripti paulo ante aut post inventam artem typographicam, et ex plerisque paucas tantum lectionis discrepantias excerpsere viri docti; sex e Farnesiano Lipsius, XXI. ex Stuttgartiano Seebode in bibl. crit. a. 1819. p. 297 sq. et in Promptuario philol. (Archiv für Philol.) a. 1824. I, 4. p. 682. plures ex Arundeliano I. Fr. et Abr. Gronovii, multas ex Bambergensi Modius, permultas ex Turicensi I. I. Breitinger in usum Ernestii et Seebodii, plurimas ex Hummeliano Longolius et ipse Hummel. in biblioth. librorum rarorum rariorumque Norimb. 1776. T. I, 2. p. 212 sq., ex Longoliano idem Longolius in ed. Taciti, ex Vaticanis Broterius, omnes vero e Turicensi Ioh. Casp. Orellius in Progr. quod inscriptum est: *Symbolae crit. et philol. in C. Corn. Taciti Germaniam e codice praesertim Turicensi, Turici 1819. 4.* Vaticani glossis scatent, et ipse librarius cod. 1862. dixit: *ego tantum reperi et meliusculum feci.* Praeterea non eadem nobis suppeditarunt excerpta, qui illis MSS. usi sunt, v. c. 3. 36. et al.

Alii codices MSS. nondum comparati sunt, v. c. Mediceae biblioth. plut. 73. n. 6. in Montefalc. Bibl. MSS. p. 381. Florentinus alius, Venetus, Parisienses, Oxonienses et biblioth. Norfolc. in Collegio Greshamensi, quod Londini est. Cf. Seebodii bibl. crit. a. 1824. p. 1418. ei. nov. bibl. crit. a. 1825. p. 190. et Archiv für Philol. I, 4. p. 682. Praeter hos ab editoribus memorantur codex Mirandulanus, de quo v. §. XXVIII, p. CIII. liber scriptus et vetus Lipsii, fortasse Farnesianus, cap. 13. 14. 21. 33. 34. 40. 42. codex Rhenani c. 18. liber vetus Is. Vossii c. 45. libri veteres Pichenae c. 41. codex vetus Groslotii c. 19. 22. 31. 34. 40. 45. codices quidam Longolii c. 24. et Bredovii c. 17. 43. Sed quinam hi fuerint nemo eorum, et utrum manu scripti an typis excusi, solus Lipsius dixit.

Inscriptiones libelli variae nec satis aptae reperiuntur in MSS. et editionibus antiquis: *Taciti Germania* — *de origine et situ Germaniae* in cod. Farnes. — *de origine et situ Germanorum libellus* et *opusculum* — *de situ, moribus et populis Germaniae libellus* — *de Germanorum populis libellus* — *de moribus et populis Germanorum libellus aureus* — in ed. Vien. 1515. *Corn. Taciti veridici historici de situ Germaniae et incolarum, ut secla olim ferebant, moribus libellus lectu dignissimus;* in edd. Spir. et Put. *Cornelii Taciti illustrissimi historici de situ, moribus et populis Germaniae libellus aureus.* Ab ipso Tacito fortasse inscriptus est *libellus de Germania* vel *de Germanis* vel *de terra, moribus et populis Germanorum.*

C. DIALOGI DE ORATORIBUS.

1. *Farnesianus* sive *Neapolitanus*, de quo v. supra §. XXVIII. p. C. CI. Est optimae notae, cui solus Klossmannus minorem quam aliis MSS. fidem tribuit in Proleg. in Dial. de oratoribus Vratisl. 1819. p. 6. Ab Ursino olim commodatus est Lipsio, nuper vero Neapoli repertus tam a B. G. Niebuhrio, quam a C. G. Schluttigio, (v. sup. p. C. CI.) et ab iis maiori cura excussus quam a Lipsio, qui multa praetermisit. Lectiones a Niebuhrio excerptas inseruimus Praefationi ad Vol. IV.

huius editionis. Easdem enotavit Schluttigius, si paucas exceperis et quidem has: CAP. V. v. 12. *societate plurimum defendi;* VII. v. 12. *illustres et in urbe non solum;* VIII. v. 1. *Marcellum hunc e proprium,* v. 18. *civitatis donec libuit,* v. 30. *ineun. aetate;* IX. v. 28. *ingenium,* non *genium;* XI. v. 2. *parant enim quid me,* v. 10. *vaticinii,* non *vatinii,* v. 11. *hodie,* non *et hodie;* XII. v. 14. *gloria maiore;* XIII. v. 4. *quietum,* non *secretum;* XIV. v. 1. 2. *velut stinctus tum vibanius,* v. 16. *et eruditiones;* XVI. v. 23. *trecentos annos;* XVII. v. 5. *adscribitis,* v. 20. *et quidem et Ciceronem;* XIX. v. 15. *et si quis odoratus philosophiam videtur atque ex ea;* XX. v. 3. *expectavit;* XXI. v. 3. *Atti,* non *attii,* quod Niebuhrius enotavit, v. 15. *sive universa;* XXV. v. 13. *concessu,* v. 16. *si vere;* XXVI. v. 12. *sicut his,* v. 13. *temere;* XXVII. v. 6. *equidem;* XXIX. v. 4. *viros,* non *vires;* XXXI. v. 33. *musice et geometrice;* XXXII. v. 9. *oratorem esse fateatur;* XXXIII. v. 25. *ornatorum videntur;* XXXVIII. v. 2. *quae etsi nunc aptior est, ita erit eloquentia, tanto illud forum;* XLI. v. 22. *ac vestra tempora.* Quantum Lipsio profuerit codex Farnesianus, ipse profitetur his verbis: „Quum depravatissimus vulgo circumferretur libellus, nulla pagina sine vulnere et vibice, admirabile est, quantum a Farnesiano codice in eo sanando simus adiuti. Multi hiatus expleti, verba et lineae integrae insertae, centeni aliquot loci emendati. In notis meis ea saltem tangam, quorum vel insignis correctio est vel ambigua. Reliqua recepta in textum satis sit verbo iam nunc praedixisse e Farnesiani libri fide esse.“

2. *Vindobonensis* sive *Sambuci,* de quo v. supra §. XXVIII. p. CII. CIII.

3. 4. 5. 6. *Vaticani,* de quibus v. p. CVII.

Alii codd. MSS. dialogi asservantur Lutetiae Parisiorum et alter Vindobonae. Illos in usum suum conferendos curabit V. C. Hessius, qui novam parat libelli editionem et utrumque mihi per literas significavit; hic tam recentis est aetatis, ut eius conferendi molestiam prorsus supervacuam censuerit Schluttigius; de quo v. ad §. XXVIII. N. 13. Praeterea ab interpretibus dialogi

nonnunquam laudantur *codices Agricolae, Mureti, Pichenae, Pithoei, Romanus Modii* et *Romanus Lipsii,* qui tamen impressi potius quam manu scripti fuisse videntur. Ceterum diversa est libelli inscriptio tam in MSS. quam in editionibus et vel eam ob causam a librariorum potius editorumve quam ab ipsius auctoris ingenio profecta: in MSS. Farnesiano et quatuor Vaticanis 1518. 1862. 2964. et 4498. *Cornelii Taciti Dialogus de oratoribus;* in MS. Vindobonensi sive Sambuci *C. Corn. Taciti Dialogus de oratoribus suis* (fortasse *sui s.* h. e. *sui saeculi*) *et antiquis comparatis;* in edit. Spir. *Cornelii taciti equitis Romani dialogus de oratoribus claris;* in editt. Puteol. Ber. et Rhen. 1. *Cornelii Taciti aequitis Romani dialogus, an sui saeculi oratores antiquioribus et quare concedant;* in Salutatione editioni Puteol. praefixa *de genere eloquentiae non corruptae, cui operi a quibusdam titulus de claris oratoribus inscribitur;* in primis Lipsii editionibus *Incerti scriptoris dialogus de oratoribus sui temporis,* in posterioribus, ut in multis editt. recentioribus, *dialogus de oratoribus* sive *de causis corruptae eloquentiae.* Cf. §. XV. p. LXIII. LXIV. et §. XXII. p. LXXXI. sq.

EDITIONES LIBRORUM A TACITO SCRIPTORUM.

I. ET MAIORUM ET MINORUM.

§. XXX. 1. *Spirensis,* omnium *princeps,* formae maximae, sine inscriptione et anni locique nota, quae a Lipsio, Grutero aliisque perperam *Romana* vocatur et *Vaticana:* nam Veneta est et Venetiis, non vero a. Chr. 1468. neque 1469. a Joh. de Spira, sed a. 1470. a Vendelino sive Vindelino *de Spira,* fratre natu minori, paulo post maioris obitum curata, unde rectius *Spirensis* dicitur a typographo, ex cuius officina prodiit et qui haec subscripsit in calce libri:

Finis Deo laus.

Cęsareos mores scribit Cornelius. esto
Iste tibi codex: historię pater est,
Insigni quem laude feret gens postera: pressit
Spira premens: artis gloria prima suę.

Cf. Ebert Allgem. Bibliogr. Lexicon T. II. Fasc. V. p. 872. nr. 22134. Plurimum quidem cum MSS. Regio Parisiensi, Farnesiano et Corbinelli, saepissime etiam cum MSS. Vatic. 1863. 1864. et plane, etiam in levissimis rebus, cum MS. Vindobonensi sive Sambuci consentit, et expressa creditur ex MS. Veneto, qui teste Victorio olim fuit in biblioth. D. Marci, nunc vero non reperitur. Singularis in ea plerumque est et lectio et orthographia; frequentissima autem verborum corruptela et transpositio. Nihilo secius multum valet ad lectiones aliorum codicum confirmandas et vicem MSti explet. In illa sex posteriores Annalium libri et quinque Historiarum una serie, sine ullo titulo et numero, connectuntur. Historias excipiunt duo libelli minores ita inscripti: *Cornelii Taciti illustrissimi historici de situ moribus et populis Germaniae libellus. aureus* et *Cornelii taciti equitis Romani dialogus de oratoribus claris*, in quibus tum longe alia, tum multo emendatior est scriptura. Haec editio negligenter ab Ernestio comparata est, curatius in Historiis et in libello de Germania a Seebodio, qui excerpta humanissime mecum communicavit, in eodem libello a Thierschio, (in Actis philol. Monac. T. III. fasc. 3. p. 459 sq.) in dialogo de oratoribus a Dronkio, sed accuratissime ab initio ad finem a Walthero.

2. *Francisci Puteolani* (Parmensis) *prima* sive *Mediolanensis* formae maximae, sine anni, loci et typographi nota; quae editio in cuiusque generis scriptura alios, quam Spirensis, codices MSS. et potissimum eos, qui ex Genuensi fluxerunt, secuta est. Cf. p. XCIX. Plurimi eam Mediolani, ut cetera a Puteolano vulgata, in lucem prodiisse recte suspicantur, sed iam circa a. Chr. 1475. Ebertus in Allgem. Bibliogr. Lexicon, serius alii et fortasse a. Chr. 1492. saltem post *Plinii Secundi et aliorum Panegyricos* Mediol. 1476. vel 1482. ab eodem Puteolano editos, qui vitam Agricolae primus typis excudendam curavit, verum prius Panegyricis illis quam ceteris Taciti libris attexuisse putatur. Cf. infra editt. huius vitae. Puteolanus editioni omnium Taciti operum praefixit salutationem his verbis: „Franciscus Puteolanus Jacobo Antiquario ducali Secretario Sal. — Cornelii Taciti

ficultatem habere videbantur, sicut erant, reliqui, appo sitis interiori margini stellulis, quae uitiosum codicem testarentur.“ Melius consuluisset lectoribus, si accurat reddidisset scripturam MSti Florentini et coniecturas sua in margine aut annotationibus apposuisset. Ita editi eius fuisset instar huius codicis: quem qui postea excus serunt, neque omnia dederunt neque eadem. — „In re liquis Annalium et Historiarum libris Beroaldus plerum que secutus est editionem Puteolani, cuius etiam praefa tionem libro XI. praeposuit: saepissime tamen ex edi tione Spirensi scripturam emendavit. Neque dubium est eum inspexisse codicem Florent. literis Langobard. scri ptum: habet enim nonnulla, quae neque in edit. Spirens nec apud Puteolanum, sed in codice illo Florent. inve niuntur, ut *intentius* Ann. 11, 11. *hunc vel illum* cet. 16 3. *crediderunt* H. 1, 14. et alia. In exemplo bibliothe cae regiae Monacensis non inest vita Agricolae, et absun etiam e Dialogo de oratoribus, quae leguntur inde a ver bis *et pauperem* c. 6. usque ad *argumentorum gener* c. 19. quorum loco inveniuntur quatuor plagulae ad An nalium libros XI. et XII. pertinentes.“ *Walther*. Cf. De bure bibliogr. instr. n. 4905.

9. Andreae *Alciati* Mediolanensis, formae quaterna riae, publicata Mediolani a. Chr. 1517. in officina Alex Minutiani. Est mera repetitio editionis Beroaldinae, cu Alciatus aliquot notulas adspersit. v. Ernestii Praef. a Tac. p. XLI. XLII. Saxius in Proleg. hist. literario typogr. Mediol. p. 109. et Ebert Allgem. Bibliogr. Lexi con II, 5. p. 873. nr. 22139.

10. Beati *Rhenani* sive *Frobeniana* et *Basileensi prima*, quae prodiit Basileae ex officina Joh. Froben clarissimi doctissimique typographi mense Augusto a Chr. 1519. in forma maxima, cum hac inscriptione: *P Cornelii Taciti eq. Ro. Historia Augusta actionum di urnalium: additis quinque libris nouiter inventis. Andrea Alciati Mediolanensis in eundem annotationes. De situ moribus et populis Germaniae libellus: eodem Cor. Ta cito autore. Eiusdem dialogus: an sui seculi oratore antiquioribus et quare concedant. Cn. Iulii Agricola uita, per eundem.* Haec editio nova est repetitio Beroal

dinae; nam ab ea multis quidem locis deflectitur, sed non nisi vitio operarum. Ernestio aliisque dicitur *Alciati editio;* in meis vero annotationibus *Rhenani prima,* et ceterae Basil. 1533. et 1544. *Rhenani secunda* et *tertia,* non, ut illis, *prima* et *secunda.* Nam Alciatus paucas tantum nulliusque pretii, et exegetici potius quam critici argumenti annotatiunculas adiecit, Rhenanus autem in hac editione libellum saltem de Germania, paulo ante seorsum editum, ex vetusto codice (editione Norimberg.) et ingenio saepius correxit et illustravit in *Elencho, qui ea potissimum indicat, quae ad res Germaniae pertinent.* Praeterea his titulis significatur, easdem esse tres editiones *Rhenani, Frobenianas* et *Basileenses.* Editio vero *Alciati* vocanda potius ea, quam recensui nr. 9.

11. *Iuntina* apud heredes Phil. Iuntae, Florentiae 1527. et 1552. in forma octonaria. Iunta repetiit editionem Beroaldinam et Ant. Francinus Varchiensis vitia quaedam typographorum in notis correxit.

12. Beati *Rhenani* sive *Frobeniana* et *Basileensis secunda* (v. ad nr. 10.) Basileae a. 1533. per Hieron. Frobenium et Nic. Episcopium in forma maxima, quae editio ita est inscripta: *P. Cornelii Taciti equitis Romani Annalium ab excessu Augusti, sicut ipse vocat, sive Historiae Augustae, qui vulgo receptus titulus est, libri sedecim qui supersunt, partim haud oscitanter perlecti, partim nempe posteriores ad exemplar manu scriptum* (Budense) *recogniti magna fide nec minore iudicio per Beatum Rhenanum. Nihil hic fingi docebunt castigationes suis quaeque libris additae. Libellus de Germanorum populis, Dialogus de oratoribus, denique Vita Iulii Agricolae, non solum emaculatius prodeunt, sed et explicatius adiunctis in hanc rem scholiis. Super haec omnia accesserunt in initio operis Thesaurus constructionum locutionumque et vocum Tacito solennium citatis etiam ex Livio plerumque testimoniis, ac in calce rerum memorabilium index copiosissimus. Nec desunt aliorum in hunc autorem ante additae annotationes praefationesque sive Beroaldi seu Alciati.* In hac editione *Beatus* (verius *Bildius*) *Rhenanus* Selestadiensis multa ex codice MS. Budensi et ex ingenio emendavit, sed plura corrupit.

v. ad Codd. MSS. Taciti nr. 15. Ex eo tempore lecti Taciti a Rhenano formata coepit esse *vulgaris* sive *vulgata*.

13. *Aldina*, quae prodiit ex officina Pauli Manutii Aldi Venetiis a. 1534. in forma nitida et octonaria maiore cum hoc titulo: *Cornelius Tacitus exacta cura recognitus et emendatus. Copiosus index rerum, locorum et personarum, de quibus in his libris agitur. Varia lectio* (h. e. castigationes Rhenani et annotationes Alciati) *in calce operis impressa.* Aldus repetiit Rhenani editionem secundam et nonnunquam vel in ordinem recepit coniecturas Rhenani, vel orthographiam immutavit vel vitia operarum et emendavit et auxit.

14. *Gryphiana* per Gryphium Lugduni 1542. 1543. 1551. 1559. 8. repetitio Rhenanae II. in qua eius peccata novis aucta sunt et additae Aem. Ferretti notae.

15. *Francofurtensis* ex officina P. Brubachii a. 1542. 8. nova Rhenanae II. repetitio.

16. Beati *Rhenani* sive *Frobeniana* et *Basileensis tertia* (v. ad nr. 10.) Basileae a. 1544. fol. repetitio editionis secundae, in qua quaedam, sed pleraque non bene immutata sunt.

17. *Florentina* a. 1552. 8. a Fabricio commemorata et ex Beroaldina aut Iuntina expressa, sed nondum quoquam comparata.

18. *Veneta* a. 1554. cuius indoles parum nota est.

19. *Micylli* a. 1557. 8. sine loci nota et cum hac inscriptione: *P. Cornelii Taciti eq. Rom. Annalium sive Historiae Augustae libri XVI. Opera Iacobi Micylli emendatiores facti. Eiusdem libellus de moribus et populis Germanorum. Item Vita Iulii Agricolae, oratoris et Dialogus de claris oratoribus. Una cum indice. Anno 1557.* Editio haec maximam partem ducta ex Rhenani secunda; quaedam emendationes Beroaldi, Rhenani et Ferretti in ordinem receptae; varia scriptura ad marginem notata.

20. Iusti *Lipsii* prima, quae ex officina Christophori Plantini prodiit Antverpiae a. 1574. 8. Eodem tempore duo viri doctissimi ingenium studiumque ad Taciti libros corrigendos et interpretandos contulere, *M. Antonius Mu*

retus, insignis orator et philologus, cuius opera Dav. Ruhnkenius Lugd. 1789. in IV Voll. recudenda curavit, et *Iustus Lipsius*, qui vixit ab a. 1547. ad 1606. et Lovanii, Ienae, Coloniae, Lugduni Prof. hist. fuit. Ille librum primum Annalium cum notis suis edidit Romae 1580. Ingolstad. 1604. 1608. et multa Taciti loca correxit in Var. Lectt. XI, 1—5. Lugd. Bat. 1586. Hic merito *sospitator Taciti* dicitur, cuius libros tum egregiis illustravit commentariis excursibusque tum innumeris vitiis purgavit; quae emendationes vel ex ingenio eius fluxere vel ex codd. MSS. et edd. vet. ad quas eos recognovit. Usus enim est primum MSS. duobus Vaticanis et Farnesiano nec non editione *Veneta vetere*, sed non anni 1494, ut per errorem vel librarii incuriam dixisse videtur, sed a. 1512. quae Riviana est: (lectiones certe ab eo prolatae ex Veneta reperiuntur in Riviana) postea codicibus MSS. Covarruviae, Sambuci, Agricolae, et ed. Spirensi, quam *Romanam* vocat, Beroaldina, Basileensi Rhenani et Florentina Pichenae. Exemplo etiam styloque Taciti contexuerat Caligulae historiam et initia Claudii; sed in migrationibus suis hunc laborem fraude aut casu periisse sibi queritur ad Ann. XI, 1. Haec Taciti editio inscripta est: *P. Cornelii Taciti Historiarum et Annalium libri, qui exstant, Iusti Lipsii studio emendati et illustrati. Ad Imp. Maximilianum II. Aug. P. F. Eiusdem Taciti liber de moribus Germanorum. Iulii Agricolae vita. Incerti scriptoris dialogus de oratoribus sui temporis. Ad C. V. Ioannem Sambucum.* Praemissa est monitio ad lectorem, et Dialogum excipiunt *Notae, quibus lectionum varietas et emendationum ratio explicatur.* Editio autem Lipsii decies ab ipso curata est Antverpiae in officina Christoph. Plantini a. 1574. 8. 1581. 8. 1585. fol. (quae nova est recensio) Lugduni Bat. in officina Plantiniana apud Franc. Raphelengium 1576. 8. 1588. 8. 1589. fol. 1598. 8. (apud Hieron. Commelinum) 1598. 8. Antverpiae 1599. 8. 1600. 4. et octies post eius obitum, Antverpiae 1607. fol. (ab ipso Livio prelo accommodata et superioribus emendatior rescisis multis annotationibus et substitutis aliis, quas e Notis Pichenae deprompserat) Coloniae Allobrogum 1614. Lugd. Bat.

1619. 8. 1621. 12. Antverpiae 1627. fol. 1637. fol. 164 fol. 1668. fol. Cf. Ebert Allgem. Bibliogr. Lexicon V 2. p. 874.

Ab hoc tempore scriptura a Lipsio informata coep esse *vulgaris* sive *vulgata*, et editio Lipsiana repetita e Lugd. 1576. 1584. 1598. cum notis Lipsii et Vertranii Gryphio; Paris. 1581. (libri IV. priores Annalium cu obss. Car. Paschalii Cuneatis) Rom. 1589. et Franco 1588. (in Scriptor. hist. Rom. a Fr. Sylburgio edit III Voll.) et 1592. (cum Annib. Scoti commentariis a politicam et aulicam rationem praecipue spectantibus Heidelb. 1595. 32. ex offic. Hieron. Commelini, Paris 1599. et 1606. (cum comm. Lipsii notisque Ios. Merceri curatae a Guil. Barclayo, qui praemetia quaedam ex vit Agricolae libata adiecit) Salmanticae 1603. (Annaliu libri sex priores ad edit. Lipsii ultimam recens.) Ingol stad. 1604. 8. Monach. 1604. 8. Francof. 1607. 8. (editi Gruteri, de qua paulo post seorsum dicetur) Paris. 1608 fol. (cura Car. Auberti cum notis Andr. Alciati, Aemili Ferretti, Fulvii Ursini, Ios. Merceri, Christoph. Coleri Beati Rhenani, M. Vertranii Mauri, Marcelli Donati Curtii Pichenae, Iani Gruteri, M. Antonii Mureti, Valentis Acidalii, Luxani, Beroaldi, Modii et Paschalii) Lugd Bat. 1621. 1634. 1640. 12. in offic. Elzeviriana (cum notis et emendatt. Hug. Grotii) Amstelod. 1637. 1649. 1650. 1660. 1665. 1678. (quibus edd. addita sunt H. Savilii studia in Tacitum) Aurel. Allobr. 1652. fol. (in Sam. Choueti Scriptor. lat. hist. Rom. Vol. II.) Ven. 1683. Lugd. 1684.

21. Curtii *Pichenae*, quae editio primum Lugd. Bat. et deinde Francofurti (apud Claudium Marnium et heredes Ioh. Aubrii) eodem a. 1607. 4. iterum Aurel. Allobrog. 1619. 8. typis impressa est et inscripta *C. Cornelii Taciti opera quae exstant iuxta veterrimos Manuscriptos* (Florentinos, et edit. Venetam Puteolani a. 1497.) *emendata, notis auctioribus illustrata* (et Indice locupletissimo instructa) *per Curtium Pichenam sereniss. Magni Ducis Etruriae a secretis.* Hic Pichena, qui Grutero ad Cic. Verr. V, 7. dicitur *sospitator Taciti post Lipsium unico magis unicus,* permultis locis e MSS. Floren-

tinis restituit et acri iudicio perpendit veriorem scripturam, quae mox auctoritatem vulgatae obtinuit et in alias editiones propagata est. Istae praeter alias sunt Aurel. Allobr. 1609. 8. et 1623. fol. (in Petri de la Rouiere Scriptor. lat. hist. Rom.) Francof. 1612. (cum vers. Ital. Ge. Dati, Gallica Steph. de la Planche et Cl. Fauchet, Germ. Iac. Micylli) 1614. et alia sine nota loci 1614. 12. Paris. 1612. cura Morelli, Paris. 1622. auctore Lud. Dorleans, (cum novis eius cogitatt. in Annales) Mussipunt. 1622. 8. Rothomag. 1623. Paris. 1623. Florent. 1637. fol. (cum vers. Ital. Bernh. Davanzati) Patav. 1755. 4. (quae est repetitio huius Florentinae) Amst. 1701.

22. Iani *Gruteri* Francofurti 1607. 8. e collegio Paltheniano sumptibus Ionae Rhodii, cuius libri altera parte continentur annotationes Alciati, Rhenani, Ferretti, Vertranii, Ursini, Donati, Modii, Merceri, Pichenae, Coleri, Gruteri, et plenior index rerum vocabulorumque. In hac editione primum hodierna librorum Taciti in capita divisio reperitur et plerisque locis scriptura a Lipsio informata, nonnullis emendatior, quae debetur Pichenae.

23. Matthiae *Berneggeri* sive *Bernecceri* et Iohannis *Freinshemii* generi Argentorati 1638. et 1664. 8. Francof. ad Viadr. 1737. Ille repetendam curavit editionem Pichenae; hic non modo nonnulla emendavit et adiecit tum loca parallela in margine, tum notas in loca intacta interpretibus prioribus aut secus accepta, sed etiam paraphrasin librorum sex priorum Annalium publicavit Argent. 1641. Indicem confecit Melchior Freinshemius huius frater.

24. Ludovici *Aurelii* (d'Orleans) Paris. 1622. 8. cum commentario in Annales, qui nullius paene pretii est.

25. M. Zuerii *Boxhornii* Amstel. ex officina Iansson. Amstel. 1643. 1649. 1650. 1653. 1664. 1678. 12. Venet. 1645. 1672. 1676. 12. Repetitio editionis Bernegg. cum observatt. in quibus plerumque nugatur Boxhornius.

26. Ioh. Fred. *Gronovii* ap. Dan. Elzevirium Amstel. 1672. 1673. 8. Voll. II. inscripta: *C. Cornelii Taciti opera quae exstant, integris Lipsii, Rhenani, Ursini, Mureti, Pichenae, Merceri, Gruteri, Acidalii, Grotii, Freinshemii, et selectis* (Salinerii, inepti interpretis, et)

aliorum commentariis illustrata. I. Fr. Gronovius recensuit (recensionem Berneggerianam sive Freinshemianam nonnullis locis correxit et quidem ex ingenio, non ex codd. MSStis nec editt. vett., quo subsidiorum genere caruit) *et suas notas* (maximam partem egregias) *passim adiecit. Accedunt Iacobi Gronovii excerpta ex variis lectionibus MS. Oxoniensis.* Editio a I. Fr. Gronovio instituta et post obitum eius absoluta est a Iacobo et Laurentio Theodorico filiis, qui eandem recudendam curarunt Lugd. Bat. 1685. 8. Voll. II.

27. Iuliani *Pichonis* Paris. 1682 — 1687. et Venet. 1707. 1708. 4. Voll. IV. in usum Delphini. Amplae annotationes congestae, sed parum fructuosae.

28. Theodori *Ryckii* Lugd. Bat. 1687. 12. Voll. II. Dublinii 1730. 8. Vol. III. (cura et impensis doctae feminae Grierson) Londini 1754. et 1760. 12. Voll. IV. cum Ryckii Seiano et animadversionibus, quae prius ab illo et seorsum Lugd. Bat. 1686. 12. in lucem emissae erant et pluris aestimandae sunt quam notae Iac. Gronovii in ed. Trai. Bat. 1720. in quibus saepius et acerbe increpatur: nam bilem eius commoverat Ryckius, quia recensionem I. Fr. Gronovii non raro nec invita Minerva correxerat tam ex ingenio quam ex editionibus Puteolani, Beroaldi, Rivii, e cod. MS. Agricolae (qui tamen minoris est pretii, quam illi videbatur) et potissimum ex MSS. Florent. et Regio Parisiensi, quorum excerpta ei suppeditaverant Iac. Gronovius et Melch. Thevenotius.

29. Christiani *Hauffii* Lips. 1714. 8. Vol. II. in qua editione opera Taciti notis grammatico - philologico - criticis illustrantur ad modum Minellii, quibus praefixa est Ioh. Ge. Walchii diatribe critica de Tacito eiusdemque stylo ad Iac. Perizonium.

30. Iacobi *Gronovii*, quae editio non ab ipso absoluta est, sed post mortem eius vulgata ab Abrahamo filio Lugd. Bat. 1716. et Traiecti Batavorum 1720. 4. Voll. II. et repetita Glasguae 1743. 8. Voll. II. 1753. 12. et 1760. 12. Voll. IV. hoc titulo: *C. Cornelii Taciti opera quae exstant, integris Rhenani, Ursini, Mureti, Merceri, Lipsii, Acidalii, Pichenae, Gruteri, Grotii, Freinshemii, Ioh. Fred. Gronovii, et selectis aliorum*

(Coleri, Ferretti, Vertranii, Donati, Lupani, P. Fabri, Alciati, Aurelii, Savilii, Boxhornii, Virdungi, Barclaii) *commentariis illustrata. Ex recensione et cum notis Iacobi Gronovii.* Hic paternam Taciti recensionem tum ad MSS. Florent. Bodl. Iesu et Arundelianum, tum ad editiones veteres recognovit et nonnullis locis bene correxit in notis, quarum tamen nec numerus nec pretium est ingens: nam in iis magnas plerumque tragoedias excitat in minutiis et bilem in Ryckium effundit.

31. *Aliorum*, a quibus Taciti opera ex Freinshemiana vel Gronoviana recensione edita sunt Amstel. 1701. 16. Paris. 1733. 16. Amst. 1734. 12. apud Ianssonio-Waesbergios, Amst. 1734. 16. ap. Ioh. Wettstenium et Ge. Smith, (ad fidem optimorum MSS. cum serie chronol.) Amst. 1735. 12. Heidelb. 1743 sq. (in Casp. *Haurisii* Scriptor. lat. hist. Rom. Voll. III.) Lond. 1754. 12. Voll. IV. ap. Brindley, Patavii 1755. 4. (cum vers. Ital.) Tremon. 1812. 8. Annalium libri XVI. ex recens. noviss. cum brevi annotat.

32. Ioh. Aug. *Ernestii* Lips. 1752. et iterum 1772. 8. Voll. II. Ille Gronovianam Taciti recensionem multis locis bene emendavit, sed male interpunxit verba, nec satis accurate enotavit lectiones MSti Guelferbytani veterumque editionum. Dedit integras Lipsii et I. Fr. Gronovii notas iisque adiecit suas, in quibus plerumque priorum interpretum sententiae et recte diiudicantur, multa vero corrigenda censentur, quae sana sunt. Ad calcem apposuit Lipsii excursus, coniecturas *Nic. Heinsii*, (in quibus non tam ingenium et doctrina, quam modestia critica iudiciumque limatum desideratur) duos excursus de vexillariis et ad SCtum de Vespasiani imperio, duo monim. ant. e Chishulli Antiq. Asiat. duplicemque indicem, historicum et latinitatis.

Recensionem Taciti Ernestianam secuti sunt editores anonymi Berol. 1771. 8. Herbipoli 1777. 8. et alii.

33. Iohannis Nicolai *Allemanni* vel *Lallemandi* (Lallemand) Parisiis anno 1760. iterum 1769. et postremo 1793. 12. Voll. III. Recensio Ernestiana non raro immutatur ex ingenio et codice MS. Regio Parisiensi; sed

acumen ingenii saepius desideratur et in re critica et in interpretatione.

34. *Bletterii* (l'Abbé I. Phil. René de la Bletterie) et *Dottevillii* (I. H. Dotteville) cum notis historicis et criticis lingua Gallica expressis. Hic translationes Historiarum et sex posteriorum libr. Annalium, ille reliquorum Taciti operum una cum textu eius, et primum quidem ille separatim suas edidit Paris. 1755. 12. Voll. II. et 1768. 12. Voll. III. hic Paris. 1772. 12. Voll. II. 1774 — 1779. 12. Voll. II. 1792. 8. Iunctim vero prodiere Paris. 1774. 1779 — 1788. et 1799. 12. Voll. VII. Recensio Ernestiana saepius emendata ex ingenio et MS. Regio Parisiensi alioque Institut. Orat. Iesu. De hac editione idem fere iudicandum quod de illa Lallemandi.

35. Gabrielis *Broterii* (Brotier) Paris. 1771. 4. Voll. IV. 1776. 12. Voll. VII. Edinburg. 1796. 4. Voll. IV. et una cum notis Porsoni aliorumque Lond. 1812. 8. Voll. V. quae editio inscripta est: *C. Cornelii Taciti opera recognovit, emendavit, supplementis* (librorum deperditorum, quae etiam Pragae 1775. 8. et Lond. 1821. 8. seorsum publicata sunt) *explevit, notis, dissertationibus, tabulis geographicis illustravit Gabriel Brotier.* Hic variam dedit scripturam editionum veterum et codicum MSS. tam ab ipso collatorum (Oxoniensium, Vaticanorum et Regii Parisiensis) quam ab aliis, (Florentinorum, Corbinelli cet.) sed innumeris locis nihil enotavit et molem criticam congessit potius, quam subtili iudicio digessit. Idem in notis et in dissertationibus copiose egit de pecunia Romanorum, de stemmatibus, in primis Caesarum, de inscriptionibus, tributis, legionibus, congiariis, moribus Romanorum, de Christianis, Iudaeis, Iudaeis Sinensibus cet. et permulta immiscuit, quae vel a locis Taciti aliena, vel ne tironibus quidem ignota sunt. — Recensio Broterii cum eius supplementis et Indice, sed sine illis notis et dissertationibus, repetita Manhemii 1780. 1781. 8. Voll. V. Londini (cura H. Homer) 1790. 8. Voll. IV. Edinb. 1796. 8. Vol. IV. Paris. (curante I. Amar) 1824. 8. Vol. IV.

36. *Bipontina* e recensione Ge. Christ. *Crollii* Biponti 1779. 1780. 8. Voll. IV. auctior et emendatior post

obitum eius cura Frid. Christ. *Exteri* generi et Ioh. Val. Embseri Biponti 1792. 8. Voll. IV. Haec editio, in qua Crollius Taciti opera recognovit notisque criticis et aliorum et suis illustravit, initio tantis virorum doctorum plausibus, tanto assensu, quanto vix alius liber, excepta erat, sed iam diu et nunc a doctioribus non magni aestimatur, et hoc minus mirum est quam illud: nam ut taceam, eum scabra oratione uti, aeque indoctus est Criticus atque interpres, et tum aliorum tum suas potissimum coniecturas et saepius omnium minime probabiles similesve aegri somniis innumeris locis in ordinem recipere nulla ipsi religio fuit.

37. *Lamallii* (*Oeuvres de Tacite avec la traduction françoise - par Dureau de Lamalle*) cum notis et primum sine textu, quem dicunt, Paris. 1790. 8. Voll. III. deinde cum eo Paris. 1808. 8. Voll. V. et 1817. 8. Voll. VI. Editio similis est Dottevillianae.

38. *Anonymorum* Halae 1793. 8. Voll. II. Wirceb. 1815. Lips. 1821. 12. Voll. II.

39. *Ferleti* Paris. 1801. 8. Voll. II. cuius titulus est: *Observations littéraires, critiques, politiques, militaires, géographiques sur les Histoires de Tacite, avec le texte latin corrigé par Edme Ferlet.*

40. Ier. Iac. *Oberlini*, qui tertiam Ernestii editionem typis imprimendam curavit Lips. 1801. 8. Voll. II. postquam Fr. Aug. *Wolfius* hunc laborem primo susceptum non nisi ad Ann. 2, 24. perduxerat, quod nemo erit qui non mecum doleat. Novus ille editor vitia operarum in ed. Ernest. tantum non omnia sustulit ac saepissime alias sed non raro improbabiliores lectiones vulgatis substituit. In notis, quas aspersit, multis locis memorantur numi, geographica et critica, sed (si minores Taciti libros exceperis, quibus plus studii impendit) pauca tantum, quae ad interpretationem pertinent ac saepe aliis non ubique nominatis debentur, plerumque vero vel lectiones codicis MSti Budensis et editionum veterum, vel coniecturae criticae, non tam ipsius, quam aliorum interpretum et antiquiorum et recentiorum, I. Fr. Hilleri, Lallemandi et in primis Crollii, quae saepius quam fas erat in locum vulgatae lectionis substitutae sunt. Cf. Wolf.

Stiftung Traians p. 10. Praefationi Vol. II. annexae animadversiones criticae Thomae Wopkensii ad Tac. Ann. I — VI. ipsis autem Taciti libris monimenti Ancyrani reliquiae (quas Wolfius Suetonio suo aptius attexuit) et Eman. Ios. W. Sainte-Croix comment. de imperio Parthorum. Haec Oberlini editio repetita est Oxon. 1813. 8. Voll. IV. Aug. Taurin. 1820. 1821. 8. Voll. V. et Lond. 1821. 8. Voll. V. Recensio autem Ernestii et Oberlini maximam partem retenta ab iis, qui postea Taciti opera edidere.

41. G. W. A. *Lempelii* Slesv. et Lips. 1791. 12. Vol. I. Sex priores Annalium libri cum scholiis et Broterianis Supplementis lib. VII — X.

42. *Bodoni* Parmae 1795. formae maximae Voll. III. 1795. 4. Voll. III. 1797. 8. Voll. VIII. Taciti Annales.

43. I. G. *Hutteni* Tubing. 1797. 1798. 8. Voll. II.

44. Ge. Alex. *Ruperti* Gottingae 1804. 8. Vol. I. Annales Taciti. Volumine alio continetur Commentarius perpetuus in hos Annales.

45. Ioh. Car. *Weikerti* Lips. 1813 — 1816. 8. Voll. III. cum annotatt. vel Latina vel Germ. lingua scriptis et hoc titulo: *C. Cornelii Taciti opera.* Mit Einleitungen, Zeit- und Geschlechtstafeln und erklärenden Anmerkungen für studierende Jünglinge und alle Freunde der alten Literatur, die nicht eigentliche Philologen sind. Editio fini suo non male respondens, in primis in minoribus Taciti libris.

46. Iosuae *Naudeti* Paris. 1819. 1820. 8. Voll. VI. cum integris Oberlini et selectis variorum annotationibus, quibus raro novae sunt adiectae. Volumine quarto continentur Dialogus de Oratoribus et excursus, primum Schulzii ad Dialogum, deinde Mureti, Lipsii et variorum ad opera Taciti; quinto appendix chronologica et Politica Taciti auctore Broterio, et exempla imitationis e tragoediis variorum poetarum Gallicorum collecta; sexto indices nominum et rerum et latinitatis.

47. *Traneri* Upsal. 1821. 8. Voll. II.

48. *Calonnii* (P. F. de Calonne) Paris. 1824. 8. T.

I. Annalium libri I. II. III. cum notis selectis variorum interpretum.

49. G. H. *Lünemanni* Hannoverae 1825. 8 mai. *ad optimarum editionum fidem scholarum in usum curata.* In calce notae quaedam criticae et index historicus.

50. C. H. *Weissii* Lips. 1825. 12. Voll. II. Mera et vitiosa editionis Oberlin. repetitio.

51. Imman. *Bekkeri* Berol. 1825. 8. min. *Taciti opera ex recensione Ernestiana in usum scholarum recognita,* multis mutatis in scribendi et interpungendi modis. Adiectus index historicus. — Idem V. C. novam deinde Taciti editionem vulgavit Lipsiae 1831. 8. Vol. II. cuius inscriptio est: *Corn. Tacitus ab I. Lipsio, I. F. Gronovio, N. Heinsio, I. A. Ernestio, F. A. Wolfio emendatus et illustratus, ad codices antiquissimos recognitus;* et praefatio: „Quod Curtio Pichenae olim et Iac. Gronovio contigit, ut codicibus Florentinis de integro inspectis bene de Tacito mererent, id mihi quoque aliquatenus licuit adepto eorum librorum lectionem a Franc. Furia V. D. accurate excerptam. Accessit Niebuhrii beneficio Farnesianus dialogi codex, quem Neapoli versaverat vir ille immortalis. Hos igitur libros diligenter, ut par erat, expressi, etiam in minutioribus plerisque et ubi minus sibi ipsi constarent. — Notae Lipsii et Gronovii ut emendatius quam apud Ernestium legerentur operam dedi. Ernestii recidi nonnullas, et Heinsianas quanquam invitus reliqui. Oberlinianae ne desiderentur vix est ut verear. Indices (Ernestianos, historicum et rerum) multis locis refinxi. Codices literis suis initialibus signavi."

52. Theoph. *Kiesslingii* Lipsii 1829. 12. Taciti Annales ex recensione Bekkeri in edit. I. Haec tamen saepe immutata est, et adiecta annotatio critica, cui inest delectus lectionum et coniecturarum.

53. Ge. Henr. *Waltheri* Halis Sax. 1831 — 1833. 8. Voll. IV. Haec est ultima Taciti editio, sed omnium praestantissima, in qua non modo quaevis scripturae varietas e codicibus MSS. non satis diligenter ab aliis, ex editionibus vero veteribus accuratissime a Walthero enotata continetur, sed etiam verior lectio permultis locis subtili

ingenio aestimata et restituta est. Annotatio tamen magis ad rem criticam et verborum quam rerum interpretationem pertinet. Ceterum volumen quartum prelo paravit Fr. Aug. Eckstein Phil. Doctor, quia Walther e vita concessit a. 1830. postquam dimidiam eius partem elaboraverat.

II. MINORUM SEPARATIM VULGATORUM.

A. LIBELLI DE VITA AGRICOLAE.

§. XXXI. 1. *Princeps* Puteolani, qui primus eam vulgavit in libro, cuius titulus est: *Plinii Secundi et aliorum Panegyrici. Accedunt Agricolae vita per Cornelium Tacitum et Petronii Arbitri satyrici fragmentum* sine loci et anni nota. Mediol. 1476. vel 1482. nisi hoc anno iterum typis exscripta est. v. Saxii hist. lit. typogr. Mediol. p. 240. et 483. Catal. biblioth. Comitis de Reviczky p. 108. Eberti Lex. bibliogr. T. II. p. 299. nr. 15743. Ephem. lit. Ien. a. 1830. nr. 18. p. 144. Dronk. in praef. ad Tac. Agr. p. VIII. et Walch. in praef. ad Tac. Agr. p. VII. Varias eius lectiones Parisiis excerpsit Car. Ben. Hase Prof. Paris. in usum Dronkii, qui duas quoque Puteolani editiones supra memoratas comparavit.

2. Mich. *Virdungi* Norimb. 1637. cum annotat.

3. M. Zuerii *Boxhornii* cum comment. Lugd. Bat. 1642. 12.

4. Ioh. Andr. *Bosii* cum notis Ien. 1656. 8. et Ien. 1664. 8. adi. comm. Boxhornii.

5. *Cyriaci Lentuli* Marb. 1666. 8. Vita Agric. et Germania.

6. Aug. *Buchneri* cum notis post obitum eius cura Io. Ge. Schubarti editis Lips. 1683. 8. Notae sunt digna quae legantur.

7. Ioh. Matth. *Gesneri* in eius Enchirid. Gott. 1745. 8.

8. Ioh. *Aikinii* Lat. et Angl. Lond. 1771. 8.

9. M. F. *Soergel* Lemg. 1772. et 1810. 8. cum notis et translat. Germ.

10. *Gothana* 1777. 8. Lat. et Germ.

11. Mich. *Engelii* Lips. 1788. 8. cum notis et vers. Germ.

12. R. *Parr,* annexa libello de Germania, Lond. 1788. 8.

13. *Norimbergensis* 1790. 8. subiuncta libello de Germania.

14. Ant. Aug. *Renouardi* Paris. 1795. 12.

15. Ioh. Casp. *Schlüteri* Duisb. 1808. cum notis et translat. Germ.

16. Cp. Fr. *Renneri* et I. Cp. *Finckii* cum translat. Germ. Gott. 1808. 8. recognita et notis instructa ab Aug. *Schlegel.* Gott. 1816. 12.

17. Ioach. Dit. God. *Seebodii* Gott. 1812. et Hannov. 1818. 12.

18. Sev. Nic. Ioh. *Blochii* Hafniae 1814. 8. Vita Agricolae recens. et selectis obss. Erasmi Mölleri editorisque (in modum Minellii) illustrata.

19. *Barkeri* Lond. 1818. et 1824. 8. Cf. editt. Germaniae.

20. Ern. *Dronkii* Confluent. 1824. 8. cum variet. lect. atque annotat.

21. U. I. H. *Beckeri* Hamb. 1826. 8. quae inscripta est: *C. Corn. Taciti de vita et moribus Agricolae libellus. Textum recensuit et ad fidem codicis Vat.* (3429.) *emendavit notasque adspersit Becker.*

22. Ioh. Godofr. Guil. *Hertelii* Lips. 1827. 8. cum notis et diss. de vexillariis.

23. Ge. *Schedii* cum interpret. Ilmen. 1827. 8.

24. Petri Hofman. *Peerlkampi* cum annotat. Lugd. Bat. 1727. 8.

25. Ge. Lud. *Walchii* cum notat. crit. Berol. 1820. 12. deinde cum commentario perpetuo lingua German. scripto et prooemio de antiqua biographiae forma et indole Berol. 1828. 8. Editio ceteris praestantior et luculentum eruditionis acuminisque documentum, cui etiam rigida aliorum interpretum censura inest.

26. Franc. *Ritteri* Westfali cum notis crit. in usum lectt. Bonnae 1832. 8.

27. Taciti de vita Agricolae libellus, mit Erläuterungen und Exkursen von Carl Lud. *Roth,* Nürnberg 1833. Permulta Taciti loca egregie illustrantur.

B. LIBELLI DE GERMANIA.

1. *Poggii* Florentini egregia, aliis dicta *Bononiensis*, *Veneta* et *Katharensis*, a Poggio annexa translationi latinae Diodori et primum vulgata Bononiae 1472. deinde Venetiis 1476. in forma max. per Andream Iacobi Katharensem et Ven. 1481. per Thomam Alexandrinum. Postrema Gebauero suppeditata erat ex biblioth. Gottingensi, (v. ei. Vestigia iuris Germ. antiq. in Tac. Germ. obvia p. 919.) secunda Ernestio ex bibl. Paulina Lips. et Orellio ex bibl. Carolina Gal. V, 87. Ab hoc accuratius quam ab illis collata et quidem cum edit. Passovii in Symbolis crit. et philol. in Tac. Germ. Turici 1819. 4. Plerumque, non ubivis consentit cum Taciti ed. Spir.

2. (*Norimbergensis* in offic. Fr. Creussneri circa a. 1474. formae max.) sine loci et anni nota. Editio praestantissima, quae Rhenano dicitur *codex Artolphi* et Ernestio *codex Kappii*, (quia ille eam ab Hieron. Artolpho medico, hic a I. E. Kappio Lipsiensi acceperat) sed perperam I. Kappio Baruthino et Bredovio *manuscriptum Kappianum*.

3. *Romana* sine loci et anni nota, (Romae circa a. 1474. 4. typis Ioh. Gensberg impressa) comparata ab Oberlino et plerumque consentiens cum ed. Norimb.

4. *Lipsiensis* sive *Monacensis* Lips. 1502. 4. in aedibus Wolfgangi Monacensis, collata a Passovio, qui eam ex edit. Puteol. expressam esse dicit et peccare, quoties ab ea recedat.

5. Ioh. *Rhagii* Aesticampiani Lips. 1509. 4. saepius laudata a Longolio, Ernestio et Oberlino.

6. *Parisiensis* 1510. 4. (*Parrhisiis apud collegium Plesseiacum.*) Huius editionis rarissimae, quae cum Norimbergensi plurimum congruit, lectiones aliquot in cap. 2—18. prolatae ab Hummelio in Bibl. libr. rar. T. III, 9. p. 94. sed omnes ab Hessio.

7. *Viennensis 1515. 4.* cuius fini haec subscripta: *Impressum est hoc opusculum accurata diligentia Ioannis Singrevii Chalcographi. Vienne Pannonie mense Ianuari MDXV.* Varietatem scripturae dedit Passovius, idemque de indole editionis haec annotavit: „Lectiones nunc cum edit. Norimb. nunc cum ed. Puteol. consentiunt, rarius

cum cod. MS. Bambergensi, interdum huic editioni sunt propriae. Excellit vero inter omnes novis et praeclaris verborum distinctionibus ita, ut aliquoties coniecturas virorum doctorum asserat, aliquoties prima veram locorum rationem ostendat." Omissa a Passovio excerpsit Seebodius et perhumaniter ad me misit.

8. Mediolanensis 1517. formae max. in officina Alex. Minutiani, ex qua etiam editio omnium Taciti operum eodem anno prodiit.

9. *Rhenani minor*, a Rhenano Basil. 1519. 8. in offic. Frobenii separatim vulgata et diligentissime comparata ab Hessio, ut et maiores Rhen. 1. 2. 3. de quibus v. editiones maiorum et minorum Taciti operum nr. 10. 12. 16.

10. Andr. *Althamari* Norimb. 1529. 4. Eius commentaria etiam in lucem emissa sunt Aug. Vindel. 1580. 8. et 1609. 8.

11. *Francofurtensis* 1542. 8.

12. Iod. *Willichii* cum notis eius et Glareani et Melanchthonis Francofurti ad Viadrum 1551. 8.

13. *Melanchthonis* Witteb. 1557. 8. inscripta: *Germania Corneli Taciti. Vocabula regionum enarrata. Harminius Ulr. Hutteni. Germania Conradi Celtis. Dialogus, cui titulus est Iulius. Recens edita a Ph. Melanthone.*

14. Simonis *Schardii* in Scriptor. rer. Germ. T. I. Basil. 1574. et Gissae 1673. f. cum Melanchthonis enarratione vocabulorum regiones et gentes indicantium, Althameri scholiis, Glareani et Willichii commentariis.

15. *Coloniensis* 1575. 8.

16. Aug. *Colbii* Marpurg. 1580. 8.

17. I. *Pappi* Argent. 1591. 8. *Germaniae veteris descriptiones ex probatissimis authoribus latinis atque graecis collectae et indice exornatae.*

18. Mich. *Beutheri* cum ei. commentario. Argent. 1594. 8.

19. Christoph. *Coleri* cum ei. commentario. Hanov. 1602. 8.

20. *Argentoratensis* 1610. et 1670. 8. *Rhenani rerum German. libris* addita cum eiusd. castigatt. et Willichii comment.

21. Phil. *Cluverii*, praefixa eius Germaniae ant. Lugd. Bat. 1631. f. *Taciti de Germania libellus a mendis quam plurimis purgatus et locis aliquot transpositus novisque interpunctt. in verum sensum distinctus.*

22. Mich. *Virdungi* Norimb. 1637. 8.

23. *Coburgensis* 1647. 8.

24. Herm. *Conringii* Helmst. 1635. 1652. et 1678. 4. cum notis crit. excerptisque ex Caesare, Strabone, Mela, Plinio et aliis. Idem edidit librum de habitu corporum Germanicorum antiqui ac novi causis Helmst. 1666. 4. ed. III. et alium de orig. iuris Germ. Helmst. 1695. 4. ed. IV.

25. Ge. Casp. *Kirchmaieri* Witteb. 1664. 8.

26. *Cyriaci Lentuli* cum vita Agricolae Marb. 1666. 8.

27. Aeg. *Lacarrii* (Lacarry) in ei. Historia coloniarum Gallicarum, Claromonti 1677. 4. cum notis egregiis.

28. Ioh. Val. *Merbitzii* cum dispositione opusculi dichotomica et ind. geogr. Dr. (1686.) 8.

29. I. Christoph. *Vetteri*, qui libellum recensuit et notis perpet. atque indicibus illustravit Erlang. 1714. 8.

30. *Halensis* cum notis Germ. Halae Magdeb. 1720 et 1744.

31. Iusti Christoph. *Dithmari* Francof. ad Viadr. 1725. 1749. et 1766. 8. cum comm. perp. et pragmatico. Accedunt in Appendice notae Conringii, Lacarrii, Leibnitii cum excerptis ex Iac. Gronovii oratione de tempore immigrationis Batavorum in insulam suam.

32. *Hauptmanni* cum notis Lips. 1747. 8.

33. Car. Henr. *Ioerdens* cum variorum suisque notis Berol. 1783. 8.

34. *Altenburgensis* 1786. 8. cum vers. Germ., annotatt. et ind. geogr.

35. Pauli Dan. *Longolii* ex MS. eius cura *I. Kappi* Lips. 1788. 8. Ex rec. Longolii et cum eius obss. selectis.

36. Rich. *Parrii* et *Bellendeni* Lond. 1788. 8. cum vita Agric.

37. *Norimbergensis* 1790. 8. cum vita Agric. ad exemplar Bipont.

38. I. H. *Emmert* Gott. 1791. 8. cum notis et explicat. vocab.

39. I. Cp. *Schlüter* cum vers. Germ. et notis Dortm. 1798. Hamm. 1821. 8.

40. G. Gust. *Bredovii* cum brevi annotat. Helmst. 1808. et 1816. 8.

41. Ioach. Dit. Godofr. *Seebodii* Hannov. 1815. 12.

42. Fr. *Bischoffii* cum vers. Germ. notisque. Isenaci 1816. 8.

43. Fr. *Passovii*, qui *Germaniam recensuit, varietate lectionis instruxit annotationemque Bredovii integram addidit;* cui adiecit suam longe praestantiorem, Vratisl. 1817. 12.

44. Edm. Henr. *Barkeri* in lingua Angl. Lond. 1818. ed. II. et 1824. ed. III. *The Germany and Agricola of Tacitus from Brotier's text with all his observations, notes and emendations.* Broterii notis selectae aliorum et editoris subiunctae.

45. I. F. C. *Diltheii* cum commentariis Germ. scriptis Brunsv. 1823. 8.

46. Phil. Car. *Hessii* ex rec. et cum obss. Longolii Lips. 1824. 8. Vir doctus scripturam saepius mutavit, varietatem lect. supplevit notasque suas adiecit.

47. Fr. Wilh. *Altenburgi* cum notis gramm. et crit. Hildburgh. 1825. 8.

48. C. *Teuberti* Lips. 1826. 12.

49. G. Fr. C. *Güntheri* cum varietate lect. in textu recognito et brevi tum aliorum tum sua annotatione, Helmst. 1826. 12.

50. Ge. Lud. *Walchii* cum translat. Germ. Berol. 1829. P. I.

51. Theoph. *Kiesslingii* cum annotat. Lips. 1832.

52. Ioh. *Gruberi* cum notis crit. gramm. et hist. Berol. 1832.

C. DIALOGI DE ORATORIBUS.

1. Petri *Pithoei* I. C., qui usus est exemplari in Italia aliquot annis ante descripto, Lutetiae apud Mamertum Patissonium in offic. Rob. Stephani 1580. f. Heidelb. apud Ieronymum Commelinum 1594. f. Heidelb. 1604. f. in off. Iac. Stoer Voll. II. et in Voll. I. libri, qui inscriptus est: *M. Fabii Quintiliani Declama-*

tiones, Calpurnii Flacci Excerptae X. Rhetorum minorum LI. Dialogus de oratoribus.

2. Erici *Benzelii* cum notis integris Schelii, Pithoei Lipsii cet. selectis vero Mureti, Pichenae et Acidalii Upsal. 1706. 8.

3. Cp. A. *Heumanni* Gott. 1719. 8. *Dialogus recognitus, emendatus et illustratus.*

4. Ioh. Henr. Aug. *Schulzii*, qui *Dialogum denuo recensuit, varietatem lect. et coniecturas eruditorum adiecit, annotatione selecta aliorum et sua illustravit* Lipsiae 1788. 8.

5. Ioach. Dit. Godofr. *Seebodii* Gott. 1813. et Hannov. 1815.

6. Ern. *Dronkii*, qui Dialogum recensuit et annotatione instruxit Confluent. 1828. 8.

7. Fr. *Osanni*, qui dialogum recensuit et annotatione critica instruxit Giess. 1829. 8.

8. Ioh. Casp. *Orellii* Turici 1830. 8. cum notis criticis tum suis, tum Heumanni, Schulzii, Dronkii, Osanni in editt. libelli et Peerlkampii in Bibl. crit. nova T. I P. I. tum novis et primum vulgatis Rauchensteinii, Prof. Gymn. Argov.

9. Guil. *Boetticheri* cum annotat. crit. Berol. 1832. 12

TRANSLATIONES

LIBRORUM A TACITO SCRIPTORUM.

I. GERMANICAE.

A. OMNIUM TACITI LIBRORUM.

§. XXXII. 1. Iac. *Micylli* Mogunt. 1535. f. Der Römischen Keyser Historien durch Corn. Tacitus beschriben. Item das Büchlein von den alten Teutschen brauch und leben. — 2. Car. Melch. Grotnitz von Grodnau Francof. 1657. 1675. Norimb. 1696. 8. Tacitus in teutsche Sprache gebracht. — 3. Ioh. Sam. *Mülleri* Hamb. 1765. 1766. 8. Vol. III. — 4. *Patzkii* et *Goldhagenii* Hal. Magd. 1765 — 1777. 8. Vol. VI. et nova editio 1771. Voll. II. — 5. Car. Frid. *Bahrdtii* Hal. 1781. 8. Voll. II. — 6. G. L. *Becker* cum notis Francof. 1802. 8. T. I. — 7. *Woltmann*

(Car. Lud. v. Woltmann) cum commentatt. et notis Berol. 1811—1817. 8. Voll. VI. — 8. *Strombecii* (Fr. Carl von Strombeck) Brunsv. 1816—1818. Voll. III. cum annotat. — 9. P. C. *Greveri*, Specim. I. Lemg. 1824. 8. — 10. Fr. Reinh. *Ricklefsii* cum notis Oldenb. 1825—1827. 8. Vol. IV. — 11. Ge. Chr. *Herrmanni* cum annotat. Giess. 1827. 8. T. I. Cf. eiusdem obss. in Ephem. schol. Darmst. a. 1826. p. 170 sq. — 12. Guil. *Boetticheri* Berol. 1831. 8. T. I. II.

B. ANNALIUM.

1. Ioh. Cp. *Schlüteri* Duisb. 1809—1818. Voll. III. Francof. 1825. T. I. — 2. *Hackii* (Carl Freih. von Hacke) Francof. 1825. 1829. 8. Voll. II. — 3. Chr. *Schober*: Probe einer neuen Uebers. der Jahrbücher des Tacitus, Schleus. 1829.

C. HISTORIARUM.

Henr. *Gutmanni* cum notis philol. et hist. Tiguri 1824. 8.

D. LIBELLI DE VITA AGRICOLAE.

1. (Chr. Gottl. *Gebaueri*) cur. I. Iac. Hagen Vratisl. et Lips. 1755. — 2—4. *Anonymorum*, α) in libro, cui titulus est Verse und Prose Bas. 1773. 8. β) Gothae 1777. 8. γ) Carlsruhe 1786. 8. — 5. Gottl. F. *Arztii* cum notis Misniae 1801. et 1820. 12. — 6—10. *Schlüteri*, *Soergelii*, *Engelii*, *Renneri* et *Walchii*. v. Editt. huius vitae. — 11. Ioh. Iac. *Stolzii* Brem. 1817. 8. — 12. Lud. *Doederleinii* cum notis Aarau 1817. 8. — 13. *Hackii* (Carl Freih. v. Hacke) Carlsr. 1818. — 14. *Rommelii* Marb. 1820. 8. — 15. Fr. Car. *Rumpfii* Giess. 1821. — 16. H. W. F. *Kleinii* cum notis Monaci 1825. 12. — 17. Henr. *Gutmanni* c. n. Stuttg. 1829. — 18. Guil. *Boetticheri* cum annotat. Berol. 1830.

E. LIBELLI DE GERMANIA.

1. Ioh. Theod. *Iablonskii* Berol. 1724. 8. — 2. (Lh. Cp. *Rühlii*) cum notis latine scriptis Hal. 1725. et 1728. 12. — 3. *Hollii* cum notis Bamb. 1777. 8. — 4. C. F. *Kretzschmanni* Lips. 1779. 8. — 5. Car. Gottl. *Antonii* cum annotatt. Lips. 1780. et 1781. Gorl. 1799. 12. — 6. I. H. M. *Ernestii* cum notis Norimb. 1791. 8. —

7. Ioh. Fr. *Schwedleri* Hal. 1793. 8. — 8. I. Cp. *Schlüteri* Dortm. 1798. 8. — 9. C. G. G. *Koch*: mit gramm. philol. u. hist. Anmerk. Meissen 1799. — 10. Godofr. Gabr. *Bredovii* cum notis Helmst. 1801. et 1808. repetita et notis aucta a Iul. *Billerbecio* Helmst. 1826. 8. — 11. Ge. A. *Fischeri* Monaci 1811. 8. — 12. Ferd. *Bischoff* cum notis Isenaci 1816. 8. — 13. F. W. *Tönnies* cum notis Berol. 1816. 8. — 14. Kurt *Sprengel* cum annotat. Hal. 1817. et 1820. 8. — 15. Carl Freih. von *Hacke* Carlsr. 1818. — 16. Frid. *Rühs* cap. 1—10. cum annotat. Berol. 1821. — 17. *Anonymi* Güstr. 1824. — 18. H. W. F. *Klein* c. n. Monaci 1826. 12. — 19. F. *Bülau*, I. *Weiske* et C. v. *Leutsch* Lips. 1828. 8. cuius titulus est: Die Germania des Tacitus übersetzt und in volksthümlicher, deutschrechtlicher und geographisch - historischer Hinsicht erläutert, für Gelehrte und denkende Freunde des Alterthums aus gebildeten Ständen; nebst einer Charte von Germanien nach Tacitus. — 20. Henr. *Gutmanni* Stuttg. 1829. in collect. Translatt. inscripta: Römische Prosaiker in neuen Uebersetzungen herausg. von Tafel, Osiander und Schwab, 51stes Bändchen.

F. DIALOGI DE ORATORIBUS.

1. I. Iac. H. *Nast* cum notis crit. et hist. Halae 1787. 8. — 2. F. Fd. *Drück* in ei. libellis: Drück's kleine Schriften T. III. Tüb. 1812. 12.

II. GALLICAE.

A. OMNIUM TACITI LIBRORUM.

1. Angeli *Capelli* in Crucimanii Bibl. Gallica p. 9 sq. a. 15. v. Fabricii Bibl. Lat. T. II. p. 402. ed. Ern. — 2. Claude *Fauchet* Par. 1582. f. 1583. 4. 1584. 8. Genève 1594. 8. Anvers 1596. 8. Douay 1609. 8. — 3. *B. D. B.* Par. 1599. 4. — 4. I. *Baudoin* Par. 1610. 1619. 1628. et 1660. 4. — 5. Rodolphe *le Maistre* Par. 1636. f. Rouen 1650. 8. Voll. II. — 6. *Perrot d'Ablancourt* Annal. et Hist. Par. 1640.—1644. 8. Voll. III. German. et Agric. Par. 1646. 8. Opp. Tac. cum notis Par. 1650. 8. Voll. II. 1651. 8. Vol. II. 1658. 8.

Vol. II. 1658. 4. Rouen 1665. 4. Amst. 1670. 8. Voll. II. Par. 1674. 12. Voll. III. 1688. 12. Voll. III. Amst. 1691. 8. Voll. II. Lugd. 1693. 8. Voll. II. — 7. Achilles *de Harlay* Par. 1644. f. 1659. f. — 8. 9. 10. *Bletterii, Dottevillii* et *Lamallii*; v. Editt. maiorum et minorum librorum a Tacito scriptorum nr. 34. et 37. — 11. M. *de Barrett* cum textu, quem dicunt, latino Par. 1811. 12. Voll. III. — 12. Gallon *de la Bastide* Par. 1812. 12. Voll. III. — 13. *Bournouf* Par. 1827. 8.

B. ANNALIUM.

1. Etienne *de la Planche* (V librorum primorum) Par. 1548. 1555. et 1581. 4. — 2. Rodolphe *le Maistre* Par. 1616. 12. ed. II. cui titulus est: *Le Tibère françois ou les six premiers livres des Annales de Tacitus.* — 3. Amelot *de la Houssaye* cum notis polit. et hist. Par. 1690. 4. et 12. Voll. II. Hagae Comitum (à la Haye) 1692. et 1709. 12. Voll. IV. Roterod. 1709. 12. Vol. IV. Amst. 1716—1721. 12. Voll. IV. 1730—1734. 12. Voll. X. (Vol. V—X. par *L. C. de G.*) Hagae Com. (à la Haye) 1692 sq. 1731—1735. 12. Voll. X. — 4. *Guerin* Par. 1742. 12. Voll. III. — *Meilhan* Par. 1790. 8. T. I.

C. LIBELLI DE VITA AGRICOLAE.

1. (Ange *Cappel du Luat* Par.) 1574. 4. — 2. *I. H.* (*Ithier Hobier*) Par. 1639. 12. — 3. (*Philippi V. regis Hispan.*) Lugd. 1706. 8. — 4. *Boucher* Par. 1776. 12. — 5. Par *le duc de Nivernois* Par. 1796. 8. — 6. *Desrenaudes* Par. 1797. 16. — 7. *Dambreville* Par. 1803. 12. — 8. (*Rendu*) Par. 1806. 18. — 9. (*Cools Desnoyers*) un officier Par. 1819. 8.

D. LIBELLI DE GERMANIA.

1. Claude *Guillomet* Par. 1552. 16. — 2. (*Philippi V. regis Hispan.*) Lugd. 1706. 8. — 3. *Boucher* Par. 1776. 12. — 4. C. L. F. *Panckcucke* cum notis Par. 1824. 8.

E. DIALOGI DE ORATORIBUS.

1. Claude *Fauchet* Par. 1585. 8. — 2. Louis *Giry* (cum praef. Ant. Godeau) Par. 1630. 4. — 3. *Morabin*

Par. 1722. 12. — 4. Bourdon *de Sigrais* Par. 1782. 12. — 5. Charles *Dallier* Rhemis et Par. 1809. 8.

III. ANGLICAE.

A. OMNIUM TACITI LIBRORUM.

1. Rich. *Greenwey* et H. *Savile* Oxf. 1591. f. Lond 1622. et 1640. f. Voll. II. — 2. Th. *Gordon* cum diss. polit. Lond. 1728. et 1731. f. Voll. II. 1737. et 1757. 8 Voll. IV. 1753. et 1770. 12. Vol. V. 1817. 8. Voll. II. Eius dissertatt. translatae in linguam Gall. a *D. S. L* (de Silhouette) Amst. 1742. 12. Voll. II. et 1751. 12 Voll. III. — 3. Arthur *Murphy* cum notis, supplem. e mappis geogr. Lond. 1793. 4. Voll. IV. 1805. et 1811 8. Voll. VIII.

B. ANNALIUM ET HISTORIARUM.

Drydeni et aliorum cum notis polit. et hist. Ame lotii de la Houssaye et H. Savilii Lond. 1698. et 1716 8. Voll. III.

C. ANNALIUM ET GERMANIAE.

Rich. *Greenwey* Lond. 1598. et 1604. f.

D. HISTORIARUM ET AGRICOLAE.

H. *Savile* cum comm. Oxf. 1591. f. 1598. f. 160 1612. f.

E. GERMANIAE ET AGRICOLAE.

J. *Aikin* Lond. 1771. Warrington 1774. 1777. 177 8. Oxf. 1815. 8.

IV. ITALICAE.

A. OMNIUM TACITI LIBRORUM.

1. Paulini *Arnolfini* Rom. 1603. 12. — 2. Adria *Politi* Senensis cum notis *Horatii Gianetti* Ven. 160 12. — 3. Bernardi *Davanzati* Par. 1760. 12. Voll. I 1804. 12. Voll. III. Mil. 1820. 12. Voll. IV. cum tex lat. Flor. 1637. f. 1641. f. 1658. 4. 1677. 4. 1828. Pad. 1755. 4. Voll. II. Parigi 1760. 8. emend. a R Pastore Bassano 1790. et 1803. 4. Voll. III. Mil. 179 8. Voll. IX. — 4. Girol *Canini d'Anghiari* cum aph

rismis Baldassar Alamo Varienti Ven. 1618. 1620. 1628. 1644. 1665. 1670. 4. — 5. Pt. *Montanari* Veron. 1794 —1803. 8. Voll. IV. — 6. Lodovico *Valeriani* Pav. 1810. 8. Voll. III. Fir. 1820. 8. Voll. V. et 1820. 4. Voll. IV. — 7. Gius. *Petrucci* cum textu notisque Rom. 1815. 1816. 8. Voll. VII.

B. ANNALIUM.

1. Hieron. *Canini* Ven. 1544. 4. — 2. G. *Dati* Ven. 1563. 1582. 1589. 1598. 1607. 4. Francof. 1612. 8. — 3. Bern. *Davanzati* Flor. 1600. 4. — 4. L. Vittorii *Savioli* Parm. 1804. 4.

C. HISTORIARUM.

1. Ven. 1544. 8. — 2. Gius. *Sanseverini* Neap. 1819. 8.

D. LIBELLI DE VITA AGRICOLAE.

1. Gi. Mar. *Manelli* Lond. 1585. 4. — 2. Christoph. *Rosarii* Rom. 1625. 4. — 3. Gius. *de Cesare* Fir. 1805. 8. Neap. 1810. 8. — 4. *Napione* Fir. 1806. 8.

E. LIBELLI DE GERMANIA.

Gaetani Marré Gen. 1807. 16.

V. BELGICAE.

A. OMNIUM TACITI LIBRORUM.

Petri Corneliszoon *Hooft* (Taciti Belgarum) Amst. 1681. 4. 1684. f. 1704 f. 1714. 4.

B. ANNALIUM ET HISTORIARUM.

1. J. *van Groenewegen* Delf. 1616. 4. 1630. 4. — 2. J. *Fenacolii* Delf. 1616. 4. Amst. 1645. 8.

C. GERMANIAE.

1. *Anonymi* Amst. 1714. 8. *Antiquitates Germanicae of hoogduitsche Oudtheden.* — 2. Hendryk *van Wyn* in eius *Histor. en letterkundige Avondstonden* Amst. 1808. 8. T. I. p. 45—100.

VI. HISPANICAE ET LUSITANICAE.

A. OMNIUM TACITI LIBRORUM.

1. Eman *Sueyros* Amberes 1613. 4. 1619. 8. Madr.

1614. 4. Duay 1629. 4. — 2. Baltasar *Alamos de Barrientos* Madr. 1614. f. — 3. J. *Mor de Fuentes* Madr. 1798. 8.

B. ANNALIUM.

1. Anton *de Herrera* Madr. 1615. 4. trium librorum primorum. — 2. Carlos *Coloma* Duay 1626. 4. quinque librorum primorum. — 3. *Luiz do Couto Felix* Lisb. 1715. 4. trium libr. prim. — 4. J. Alf. *Lancina* cum comm. polit. in Annales Madr. 1687. 4.

VII. DANICA, SUECICA, POLONICA, RUSSICA.

Jac. *Baden* cum notis Hafn. 1773—1797. 8. Voll. III.
G. *Giaedda* Stockh. 1765. 4.
Adama Stanislawa *Naruszewica* Warsawie 1772. 8. Voll. IV.
Narodach Adrewnii Germanii Petersb. 1772. 8.

LIBRI ET LIBELLI

VIRORUM DOCTORUM SINGULARES AD TACITUM PERTINENTES.

I. AD VITAM TACITI.

§. XXXIII. *Passovii* disputatio in Philomathia a Wachlero edita Francof. 1818. T. I. p. 50 sq. — Cornelius Tacitus, eine biographische Untersuchung von Dr. Nic. *Bach* in Ephem. Schol. Darmst. a. 1831. Sect. II. N. 105 — 109.

II. AD INDOLEM HISTORICORUM TACITI LIBRORUM.

Politici in Tacitum commentarii, quos scripsere Scip. *Ammiratus* (discorsi sopra Tacito) Flor. 1598. 4. Bresc. 1599. 4. Ven. 1607. 4. et latine Helenopoli 1609. 4. Pad. 1642. 4. *Canonherius* Francof. 1610. Virg. *Malvezzi* (discorsi sopra Tacito) Ven. 1622. et 1635. 4. Bd. *Puccius* (sententiae ex Tacito selectae) Ven. 1621. 4. Cp. *Forstner* (notae polit. ad libros sex priores Annalium Tac.) Argent. 1628. 1631. 8. Voll. II. Lugd. Bat. 1650. 12. Francof. 1662. 12. Vol. II. Janus *Gruterus* (discursus polit. in Tac.) Lips. 1679. 4. *Amelot de la Houssaye,* (Tibère, discours politiques sur Tacite) Amst. 1686

S. Th. *Gordon* Lond. 1728. et in ed. Taciti Lond. 1737. T. I. (The works of Tacitus. Prefixed political discourses) *Boccalini, Schildius* aliique, qui id tantum egerunt, ut praecepta prudentiae civilis, sententias et exempla congererent elicerentque inde consectaria ad vitam et mores hominum pertinentia. — *Meierotto* comm. de moribus Taciti Berol. 1790. — *Hegewisch* in diss. über den schriftsteller. Charakter des *Tacitus* in dessen historischen und literär. Aufsätzen. Kiel 1801. p. 70—87. — Fr. *Roth* in disputat. quae inscripta est: über *Thucydides* und *Tacitus*, vergleichende Betrachtungen, gelesen in einer Versammlung der Königl. Baierschen Acad. der Wissensch. im J. 1812. — *Süvern* in simili disp. cui titulus est: über den Kunstcharakter des Tacitus, in den Abhandlungen der Königl. Academie der Wissensch. zu Berlin aus den Jahren 1822 und 1823 hist. philol. Classe p. 73 sq. — *v. Humboldt* ibidem a. 1820. 1821. p. 303 sq. — *Niebuhr* comm. über den Unterschied zwischen Annalen und Historien im Rheinischen Museum für Philologie II, 2. p. 298 sq. — *Bach* in Ephem. schol. Darmst. 1831. Sect. II. Sc. 108. — *Walchius* in Proleg. ad Tac. Agr. et p. 129 sq. — *Schrott* in Progr. de Tacito in gymnasiis legendo Dilling. 1831.

III. AD FIDEM TACITI.

Christ. *Wormii* comm. de corruptis Antiquit. Ebraic. apud Tacitum et Martialem vestigiis Hafn. 1693. — *Charitii* diss. utrum satis fide digna sint, quae Tacitus in libello de moribus Germanorum tradit, Witteb. 1772. 4. — G. A. *Arndt* diss. quatenus Taciti de Germania libello fides sit tribuenda Lips. 1775. 4. — Lud. *Völkel* prolusio de fontibus, unde Tacitus, quae de patria nostra tradit, hauserit, deque consilio, quod in scribendo libro de Germania secutus esse videtur, Marburgi 1788. 4. — *Meierotto* de fontibus, quos Tacitus videatur secutus, Berol. 1795. — Cp. *Rommel* progr. de Taciti descriptione Germaniae Marb. 1805. 4. — *Barby* de consilio, quo Tacitus librum de situ, moribus et populis

Germ. conscripserit, et de fide ei tribuenda, Berol. 1825. 4. — *Gerlach* über die Germania des Tacitus, in den wissenschaftl. Zeitschrift, herausg. von Lehrern der Baseler Hochschule Bas. 1825. II. Jahrgang. — *Falk* in Kieler Beiträge T. II. Schlesv. 1821. 8. — U. J. H. *Becker* in Seebodii nova Bibl. crit. a. 1825. p. 187—215 et in ei. Anmerk. und Excursen zu Tac. Germ. Hannov. 1830. p. 5—20. — Herm. *Justus* de fide Taciti Zittav. 1827. Script. I.

IV. AD STILUM TACITI.

J. G. *Walchii* diatribe crit. de Tacito eiusdemque stylo ad Jac. Perizonium, in edit. Taciti curata a Christi Hauffio Lips. 1714. 8. T. I. — J. *Lundblad* diss. de stilo Taciti Lundae 1789. 4. — *Meierotto* Progr. de moribus Taciti, Berol. 1790. — *Günther:* über einige grammatische Eigenheiten und Merkwürdigkeiten des Taciteischen Styls, in dess. Athenaeum II, 2. — John *Hill:* on the character and talents of an accomplished Historian, with an application to the writings of Tacitus, in philosophical and historical Transactions of the Royal Society of Edinburgh Vol. I, 4. Quem refutavit Joh. Theoph. *Buhle* in Epistola ad Joh. Joach. Eschenburgium scripta, cui insunt obss. crit. de Taciti stilo Brunsv. 1817. 8. — Jul. Aemil. *Wernicke* de elocutione Taciti, Thoruni 1829. 8. — Guil. *Boetticheri* Lexicon Taciteum sive de stilo Taciti, Berol. 1830. 8. Eiusdem libellus de vita, scriptis ac stilo Taciti, Berol. 1834. 8.

V. AD RELIGIOSAS TACITI NOTIONES.

J. *Kynaston* oratio, qua Tacitus a falso impietatis crimine vindicatur, Oxon. 1762. 4. — J. Kiliani *Wolf* diss. inaug. de divina mundi moderatione e mente Taciti, Fuld. 1830. — Car. *Hoffmeister* in libro, qui inscriptus est, die Weltanschauung des Tacitus Essen 1831.

VI. AD ANNALES ET HISTORIAS TACITI.

Groslotii coniecturae ad Dousam a. 1581. missae, in Burmanni Syll. epistolarum T. I. p. 348. — Phil. *C*

vriani discorsi sopra i primi cinque libri di Tacito Flor. 1600. 4. — Curtii *Pichenae* ad Taciti opera notae Florent. sine anno et Francof. 1600. auctiores Hannov. 1604. et 1608. 8. — Val. *Acidalii* et *Mureti* notae in Taciti opera collectae a Chr. Acidalio Hannov. 1607. 8. — Pii *Mutii* considerationi sopra il I. et II. libro di Tacito Ven. 1642. 4. Voll. II. — Jo. Henr. *Boecleri* commentarius in Tac. Ann. I, 1 — 15. Argent. 1643. 4. Ei. comm. in primordia Annalium et Historias Argent. 1664. 8. — J. *Schildii* exercitatt. in Taciti Ann. XV. ubi extrema Senecae describuntur, Lugd. Bat. 1645. 12. — Th. *Hunter* observations on Tacitus Lond. 1752. 8. — J. F. *Hilleri* racemationes in Tacito Progr. I—XXXIX. Witteb. 1790 sq. 4. — Th. *Wopkensii* animadv. crit. in Tacitum, in Actis lit. Societ. Rheno-Trai. ed. ab Henr. Joh. Arntzenio, T. II. p. 19 sq. et T. IV. p. 358 sq. — N. S. *Anquetil* quaedam Taciti loca notis tentata Par. 1817. 12. Ei. Extraits de Tacite Par. 1810. — *L. J. W.* (Wortberg) Annalium Taciti locos tres explanatos dedit Gryphiae 1817. 8. — Ge. Henr. *Waltheri* obss. in Taciti opera Spec. I. Stollb. 1819. 4. Spec. II. Hal. 1827. 4. — *Wachsmuthii* animadv. in Taciti historiam expeditionum Germanici in Germaniam, Kil. 1821. 4. — J. P. E. *Greveri* annotatiunculae ad Taciti Annales Lemg. 1827. — Augustini *Wissowae* Lectiones Taciteae Vratisl. 1828. 8. Spec. I. et 1829. 4. Spec. II. — C. P. *Petersen* annotationes ad Tacitum Crucenaci 1829. Spec. I. — C. *Scharbe* Progr. cui titulus: „Annales Cornelianos iuventuti explicatos in beneficii loco haudquaquam esse numerandos, Sorau. 1830. 4.

VII. AD VITAM AGRICOLAE.

Mureti notae in Tac. Agricolam, in ei. Operibus T. IV. p. 168 sqq. ed. Ruhnk. — Mich. *Virdungi* commentar. in Agricolae vitam, Argentor. 1617. — *Bosii* epistola ad Reinesium a. 1656. scripta, cui insunt notae criticae in Tac. Agricolam, in Th. Reinesii et J. A. Bosii Epistolis mutuis, Jen. 1700. 12. p. 72 sqq. — *Schefferi* obss. ad Taciti Agricolam in Dorvilii Obss. Miscell. T. III. Vol. IX. — Joh. Ferd. *Drück* prolusio in locos

aliquot ex Taciti vita Agricolae et Dialogo de oratoribus, Stuttg. 1799. inserta eius scriptis minoribus: Drück's kleinere Schriften herausg. von Carl Phil. Conz Tub. 1811. 8. T. II. p. 1 — 31. — Joh. Chr. Guil. *Dahl* animadv. crit. in Taciti Agricolam, Rost. 1802. 4. — H. Gu. F. *Klein* animadv. crit. in Tac. Agric., Jen. 1813. 8. — Theoph. C. Guil. *Schneider* obss. in Tacitum (Agric. c. 27. 36. 41. 44.) et Sallustium, Wimar. 1815. 8. — Lud. *Doederlein* emendatt. et obss. in Tac. Agricolam, in Actis philol. Monac. ed. a Thierschio Monaci 1817. T. II. P. III. p. 3 sq. — Lud. *Doederlein*: das Fegfeuer, Bern 1819. 8. I. Heft, Bemerkungen über Tacitus's Agricola nebst Rechtfertigungen. — *A. Mohr* Bemerkungen zu und über Tacitus's Agricola, Meiningen 1823. 8. — Joh. H. Th. *Brüggemann* obss. in Taciti Agricolam, Düsseld. 1824. 8. Spec. I. — L. *Bischoff* über die Vorrede des Tacitus zur Lebensbeschr. des Agricola, Wesel 1824. 8. — Chr. Fr. Ge. Christoph. *Schelling* obss. crit. in Taciti Agricolam, Curiae Regn. 1826. 4

VIII. AD TACITI GERMANIAM.

Althameri comm. in Tac. Germ. Amb. 1609. — *Berneggeri* quaestiones miscell. ex Taciti Germ. et Agric editae a J. Freinshemio Argent. 1640. 8. — Joh. *Strauchii* diss. ad Tac. Germaniam, Francof. 1683. 8. — Joh Ge. *Graevii* Dictata ad Taciti Germaniam e Bibl. regi Hafniensi edita ab O. Bloch, in Seebodii: Neuem Archi für Philol. a. 1826. I, 7. p. 88 — 104. — J. P. Amelang: Gedanken über die Absicht und den Plan d Tacitus in seinem Buch von den Sitten der Deutsche im Encyclop. Journal, Cleve 1774. I. B. und in J. H M. Ernesti Übersetz. der Germania des Tacitus, Nürnberg im Anhange p. 23 — 97. — J. H. M. *Ernesti* Versuch eines hist. geogr. Wörterbuchs zum Gebrauch des Tacitus, Nürnb. 1792. 8. — Aug. Chr. *Borheck* disp. ad Tac. Germ. c. 9. de Mercurio, Hercule, Mar et Iside Germanorum in: N. Magazin für Schullehr Göttingen 1793. II, I. p. 234 sq. — J. F. *Herel* üb einige Stellen in Taciti Germania Erf. 1796. 4. — L. *Hartmanni* obss. in Tac. Germaniam, Guben. 1802.

1809. 4. Progr. I. II. III. — J. G. *Zimmermanni* obss. in Tac. Germ., Darmst. 1807. 8. — Ch. A. Gf. *Emmerling:* comm. de locis nonnullis in Tac. Germania, Lips. 1808. 8. — *Jacobs* und *Döring:* Lat. Elementarbuch Jena 1810. 8. III, 2. p. 333 — 350. — *Passovii* disputatio: über Tacitus's Germania, in Wachleri Philomathia Francof. 1818. T. I. p. 50 sq. — Joh. Casp. *Orellii* symbolae crit. et philol. in Taciti Germaniam Turici 1819. 4. — Fr. *Heidekamp* obss. in Tac. Germ., Lingae 1823. 4. — L. J. *Wortperg* comm. de locis VIII. e Tac. Germania, Gryphisw. 1823. — Fr. *Thiersch:* obss. in Tac. Germaniam, in Actis philol. Monac. T. III. Fasc. III. p. 459 sq. — Phil. Car. *Hess:* variae lectiones et observ. in Taciti Germaniam Helmst. 1827. et 1828. 4. — B. *Sökeland* in Progr. inscripto: Tacitus veterum Germanorum laudator, Koesfeld. 1829. — Chr. Fr. Ge. Christoph. *Selling.* obss. crit. in Tac. Germaniam, Aug. Vindel. 1830. 4. — U. J. H. *Becker:* Anmerkungen und Excurse zu Tacitus Germania Cap. I — XVIII. Hannover 1830. — De aliis v. N. III. et Vol. IV. p. 3 — 7.

IX. AD DIALOGUM DE ORATORIBUS.

Conr. Sam. *Schurzfleischii* animadv. crit. in dial. de orat. post obitum eius editae ab Henr. Leon. Schurzfleischio fratre in Actis liter. Vitemb. 1714. 8. p. 126 — 192. — Th. *Wopkensii* Adversaria critica in Tac. dial. de oratoribus, in Miscell. Observ. Vol. VII. p. 380 sq. — Lud. Gottl. *Crome* disp. de legendo dialogo de oratoribus, Luneb. 1790. P. I. et II. repetita in: Magazin für öffentl. Schulen, Bremen 1790. 1791. I, 1. p. 35 sq. II, 1. p. 159 sq. — Fr. Ferd. *Drückii* prolusio, de qua v. supra N. VII. — *Tyrwhitti* notae breves ad Dial. de orat. margini ed. Lipsii Antverp. 1627. et Broterii appositae, quas descripsere Thomas Kidd in praef. ad opuscula Ruhnkenii Lond. 1807. p. LXIX sq. Seebode in Archiv für Philol. u. Paedag. a. 1824. T. I. Fasc. IV. p. 796 sq. et Dronke in edit. huius dialogi. — Fr. Aug. *Wolfii* animadv. in Dial. de oratoribus, in Indicc. lectt. Acad. Hal. vulgatae et insertae tum eius Miscellaneis (Vermischte Schriften und Aufsätze)

p. 158 sq. tum Commentariis Soc. philol. Lips. editis a Chr. Dan. Beckio Vol. I. P. I. p. 76 sq. — Frid. *Klossmanni* Proleg. in Dial. de orat. claris, qui Tacito vulgo adscribitur, Vratisl. 1819. 4. — A. G. *Langii* diss. inscripta: Dialogus de oratoribus Tacito vindicatus, in Actis Semin. regii et Soc. philol. Lips. T. I. p. 77 sq. et in Dronkii edit. huius Dialogi p. XVI sq. — A. *Goering* diss. de Dialogi de oratoribus, qui vulgo Tacito inscribitur, praestantia, Lubecae 1829. P. I. de dialogi materia. Pars II. de eius forma nondum vulgata est nec, quod dolendum, vulgabitur. — *Henr. Gutmanni* diss. qua Tacitum dialogi de orat. scriptorem non esse demonstratur; inserta ab Orellio editioni huius dialogi p. 101 — 114.

HUIUS EDITIONIS CONSILIUM ET RATIO.

§. XXXIV. Triginta paene annorum tempus effluxit, ex quo Taciti Annales publicavi cum commentario perpetuo, et quindecim, ex quo partem aliquam otii iterum praestantissimo scriptori impendere coepi, et quidem eo consilio et fine, ut non detexerem telam exorsam, sed meliora et altiora molirer. Qui labor lente processit, quia et difficillimus fuit conatus, et studiis meis non nisi aliquid temporis subsecivi subtrahere mihi licuit. Itaque anno demum superiore quarta novae et longe maioris editionis pars in lucem prodiit, quam reliquae brevi excipient.

Haec vero Taciti editio aptata est ad idem consilium, quod olim, quum Silii et Juvenalis carminibus historiisque Livii studium operamque navarem, secutus sum et in prooemiis adumbravi. Prima et perpetua cura fuit haec, ut qui eam sibi parasset, in illa inveniret, quicquid boni tum ceterae continerent, tum singulares libelli, (quos tamen non omnes conferre licuit) utque ita non modo adolescentibus, erectioris saltem indolis, sed etiam magistris eorum virisque doctis gratificarer.

In Praefatione tum de Taciti vita et scriptis disserui, tum omnia paene eorum exemplaria et scripta et edita simulque translationes et commentationes ad hunc scriptorem vel nonnulla eius loca pertinentes recensu

ac praeterea codicum MSS. editionumque ordines et classes, cognationes et stemmata, stirpes et familias, indolem et pretium paucis significavi.

Plerumque secutus sum recensionem Waltheri, optimi editoris, qui et accuratissime enotavit varias codicum MSS. veterumque editionum lectiones, et scripturam antiquam saepius restituit quasi iure postliminii atque omnia ad artis criticae et grammaticae regulas subtili iudicio exegit. Nonnunquam tamen ab ea discessi et rationes adiunxi.

Ipse quidem primas editiones in maioribus Taciti libris curatius comparare coeperam, quia Ernestius aliique non satis diligenter et exacte varietatem scripturae excerpserant; sed omisi, postquam otium mihi factum intellexi a Walthero. Itaque eius collationem in usum meum converti et plurimas quoque, non omnes, librariorum corruptelas notavi, quia hae multum valent ad veram scripturam, cuius vestigia in iis latent, sive eruendam sive confirmandam. Illis adieci tum alias veterum librorum lectiones, tum plures interpretum coniecturas, has tamen ita ut parum probabiles et plane ineptas silentio praetermitterem atque modestum de aliorum sententiis iudicium ferrem, memor verborum Lipsii in Exc. ad Ann. 3, 43. „Pugna virorum doctorum non solum sine plaga sit, sed etiam sine sugillatione aut morsu, sicut decet mitium dearum alumnos;“ et eiusdem ad Hist. 3, 43. „Carpsi olim liberius Rhenanum: non ego, sed aetas. Nunc abiit ille fervor. Re vera autem quantula haec sunt, de quibus litigamus? Literae, syllabae, voculae. Ridere mihi lubet, quum virorum gravium et grandium velitationes, immo pugnas video in his nugis; et metuo, ut excitent me ad alteram satiram. Nunc cum Aristoph. Ran. v. 858. satis mihi inclamasse: Λοιδορεῖσθαι δ' οὐ πρέπει Ἄνδρας ποιητὰς ὥςπερ ἀρτοπωλίδας.“

Annotatio perpetua non tantum ad verborum et scripturae examen, ut plerumque Waltheriana, sed etiam ad rerum interpretationem spectat. Contraxi prolixas Lipsii, Gronovii, Ernestii aliorumque animadversiones, et ad calcem Vol. III. typis quidem exscribendos curavi excursus Lipsianos ad Taciti Annales, (nam duo illi,

quorum alter ad Hist. 3, 5. alter ad Germ. c. 12. pertinet, minoris sunt pretii, et brevis eorum mentio in Annotatione facta) sed plerisque praeposui eiusdem auctoris notas arcte cum iis cohaerentes, et multis locis ipsa veterum scriptorum verba delevi.

Praeterea tres et uberrimos confeci *Indices*, quorum primus ad res a Tacito tractatas, ceteri ad latinam eius locutionem spectant. Huic enim labori nondum quisquam se accinxerat praeter Boetticherum et Waltherum. Illius vero Lexicon Taciteum, etsi grande est et bonae frugi, pauciora complectitur eáque ordine minus lucido digesta; huius mors praematura spem consilii exsequendi praecidit, quam tamen explebit propediem Eckstein. Ceterum ipse intime sentio, mea opera non satisfieri posse iudicum severiorum desideriis. Contentus ero viam muniisse, et valde laetabor, si alii fundamento a me iacto melius aedificium superstruxerint. Plura quoque dedissem, nisi ita editionis huius moles nimis excrevisset.

Scripsi Stadae Kal. Oct. a. MDCCCXXXIII.

C. CORNELII TACITI
AB
EXCESSU DIVI AUGUSTI ANNALIUM
LIBER I.

BREVIARIUM LIBRI I.

Cap. 1. *Status rerum ante Augustum et Taciti consilium.* 2. *Artes, quibus ad maiora et summa tetenderit Augustus.* 3. *Successores ab eo destinati et civitatis conditio.* 4. *Civium affectus et iudicia de proxima rerum mutatione.* 5. *Augusti morbus et mors celata. Tiberius propere matris literis accitus imperio potitur.*

6. *Agrippae Postumi caedes primum facinus novi principatus.* 7. *Romani in servitium proni iurant in verba novi Principis. Tiberii cunctatio.* 8. *Augusti testamentum et honores supremi.* 9. *Iudicia de Augusto honorifica,* 10. *et sequiora.* 11. *Callida Tiberii tergiversatio. Rationarium imperii.* 12. 13. *Tiberius offensus inopinata Asinii Galli interrogatione orationibusque Arruntii, Haterii et Scauri.* 14. *Adulatio Patrum in Liviam, temperata a Tiberio. Proconsulare imperium Germanico datum nominatique XII praeturae candidati.* 15. *Mutatio comitiorum. Ludi Augustales.* 16. 17 *Seditio trium legionum Pannonicarum a Percennio concita.*

18. 19. *Militum furor, compressus a Iunio Blaeso.* 20. *Recrudescit seditio.* 21. 22. *Blaesus frustra obnititur et falso criminis insimulatus a Vibuleno in capitis discrimen incidit.* 23. *Tribuni centurionesque vel trucidantur vel pelluntur et ipsae inter se legiones ferrum parant.* 24. 25. *Drusus cum Seiano et praetorianis ad seditiosos a Tiberio missus literas patris recitat.* 26. *Postulata militum ad senatus patrisque arbitrium reiicit et clamore turbatur.* 27. *Acrior tumultus et Cn. Lentuli periculum.* 28. *Legiones lunae defectione perterritae et seiunctae.* 29. 30. *Seditio deflagrat eiusque auctores necantur.*

31. *Gravior seditio octo legionum in superiori et inferiori Germania apud Rhenum, quarum dux Germanicus legatique C. Silius et A. Caecina.* 32. *Saevitia in centuriones: Cassii Chaereae facinus: furoris aequalitas et constantia.* 33 — 35. *Germanicus e Gallia ad legiones suas properat easque ad fidem cohortatur: imperium vero sibi oblatum iratus respuit.* 36. 37. *Seditio paulum repressa, missione, pecunia praemiisque oblatis.* 38. *Vexillarii tumultuantes et coerciti audacia Mennii.* 39. *Germanico vis et Munatio Planco mors intentata a legionibus I. et XX.* 40. 41. *Germanicus, uxore filioque dimissis, ad poenitentiam agit milites.* 42. 43. *Facunda et gravis Germanici oratio.* 44. *Supplicium de noxiis sumptum ab ipsis commilitonibus. Recensus centurionum et inhonesta quorundam missio.* 45. *Arma et classis parata adversus legiones V. et XXI.* 46. 47. *Simulata Tiberii ad legiones profectio.* 48. 49. *Minae Germanici. Turbatores a bonis trucidati hortatu Caecinae. Ardor militum, furorem suum clade hostis expiare cupientium.* 50. 51. *Legiones per Caesiam silvam ductae. Marsi oppressi. Dianae Tanfanae templum, et hostes in saltibus perrupti.* 52. *Germanicus et Drusus a Tiberio laudati in senatu.* 53. *Mors et mores Iuliae. Sempronius*

Gracchus adulter eius interemptus. 54. *Sodales et ludi Augustales.* H *strionum certamen.*

55. *Germanici excursus in Chattos. Arminius et Segestes, eius soc* 56. *Oppressi Chatti. Mattium incensum. Cherusci et Marsi repulsi a Ca cina.* 57. 58. *Segestes a popularibus circumsessus et liberatus. Capta ux Arminii gravida.* 59. 60. *Ira Arminii in socerum et Romanos. Cherus aliique populi ab eo ad bellum concitati ope Inguiomeri patrui. Terra Br cterorum vastata.* 61. *Vestigia cladis Varianae non longe a Teutoburgie saltu.* 62. *Ossa trium legionum caesarum tumulata, quod Tiberio ha probatum.* 63. *Anceps cum Cheruscis pugna. Exercitus ad Amisiam red ctus. Pontes longi.* 64. *Caecina apud paludes lacessitus a Cheruscis.* 65. *M lites consternati. Somnio territus Caecina. Multi limosis locis caesi.* 6 *Terror Romanorum in castris.* 67. 68. *Eruptio Romanorum et clades h stium.* 69. *Curae viriles Agrippinae, quibus offenditur Tiberius.* 70. *L giones II et IV. ad Visurgim navibus vectae.* 71. *Segimerus, frater Seg stis, in deditionem receptus. Damna exercitus suppleta.*

72. 73. *Tiberii modestia simulata, et revocata ab eo lex maiestat Delationum pestis.* 74. *Accusatio Marcelli et incautior in eum Tiberii i* 75. *Tiberius iudiciorum assessor et liberalis.*

76. *Tiberis inundatio. Achaia et Macedonia oneribus a Caesare le tae eique traditae. Drusi munus gladiatorium.* 77. *Coercita theatri et fa torum licentia.* 78. *Templum Augusti in colonia Tarraconensi. Restit rerum venalium centesima. Veteranorum missio XX anno militiae.*

79. *Actum in senatu de moderandis exundationibus Tiberis.* 80. *Prov ciarum administratio plerisque prorogata.* 81. *Confusa ratio comitiorum co sularium.*

Haec biennio fere gesta a. U. 767. et 768.
SEX. POMPEIO SEX. APPULEIO COSS.
DRUSO CAESARE C. NORBANO FLACCO COSS.

CAPUT I.

Urbem Romam a principio reges habuere. Libertatem et co sulatum L. Brutus instituit. Dictaturae ad tempus sumeba tur. Neque Decemviralis potestas ultra biennium, neque Tr bunorum militum consulare ius diu valuit. Non Cinnae, n Sullae longa dominatio; et Pompeii Crassique potentia cito Caesarem, Lepidi atque Antonii arma in Augustum cesse qui cuncta discordiis civilibus fessa nomine *Principis* sub i perium accepit. Sed veteris populi Romani prospera vel a versa claris scriptoribus memorata sunt; temporibusque Aug sti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente ad latione deterrerentur. Tiberii Caiique et Claudii ac Nero res florentibus ipsis ob metum falsae; postquam occidera recentibus odiis compositae sunt. Inde consilium mihi, pau de Augusto et extrema tradere, mox Tiberii principatum cetera sine ira et studio, quorum causas procul habeo.

ANNOTATIO PERPETUA.

1. Praefatio libri, de eius argumento et consilio scriptoris, H. I, 1. — *Urbem Romam*: eius enim finibus tunc fere continebatur i perium Romanorum, qui sub Imperatoribus domini orbis terrarum esse videbantur. — Initium libri consulto factum ab hexametro puta Ryckius, quod tali initio etiam usus esset Sallustius in Iug. c. 5. he

sichio Livius in Praef.; quae ratio mihi levis videtur; *Ern.* „Idem censet Fosterus in libro Angl. de accentu et quant. p. 155. nec subtilius auctor libelli de rhythmo Graecorum Oxon. 1789, p. 55. Sane puerilis ista aemulatio esset. Contra quis tam surdus est scriptor, cui versus inscienti obrepat in ipso operis ingressu? Neque ita obrepunt boni versiculi. In istis, quae ex prosaicis operibus proferuntur magno numero, perpauci sunt suo nomine digni: adeo plerique fracti sunt et elumbes; adeo in iis multa concurrunt, quorum quidque per se vitiosum versum facit. Atque ex hoc genere hunc quoque celebrem versum esse ac multo magis Sallustianum, periti sentient verbo moniti; ceteris explicare longum est. Ex his igitur imperfectis numeris, minime dubito, quin hic tantus masculorum numerorum artifex illud *σεμνὸν* suum (v. Plin. ep. 2, 11.) de industria quaesierit.“ *Wolf.* Idem studio potius quam casui tribuit V. D. in Ephem. lit. Ien. a. 1822 pl. 214. significari ratus *τὸ σεμνὸν* artis historicae ab epicis poetis primum exercitae. Ceterum quot versus, hexametri potissimum, vel integri, vel dimidiati, etiam optimis orationis prosaicae, scriptoribus per imprudentiam exciderint, docent Drak. ad Liv. Praef. et, quos hic laudavit, Barth. Adv. 4, 13. 41, 22. Burm. ad Quintil. 9, 4. p. 852. Grut. ad Cic. de inv. 2, 1. Mur. ad Cic. in Catil. 1, 1. Forster. iuris interpr. 1, 7. Cf. ad Tac. Germ. 39. n. 4. Ind. III. v. *Versus,* Boett. Lex. Tac. p. LXLVI. LXLVII. Hermanni opusc. I. p. 124. Quintil. 9, 4, 74 sq. Cic. de or. 3, 47. et in or. c. 56. ubi haec dixit: *Incidere vero omnes numeros in orationem etiam ex hoc intelligi potest, quod versus saepe in oratione per imprudentiam dicimus. Quod vehementer est vitiosum: sed non attendimus neque exaudimus nosmet ipsos. Senarios vero et Hipponacteos effugere vix possumus: magnam enim partem ex Iambis nostra constat oratio. Sed tamen eos versus facile agnoscit auditor; sunt enim usitatissimi. Inculcamus autem per imprudentiam saepe etiam minus usitatos, sed tamen versus; vitiosum genus et longa animi provisione fugiendum.* — *Urbem Romam reges habuere,* tenuere, rexere. Cf. cap. 9. 4, 5. 11, 29. 12, 54. 14, 18. Drak. ad Liv. 30, 4, 2. Cort. ad Sall. Cat. 6.

2. *Consulatum* — *dictaturae* cet. v. ad 11, 22, 2. — *ad tempus,* ad s. in tempus aliquod, vel breve, ut *ἐπὶ χρόνον* ap. Hom. Il. 2, 199., vel incertum, quum et quamdiu id necessitas exigere videretur, ut h. l. et 6, 11 pr. ap. Liv. 28, 42. Cic. de amic. 15. de off. 1, 8. Gr. *πρὸς καιρόν,* Germ. auf unbestimmte Zeit, eine Zeit lang und nach Beschaffenheit der Umstände. Sic et *in tempus* 2, 47. *in dies* 2, 13. Sed *in tempore* (hoc) 12, 46. *ad* et *in tempus* sc. praesens 1, 37. 4, 19. 66. id. qd. *ad* et *in praesens* sc. tempus, Gr. *εἰς καιρόν, εἰς τὸ παρόν,* nostrum für jetzt, 1, 4. 76. 3, 28. 4, 21. 31. 13, 22. 14, 62. 15, 44. 16, 5. H. 1, 44. 2, 4. 4, 17. *ad id* sc. tempus, bis jetzt 12, 11. 38. *eo in tempore* 11, 29. 15, 39. *In tempore,* suo, iusto tempore 1, 19. 1, 58. 3, 11. 4, 71. 13, 7. *ἐπὶ τοὺς καιροὺς* ap. Polyb. 3, 19. *Pro tempore,* quod ei aptum et conveniens est, 3, 1. Cf. ad 4, 72. 1. Drak. ad Liv. 1, 57. Ramshorn. Gram. p. 243. Zumpt. Gram. §. 318. et Handii Tursell. T. I. p. 125 128. Dictatura diuturna primum concessa Sullae, perpetua Caesari. — *Decemviralem legibus scribendis potestas non ultra biennium valuit,* „haud multo, non nisi aliquot menses supra biennium. Male *ultra triennium* corr. Vertranius.“ *Lips.* „Vertranius se tutari queat exemplo *XXXVII annorum* c. 9. Verum septem menses, quos ex tertio anno delibarunt Decemviri, non ius fuit, (iusta *potestas* a populo iis concessa) sed vis, et vis in dies incertior. v. Liv. 3, 38. Ceterum P. Scriverius delendum censuit *ultra biennium,* miratus, cur huic uni rei adderetur notatio temporis.“ *Wolf.* — *Tribuni militum consulari potestate* ab a. U. 310. ad 388. creati, non tamen continuo. — *Cinna* quatuor consulatus ab a. U. 667. ad 670. *Sulla*

tot dictaturae annos ab a. U. 672. ad 675. continuavit; Brot. *Sulla* MS. edd. Ber. Rhen. al. in Ann. I—VI. *Syllae* Flor. Guelf. edd. Pu Ber. Rhen. in Ann. XI—XVI. Sed *Silla* MS. Flor. 12, 23. 52.) et al. te ste Furia. *Sillae* et *Suillae* ed. pr. *Sulla* in numis et inscriptt. quo tamen eodem sono efferebatur, quo *Sylla* et Gr. *Σύλλας*. Similiter *mu rha* et *myrrha*, *Suria* et *Syria*, *Sibulla* et *Sibylla*, *Thrasullus* et *Thrasyl lus*, *inclutus*, *inclytus* et *inclitus* ac sim. Cf. Grotef. Gram. T. II. §. 17 — *arma*, armati milites, exercitus, ut 1, 2. 7. 68. H. 1, 76. 2, 32. 3, 8 — *in Augustum cessere*, transiere, vel in eius potestatem venere, ut 43. 13, 39. H. 1, 11. 3, 83. „*Cedere in aliquem*, ut h. l. et 2, 23, Hor. Sat. 2, 2, 134. Gr. *χωρεῖν εἴς τινα*, Germ. anheim fallen. *Walth.* — *cuncta*, universam remp., *civilibus discordiis* bellisque *fessam* debilitatam et hinc dominationis patientiorem, *nomine Principis sub impe rium acceperat*, de quo v. Dio 53, 1. et 67, 8. *Principis*, *ἄρχοντος*, *προ κρίτου τῶν πάντων*, *nomine*, in quo nihil superbum, nihil tyrannicum es set, contentus fuit: sciebat enim, nomen regium expulso Tarquinio, no men Dictatoris interfecto Caesare invidiosum et in perpetuum e rep sublatum esse; *Mur.* Cf. Dio 54, 1. Suet. Aug. 52. Talia suaserat Mae cenas, ut alia civilia speciemque priscae libertatis referentia, (v. Dio 5 38.) ea vero *necessitudine rei publicae*, *in qua nullus tunc legibus locus* cet facta dicuntur cap. 9. quum amplius ferri non posset libertas corrupt moribus et hoc remedio opus esset. Cf. ad 1, 2, 4. et 6. Dio 53, 11. 1 67, 8. Burm. et Oudend. ad Suet. Cal. 22. et 31. „Etiam olim *princ senatus*: quod exemplum non dubie secutus. Inde *principatus* et *princ pium* etiam pro imperio.“ *Lips.*

3. *veteris populi Romani*: in libris antt. *veteris p. R.* unde traiect notis *veteris r. p.* (*rei publicae*) corr. Vertr. et Lipsius. At *populi Ro* c. Flor. verbo integro, et *vetus populus*, ut *prior populus* 11, 24; *Pic* Antequam correctionem spernas, quaere simile exemplum; *Wolf.* „Enim vero similia sunt *prior populus* 11, 24. O. 19. *vetus aetas* Agr. 2. *pri aevum* H. 1, 1. h. e. tempus rei publ. ante pugnam Actiacam, *veteres p puli Rom. res* 4, 32. (nam *veteres* pro Gen. *veteris*, v. ad 3, 3, 1. S etiam ad 4, 32, 1.) *vetus res publica* 1, 7. 11, 23. 16, 22. et simpl. *r publica* 4, 19. *priores* (die Alt-Römer, die Altvordern im Fre staat) 3, 55. 13, 9. Agr. 1. 10. *veteres scriptores* 2, 83. Agr. 10. „*Walc* ad Agr. 2. p. 119. Sic et *antiqui scriptores* 4, 33. si Graeci sunt, d signantur, qui ante Alexandri M. tempora vixerunt. „*Vetus populus* e Gr. *ὁ ποτὲ δῆμος* et *populus Rom.* in tali formula non genus hominu Romanorum, sed Romani, qui veterem civitatem constituebant. Is p pulus desiit ingruente Caesarum dominatione. „*Walth.* Sed *seniores* 1 27 extr. qui iisdem temporibus vixerunt. Cf. ad O. 37. n. 1. ad O. 1 et 17. ubi G. Iacob. (in ed. Dronk. p. 247.) haec annotavit: Verba *ant quus*, *vetus* et *vetustus scriptor* illustrarunt Ern. ad Suet. Tib. 70. Wo proleg. in Cic. or. p. Marc. p. XXII. et Weichert. diss. de Licinio C vo p. 9. n. 11. — *non defuere decora*, egregia, *ingenia*, *donec gliscen adulatione deterrerentur*, h. e. scribendi animum dimitterent, histori condendae studium abiicerent, alii ob metum, alii ob stomachi fas dium: nam non *deterret* tantum, qui gravem metum incutit, veru etiam qui studium alicuius tardat et alia cogitatis suadet; *Gron.* Lipsi et Mur. var. lectt. 11, 1. malebant *detererentur*, imminuerentur, obtu derentur. Ille comparavit H. 2, 76. et Hor. od. 1, 6, 12. Hic cont rias notiones verbis *gliscere* et *deteri* venuste exprimi censuit. Cf. eti Plin. ep. 9, 35, 2. et Quintil. 10, 5, 16. „Uter sensus Tacitum, uter *cora ingenia* magis deceat, hoc unum dubitandum. Nempe generosi s ritus scriptores si *adulatione* saeculi *deterrentur* a tractando opere p culosae aleae plenissimo, si id aliorum studiis relinquunt, nihil illi

cere suo indignum faciunt: at si *deteruntur* communi labe infectique ad scribendum accedunt, vix eos *decoro* nomine dignos habeas. Iam quum H. 1, 1. post Actiacam victoriam dicantur *magna ingenia cessisse*, ibi prius illud, non hoc significari apparet. Denique cogita nobis ineptam iuncturam enuntiationum: non defuere decora ingenia, donec fierent deteriora!" *Wolf*. „*Adulatio gliscens* non ita valet in *detrimentum* quam in *terrorem* ingeniorum, quoniam *decora ingenia* ad adulationem se demittere nolunt, sine adulatione scribere periculosum est. Nostrum suorum temporum felicitas, ubi sentire, quae vellet, et quae sentiret, dicere liceret, ad scribendum excitabat. v. H. 1, 1. Ita contraria temporum ratio ingenia *deterrebat*. De difficultate scribendae Imperatorum historiae v. ad H. 1, 1. Dio 53, 19. Plin. ep. 3, 5." *Walth*. *Decora ingenia* et optima *deterrentur*, honesta ac bona *deteruntur*; *Brot*. Cf. Broukh. ad Tibull. 1, 3, 13. „*Gliscere*, quod ubique est latenter et sensim crescere, a Tacito interdum etiam in bonam partem, a prioribus semper in malam trahitur. v. Ind. II. A Gron. et Doederl. Synon. I. p. 21. derivatur a *crescere*; sed non male fortasse originem vocis repetieris a *glire* hiberno somno pinguescente: nam Festi interpretatio, qui e contrario *glis* deducit a *gliscere*, repugnat linguae legibus." *Boetticher* in Lex. Tac. *ingenia*, v. ad O. 1. n. 5. *gliscente adulatione* Ablativi vel absoluti, vel ex omissa praep. *a* pendentes.

4. *Tiberii*, *Caii* Caligulae, *Claudii ac Neronis res*: fines designantur, intra quos hi libri, ut vel hinc liqueat, Historias seorsum scriptas finemque Annalium fuisse in fine Neronis; *Lips*. — *florentibus ipsis*, v. ad cap. 41. n. 1. — *res ob metum falsae*, fictae, falso traditae — *sunt*. Cf. ad c. 7. n. 1. „*Res falsae compositae sunt* est id. qd. *res*, *uti compositae sunt*, *falsae sunt*. Ita *quae pulcherrima — magnifica fecisset* c. 34. et 3, 5. *quae vera non probabantur* 15, 51." *Walth*. Sed h. l. dicitur *ob metum falsae sunt*. Videtur potius legendum esse *falso* seu *false*, et sic *recentibus odiis* commode reddetur; *Wolf*. — *compositae sunt*, expositae, memoratae, sed magno studio et arte. „*Componere* est α) coacervare, ut H. 2, 55. β) ut *comparare* et *committere* de indicibus, testibus coram iudice, ut 15, 51. 16, 10. et de gladiatoribus, v. ad 5, 1, 2. et G. 10. n. 7. γ) collocare, suo loco disponere, ut 2, 78. 3, 38. 4, 47. 73. 12, 29. 13, 40. 16, 4. (de rhythmo et numero) H. 1, 87. 3, 35. 4, 16. 35. G. 6. δ) res in ordinem certum iustumque redigere, ut H. 1, 33. 89. unde *natura atque arte compositus* H. 2, 5. de ingenio et indole a natura alicui insita. ε) disponere et agere cum arte et studio, de rebus ad artes literasque pertinentibus, de ordinandis rebus familiaribus rationibusque computandis, ut 1, 1. 4, 32. 34. 5, 4. 6, 16. 38. 11, 37. 15, 8. 13, 34. 16, 14. H. 1, 4. 2, 101. 3, 53. 4, 4. 5, 5. Agr. 3. Cf. Ruhnk. ad Vell. 1, 3, 2. ζ) sedare, pacare, reconciliare, ut 1, 7. 2, 4. 34. 3, 1. 4, 1. 42. 6, 46. 11, 18. 12, 32. 40. 13, 1. 15, 2. 3. 9. H. 1, 85. 2, 27. 3, 53. 4, 50. O. 36. η) clam pacisci, machinari, struere, ut 3, 40. 4, 10. 68. 12, 54. 15, 53. H. 4, 14. 66. v. Drak. ad Liv. 1, 9, 10. ϑ) *compositus* et *compositus ad* et *in*, qui speciem alicuius rei praebet arte maxime et simulatione adhibita, fictus, simulatus, ut 2, 82. 3, 1. 44. 4, 1. 31. 11, 27. 13, 20. 15, 16. 16, 17. H. 1, 7. 34. 54. 71. 82. 2, 9. 3, 37. 52. 4, 4." *Boett*. in Lex. Tac. *recentibus odiis*, v. Ind. III. v. *Numerus Plur. pro Sing*. Veritas corrumpitur *metu* et *odio*, inpr. *recenti*, scriptorum eiusdem aevi, a quibus vera et bona reticeri aut elevari, falsa fingi, mala vero et perversa aut taceri aut exaggerari aut speciose laudari solent. — *sine ira odioque et studio*, assentatione. v. ad H. 1, 1, 4. — *quorum causas procul habeo*, nullas, vel quorum causae procul, longe a me absunt; et cur? v. H. 1, 1.

CAPUT II.

Postquam Bruto et Cassio caesis nulla iam publica arma Pompeius apud Siciliam oppressus, exutoque Lepido, interfect Antonio, ne Iulianis quidem partibus nisi Caesar dux reli quus; posito *Triumviri* nomine Consulem se ferens et ad tuen dam plebem Tribunicio iure contentum, ubi militem donis populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere pau latim, munia senatus, magistratuum, legum in se trahere, null adversante, quum ferocissimi per acies aut proscriptione ceci dissent, ceteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opi bus et honoribus extollerentur ac novis ex rebus aucti tuta e praesentia quam vetera et periculosa mallent. Neque provin ciae illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populiqu imperio ob certamina potentium et avaritiam magistratuum invalido legum auxilio, quae vi, ambitu, postremo pecunia tur babantur.

1. *Bruto et Cassio caesis* sua manu. v. Dio 47, 46. Flor. 4, 6. - *nulla iam publica arma*, bella (v. Ind. II.) senatus populique adversu hostes, externa, pro et a re publica; sed tantum privata et civilia, civibus adversus cives in propriam utilitatem potentiamque gesta; *Lip*

2. Sex. *Pompeius*, Cn. Pompeii Magni filius, cui imperium mar obtigerat, *oppressus*, victus, (ut 3, 41. et ap. Flor. 4, 8.) ab Agrippa *Lips*. „*Oppressus*, victus et deletus est Sex. Pompeius apud Naulochun Suet. Aug. 16. Cetera Tacito sunt nihil ad rem. Nec tamen quicqua ambigitur. Captus est Midaii, occisus Mileti. v. Wessel. ad Simso Chron. p. 1540. Reimar. ad Dion. 49, 18.“ *Wolf*. Cf. Dio 49, 1 — 1 Vell. 2, 72 — 79. Appian. b. civ. 5, 118 — 144. — *exuto Lepido*, exarm to et exercitu spoliato: nam XX legiones corruptas ei ademit Octavi nus; *Lips*. v. Dio 49, 12. Suet. Aug. 16. Vell. 2, 80. Appian. b. civ. 122 — 131. — *interfectus Antonius* a se ipse. v. Suet. Aug. 17. Vell. 87. Dio 51, 8 sq. — *Caesar*, C. Iulius Caesar Octavianus. *iulianus quid* — *reliquus*. MS.

3. *posito Triumviri nomine*: „qui solus *triumviratus* proprie dicitur vere: nam fuit magistratus cum summo imperio, quem publica auctor tate a senatu populoque in quinquennium accepere Octavianus, Ant nius et Lepidus. Ceteri qui traduntur triumviratus commentitii sun nam Marius, Sulla et Cinna, Caesar, Pompeius et Crassus tantum priv tim potentiae societatem inter se inierant neque aut publico aliquo s to accepere, aut nomine Triumvirorum usi sunt. v. Casaub. ad Su Aug. 27. Pigh. Ann. T. III. p. 474.“ *Ern*. Cf. Dio 46, 55. 48, 54. A pian. B. C. 4, 2.

4. *consulem se ferens*, cf. Dio 51, 21. Suet. Aug. 26. — *ad tuend plebem tribunicio iure contentum*, repudiatis Regis, Dictatoris Censorisq perpetui nominibus saepius ei oblatis. v. ad 1, 1, 2. Dio 54, 1. 2. S *tribunicia potestas*, ut olim tribunorum plebis, sic et *Imperatorum* p magna fuit iisque in quinquennium dari solebat novis decretis, ab il vero imperii consortibus successoribusque. Cf. c. 3. 9. 10. inpr. 3, Dio 51, 19. 53, 17. 32. 54, 12. 55, 9. 13. Suet. Aug. 27. et Tib. 9. 16. Vell. 2, 103. Noris. Oenot. Pis. p. 260 sq. Spanh. de usu et num. T. II. p. 424. et a Wolf. laud. Bleterii diss. in Mém. de l'Ac des Inscr. T. XXV. „Haec potestas iam Caesari data per omne aevu (v. Dio 42, 20.) sed primus hoc titulo publice usus est Augustus eiq splendorem dedit; unde origo eius non immerito ad ipsum relata

56." *Lips.* ad eum locum. Cf. ad c. 7. n. 4. et ad c. 9. n. 2. Hinc simulabat tantum, se hac potestate contentum fore *ad tuendam plebem*. *tribunitio* scriptum in edd. vet. et Monum. Ancyr. Sed v. Ramshorn Gr. p. 17." *Walth.*

5. *militem donis — pellexit*, cf. ad 4, 3, 2. et ad rem Dio, 51, 17. Suet. Aug. 25. 49. — *populum*, plebem, *annona*, largitione frumentaria, frumento gratuito aut vili eius pretio et congiariis, *pellexit* ad obsequii facilitatem. Cf. ad 12, 41. Dio 51, 21. 53, 2. 28. 55, 10. 26. Suet. Aug. 18. 40. 41. Monum., Ancyr. tab. 3. — *cunctos dulcedine otii pellexit*, quae nota ars Imperatorum, ut et Agricolae. v. ad Agr. 21. „*Otium* Germ. friedfertige Unthätigkeit et opponitur bello. *Militares artes per otium ignotae* 12, 12. *Militare nomen grave inter otiosos* Agr. 40. Kriegsruhm drückend für Friedsame. Cf. Ruhnk. ad Vell. 2, 28." *Walch.* ad Agr. 40. p. 396. „*Otium* accipe de pace per orbem Rom. constituta. Sic 1, 19. G. 37. Liv. 3, 65. Augustus Ianum ter clausit. Suet. Oct. 22." *Walth.*

6. *insurgere*, potentiam suam auxit firmavitque, *munia* et potestatem *senatus, magistratuum, legum in se trahere*, retentis ex Maecenatis consilio magistratuum nominibus honoribusque, (*adempta vi* Liv. 1, 17. *imagine sine re* Vell. 2, 30.) ut plebs falleretur neque sentiret, rem publicam prorsus mutatam esse. Cf. 1, 3. extr. 1, 7. 4, 6. 19. 11, 5. H. 4, 11. Suet. Caes. 77. Dio 53, 9. Haec sunt *arcana imperii, dominationis* et *domus Caesarum*, quae hi tentari et vulgari nolebant. v. ad 1, 6. 13. 2, 36. 59. H. 1, 4. Ipsi Imperatores *legibus* soluti, nec tamen omnibus. v. Reimar. ad Dion. 53, 18. Beck. de lege regia p. 15. Heynii opusc. acad. T. IV. p. 338. — *per acies aut proscriptione*, v. ad 1, 7, 8. et 1, 16, 1. „*acies*, inpr. ad Philippos et Actium. v. Dio 47, 49. 51, 2. Suet. Oct. 13. 15. Eutrop. 7, 3. et de *proscriptionis* crudelitate Dio 47, 3 sq. Suet. Oct. 27. Liv. epit. 120. Plut. Anton. c. 20. Appian. B. C. 4, 5. Oros. 6, 18. Flor. 4, 5." *Walth.* — *quanto quis servitio*, ad servitium, *promptior, opibus* cet. v. ad 1, 57, 1. et 4, 60, 3. — *opibus et honoribus* (*Ablat.*) *extollerentur*, ablat. pro *ad opes et honores*. Sic 1, 3 pr. 6, 42. 11, 1. pr. 13, 21. H. 4, 28, 1. Sall. Iug. 49. et *attollere*. v. Ind. I. Ita et *tollere honoribus* Hor. od 1, 1, 8. χρήμασιν ἐπαιρόμενος ἢ τιμαῖς ἢ καὶ σώματος εὐμορφίᾳ Plat. Leg. IV. p. 185. ὥςτε οὔτε τιμῇ ἐπαρθέντα, οὔτε χρήμασιν, οὔτε ἀρχῇ οὐδεμίᾳ Plat. de rep. X. p. 310. Cf. ad 11, 1, 1. 13, 21. et Ruhnk. ad Vell. 2. 65. — *ac novis ex rebus aucti*, v. ad 1, 3, 2. et 2, 78, 1. *at novis* MS. — *tuta et praesentia, quam vetera et periculosa*, id qd. tuta praesentia sive tutam praesentiam cet., *Roth.* cf. ad 3, 1, 3. 3, 13, 1. Ind. III. v. *Hendiadyoin* et Dio 56, 44.

7. *Neque provinciae — abnuebant*, cf. Dio 51, 20. Suet. Aug. 29. 47. 48. 59. Sed ob *certamina potentium*, Marii, Sullae, Caesaris, Pompeii et triumvirorum, orta bella civilia, quae miseras provincias affligebant. *Lips.* — *avaritiam magistratuum*, rapinas et extorsiones praesidum in populi imperio dissimulatas aut invicem donatas; *Lips.* cf. 4, 6. extr. — *invalido legum auxilio*, v. Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant. in Partic.* *Nullus tunc legibus locus* c. 9. — *quae vi, ambitu*, (*ambitu et precibus potentium* c. 75 pr.) *postremo pecunia turbabantur*. vid. Cic. in Verr. 2, 31. p. Quint. c. 1. et al. *vim* vocare solent metum, gratiam vel pecuniam et largitionem, omninoque quae in iudiciis adhibentur praeter leges et causam;" *Ern.* Iudicia repetundarum in rep. corruptissima corrumpebantur saepe potentia, minis, quin et sicis intentandis, saepe precibus, modo largitione, occulta primum, tandem aperta: *nunc prece, nunc pretio, nunc vi*, ut poeta ait; *Wolf.* *turbabantur* leges, ut *pacta* H. 3, 70. irritae reddebantur, violabantur; *Kiessl.* — *postremo*, v. ad 1, 28, 4.

CAPUT III.

Ceterum Augustus subsidia dominationi Claudium Marcel-
lum, sororis filium admodum adolescentem, Pontificatu et cu-
ruli Aedilitate, M. Agrippam, ignobilem loco, bonum militia
et victoriae socium, geminatis consulatibus extulit, mox de
functo Marcello generum sumpsit; Tiberium Neronem et Clau-
dium Drusum privignos imperatoriis nominibus auxit, integra
etiam tum domo sua: nam genitos Agrippa Caium ac Luciun
in familiam Caesarum induxerat, necdum posita puerili prae-
texta *Principes Iuventutis* appellari, destinari consules, speci
recusantis flagrantissime cupiverat. Ut Agrippa vita concessit
L. Caesarem euntem ad Hispanienses exercitus, Caium reme-
antem Armenia et vulnere invalidum mors fato propera ve
novercae Liviae dolus abstulit, Drusoque pridem exstincto
Nero solus e privignis erat. Illuc cuncta vergere; filius, col
lega imperii, consors tribuniciae potestatis assumitur omnis
que per exercitus ostentatur, non obscuris, ut antea, matri
artibus, sed palam hortatu: nam senem Augustum devinxera
adeo, uti nepotem unicum Agrippam Postumum in insulan
Planasiam proiiceret, rudem sane bonarum artium et robor
corporis stolide ferocem, nullius tamen flagitii compertum. A
hercule Germanicum Druso ortum octo apud Rhenum legio
nibus imposuit asciríque per adoptionem a Tiberio iussit, quan
quam esset in domo Tiberii filius iuvenis; sed quo pluribu
munimentis insisteret. Bellum ea tempestate nullum nisi ad
versus Germanos supererat, abolendae magis infamiae ob amis
sum cum Quintilio Varo exercitum, quam cupidine proferend
imperii aut dignum ob praemium. Domi res tranquillae; ea
dem magistratuum vocabula; iuniores post Actiacam victoriam
etiam senes plerique inter bella civium nati. Quotusquisqu
reliquus, qui rem publicam vidisset?

1. Cf. H. 1, 14 sq. *Augustus*, qui praeter unicam filiam Iuliam ni
hil liberorum haberet, ex cetera propinquitate sua providendos sib
quoad longissime posset, successores iudicavit: nam sapienter ap. Io
seph. A. J. l. 18. Tiberius morti proximus Caligulam monet, *τὰς μονά
σεις τοῖς ἄρχουσιν ἐπικινδύνους εἶναι. Mur.* — *subsidia dominationi*, ut *re
ctor iuveni* 1, 24. *dona templis* 2, 60. *causas bello* 2, 64. et alia. Absolut
et per apposit. dicta pro: ut essent subsidia dominationis, si honoribu
extollerentur. Cf. Ind. III. v. *Appositio* et *Dativus obiectivus*. „Ceterum *sub
sidia dominationis* saepius et vere dicuntur filii heredesque Imperatorun
Sic paulo post *quo pluribus munimentis insisteret*, fulciretur, niteretur; H. 4
52. *non legiones, non classes perinde firma imperii munimenta quam numeru
liberorum*, Eurip. Med. 600. *Φῦναι τυράννους παῖδας, ἔρυμα δώμασι*, (v
al. *σθένος* et *στύλοι ὄικων*) Suet. Cal. 12. *subsidia aulae*, Sen. cons. a
Marc. 4. *adminicula Augusti*." *Lips*. Ita vocantur, qui succedere in im
perio possunt aut destinari successores: nam facilius et confidentius in
surgit populus adversus Principem, cuius morte fore se liberum puta
et quem si occiderit, nullum paratum videt ultorem, quam si videa
eo sublato successorem quempiam ex eadem stirpe fore, ubi futuri m
tu praesentibus acquiescit; *Mur.* et *Ern.* Augustus *Agrippam socium tr*

initiae potestatis eoque defuncto Tiberium delegit, ne successor in incerto foret: sic cohiberi pravas aliorum spes rebatur 3, 56. Cf. c. 8. extr. 14, 47. H. 1, 12. inpr. 4, 52. Agr. 6. n. 4. Suet. Galb. 17. Dio 55, 13. Similiter *Augustus nepotibus subnixus* 12, 25. *domus integra, plena, vacua, inanis* cet. de quibus v. nota 2. — M. *Claudium Marcellum, sororis* Octaviae *filium*, magnam illam Romae et libertatis spem, de cuius laudibus Sen. ad Marc. c. 2. plena manu; *Lips*. Cf. et Virg. Aen. 6, 861 sq. Hor. od. 1, 12, 45 sq. Vell. 2, 93. — *admodum adolescentem*, v. nota 8. Exstinctus ille anno aetatis XVII. et U. c. 731. in balneis Baianis, postquam magnificentissimum in *aedilitate* munus ediderat; cuius rei suspicio in Liviam ipsumque Augustum cecidit. v. 2, 41 extr. Plin. 7, 45. Dio 53, 30. 33. Vell. l. l. *aduleacentem* scriptum in utroque Flor. in edd. vet. Bekk. Walth. — *pontificatu — extulit*, v. ad c. 2. n. 6. *Pontificatus* Marcello datus ab Augusto, ut Neroni, Germanici filio, a Tiberio. v. 3, 29. Pontificatum Maximum Imperatores ab Augusto ad Gratianum sibi vindicabant soli et quidem consilio sapientissimo, ut sacris quoque praeessent et religione, quae efficacissima est ad animos plebis movendos, rationibus consiliisque suis convenienter uti possent. v. Spanhem. de usu et pr. num. diss. VIII. p. 691 sq. et Bohierii diss. in hist. Acad. Inscr. T. V. — *M. Agrippam*, Augusti generum, cos. ordin. a. U. 717. 726. 727. cos. suff. a. 735. primum Praef. Urbi ab a. 734. consortem potest. tribun. ab a. 736. — *ignobilem loco*, „adeo ut ipsum generis sui nominisque poeniteret. v. Sen. controv. 2, 12 extr.“ *Lips*. — *bonum militia*: nam *bonus, melior, optimus* et similia Adiect. Ablativis iungi solent, ut Dativis a Graecis. v. Lexica et Drak. ad Sil. 10, 76. Bentl. ad Hor. epist. 1, 10, 34. Matthiae Gram. Gr. §. 385. 388. — *geminatis consulatibus*, coniunctis continentibusque: qui sane honos erat et raro cuiquam ea aetate tributus praeter Principes re aut destinatione; *Lips*. Immo nunquam; *Ern*. et *Pagius* appar. ad crit. Baron. p. 26. 6. „*Geminatis* nativo significatu, de continuatis consulatibus a. U. 726. et 727. quos gessit cum Augusto, cui debuerat. Priorem a. 717. debuit liberis suffragiis tribuum, nondum verso statu. Is ergo huc non pertinebat.“ *Wolf*. Cf. Dio 48, 49. Suet. Caes. 76. Vell. 2, 90. 96. — *defuncto Marcello* a. U. 731. v. Dio 53, 30. 33. — *generum sumpsit*, nuptum data in locum Marcellae Iulia, quae Marcello, Octaviae sororis filio, desponsa erat. v. Dio 53, 1. 27. 30. 54, 6. Suet. Aug. 63. Plut. Anton. c. 87.

2. *imperatoriis nominibus auxit*: „*Aucti* homines et res dicuntur, quum insigniores, maiores, clariores aspiciuntur; et hinc *augere* vel respondet prisco Germanorum verbo mehren, vel est beare, beglücken. Sic *aucta caerimonia* 3, 61. 4, 64. 14, 22. *augeri opibus* 2, 2. *cognomine* 12, 26. *honore* et *gratulatione* ap. Cic. Phil. 9, 6. 14, 6. *omine* Ann. 2, 14. *taedis felicibus* ap. Catull. 64, 25. *filia, filio, liberis* Agr. 6. Cic. ad Att. 1, 2. Plaut. Truc. 2, 6, 35. Pers. 4, 3, 15.“ *Walch*. ad Agr. 6. et emend. Liv. p. 34. 35. Similia v. in Ind. II. et cf. ad 2, 41. 3, 8. 12, 26. Agr. 25. n. 2. „Add. Cic. ep. ad Att. 1, 2. *filiolo me auctum scito*, et conf. oppositum Ann. 2, 86. *dissidio domum imminuerat*.“ *Boett*. in Lex. Tac. p. 73. *Augeri* dicuntur, quibus aliquod incrementum accedit, sive temporis h. e. numeri, sive substantiae h. e. finium: sensu autem morali *augeri* absolute est incrementum dignitatis, potentiae cet. capere, ornari; *Walth*. ad 2, 6. Similiter dicitur *extollere*. v. ad 1, 2, 6. et 11, 1, 1. „Ceterum *Imperatores* multi olim et libera re publica vel a militibus salutati vel a senatu honoris causa dicti, donec triumphassent, ut quisque rem suis auspiciis bene gessisset. [v. 3, 74. Sic et Augustus c. 9. et ap. Dion. 52, 41.] Sed Augustus, ut reliquos honores in se, sic et hoc nomen traxit. Idem et reliqui Caesares, ut auspicia, sic honorem omnem rei a ducibus suis legatisve gestae sibi servaverant suisque adscribi volebant auspiciis. [Hinc *ductus* et *auspicia* distinguuntur 2, 41 pr. Plin. 3, 20. Suet. Aug. 21. eandemque ob

causam Princeps absens inter et apud aquilas signaque militaria *Imperator* salutabatur. v. ad 2, 18, 2. 2, 41, 2. 13, 41. Hist. 2, 80. Caes. b. c. 2, 26. Plin. pan. 56.] Ab iisdem Principibus communicatum quidem *Imperatoris* vocabulum cum paucis, sed fere non nisi ex gente Augusta; et Iunius Blaesus e privatis postremus fuit, cui illud a Tiberio concessum. [v. 3, 74. Dio 54, 33. 55, 6. Vell. 2, 125. sed et Appian. b. civ. 2, 44.] Postinde soli Principes hoc titulo sunt usi, isque, quum Principis est, praeponitur, quum victoris, subiungitur, v. c. *Imp. Caesar Augustus* et *M. Tullius Cicero Imp.*" *Lips.* ad h. l. et 3, 74. Hic vero titulus primum a Caesare, deinde ab Augusto a. U. 725. eo sensu ascitus est, ut eo imperium in omnes exercitus et in Urbe significaretur. v. Dio 43, 44. 52, 41. 53, 17. Suet. Caes. 76. — *integra etiam tum domo sua*, v. ad 2, 62, 2. et Ind. III. v. *Adiectiva in sexto casu absolute posita* et *Ellipsis verbi substant. in Partic.* — *Domus integra* dicitur superstitibus imperii heredibus, ut *plena* sc. liberis 4, 3. pr. et contra, liberis nullis sive natis sive superstitibus, *vacua* 6, 51. (*vacui Principis penates*, ut *vacua domus* sublato filio ap. Sall. Cat. 15. ubi v. *Cort.*) *inanis* 6, 34. (*inanis regia*) *finita* H. 1, 16. *imperfecta* Val. Fl. 6, 689. δόμος ἡμιτελής Hom. Il. 2, 701. ἡμιτελής θάλαμος in Iacobs. Anthol. Gr. T. II. p. 172. vel Brunckii Anal. vet. poet. Graec. T. II. p. 187. *incepta frustra* Catull. 68, 75. Sic et *vacuae provinciae, terrae, mulieres*, quae sunt sine praeside, rege, maritis, 2, 76. 6, 34. (*vacuos Colchos*) 11, 12. 12, 50. 13, 44. 14, 26. H. 4, 39, 7. Agr. 32. 40. Hinc inf. 6, 40. Blaesi domus primum dicitur fuisse *integra*, deinde *convulsa*, labefactata caede Seiani, cuius avunculus erat, (ut 12, 1. *caede Messalinae convulsa Principis domus*) et tandem *vacua*, ne liberis quidem superstitibus. „Vis vocis *vacuus* plerumque intelligitur vel e casu, qui additur ad sensum explendum, ut *vacuus metu, a periculo, curis* 2, 44. H. 1, 86. 2, 90. vel e contextu, ubi nude ponitur, ut *vacua provincia*, quae praeside caret, 2, 76. *vacui Colchi* et *vacua Armenia*, sine rege, 6, 34. 12, 50. *mulier vacua*, quae est sine marito, 13, 44. *vacuae legiones* 2, 46. quae bello carentes in pace versantur, (nam legiones ad bellum parantur) otiosae, pace incuriosae (4, 45.) ideoque non paratae ad proelium, ungerüstete, unbefangene, ut *vacuus* H. 1, 80. et *vacui* H. 4, 17. Agr. 37 pr. *vacua res publica*, non instructa ad defendendum, Sall. Cat. 52. Male *vacuas legiones* 2, 46. Freinsh. interpretatur οὐκ ἐντελεῖς et Gron. sine duce vel sine duce perito: nam sine duce minime fuere, utque intelligamus *sine duce perito*, provido, (ut *inermem* 6, 31.) vel *non expleto numero*, non plenas, non ferunt verba." *Walth.* ad 2, 46. „Tacitus aliique eiusdem aevi scriptores Adiectiva relativa (v. Ind. III.) absolute ponere solent vel ita ut ex verborum contextu aliquid intelligatur. Sic *vacuae legiones* 2, 46. *vacua castella* Agr. 32. *Sertorius vacuus* Sall. fragm. p. 288. ed. Bip. *avidus* sc. gloriae Agr. 22. Hor. Serm 1, 4, 26. et od. 1, 28, 18. (ubi v. Bentl. et Mitscherl.) *cupidissimum* (pecuniae) *Vespasianum* Suet. Vesp. 16. Cf. Wopk. in Act. Trai. 2. p. 60." *Walch.* ad Agr. 22. p. 300. Cf. Ind. III. v. *Adiectiva relativa*, Cort. ad Sall. Cat. 15. intpp. Liv. 1, 40. extr. Hemsterh. ad Lucian. T. I. p. 410. Boett. in Lex. Tac. p. 479. — *etiam dum* vel *etiamdum* MS. et edd. vett. Sed scrib. *etiam tum*: nam *dum*, quod negationibus iungitur, non est huius loci; *Wolf.* *Etiamtum* de re praeterita, ut *etiamnum* de re praesente; *Ern.* ad Suet. in Ind. „Recte: et tamen ille *etiamnum* coniecit Agr. 39. extr. et Suet. Cal. 10. quod de re praeterita non adhibitum videtur. v. intpp. Cic. ep. ad fam. 10, 32. Caes. b. G. 7, 62. Suet. Oth. 9. *Etiamtum* est id. qd. *eo adhuc tempore* vel, quod aevo recenti dicebatur, *tum adhuc*, Germ. damals noch, non *usque ad id tempus*, ut interpretatur Forcell. v. Heusing. ad Cic. de off. 2, 13. et Schwarz. ad Tursell. Saepius scribitur *etiam nunc, etiam tum* et *etiam tunc*, quae molliora sunt quam *etiamnunc, etiamnum, etiamtum, etiamtunc* una voce, in qua an

scui solet. Distinguuntur autem *etiamsi* et *etiam si*. v. Ern. ad Cic. or. 11. Cur non *etiamtum* et *etiam tum?* Hoc ab illo diversum esse patet e Cic. p. Flacco 4. *magis etiam tum, quum plus erat otii*. Non ambigua sunt *etiam dum, nullus dum, aegre dum, vix dum*.“ *Walch*. ad Agr. 39 extr. Cf. 1, 21. 49. 50. 15, 64. et ad 2, 9, 2. 2, 26, 5 intpp. Liv. 3, 6. 37, 4. Caes. b. G. 6, 40. Lucan. 8, 41. Oudend. ad Suet. Cal. 10. et Oth. 9. Kritz. ad Sall. Cat. 2, 7.

3. *in familiam Caesarum induxerat* (ut *penatibus suis inducere* 5, 1. et simpl. *induci* 12, 2.) sc. adoptione. Augustus *Caium et Lucium adoptavit domi per aes* sive *assem et libram emptos a patre Agrippa, tertium vero nepotem Agrippam simulque privignum Tiberium adoptavit in foro lege curiata* Suet. Oct. c. 64. 65. Duplex enim adoptandi modus erat, adoptio proprie sic dicta apud praetorem, qua liberi alieni a patribus per aes et libram ter venditi, et *arrogatio*, qua homines sui iuris lege curiata apud pontifices (v H. 1, 15. coll. Ann. 12, 26. *rogata lex, qua* cet. et c. 41. *sperni adoptionem quaeque censuerint Patres, iusserit populus*) et sub Imperatoribus plerumque per rescripta eorum (v. Cai. in Pandect. 1, 7, 2. et 21.) in alterius potestatem, gentem, nomen et sacra transirent. De utraque v. Cic. p. domo c. 13—15. loc. class. Gell. 5, 19. Schweigh. ad Appian. B. C 3, 94. Fabric. ad Dion. 37, 51. 45, 5. 46, 47. Paulus Manut. de legibus c. 14. Brisson. de form. lib. VII. p. 601. — *Caesares* ante tempora Galbae dicti gentiles C. Iulii Caesaris, exinde Imperatores et successores eorum. v. Ern. ad Suet. Galb. 11. et ab eo laudati Ioseph. A. I. 8, 6, 2. et Pagii crit. Baron. ad a. LXIX. §. 4. — *Principes iuventutis* olim dicti vel Equites, quorum nomina primum recitata a Censoribus ordinem equestrem recensentibus, ut *principes senatus*, vel iuvenes, quorum patres opibus et dignitate conspicui essent. Cf. Ern. clav. Cic. „Ab Augusto invaluit hic ad futurum imperium titulus et omen. Ridiculum vero id h. l. de iis, qui etiamnum in pueris: nam Caius natus a. U. 734. Lucius a. 736. v. Dio 54, 18.“ *Lips*. „De hoc titulo v. Dion. 55, 12. numos et lap. Ancyr., ut de huius lacuna Fabric. in Augusti fragm. Noris. ad cenot. Pis. p. 102. 105.“ *I. Gron. et Ern.* — *nec dum posita puerili praetexta*, v. ad 12, 41. — *destinari consules specie recus. fl.* c. v. Dio 55, 9. Suet. Aug. 64. marmor Ancyr. et aliud, quod Romae est; *Lips. destinari*, designari, ut 2, 36. H. 1, 26. 87. v. Gron. obss. 2, 8. *destinare* MS. et edd. vet. *destinari* edd. rec. ex emend. Ryck. Illud defendit Walther his verbis: „Senatus populusque consules quidem designabant, sed non praeter Principis voluntatem. Sensus est: cupiverat, ut Caius et Lucius a S. P. Q. R. destinandi sibi commendarentur. Similiter ἀπέδειξε dixit Dio 55, 22. et *creavit* Suet. Aug. 37. 40.“ Sed Augustus in marm. Ancyr. ipse id S. P. Q. R. tribuit et honores familiae suae petere solebat. v. 3, 29. Sensus est: destinati, id quod vel quia id cupiverat.

4. „*Agrippa vita concessit* a. U. 741. *L. Caesar* Massiliae, a. 755. *Caius Limyrae in Lycia* a. 756. v. Dio 54, 28 sq. 55, 11. Suet. in Aug. 65. in Tib. 15. Flor. 4, 12, 42. Vell. 2, 101. 102. Sen. consol. ad Polyb. c. 34. et contr. 4. pr. ubi *Lycia* leg. pro *Syria*.“ *Lips*. „Monumentum iis in confiniis Ubiorum ac Treverorum positum et Saec. superiore detectum describit Joh. Eb. Rau in diss. de tumulo honor. C. et L. Caess. inserta eius Monum. vet. Germ. Trai. ad Rhen. 1738. Situm erat in loco, cui nomen *Imberrakt*.“ *Oberl*. Cf. Gori inscr. ant. T. II. p. 10. tab. 2. et Noris. de cenot. Pis. — *Caium remeantem* ex *Armenia mors abstulit*, v. ad 2, 4, 1. *mors fato propera*, ut ap. Flor. 4, 12. *ambo fato breves, sed alter inglorius*, sc. Lucius; *Brot*. — *novercae Liviae* Augustae, quae successionem imperii parabat filiis suis, Tiberio *Neroni* et Druso. „Nata exitio reip. haec mulier et suae domus. Sed bene quod Tacitus nusquam

dissimulat fraudem eius et scelus. Cautior Plin. 7, 45." *Lips.* — *abstulit* sc. e vita; *Ern.*

5. *Drusoque pridem exstincto* a. U. 745. aetatis XXX. ex lapsu equi in Germania; *Lips.* v. Dio 45 pr. Claudius *Drusus* frater *Neronis*, Tiberii, de cuius virtutibus rebusque in Germania gestis v. Ind. I. Dio 54, 22. 32—55, 2. Suet. Claud. 1. Vell. 2, 95—99. — *illuc*, ad s. in Neronem, Tiberium, *cuncta*, omnes honores, tituli successoris et spes, *vergere*, se inclinare, verti coeperunt. Cf. ad 11, 9, 1. H. 2, 24. 3, 38. Suet. Tib. 15. — *filius* Augusti, post mortem Caii et Lucii adoptatus a. U. 756. v. Dio 55, 13. Suet. Aug. 65. Tib. 15. *collega imperii*, Suet. Tib. 21. Vell. 2, 121. *consors tribun. pot.* ter *assumitur* a. U. 748. 757. 766. v. Dio 55, 9. 13. 56, 28. Suet. Aug. 27. Tib. 9. et 16. Cf. ad c. 2. n. 4. et ad 6, 11, 2. „De *collegio imperii* late et eruditè disputat Pagius in crit. Baron. ad a. C. 11. 97. 98. 117. sed hoc definit tribunicia potestate et proconsulari imperio. Id per se non improbem. Sed h. l., ubi a *collega imperii* distinguitur diserte *consors tribun. pot.*, Tiberium collegam imperii factum putem dato *Imperatoris* praenomine. (v. nota 2.) Clare in pari causa de Traiano Plin. pan. 8. *simul filius, simul Caesar, mox Imperator et consors tribun. pot.* Imperium proconsulare indicari videtur verbis seq. *omnesque per exercitus ostentatur*, sed perpetuum *collegio imperii.*" *Ern.* Quae refutavit Wolfius ad h. l. et in Miscell. (Vermischte Schriften p. 181.) his verbis: „Satis erat laudare cap. 11. pr. (ubi Tiberius se *in partem curarum ab Augusto vocatum* ipse testatur) Vell. 2, 121. et Suet. Tib. 21. Quippe ab his narrata, quae, si Velleium audimus, ad a. U. 765 pertinent, hanc *Collegae* appellationem vel certe vim eius designant. Nam nomen hoc fortasse illo tempore non fuit in usu publico. Cf. Dio 56, 28. ad a. 766. Perpetuum imperium proconsulare an unquam Tiberio datum sit, dubito; ea quidem vi, qua id primum Augustus, mox Germanicus accepit. v. Dio 53, 32. Si datum esset ista lege per coss. lata, appellationem hanc haud dubie adiecisset eorum aliquis scriptorum, quos supra nominavi. Itaque etiam Ern. ad Suet. l. c. errare opinor. Quid autem hic dicat, non satis assequor. *Imperatoris* enim nomen, quod paulo ante memorabatur, Tiberio ac Druso simul tributum, nunc iterum inculcari non potuit; neque ei rei nomen *Collegae* conveniebat. *Omnes per exercitus ostentatur*, modo huic, modo illi exercitui impositus imperator, Germanicis maxime, tanquam non ambiguus successor." Kiesslingius haec annotavit: „Verum vidisse videtur Drückius, qui in libro inscripto *Philologie*, eine Zeitschrift v. Hauff fasc. I. p. 58. interpretatur: er wird allen Armeen vorgestellt. Cf. Steuber in Seeb. bibl. crit. a. 1826. p. 969." „Hi Tiberium intelligunt per omnes exercitus ostentatum ut assumptum filium cet. Quam rationem minime patiuntur verba seq. *non obscuris, ut antea, matris artibus, sed palam hortatu.* Scilicet antea obscuris matris artibus ut talis per omnes exercitus ostentatus est! Verum vidit Wolf. et verbum *ostentare* absolute positum, plane ut 3, 9. *ut crebro se militibus ostentavisset*, Germ. wie oder wie sehr (ut Gr. ὡς et *ut* H. 1, 79, 4.) er sich zur Schau gegeben, scil. admirationis et potentiae parandae gratia; quod ambitiosi est." *Walth.*

6. *Agrippam Postumum*, al. *Postumum Agrippam.* v. ad 3, 75, 1. *nepotem unicum* post Caii et Lucii obitum, Agrippae et Iuliae filium, *Postumum* s. *Posthumum* post patris mortem natum et ab Augusto adoptatum eodem die cum Tiberio. v. Vell. 2, 104. et 112. extr. Suet. Aug. 64. 65 — *in insulam Planasiam* (hod. *Pianosa*) a. U. 760. *proiiceret*, relegaret, u 4, 71. et αὐτός (Agrippa) ἐς Πλανασίαν τὴν πρὸς Κύρνῳ νῆσον (Corsicae finitimam insulam) ἐνεβλήθη ap. Dion. 55, 32. Pro Planasia Surrentum memorat Suet. Aug. 65. et Siciliam Schol. Iuvenal. 6, 158. Haec es

deportatio (navi) *in insulam*, desertam praecipue et saxosam vel longe ab Urbe remotam; quod genus exsilii acerbius fuit quam *relegatio* et cum libertatis, civitatis, bonorum iactura, nonnunquam et custodia, coniunctum, vel interdictioni aquae et ignis (de qua v. ad 3, 68, 2.) additum. v. 1, 53. 2, 85. 3, 12. 23. 38. 50. 69. 4, 13. 21. 30. 71. 6, 18. 30. 12, 42. 13, 32. 43. 14, 45. 63. 15, 71. 16, 12. Dio 55, 18. 20. 86, 27. et inpr. Heynii opusc. acad. Vol. IV. p. 268—285. Alii exsules et relegati oppidis clausi; ut c. 53. 13, 47. 16, 9. H. 1, 88. *planesiam proieceret* MS. — *rudem sane* (v. ad 3, 5, 2.) *bonarum artium* — *compertum*; cf. de eius indole c. 4. Dio 55, 32. Suet. Aug. 65. Vell. 2, 104. 112. *robore corporis stolide ferocem*, ut ap. Liv. 7, 5. *nullius flagitii compertum*, a quo non constat flagitium aliquod fuisse commissum. Sic 4, 11. et ap. Liv. 7, 4. 22, 57. 32, 1. *Comperire* est ex testimoniis indiciisque fide dignis cognoscere et explorare, Germ. ergründen; unde *compertum* (Substant.) res ita cognita et explorata. Cf. 1, 5. 3, 19, 2. H. 1, 53. Agr. 43. n. 4. *Ex multis audivi: nam comperisse me non audeo dicere* Cic. ep. ad div. 5, 5. *De iis haud facile compertum narraverim* Sall. Iug. 17. ubi v. Cort.

7. *Germanicum Druso ortum*, fratre Tiberii, *octo apud Rhenum legionibus* (cf. ad 1, 31, 1. et 4, 5, 2.) *imposuit* sc. Augustus *ascirique per adoptionem a Tiberio iussit*, cf. ad 4, 57. extr. Dio 55, 13. 31. 56, 25: Vell. 2, 123. Suet. Tib. 15. Cal. 1. 4. In numo Tiberii Tarraconensi ap. Vaillant. NN. Coll. T. 1. p. 82. memoria rei; *Oberl.* Hinc saepe Tiberius *pater* et Drusus, filius eius, *frater* Germanici, huius vero filii *nepotes* Tiberii appellantur, et *fratres* 2, 43. 4, 4. (ἀδελφοὶ in numis ap. Hard. sel. opp. p. 149.) Germanicus et Drusus. *asciri* ut 4, 57 extr. et plene *asciscí in gentem et nomen* 1, 31. 3, 30. v. ad Agr. 19. n. 2. — *in domo Tiberii filius iuvenis* Drusus, natus ei ex Agrippina. cf. Dio 55, 13. Suet. Tib. 52. — *sed quo pluribus munimentis insisteret*, v. nota 1. *munimentis* ex emend. Lips. et Mur. *monimentis* edd. vet. „Post *sed* intell. *fecit*. Sic saepe *sed* ἐλλειπτικῶς ponitur, ut c. 7. 8. 15, 41. et ἀλλά, ut ap. Plat. Crit. 43. C." *Kiessl.* Cf. Ind. III. v. *Ellipsis*.

8. *abolendae magis infamiae* vel Dativi sunt vel Genitivi. cf. Ind. III. v. *Dativus Gerundii* p. 813. et *Genitivi Gerundiorum* cet. p. 818. 819. „Similiter 2, 59. 3, 9. 27. 41. 13, 11. Vell. 2, 20. extr. *cuius auctoritatis augendae C. Marium de exsilio revocavit.* Est genitivus graecus, ut ap. Xenoph. Cyr. 5, 2. 7. τὴν θυγατέρα πενθικῶς ἔχουσαν τοῦ ἀδελφοῦ τεθνηκότος." *Walth.* ad 2, 59. et 6, 29. Kiesslingius, quod mireris, putavit, *causa* intelligendum esse e verbis, quae sequuntur, *quam cupidine proferendi* cet., ut 3, 41. ex verbis *ne incesseretur telis*, et Genitivum *petendae ultionis* 3, 7, 1. e Partic. *erectis* pendere. E sententia Kritzii ad Sall. Cat. 6, 7. et in Ephem. schol. Darmst. a. 1830. p. 140 sq. hi Genitivi ex vera ipsorum vi explicandi sunt et, si iunguntur verbo substant. *esse* in Part. Fut. pass., significant *alicui usui esse*, zu etwas gereichen, si aliis verbis, *facere quid alicuius rei causa.* — *ob amissum cum Quintilio Varo exercitum* a. U. c. 762. a. Chr. n. 9. Hoc notissimum e cap. 53. sq. Suet. Aug. 23. Dione 56, 18—24. Vell. 2, 117 sq. al. *Quintilio* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. *Quinctilio* edd. Lips. et rec. Utraque scriptura reperitur in numis et lapidibus, ut *Quintilianus* et *Quinctilianus*. Cf. ad c. 65. 6, 12. et al. — *eadem magistratuum vocabula*, v. ad 1, 2, 6. — *iuniores post Actiacam victoriam* a. U. 723. quae Augusto dominatum paravit. *Iuniores, iuvenes* et *adolescentes* Romanis dicebantur plerumque homines ab anno aetatis XVII. ad a. XLVI, *seniores* ab a. XLVI ad LX viventes, et *senes* sive *seniores* annum LXmum egressi. „*Pueri minores* sunt annorum XIV, *pueri maiores* inde usque ad annum XVIII. Illo anno finiebatur *pubertas*, hoc *plena pubertas*, in primis apud ICtos veteres." *Wolf.* ad Suet. Oct. c. 43. *Admodum adolescens* initio huius cap. dicitur Marcellus anno aetatis

XVII. sed *homo praeadolescens* et *ineunte adolescentia* ap. Cic. de lege Manil. 10. 21. Pompeius anno XXIII. Similiter *admodum adolescens* ap. Cic. Brut. 88. et Plin. ep. 5, 17. *admodum iuvenis* ap. Tac. H. 2, 78. 4, 5. Agr. 7. O. 1. *admodum infans* Ann. 4, 13. Cf. Gell. 10, 28. et Censorin. de di. nat. 14. et de annis minorennitatis inf. ad. 11, 13, 1. — *qui remp. vidisset* et libertatis dulcedine captus eius restituendae consilia agitasset. Cf. Dio 56, 44.

CAPUT IV.

Igitur verso civitatis statu nihil usquam prisci et integri moris: omnes exuta aequalitate iussa Principis aspectare, nulla in praesens formidine, dum Augustus aetate validus seque et domum et pacem sustentavit. Postquam provecta iam senectus aegro et corpore fatigabatur aderatque finis et spes novae; pauci bona libertatis incassum disserere, plures bellum pavescere, alii cupere. Pars multo maxima imminentis dominos variis rumoribus differebant: *trucem Agrippam et ignominia accensum, non aetate neque rerum experientia tantae moli parem: Tiberium Neronem maturum annis, spectatum bello, sed vetere atque insita Claudiae familiae superbia; multaque indicia saevitiae, quanquam premantur, erumpere. Hunc et prima ab infantia eductum in domo regnatrice; congestos iuveni consulatus, triumphos: ne iis quidem annis, quibus Rhodi specie secessus exsulem egerit, aliquid quam iram et simulationem et secretas libidines meditatum. Accedere matrem muliebri impotentia: serviendum feminae duobusque insuper adolescentibus, qui rem publicam interim premant, quandoque distrahant.*

1. *verso civitatis statu,* v. ad 2, 42, 1. — *nihil usquam prisci moris* sing. pro plur. ut nostrum Sitte pro Sitten in stylo altiori; *Günther* in Athenaeo II, 2. p. 262. Cf. Ind. I. „Ipse paulatim exolevit *priscus mos,* i. e. vetera instituta et ratio reip. administrandae, magistratuum creandorum cet., ne forte disciplinam morum cogites.“ *Wolf.* — *omnes* edd. rec. *omnis* edd. vet. non vitiose, sed ἀρχαϊκῶς. — *nulla in praesens formidine,* cf. ad 1, 1, 2. et Ind. III. v. *Adiectiva in sexto casu absolute posita* et *Ellipsis verbi substant. in Partic.* Non timent etiam homines nisi propinqua; *Mur.*

2. *provecta iam senectus,* senex, ut 6, 31. et al. Cf. ad 2, 13, 2. — *aegro et,* etiam, *corpore,* morbis. „Omnis scrupulus eximetur deleta virgula quae *aegro* (in edd. recc., non in vett.) praefigitur. Tacito, Suetonio aliisque istius aetatis nihil tritius est postposito *et,* non ad morem poetarum, sed ut sit *etiam, adeo,* quo significatu nondum utitur saeculum Ciceronis. Male coni. Freinsh. *animo et corpore,* et Wopk. *senectute aeger, et corp. f.*“ *Wolf.* Cf. Ramshorn. Gram. p. 519. — *aderatque finis* Augusto. Cf. ad 2, 71, 2.

3. *pauci bona libertatis incassum disserere,* (in MS. *dissere*) frustra memorare et praedicare. *Disserere, pavescere, cupere,* ut semel moneamus Infinitivi pro Praes. vel Imperf. vel Praet. Indic. substituti iunctique Nominativis Subiecti, qui vulgo *historici* et perperam *narrativi* vocantur (nam in descriptionibus etiam adhibentur) quique puram actionem designant et ex omisso *coepit* vel *coeperunt* pendere creduntur, sed recte ponuntur ibi tantum, ubi vis affectuum, celeritas, magnitudo, sollicitudo, cupiditas, admiratio, laetitia, tristitia cet. alicuius rei vel describitur vel nar

ratur, ita ut ipse scriptor ea commotus videatur ponaturque modus, rem universe enuntians neo quicquam praeter ipsam actionem significans. v. Stallb. ad Ruddim. inst. Gram. T. II. p. 227. Boett. Lex. Tac. p. 262 sq. Mohr über den hist. Infinitiv Meiningen 1822. H. Chr. Fr. Prahm Versuch über das Wesen des hist. Infinitivs in der lat. Sprache Altona 1827. Ramshorn Gramm. p. 434. et in Iahnii Ephem. (Jahrbücher) 1, 2. p. 262. Annal. Schol. Darmst. a. 1828. II, 53. p. 439. 440. Max. Schmidt über den Infinitiv Ratibor 1826. p. 64. Zumpt Gram. §. 582. 599. — *imminentes dominos variis rumoribus differebant*, quod plebis ingenium egregie adumbratur a Iuvenale 10, 65 — 89 et Stat. Theb. I, 168 sq. *imminentes*, ut 6, 48. et al. *instantes*, proxime futuros, *dominos*, Principes. Proprie *rumores*, *sermones* et *fama*, deinde *rumoribus*, *sermonibus* et *fama* homines et res *differri*, (3, 12. 4, 25.) *circumferri*, *circumagi*, *distrahi*, (3, 10.) *spargi*, *dispergi* dicuntur, quae divulgantur vel in ora vulgi veniunt eique sermonum iudiciorumque ferendorum materiem praebent, Germ. ausgetragen, herumgetragen werden. — *trucem Agrippam* Postúmum *et ignominia* deportationis — *parem*, v. cap. 3. ibique nota 6.

4. *Tiberium Neronem maturum annis* LV. et *spectatum bello*, expeditionibus Germanicis, de quibus v. 2, 26. Suet. Tib. 9. 16 — 20. Dio et al. *Spectata*, δόκιμα, δοκιμασθέντα, dicuntur metalla, numi et alia documentis explorata et cognita tanquam proba et genuina, egregia et praeclara. Cf. 12, 41. 13, 12. H. 1, 27. 3, 48. 4, 46. O. 28. — *vetere atque insita Cl. f. s.*, quae satis nota est ex Livio, (v. Ind.) Suet. Tib. 1 — 3. et al. *vetere superbia*, v. ad 3, 52, 1. et Ind. III. v. *Ablativi qualitatis.*

5. *Multa indicia saevitiae, quanquam premantur, erumpere:* „Proprie *indicia* non *premuntur*, sed vitia, h. l. saevitia. (Sic ap. Suet. Cal. 6. extr. *metu repressam Tiberii saevitiam, quae mox eruperit.*) Itaque Tacitum scripsisse putarem *prematur*, nisi et in aliis durior esset, et locus H. 1, 26. vulgatae faveret.“ *Ern.* „Immo favet rei ratio ac sermonis proprietas. Vitia animi *premere*, h. e. coercere et compescere, virtus est; at significationes eorum nobis incautis *erumpentes premere*, h. e. occultare et oculis hominum subducere, simulatio est virtutis. Haud abnuerim, figurate etiam alterum dici posse, sensu eodem, sed in alia verborum collocatione.“ *Wolf. quanquam premantur*, v. Ind. III. v. *Coniunctiones* et *Verborum Modi*. — *eductum*, ut c. 41. 6, 15. 41. Ter. Andr. 5, 4, 7. *Educere* est Gr. ἐκτρέφειν, Germ. aufziehen, ut *educare* id. qd. τρέφειν, nostrum erziehen.

6. *congestos iuveni consulatus, triumphos*, cf. ad 1, 72, 1. Suet. Tib. 9. 17. 20. Dio 55, 7 sq. — *annis* octo, (a. U. 748 — 755.) *quibus Rhodi specie secessus exsulem egerit*, cf. c. 53. 4, 15. 6, 20. Suet. Tib. 10 — 14. Dio 55, 9. Vell. 2, 99. Eleganter Mur. *exsul egerit*, sicque ipse Tac. Ann. 3, 38. 44. at H. 3, 2. 4, 2. aliter quoque; *Brot.* „Gravius videri potest ulcus subesse, quamvis perquam similis oratio sit 4, 44 extr. sed diversa res. Quid enim aliud est *exsulem agere*, nisi speciem seu personam exsulis induere et gerere? At secedentis specie, non exsulis, Rhodi vixit Tiberius. Quid vero *exsul agere* nisi verum exsilium indicat? Cui rei ecquis auctor? Nullus praeter frigidum rumorem, quem ut minime probabilem Dio 55, 9. certioribus illius secessus rationibus subiicit. Verum aliam ac veriorem causam norat Tacitus c. 53. Ne multa: *exsulem* irrepsisse putabam aliquando ex glossâ librarii, cui verbum *egerit*, absolute sic toties positum, h. l. novum fuisset. Iam comparato Suet. Tib. 13. (*non privatum modo, sed etiam obnoxium et trepidum egerat exsulque vulgo appellabatur*) id me maxime in viam retrahit, quod fama vulgi hic affertur, non sententia scriptoris. Ac forsan ita tueare vulgatum, ut eodem modo dictum sit, quomodo quis Augustum dicat Romae *egisse dominum specie antiquae libertatis*. Sic fere etiam Hooftius vertit.“ *Wolf.* „Verba *specie secessus* haud

dubie poscunt oppositum aliquid. Vulgus hic loquitur, ex cuius opinione Tiberius tum exsilium secessus nomine texit. Iam *exsulem agere*, ut *Principem, consulem agere* et similia, non est *speciem* seu *personam exsulis induere* et *gerere*, (den Verwiesenen spielen) ut videtur Wolfio, sed exsulis partibus fungi, h. e. re vera exsulem esse, licet alia species induatur. Ricklefs bene reddit: in den Jahren, worin er unter dem Schein der Zurückgezogenheit zu Rhodus den Verbannten gemacht. Quodsi cod. MS. praeferret *exsul*, minime id impugnandum esset. Tum *egerit* acciperes, ut *Rhodi agentem* 3, 48." *Walth.* At Tiberius non re vera in exsilium pulsus et exsul fuerat, sed hunc secessum efflagitaverat. — „*aliquid quam* pro *aliud quid quam*. v. Pearc. ad Cic. de or. 2, 42. Drak. ad Liv. 6, 3. Oudend. ad Suet. Tib. 47." *Ern.* Hic vero *aliquid* est *aliud quicquam*, propter negationem: quod longe rarissimum; *Wolf.* Sic G. 31. *aliqua cura*; *Walth.* Ita εἰ ἄρα τι ἐστὶ τοῖς θεοῖς ἔργον ἢ ἀνθρώποις θεραπεύειν; ap. Xenoph. Mem. Socr. 4, 3, 9. Cf. et Cic. Brut. 90. Et de inv. 2, 28. Mox *secretas lupidinae* MS.

7. *Accedere matrem* Liviam *muliebri impotentia*, v. ad 3, 52, 1. et 4, 57, 2. — *duobus adolescentibus*, Druso, Tiberii filio, et Germanico, *qui remp.* — *distrahant*, qui nunc quidem coniuncti remp. prement, at olim orto, fors fuat, dissidio eandem *distrahent*, convellent per bellum civile dissipabuntque; *Lips.* et Mur. V. L. 11, 1. cf. ad 1, 32, 2. *Interim* non est h. l. *interdum*, ut explicant ad Flor. 1, 26, 6. sed τέως, aliquamdiu, per aliquod tempus, vivo Tiberio, parum frequens significatio; *Wolf.* Ita et 14, 41. *Interim* est Germ. einstweilen, et *quandoque* id. qd. quandocunque, (ut Gr. ποτὲ) irgend einmal, es sei wann es wolle, über lang oder kurz; *Kiessl.* v. ad c. 6. n. 2.

CAPUT V.

Haec atque talia agitantibus gravescere valetudo Augusti, et quidam scelus uxoris suspectabant. Quippe rumor incesserat, paucos ante menses Augustum, electis consciis et comite uno Fabio Maximo, Planasiam vectum ad visendum Agrippam: multas illic utrimque lacrimas et signa caritatis, spemque ex eo fore, ut iuvenis penatibus avi redderetur: quod Maximum uxori Marciae aperuisse, illam Liviae: gnarum id Caesari; neque multo post exstincto Maximo, (dubium an quaesita morte) auditos in funere eius Marciae gemitus semet incusantis, quod causa exitii marito fuisset. Utcunque se ea res habuit, vixdum ingressus Illyricum Tiberius properis matris literis accitur; neque satis compertum est, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam an exanimem repererit. Acribus namque custodiis domum et vias sepserat Livia; laetique interdum nuntii vulgabantur, donec provisis, quae tempus monebat, simul excessisse Augustum et rerum potiri Neronem fama eadem tulit.

1. *gravescere*, ingravescere, ut 6, 46. *valetudo Augusti* adversa. Cf. Dio 56, 29. *valitudo* edd. Ber. Rhen. Ald. Sed v. ad Ann. 14, 51. pr. et ad O. 23. n. 4. — *scelus uxoris suspectabant*, tangit suspicionem de ficubus venenatis, marito a Livia datis, ut Caio et Lucio Caesaribus; *Lips.* v. Dio 56, 29. 30. Aurel. Vict. epit. 1. „Inter recentiores tamen sunt qui fidem demant atroci suspicioni et ipsum Planasiam iter inscia Livia factum ad vanos rumores reiiciant. Scilicet veneno grassari si voluisset mulier, id non in 76 annum mariti distulisset. Mihi nec haec

rati-

ratiuncula satisfacit ad refellendum, neque vagus rumor ad firmandum." *Wolf. scelus*, v. ad 4, 10, 1. — *rumor incesserat*, ut et *fama inc.* Sic 2, 55. 4, 46. 6, 23. 11, 32, 1. 13, 54. 15, 15. H. 4, 54. Cf. ad 1, 35, 3. 3, 26, 1.

2. *electis consciis* (ministris) *et comite uno* (amico), praeterea, super conscios; *Ern.* Cf. Dio 56, 30. — *Fabio Maximo* cet. „Hic est Q. Fabius Maximus Africanus cos. a. U. 742. de quo et de Marcia v. Ovid. ex P. 1, 2 et 4, 6. Hanc de Fabio tragoediam tangit Plin. 7, 45. sed totam eleganter narrat Plut. περὶ ἀδολεσχίας p. 508. A. Hoc tantum male, quod Φούλβιον ubique vocat, qui Fabius est, quodque Marciam a se interfectam vult ante maritum. Cf. Ovid. l. l. 4, 6, 11 sq." *Lips.* Paulum Fabium Max. designari putabat Reines. ep. 21. ad Rupert. *Augustum* (ad s. in) *Planasiam vectum*, cf. Ind. III. v. *Ellipsis praeposit.* N. 17. Gron. et Drak. ad Liv. 2, 28. 10, 37 pr. 28, 45. 33, 41. Ramshorn. Gram. p. 239. — *lacrimas*, v. ad 11, 2, 1.

3. *uxori Marciae edd. rec. Martiae* edd. vet. Sed Graeci id nomen Μαρκία scribunt; *Walth.* — *gnarum id Caesari*, passive ap. solum Tacitum, notum, cognitum, compertum sc. fuit s. factum, ut contra *ignarus*. v. Ind. II. in utraque voce, ad H. 1, 88, 2. Ind. III. v. *Enallage.* Ramshorn. Gram. p. 692 sq. — *gnatum* edd. rec. ex ingeniosa emend. Mur. V. L. XI. 1. et Lips. C. *Navum* MS. et edd. vet. *Liviam* coni. Albericus Gentilis in lectt. Virg. c. 19. p. 177. — *dubium an quaesita morte*, illata et violenta, machinatione Augusti; *Lips.* Bene Freinsh. voluntaria, sponte sumpta; *Wolf.* Ita *exitium sumptum* 3, 7. extr. Male *an* quidam accipiunt pro *anne*, pro quo nusquam dicitur, etsi huc referunt 3, 53. 4, 35. 6, 50. 11, 30. 16, 31. Cf. ad 4, 35, 1. et 11, 30, 2.

4. *vixdum ingressus Illyricum — neque satis compertum est*, (v. ad 1, 3, 6.) *spirantem — an exanimem repererit*: prius tradunt Vell. 2, 123. Suet. Aug. 97. 98. et Tib. 21. Dio 56, 29 — 31. quanquam hic prudentius dubitat; *Wolf. Atellam* pro *Nola* substituit Eutrop. 7, 8.

5. *acribus custodiis domum et vias sepserat Livia*, cf. Dio 56, 31. Sic Agrippina 12, 68. et Tanaquil ap. Liv. 1, 41. *arctius* vel *arctioribus custodiis* corr. Heins. coll. 13, 28. H. 1, 88. Liv. 26, 4. Sed *acre* propr. dicitur de diligentia et rebus iis, in quibus diligentia spectatur, et sic 6, 17. *acria initia* et *incuriosus finis* opponuntur; *Ern.* „De vulgato nemo ambigat. Apud Liv. 39, 19. est *custodia intentior*, voce plane συγγενῆ." *Wolf.* Cf. 2, 43. ad 3, 28. 6, 48. H. 2, 72, 1. 4, 28. — *excessisse Augustum*, v. ad 2, 71, 1. — *potiri rerum*, imperio. „*Potiri* iungitur Genitivo, Accus. et Ablat. v. Ind. II. et Ramsh. Gr. p. 269. n. 2. Accusativus, qui plerumque cum Participio iungitur, quum adest, *potiri* non est nostrum **sich bemächtigen**, Gr. ἐπιλαμβάνεσθαι, sed **inne haben**, κρατεῖν τι. Sic et *adipisci* assumit Genitivum 3, 55. 6, 45. Accusativum 1, 13. 32. 53. 3, 24. 75. 4, 16. Etenim Genitivus accedit in sollenni formula *rerum, regni, dominationis adipisci*, ut cum verbo in unam notionem coeat. Accusativus iustum obiectum offert." *Walth.* ad 1, 33. et 3, 55. Cf. Ind. III. v. *Verba structurae diversae* et ad 3, 55, 1. — *Neronem*, Tiberium Neronem Caesarem, ut G. 37. et al. — *fama eadem tulit*, retulit, nuntiavit, indicavit, ut 6, 47. et 15, 60.

CAPUT VI.

Primum facinus novi principatus fuit Postumi Agrippae caedes, quem ignarum inermumque, quamvis firmatus animo, centurio aegre confecit. Nihil de ea re Tiberius apud senatum disseruit: patris iussa simulabat, quibus praescripsisset Tribuno custodiae apposito, ne cunctaretur Agrippam morte afficere, quandoque ipse supremum diem explevisset. Multa

sine dubio saevaque Augustus de moribus adolescentis questu ut exsilium eius senatus consulto sanciretur, perfecerat: cete rum in nullius unquam suorum necem duravit, neque morter nepoti pro securitate privigni illatam credibile erat. Propiu vero, Tiberium ac Liviam, illum metu, hanc novercalibus odii suspecti et invisi iuvenis caedem festinavisse. Nuntianti cen turioni, ut mos militiae, *factum esse quod imperasset*, *neque im perasse sese et rationem facti reddendam apud senatum*, respon dit. Quod postquam Sallustius Crispus particeps secretoru (is ad Tribunum miserat codicillos) comperit; metuens ne reu subderetur, iuxta periculoso, ficta seu vera promeret, monu Liviam, ne arcana domus, ne consilia amicorum, ministeri militum vulgarentur, neve Tiberius vim principatus resolver cuncta ad senatum vocando: eam conditionem esse imperand ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur.

1. *novi principatus*, in novo principatu; *Ern.* *Principatus* etiam p *Principe*, ut Agr. 43. Cf. ad 2, 13. — *Agrippae Postumi caedes* (in M *caedis*) — *confecit*. „A tribuno interfectum voluit Suet. Tib. 22. s Dio 57, 3., ut noster, a centurione. Credo verum esse, ut a centurio occisus sit, at iussu tribuni.“ *Lips.* „Satis quidem probabile: nam m etiam mentio iniicitur *tribuni custodiae appositi*. At deinde Tacitus scr bit *nuntianti centurioni*, Suet. vero *renuntianti tribuno*. In talibus rebus n semel diversi sunt scriptores. v. ad 6, 20. H. 4, 81. et 82.“ *Walth.* Cf. eti ad 1, 8, 3. 1, 72, 1. 4, 44, 1. *inermumque*, v. ad 3, 39, 2. — *firmatus a mo*: „fort. *animi*, ut ap. Sall. teste Arus. Messio libello Elocutt. Abl tivus Tacito rarus hoc genere. — *aegre confecit*, obnitente praevali homine et, quantum nudis manibus poterat, ictus reddente. Cf. c. 3. 16, 9. Misericordiam centurionis falso cogitabat Brot.“ *Wolf.*

2. *quibus praescripsisset*, praecepisset, mandasset, ut 6, 17. 15, 64. *Agrippam*: in MS. *agrippa*. — *quandoque* MS. Flor. ed. Put. Aurel. Gron. Ern. et rec. *quandocunque* ed. Ber. et cet. *Quandoque* saepissi vel pro *quando* s. *quum*, vel pro *quandocunque*, *quocunque tempore* dicit v. ad 1, 4, 7. 1, 57, 1. Gron. ad Liv. 1, 24. 21, 3. Drak. ad Liv. 1, Forcell. — *Multa sine dubio saevaque*, dura, acerba, *χαλεπά*, *δεινά*, ut gravia, immensa, magna, adversa. Cf. 2, 5. 26. 3, 23. 11, 5. 15, 58. H. 83. A. 22. et de *saevitia* ad 1, 67, 1. — *ut exsilium eius SCto sanciret* de quo v. Suet. Aug. 65 extr. et cf. ad 3, 24.

3. *in nullius suorum necem duravit* s. obduravit sc. se, vel *mentem*, 3, 15. Cf. ad 12, 40, 2. H. 4, 59, 2. Virg. Aen. 1, 207. ubi v. Cerda Heyne. Sic et 14, 1. Quintil. decl. 279. et Petron. c. 65. *durare* ab lute dicitur; *Pich.* et *Wolf.* Sed 14, 1. positum potius pro perdura continuare. v. ad G. 30. n. 2. et cap. 33. n. 6. — *credibile erat*: „Pr teritum ponitur respectu priorum temporum. Tum hominibus par credibile videbatur. Sic *credebantur* c. 53. *constabat* 4, 74. et ap. C Tusc. 3, 27. ubi Boher. male corr. *constat*.“ *Wolf.* Cf. ad 1, 53. *novercalibus odiis*, ut 1, 33. 12, 2. 44.

4. *Nuntianti centurioni, ut mos militiae, factum esse, quod imperas* cf. Suet. Tib. 22. et Claud. 29; *Lips.* Legitimum verbum in hac re *renuntiare*, unde *renuntianti* (ut ap. Suet. ll. ll.) Tacito reddendum pu Drak. ad Liv. ep. 47. ubi v. exempla: et verbi praec. ultima syll potuit *re* absorbere; *Ern.* „Legitimum quidem verbum est *renuntia* Germ. rapportiren. Sed legitima et propria non raro optimi scrip res spernunt consulto; idque promptius erat h. l. ob memoratum r rem militiae. Accedit, quod simplicia verba poetarum more praefer

tur compositis, ut *posuit edictum* c. 7. (ubi v. not. 4.) Ceterum Suetonium Tib. 22. et alios tenuioris generis cum centurionibus loqui facile patimur." *Wolf.*

5. *Sallustius Crispus*, „Sallustii historici ex sorore nepos et ab eo adoptatus, ex intimis Augusti, a quo *aes Sallustianum* appellatum. v. 2, 40. 3, 30. Plin. 34, 2. Sen. de clem. 1, 10. Hor. od. 2, 2." *Lips.* Cf. Ruhnk. ad Vell. p. 353. *Wolf.*

6. *is ad tribunum miserat codicillos:* nam *codicilli* erant codices parvi et cerati, epistolae et libelli, *vel* supplicum, ut 3, 16. 67. 4, 39. 6, 9. *vel* testatorum, supremae eorum tabulae, conviciis saepe in potentes refertae, ut 14, 50. 15, 64. 16, 17. *vel* Imperatorum, qui iis sive poenas et supplicia mandabant, (*formulae letales* Ammian. 14, 1, 3. φοϱμαϱία παϱὰ Ῥωμαίοις ἀπόφασις θανάτου ap. Suid., hod. *lettres de cachet*) ut h. l. et loco class. a Lips. laud. Herodian. 3, 11, 8. sive mandata, honores, (*codicillares*) administrationes dabant, (*Patente*) ut 13, 20. O. 7. Suet. Cal. 18. et locis a Lips. ad 13, 20. collatis Agr. 40. Suet. Tib. 42. et Claud. 29. Arrian. diss. 3, 7. Sidon. ep. 1, 11. Lamprid. Alex. 49. — *metuens, ne reus subderetur,* ipse ageretur pro alio, ut 1, 39. 15, 44. nam *subdere* est aliud pro alio et falsum pro vero substituere, inpr. *liberos* et libros (qui inde *subditi, subditicii, suppositicii* dicuntur) et testamenta et accusatores; hinc comminisci, v. c. *crimina* 3, 67. et *rumorem* 6, 36. — *iuxta periculoso,* quum aeque periculosum esset futurum, (v. Ind. III. v. *Adiectiva in sexto casu absolute posita*) seu *ficta, seu vera promeret.* „*Ficta,* si a Tiberio crimen amoliretur, ne ipse eius damnaretur a senatu: *vera,* si Tiberium auctorem ederet, ab eo puniendus aut tollendus." *Lips.* *iuxta,* aeque, pariter, ἐξ ἴσης. v. Ind. II. Alterum *seu* omissum, ut 2, 17. 3, 18. 5, 4. 15, 45. Cf. Ind. III. v. *Ellipsis* et intpp. Hor. od. 1, 3, 15. — *ne arcana domus* cet. v. ad 2, 36, 2.

7. *eam conditionem esse imperandi,* naturam, proprium, die Eigenthümlichkeit, h. e. ita nunc comparatum esse imperium; *Kritz.* l. l. ad 2, 39. — *ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur,* Germ. dafs die Rechnung nicht anders richtig sei, als wenn sie Einem abgelegt werde; *Kiessl.* „Scitum dictum et a mensulariis ductum, quibus *constant rationes,* quum pares sunt. Sic ap. Plin. ep. 1, 9. pan. 38, 4. Trebell. Poll. trig. tyr. 21." *Lips.* Cf. ad 13, 14. ad G. 22. n. 10. ad O. 24. n. 3. Steuber in Seeb. nova bibl. crit. a. 1827. p. 1082 sq. *reddatur* edd. rec. *reddantur* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. Lips. 1.

CAPUT VII.

At Romae ruere in servitium Consules, Patres, Eques. Quanto quis illustrior, tanto magis falsi ac festinantes vultuque composito, ne laeti excessu Principis, neu tristiores primordio, lacrimas, gaudium, questus, adulationem miscebant. Sex. Pompeius et Sex. Appuleius Coss. primi in verba Tiberii Caesaris iuravere, apudque eos Seius Strabo et C. Turranius, ille praetoriarum cohortium praefectus, hic annonae: mox senatus milesque et populus. Nam Tiberius cuncta per Consules incipiebat, tanquam vetere re publica et ambiguus imperandi. Ne edictum quidem, quo Patres in curiam vocabat, nisi Tribuniciae potestatis praescriptione posuit sub Augusto acceptae. Verba edicti fuere pauca et sensu permodesto: *de honoribus parentis consulturum, neque abscedere a corpore; idque unum ex publicis muneribus usurpare.* Sed defuncto Augusto signum praetoriis cohortibus ut Imperator dederat. Excubiae, arma,

cetera aulae: miles in forum, miles in curiam comitabatu Literas ad exercitus tanquam adepto principatu misit, nu quam cunctabundus, nisi quum in senatu loqueretur. Cau praecipua ex formidine, ne Germanicus, in cuius manu tot l giones, immensa sociorum auxilia, mirus apud populum favo habere imperium quam exspectare mallet. Dabat et famae, vocatus electusque potius a re publica videretur, quam per ux rium ambitum et senili adoptione irrepsisse. Postea cognitu est, ad introspiciendas etiam procerum voluntates inductam d bitationem: nam verba, vultus, in crimen detorquens, recondeba

Eques id. qd. *Equites*. v. ad G. 6. n. 5. — *falsi*, simulatores, adulatore ut *falsa* ficta vel adulatoria. Sic 1, 1. 3, 3. 13, 13. H. 2, 17. 4, 4. C Corte ad Sall. Cat. 10. — *festinantes*, studiosi in obsequio declarand *Ern*. Cf. Iuvenal. 4, 72. sq. 10, 85. sq. — *vultuque composito*. v. ad 1, 4. — *ne laeti* sc. viderentur vel essent. Ellipsis H. 1, 85 expleta: *ne vid rentur*; *Wolf*. v. Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant.* — *excessu*, v. ad 71, 1. — *tristiores* edd. Ber. Lips. et rec. In MS. et cet. edd. vet. an Lips. *tristior*. „Id Iac. Gron. in textum retrahit propter incredibile ut ait, varietates Taciti in constructione. Nec laudator defuit Cort. Sall. Cat. 20." *Wolf*. Neque defensor Walther. — *primordio*, initio no imperii.

2. *lacrimas, gaudium, questus, adulationem miscebant* receptum iam emend. Heinsii a Walthero, qui haec disputavit: „*questus adulatione* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. et al. Sed quia *lacrimis* opponitur *gaudiu questus* non debebant esse sine opposito. Hinc Mur. coni. *lacrimas ga dio* et Ern. *lacrimis gaudium*. Enimvero *miscere* h. l. dictum, ut 3, 6 H. 2, 70. 3, 74. non pro *confundere, turbare*, ut H. 3, 72. 4, 49. Lipsi corr. *adulationes* coll. H. 3, 74. Aptius autem *adulationem*, cui respond *gaudium*, quam *adulationes, adulationis* formulae, idemque probabilius, qu niam ultima litera facillime potuit absorberi a prima verbi sq. I *questus* accipe eos, quibus ereptum civitati Augustum lamentarentu *adulationem* vero, qua extollerent spem civitatis in Tiberio positam Mox *Apuleius* MS. et edd. vet. *Appuleius* quaedam edd. rec. Cf. ad 2, 5

3. *in verba Tiberii Caesaris iuravere:* id olim dictum de omnibus verba praeeuntis iurantibus et ita se obstringentibus alicui et devov tibus; in primis vero de militibus, qui, verba s. formulam sacrame praeeunte tribuno militum, *iurant in verba ducis*, h. e. duci, se eius di audientes fore et imperata pro viribus facturos. v. Liv. 2, 32. 45. 3, 22, 38. Vell. 2, 20. Polyb. 6, 22. 11, 30. Lips. mil. Rom. 1, 6. Schel. Polyb. c. 1. Postea vero *iuratum in verba* sive *nomen Principum*, h. e. eorum salutem. Hoc iusiurandum s. sacramentum, quo se cuncti p salute unius adstringebant, primum Iulio Caesari et deinde Principib praestitum, eiusque formula erat: *Non me liberosque meos cariores hab quam Principem, πάντων προτιμήσειν τὴν τοῦ Καίσαρος σωτηρίαν*. v. Suet. C 84. et Cal. 15. Dio 53, 20. 59, 9. Appian. B. C. 2, 124. 145. Arrian 14. Sic h. l. *iurare in verba Tiberii*, 1, 8. *sacramentum in nomen Tib* H. 1, 76. *iurare in Othonem*, H. 4, 57. *iurare in externa verba*, Ann 34. H. 2, 14. 4, 59. 61. *adigere in verba Tiberii* cet. Ann. 1, 37. H 55. 76. 2, 55. 4, 15. 57. 61. *adigere* et *adigi sacramento* (pro vulg. *in sacramentum*) *Principis* et *pro Principe*, H. 2, 73. 4, 15. 61, 70. a lute *adigi, adigere* et *adigere se*. Cf. intpp. Ammiani 21, 5, 10. A est *iuramentum* et *iurare in acta Principum* 1, 72. 4, 42. 13, 11. *ταῖς α πράξεσι ὀμνύειν* et *τά τε πραχθέντα ὑπ' αὐτῶν καὶ τὰ πραχθησόμενα ὑπὸ ἀεὶ ζώντων ὅρκοις βεβαιοῦσθαι*, (Dio 57, 8.) h. e. iurare, se rata habit esse omnia eorum acta. Hoc iusiurandum sollenne in honorem pri

Iulii Caesaris occisi, (Dio 47, 18.) deinde Augusti post victoriam Actiacam (Dio 51, 20. 53, 28.) omniumque Imperatorum Kalendis cuiusque anni praestitum et ab iis sancitum, ut acta sua vim legum obtinerent, (nam liberae reip. temporibus in leges iurari solebat) et dominatio stabiliretur. Cf. Dio 60, 10. Ern. ad Suet. Tib. 26. 67. et inpr. Lipsii Exc. I. ad Tac. Ann. XVI. Haec confuderunt Mur. Gron. Brot. Ern. ut et Walth. ad 1, 72. „Iam vero Tiberius quomodo potuit ius iurandum illud admittere et tamen videri *ambiguus imperandi?* Potuit per potestatem tribuniciam, qua erat praeditus et cuius iure etiam alia fecit: *ne edictum quidem — nisi tribuniciae potestatis praescriptione posuit.* Nam tribuni plebis antiquitus erant sacrosancti vetere iure iurando plebis. v. Liv. 2, 33. 3, 55. Dionys. Hal. 6, 89. Ceterum non inest verbis, ipsum Tiberium praeivisse ius iurandum, quod minime putaverim.“ *Walth.* Illa retulerim ad arrogantem moderationem Tiberii. Cf. ad c. 8. n. 6. Nunquam iuratum in verba tribuni. Tiberius autem ita iurari permisit, tribuni tantum potestate usus et contentus. — *apudque eos:* „i. e. iis praesentibus, ut *apud ipsum* H. 2, 79. Sed leg. videtur *apudque COSS.* nam in consulum nomine hic rei cardo vertitur.“ *Kiessl.* *apud COSS.* corr. Mur. prob. Wolf. qui copulam languere putabat. Sed ea saepius ita utitur Tacitus, et *apud eos* dictum, ut *apud ipsum* H. 2, 79. — „*Seius Strabo,* pater Seiani, praef. praet. cum filio. Sed patri data Aegypti administratione, solus deinde filius. v. cap. 24. 4, 1. Dio 57, 19. Vell. 2, 127. Cur vero omissus Praef. Urbi? Credo, quia nemo fuit. Taurus Statilius defunctus erat, cui Piso suffectus post aliquot annos a Tiberio. v. ad 6, 11. *C. Turranius praefectus annonae,* et quidem primus in eo munere. Augustus hunc magistratum, olim extraordinarium, fecit ordinarium (cf. H. 4, 68. Dio 52, 24. 54, 1. 17. Suet. Aug. 37.) et acceptum a populo, nisi fallor, tenuit dum vixit, aut paulo ante mortem substituit sibi Turranium istum; nisi verba Tac. Ann. 11, 31. pr. aliter accipis. Turranium nominant etiam Ovid. ex P. 4, 16, 29. et Plin. 3, 1. 9, 8.“ *Lips.* Fortasse et Cic. ad Att. 1, 6. 6, 9. et Sen. de brev. vit. 20. ubi ei procuratio quidem, non praefectura tribuitur, sed procuratio, opinor, annonae: nam praefectus annonae dicitur etiam *curator frumenti populo dividundi* Suet. Aug. 37. Cf. ad 11, 31. H. 4, 68. Burm. de vectig. P. R. c. 8. p. 118. — *praetoriarum cohortium praefectus:* „tales praefectos primus instituit Augustus et quidem duos. v. Dio 52, 24. 55, 10. Unus iuravit ut superior et alterius simul vicem suscipiens.“ *Walther.* Cf. ad 11, 2, 1.

4. *Tiberius cuncta per consules incipiebat* cet. Cf. ad c. 2. n. 4. — *vetere re publica,* v. ad c. 1. n. 3. — *et ambiguus imperandi,* v. Ind. III. v. *Genitivi Adiectivis iuncti.* — *edictum,* v. ad 3, 6. 1. — *tribuniciae potestatis praescriptione:* nam tribuni pl. ius habebant cogendi senatus, non vero quoties vellent, quod Augusto datum, ut et ius relationis primae, secundae cet. Cf. ad c. 2. n. 4. Gell. 14, 7. 8. Dio 41, 15. 53, 32. 60, 16. Dionys. Hal. 10, 31. Suet. Tib. 23. ibique Casaub. *praescriptione,* praescripto tribuni titulo. Cf. ad H. 2, 65. — *posuit,* proposuit, ut 4, 27. Cf. Ind. III. v. *Verba simpl. pro comp.* — *sub Augusto acceptae,* v. cap. 3.

5. *de honoribus parentis* se *consulturum* esse Patres. Cf. cap. 8. et ad 5, 5. — *neque abscedere se a corpore,* v. ad 2, 25, 2. „*Corpore,* non reip., (ita Maurus et Freinsh.) sed Augusti, qui idem Drusi dedit honori. v. 3, 5. Sed cur id *ex publicis muneribus?* Visum ita Tiberio loqui ad honorem Augusti, quasi magistratuum praecipue esset et eorum, qui reip. primi, curare funus semonis illius et viri supra viros.“ *Lips.* „Haec Lipsii aliorumque interpretatio locum habere non posse videtur, quia privata ista pietas esset, non *publicum munus*, deinde, quia inde non appareret *edicti sensus permodestus*, denique, quia *discessit a corpore* Augusti Tiberius, quippe qui fuit Romae, senatum habuit et de *honoribus* Augusto

habendis egit, ut e seq. patet. Itaque sic intelligo: neque se discessurum ab hac una re, de funere Augusti; hoc *unum*, nempe *consulere senatum* de ea re, se *de publicis muneribus usurpare*, usurpaturum. Cf. cap. 1 pr." *Ern.* Ista refellit *Wolf.* his verbis: „Ne *corpus* ad celebrationem funeris aut ad Tiberii sermonem de ea re in senatu habendum trahamus, tum usus Latinus vetat, tum locus Tac. Ann. 3, 5. pr. et Curt. 10, 7. extr. denique tempus instans verbi *abscedere*, quod, ut tempora libenter mutat Tacitus, tamen in isto sensu adhibiturus non fuerat. Illa vero palmaris est observatio Boecleri, sententiam postremi membri rursus revolvi ad primum, verba autem *neque abscedere a corpore παρενθετῶς* interiecta e membro praec. annexa. Igitur hoc dicit: relaturum se de sepultura patris, cuius corpori ut assideret pietatem poscere; hanc convocationem senatus *unum* esse ex senatoriis s. tribuniciis muneribus, quo fungi animum induxerit, idque omitti sibi non licere, quoniam ad honorem Aug. pertineat. Quid hac oratione modestius esse potuerat in eo, quem successorem imperii sperabat senatus omnis metuebatve? Gravis autem significatio est in ista παρενθήκῃ, eo spectans nimirum, ne quis illum iam nunc aliquid moliri suspicetur ad occupandam rem publ., videantque omnes, nihil nunc ei potius cura venerandi corporis esse, sive custodiendi sive comitandi. Nam edictum hoc fortasse Nola aut ex via Romam misisse putandus est. Nola missi sunt, qui Agrippam necarent; Nolae sunt mandata ad exercitus distributa; iam Nolae quodammodo aula fuit. Quippe haud paucos intra dies omnia illa peracta esse arguunt Kalendaria vett. (et Suet. Aug. 100.) Postero statim die, quam corpus in Urbem illatum erat, hic senatus agebatur. v. Dio 56, 31 sq. 57, 2. 3.

6. *signum* (s. tesseram, *Parole*) *praetoriis cohortibus ut Imperator dederat*, cf. Dio 57, 2 sq. Hoc signum a ducibus semper tribunis datum et sub Impp. vocale fuit. v. ad 1, 65, 1. 13, 2. H. 1, 25, 1. 1, 38. 22. Appian. B. Civ. 5, 46. Suet. Cal. 58. Ner. 9. Claud. 42. Galb. 6 inpr. Veget. 3, 5. Polyb. 6, 35. 36. Lips. Exc. I. ad Tac. Ann. 13, 2. Brisson. de form. IV. Praeter *signa vocalia* erant etiam *semivocalia, quae per tubam aut cornu aut buccinam dantur*. Ita Veget. 3, 5. et idem c. 8 *a tubicine omnes vigiliae committuntur et finitis horis a cornicine revocantur*. Utrumque signum verbis H. 5, 22. *intermisso signo et vocibus* significari putat Dronke in literat. paedag. et philol. Darmstad. a. 1826. p. 38. Ibi *signum* buccinae et *voces* interruptae, quibus initia vigiliarum nuntiabantur; *Brot.* coll. A. 1, 65. et 15, 30. Immo *signo et vocibus* i. e. per ἓν διὰ δυοῖν dictum pro signo vocibus s. voce dato, scil. excubias agentibus ab duce; *Roth.* p. 53. v. Ind. III. v. *Hendiadyoin.* — *excubias arma* armati milites: quae tunc praecipua Principis signa; *Lips.* Cf. I. 69. H. 2, 44. 4, 11. 58. — *cetera aulae*, v. Lips. Exc. I. ad Tac. Ann. — *literas ad exercitus misit*, exploraturus eorum mentem fidemque. cf. Dio 57, 2. 3. — *adepto* pass. Cf. Ind. III. v. *Participia Praet. Depon. passivi sensus* et Cort. ad Sall. Cat. 7.

7. *Causa praecipua* cunctationis simulatae et mimi, de quo cf. cap. 11. Dio 57, 3. Suet. Tib. 24. 25. Aurel. Vict. de Caes. c. 2. — *tot legiones*, v. cap. 3. et 31.

8. *Dabat et famae* (cf. ad 4, 40.) scil. aliquid, (quod additum Hor. Sat. 1, 2, 94.) *vel* hoc s. id, h. e. faciebat etiam hoc famae causa ut 2, 53. 58. 3, 23. 69. 72. 11, 25. 12, 23. 61. 13, 49. 14, 4. 15, 59. 16. 20. H. 1, 77. O. 6. Ita et *praestare* 3, 12. *tribuere* 4, 17. 26. 14. *concedere* 12, 61. Similiter *remittere*, (omittere) *donare*, *condonare*, *largiri*, *concedere aliquem* vel *aliquid alicui*, h. e. poenam eius, propter aliquem, alicuius causa, gratia 1, 10. 2, 55. 4, 31. 16, 33. *dedere reum senectae*, seni orbo concedere, permittere, h. e. damnare in eius gratiam 3, 23. 6, 10. 20. Cf. Ern. clav. Cic., Duk. ad Flor. 3, 5, 10. Ramshorn Gram. p. 204. et ad rem Dio 57, 3. — *a re publica*, a senatu et popul

— *uxorium* (uxoris) *ambitum*, preces et studium matris Liviae, quae a marito id exambierat; *Lips.* cf. cap. 3. — *et senili adoptione*, facta a sene iam delirante adeoque non satis gloriosa; *Ern.* *per uxorium ambitum et senili adoptione* hyperbaton et variatio structurae usitatissima Tacito ad exemplum Thucyd. 1, 91. καὶ ἰδίᾳ τοῖς πολίταις καὶ ἐς τοὺς πάντας ξυμμάχους ὠφελιμώτερον ἔσεσθαι, *Walth.* ad 2, 70. Cf. Ind. III. v. *Constructio verborum variata.*

9. *dubitationem inductam*: „Scribo *indutam*, h. e. praelatam, obtentum, ostentatam, ut 6, 42. 15, 69. Liv. 1, 56. Sen. de ben. 2, 2.“ *Gron.* „*Inducere* his locis et proprie refertur non ad rem, sed ad speciem, aut ad personam, habitum, praetextum. [Sed v. Ind. I. et Bip. ad h. l.] Verum est *inductam* h. e. adhibitam, ut ap. Cic. p. Coel. 11. vel inventam, ut ap. Cic. Acad. 4, 33.“ *Ern.* „Mihi unice probatur ratio Ryckii, qui tamen aliena affudit. *Induci* proprium est in opere tectorio, in coloribus et pigmentis, ut saepissime ap. Plin. *inducta*, ut fucus, opponuntur sinceris verisque: et quis nescit *tectoria linguae* Pers. 5, 25? Ad rem conf. Aurel. Vict. de Caes. 2.“ *Wolf.* Hinc *inductam dubitationem* pro: speciem eius assumptam ad animos hominum permovendos ac sollicitandos; *Boett.* in Lex. Tac. „Videtur tamen magis huc facere ille verbi usus, quo usurpatur de operis ludicris et de scena: auf die Schaubühne bringen, darstellen. Cf. 4, 70. Suet. Ner. 11. Cic. de or. 3, 53. (*personarum ficta inductio*) Plin. ep. 1, 8, 12. (ubi v. Cort.) et 6, 29.“ *Walth.* — *dubitationem*, v. ad 3, 41, 2. — *recondebat*, cf. ad 4, 21, 1.

CAPUT VIII.

Nihil primo senatus die agi passus nisi de supremis Augusti, cuius testamentum, illatum per virgines Vestae, Tiberium et Liviam heredes habuit. Livia in familiam Iuliam nomenque Augustae assumebatur; in spem secundam nepotes pronepotesque: tertio gradu primores civitatis scripserat, plerosque invisos sibi, sed iactantia gloriaque ad posteros. Legata non ultra civilem modum, nisi quod populo et plebi CCCCXXXV, praetoriarum cohortium militibus singula numum millia, legionariis aut cohortibus civium Romanorum CCC numos viritim dedit. Tum consultatum de honoribus, ex quis maxime insignes visi: Ut porta triumphali duceretur funus, Gallus Asinius; ut legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur, L. Arruntius censuere. Addebat Messala Valerius, renovandum per annos sacramentum in nomen Tiberii; interrogatusque a Tiberio, *num se mandante eam sententiam prompsisset? sponte dixisse*, respondit, *neque in iis, quae ad rem publicam pertinerent, consilio nisi suo usurum, vel cum periculo offensionis.* Ea sola species adulandi supererat. Conclamant Patres, corpus ad rogum humeris senatorum ferendum. Remisit Caesar arroganti moderatione populumque edicto monuit, ne, ut quondam nimiis studiis funus divi Iulii turbassent, ita Augustum in foro potius quam in campo Martis, sede destinata, cremari vellent. Die funeris milites velut praesidio stetere, multum irridentibus, qui ipsi viderant quique a parentibus acceperant diem illum crudi adhuc servitii et libertatis improspere repetitae, cum occisus dictator Caesar aliis pessimum, aliis pulcherri-

mum facinus videretur; nunc senem Principem, longa potentia, provisis etiam heredum in rem publicam opibus, auxilio scilicet militari tuendum, ut sepultura eius quieta foret.

1. *Nihil primo senatus die* cet. cf. Dio 56, 31 sq. Suet. Aug. 100. 101. et Tib. 23. *Suprema* vel mors, vel honores et officia suprema mortuis praestanda iustaque iis solvenda, (nam anima corporis inhumati C annos circa Stygem errare credebatur, de quo v. ad 15, 67.) sollennia funeris et munera, vel suprema mortuorum facta, voluntas, iudicia, tabulae, testamenta, legata, vel ossa, cinis, reliquiae, (ut 4, 44.) vel omnia illa, ut h. l. Cf. Ind. II. Sic et *extrema, ultima, novissima, novissime* (pro *postremo*) *suprema*, et *ultima necessitas*, mors, extrema et necessaria res humana; (v. Ind. II.) *solvere suprema*, iusta, sc. officia, de quo v. ad 15, 67. — *testamentum illatum* in senatum *per virgines Vestae:* „more Romanorum, qui pactiones, foedera, testamenta, pecunias deponebant in templis et saepissime in isto Vestae, quod religione primum; nec mirum, quoniam tuta erant templa religione deorum et custodiis excubiisque militum. v. Dio 48, 12. 37. Appian. B. C. 5, 73. Suet. Caes. 83. Iuvenal. 8, 143. 14, 260. Plut. in Anton. p. 942. Herodian. 1, 14, 3. al.“ *Lips.* — *Tiberium et Liviam heredes habuit*, cf. Dio 56, 32. Suet. Aug. 101. Tib. 23. *Liviam*, venia a senatu petita: nam lege Voconia cautum erat ne mulier heres institueretur ultra quadrantem. v. Dio 56, 10. 32. et Gron. de pec. vet. 3, 16.

2. *Livia in familiam Iuliam assumebatur*, ut *asciscі* c. 31. 2, 60. 3, 30. 11, 11. v. Ind. II. „Ideo in numis et lapp. fere *Iulia* scripta aut sculpta, non *Livia*. Eadem adoptata testamento et novo exemplo coniux facta filia mariti. Cf. 1, 14. 3, 64. 5, 1. Ovid. Fast. I, 532. Plin. 10, 55. 14, 6. (Hinc post obitum Augusti dicta *Iulia*.) *in nomen Augustae assumebatur*, quod testantur Tac. Ann. 1, 14. 3, 64. 4, 16. 5, 1. Plin. 15. extr. et lapides numique sexcenti. Negat Suet. Claud. 11. Sed ibi pro *ab avia* (Livia) leg. *ab viva* vel *ab ea viva recusatum,* ut haec referantur ad Antoniam matrem, quae viva donata *Augustae* nomine a Caligula. v. Dio 59, 3. Id sprevit et mortua per Claudium recepit: unde in lapidd. Claudiani aevi sculptum *Antoniai Aug. Drusi.*“ *Lips.* „Emendationem optimam etiam numi firmant. In nostro autem loco *nomenque Augustum* sine idonea auctoritate exsculpsit Iac. Gron. ex scriptura cod. Flor. *Augusti*. Ita quidem est ap. Lamprid. Sev. c. 1. et ceteros istius classis, non apud priores. Alia ne cumulem, v. Plin. pan. 84. Suet. Tac. et Plin. ll. ll. De nomine *Iuliae* et *Augustae* v. Ruhnk. ad Vellei. p. 311. et 322.“ *Wolf.* — *iactantia gloriaque*, cf. Ind. III. v. *Ablativi Substantivorum absoluti.* „Quae num per ἓν διὰ δυοῖν dicta sint, dubitare licet. Sed quanquam *iactantia gloriae* vix quisquam dixerit, tamen nihil aliud praeter gloriam *iactantia* expetit. *Iactantia* est gloriae appetitio: nam *gloria* non pro gloriae cupidine dicitur nisi addito substantivo.“ *Roth.* p. 32. v. Ind. III. v. *Hendiadyoin.* Sed v. ad c. 43. Maluerim Synonyma hic inveniri vel intelligi iactantiam gloriosam; *Walth.* At quaevis iactantia est gloriosa. — *ad posteros*, cf. ad 6, 46, 1.

3. *Legata non ultra civilem modum*, cf. ad 1, 12. et 1, 33, 1. Nihil praecipuum novumque in legatis, nihil regium aut praeter civium modum moremque: nam de Falcidiae legis modo accipere, pravum acumen est; *Lips.* — *populo et plebi* CCCCXXXV — *dedit*, legavit, et quidem populo CCCC (quadringenties) viritim distribuendum, *plebi* s. tribubus, h. e. universo earum corpori, XXXV, tricies quinquies sestertium; *Lips.* Distributionem alii rectius sic faciunt, ut, quod *populo* legaverat, in aerarium ad usus publicos delatum sit, quod *tribubus* vicatim vel viritim pernumeratum; *Wolf.* Cf. 1, 15. 4, 15. 43. Dio 56, 32. (qui Augustum τῷ

δήμῳ χιλίας μυριάδας legasse dicit et de plebe aut tribubus silet) Suet. Caes. 83. et Aug. 101. (ubi v. Casaub.) Muret. V. L. 11, 3. — *praetoriarum — millia:* ita etiam Dio et Suet. — *legionariis aut cohortibus civium Romanorum* CCC (trecenos) *numos viritim dedit;* v. ad H. 1, 24. Ita MS. Med. *legionariis autem cohortibus c. R. CCC. n. v. d.* edd. Ber. et cet. ante Ryck. *legionariis autem et coh.* cet. corr. Freinsh. et Ryck. *legionariis autem, cohortibus* Ern. *legionariis atque coh.* Brot. *legionariis aut coh. c. R. trecenos quingenosve* (numos) *v. d.* Herrman. *legionariis CCC, cohortibus c. R. CCCCC n. v. d.* Gron. quod admisere editores rec. „Recte: nam sic Suet. Aug. 101. sic Dio 56, 32. et notae numerorum a librariis ubique multo foedius habitae: neque negligentiam aut errorem obrepsisse Tacito verisimile est in re notissima et gratissimae apud vulgus memoriae. Nullo autem modo huc pertinent *legionariae cohortes* i. e. Romanae, legionibus attributae et distinctae ab *alariis,* a peditibus sociorum, qui militabant in alis. Hic *cohortes civium Rom.* nullae aliae sunt, quam quae vulgo *urbanae* vocantur, quas, sive tres sive quatuor numero, Augustus, quum politiam ordinaret, una cum septem cohortibus vigilum custodiendae Urbi instituerat. v. 4, 5. H. 2, 39. Dio 55, 24. ibique Reimarus. Hos igitur urbanos milites in Augusti testamento lautius tractatos esse legionariis, prudentem scriptorem eo minus latere potuit, quia eadem ratio fuerat testamenti Tiberiani auctore Dione LIX, 2. Tacitum vero asyndeton decebat in tali enumeratione, non adversativa *autem,* quo omnino rarius utitur, ne semel quidem in hoc toto libro; neque locum habet *aut,* cui particulae Crollius simplicis copulae vim tribuit, quibusdam locis male intellectis deceptus." *Wolf.* ad h. l. et in Miscell. (Vermischte Schriften u. Aufs. Hal. 1802. p. 176—179.) „Equidem audacter lectionem cod. MSti loco vindico. Cohortes civium Rom. intelligunt easdem quas Suet. habet *urbanas,* ut Dio *ἀστικούς.* At quis unquam cohortes urbanas dixit *cohortes civium Romanorum,* ut distinguerentur ab aliarum cohortium genere? Immo *cohortes civium Rom.* non possunt intelligi nisi cohortes e civibus Rom. compositae, ut distinguantur a cohortibus auxiliariis vel sociorum; *urbanae* autem sunt cohortes (et ipsae *civium Rom.*) custodiae Urbis appositae sub imperio Praef. Urbis atque diversae a praetoriis v. H. 1, 74. et 3, 64. Itaque Augustus *trecenos numos dedit legionariis aut cohortibus civium Rom.* h. e. sive essent *legionarii,* milites per legiones compositi atque habiti, sive *cohortes civium Rom.,* milites e numero civium Rom. delecti et per cohortes, non per legiones dispositi. De hac vi particulae *aut* v. ad 1, 16, 1. Distinguuntur autem cohortes a legionariis, quia in multis locis imperii Rom., ubi validi exercitus e legionibus totis compositi non habebantur, minores militum numeri, una vel plures cohortes, agebant. Cf. 3, 20. 3, 41. (ubi cohors legionario militi opponitur) 13, 8. et alia loca a Freinsh. laudata. Iam satis credibile est, Augustum, quum trecenos numos legaret legionariis, non omisisse cohortes civium Rom. eadem disciplina eodemque iure usas. Sed quid dedit *cohortibus urbanis?* Id Noster tacet, quemadmodum Dio omisit XXXV. HS. tribubus legata." *Walth.* Cf. ad cap. 6. n. 1. Consensus tamen scriptorum in tali re magni est momenti.

4. *ex quis maxime insignes visi* sc. sunt hi, qui statim ponuntur; *Wolf.* Immo *visi* sc. sunt, placuere, ut 12, 16.; *Walth.* Idem coni. *iussi,* decreti, ut H. 4, 40. *visi: ut porta* cet. MS. et edd. paene omnes, nisi quod *visi, ut — duceretur. Gallus* cet. distinguitur in edd. Ber. et Rhen. l. *ex quibus qui m. i. v.* corr. Kiefsl. Vel expungendum *visi,* vel duplex *ut* nominibus censentium praefigendum censebat *Wopk.* — *ut porta triumphali* trans Tiberim *duceretur funus* ex Urbe in campum Martium. Cf. Dio 56, 31. 34. 42. Suet. Aug. 100. Donat. vet. Roma 1, 22. Perperam Lipsius cogitabat de corpore e Campania in Urbem deferendo;

Freinsh. et *Wolf.* — *legum latarum* ab Augusto, ut maiestatis, de adulteriis, repetundarum, de peculatu, de iudiciis, de sacerdotiis aliarumque Iuliarum; *Mur.* — *victarum ab eo gentium* urbiumque *vocabula*, nomina tituli et imagines *anteferrentur*, ut in triumphis. *anteferentur* MS. — *Gallus Asinius* et *Messala Valerius* pro *Asinius Gallus* et *Valerius M.* v. ad O. 1. pr. De illo v. ad c. 12. de hoc Ind. I. — *Messala* MS. edd. Rhen. 1. 2. Ald. sq. *Messalla* edd. Ber. Ob. Lün. al. v. ad 2, 32, 1. — *L. Arruntius* v. ad c. 13.

5. *renovandum per annos sacramentum in nomen Tiberii*: „Valuit haec sententia et voluit, Tiberium iam Principem esse: neque enim alii iuratur. Eoque velut offensus rogat, quo auctore dixisset?" *Lips.* „*Sacramentum in nomen* non est aliud quam supra dictum *in verba*. (v. ad c. 7. n. 3.) Etiam militis sacramentum singulis annis renovari moris erat. Quare qui id transferendum censebat in novum Principem, is primus militaris principatus fundamentis iactis libertati funus parabat. At qui potuit Messala hanc adulationem sententiae suae intexere? Per egressionem puta: (de qua v. ad 2, 33, 2.) eoque spectare videtur verbum *addebat.* Iam ante talia plura immisturi erant senatores: sed *nihil ille agpassus nisi de supremis Augusti.* Cogi volebat." *Wolf.* — *sponte dixisse* so. se. v. ad 5, 5, 1. et Ind. III. v. *Ellipsis pron. pers.* — *Ea sola specie a. s.* Cf. Plut. de discr. adulatoris et amici, ubi narrat, quae senator quidam dixerit praesente Tiberio; *Mur.* — *corpus ad rogum h. s. ferendum* quod et factum. v. Dio 56, 42. et Suet. Aug. c. 100.

6. *Remisit Caesar arroganti moderatione*, ut *arrog. mora* 3, 7. „Verbum *remittendi* eo valet, ut non sit factum, v. c. 3, 55. 11, 3. Est vere v. Suet. Aug. 100. Scribo ergo *permisit Caesar.* Sed eam ipsam permissionem *arrogantem* esse vult Tacitus, quia per speciem modestiae, et quasi pugnare cum senatu nollet, habuit amplissimum ordinem inter vespillones. Simile illud 6, 23 pr. Enimvero Cuiacius obss. 21, 29. docuit me, eandem vim inesse verbo *remittendi.*" *Lips.* „Sic accipio: *remisit* i. adversando, post aliquod certamen concessit, et cessit instantibus Patribus, ut victus et expugnatus crederetur, superbus specie pudoris et modestiae, facto eodem verecundus, simul et arrogans. Sic 12, 41. Liv. 36. 7, 11. 32, 2. ap. Cic., Ovid. et alios." *Gron.* ad h. l. et obss. 4, p. 530. „Locis ibi excussis add. Caes. B. G. 7, 20. med. *Remisit* Germ. er überliefs es ihnen selbst, stellte es ihnen anheim. Quod non simpliciter dissuadebat aut significabat indecoram rem esse, mera *arrogantia* erat: *modestia* videri poterat, quod nec imperabat nec prohibebat, quum utrumque facere posset. Temperamentum fuit eiusmodi quo abuti solemus in collegiis, quorum pars sumus, ut, quum nostra ipsorum res agitur, eam rem ad humanitatem Collegarum reiiciamus." *Wolf.* Cf. ad 1, 26. 3, 10. Agr. 7. „Sed *permittendi* significatio ab h. l. aliena est, et genuina potius hic sua vi id verbum utitur, ut sit rem summo gradu in minorem vertere, imminuere, laxare. Cf. 1, 10. 11, H. 3, 5. 4, 11. Caes. B. G. 1, 44. Suet. Caes. c. 38. Nimirum Tacitus hic plane idem dicit quod Suet. Oct. c. 100. de *adhibito honoribus modo* et Dio 56, 47. ἄλλων γὰρ ἄλλα ἐσηγουμένων ἔδοξε σφίσι, βιβλία παρ' αὐτὸν τὸν Τιβέριον λαβόντα ἐκλέξασθαι ὅσα ἐβούλετο. *Remisit* igitur Caesar non quod proxime praecedit, *corpus ad rogum humeris senatorum ferendum*, sed omnino cumulum honorum Augusto decretorum, h. e. modum adhibuit honoribus, imminuit, quaedam non admisit ut nimia: et quidem *arroganti moderatione*, qua et c. 14. dixit *moderandos feminarum honores* cet. h. e. moderationem adhibuit, sed non modestam, immo, ut erat ille abstruso ingenio neque adulatione laetus, ita *remisit*, imminuit, ut potius aspernari nimia studia videretur." *Walth.* — *populumque edicto monuit*, v. ad 3, 6. — *ut quondam nimiis studiis funus D. Iulii* Caesaris *turbassent*,

Dio 44, 36. sq. 49. 50. 57, 2. Suet. Caes. c. 84. 85. Plut. Caes. c. 68. — *in campo Martis, sede destinata:* „Appianus B. Civ. 1, 106. tradit, primum Sullae corpus *humeris senatorum* fuisse latum et in campo Martio per honorem sepultum: nam alii, etiam illustres viri, extra Urbem. At postea Iuliae ibi tumulus et bustum, murus clathris ferreis septus, et ipsius Iulii, nunc *Augusti, sedes destinata*, i. e. Mausoleum, quod sibi struxit." *Lips.* v. ad 3, 4, 1.

7. *Die funeris milites velut praesidio stetere*, sc. ut caverent, ne quis contra Tiberii edictum quid moliretur; *Walth. milites velut praesidio stetere*, tanquam metuendum fuisset, ne plebi, quae, nondum vetus servitii, (*crudi adhuc servitii*) exsequias D. Iulii tantis studiis concelebraverat, nunc demum, postquam ad libertatem tot per annos omnium animi occalluissent, mitis domini supremum honorem turbare seque eadem opera militibus discerpendam obiicere liberet; *Wolf.* Cf. ad 3, 4, 1. et 3, 22, 2. — *multum irridentibus:* nam vel sine praesidio nemo illud funus turbasset nimio studio; *Walth.* Cf. Dio 57, 2. — *crudi adhuc servitii*, v. ad Agr. 39. n. 5. — *libertatis improspere repetitae*, occiso Caesare. Ita edd. Lips. a. 1574 sq. et rec. *libertatis improspera repetita* (repetitiones) MS. edd. Ber. Rhen. Ald. J. Gron. *inprospera* MS. — *occisus dictator Caesar*, h. e. occisio eius, ut multa similia. v. ad H. 1, 18, 1. et Ind. III. v. *Participia Perf. pass. pro Substant. abstractis.* Sic et Adiectiva pro Substant. v. Ind. III. et ad 3, 22. — *nunc senem Principem longa potentia*, v. ad c. 4. n. 4. Regnaverat LVI annos, vixerat LXXVI. — *provisis etiam heredum imperii in* (adversus, ut c. 10. 4, 11. al.) *rem publicam opibus*, quum provisum esset, ne successuris exercitus et reliquae opes deessent ad rem publ. opprimendam; *Wolf.* — *scilicet* (scire licet) εἰρωνικῶς et amare dictum, ut 3, 59. 6, 23. 11, 24. 13, 21. H. 3, 13. Agr. 2. Sic et *nimirum* (ne mirum sit, δή, doch wohl) 2, 82. 6, 2. H. 1, 33. 3, 13. et *videlicet*, (videre licet) Gr. δηλονότι, Germ. freilich, traun, 3, 66. al. „Saepius tamen *scilicet* (ut *nimirum* et *videlicet*) neque est amarum illud, (freilich) neque *affirmativum*, (wahrlich) sed particula, qua animum attendere iubemur ad ea, quae subiunguntur, (siehe, freilich) ut ap. Virg. Ge. 1, 282. 493. 2, 245. 534. 3, 266. Hor. od. 2, 14, 9." *Voss.* ad Virg. Ge. 1, 282. Cf. 2, 30. 3, 65. et Agr. 4.

CAPUT IX.

Multus hinc ipso de Augusto sermo, plerisque vana mirantibus: quod idem dies accepti quondam imperii princeps et vitae supremus: quod Nolae in domo et cubiculo, in quo pater eius Octavius, vitam finivisset. Numerus etiam consulatuum celebrabatur, quo Valerium Corvum et C. Marium simul aequaverat: continuata per septem et triginta annos tribunicia potestas: nomen imperatoris semel atque vicies partum; aliaque honorum multiplicata aut nova. At apud prudentes vita eius varie extollebatur arguebaturve. Hi, *pietate erga parentem et necessitudine rei publicae, in qua nullus tunc legibus locus, ad arma civilia actum, quae neque parari possent, neque haberi per bonas artes. Multa Antonio, dum interfectores patris ulciscerentur, multa Lepido concessisse. Postquam hic socordia senuerit, ille per libidines pessum datus sit, non aliud discordantis patriae remedium fuisse, quam ut ab uno regeretur. Non Regno tamen neque Dictatura, sed Principis nomine constitutam rem publicam:*

mari Oceano aut amnibus longinquis septum imperium: legione provincias, classes, cuncta inter se connexa: ius apud cives, mo destiam apud socios: Urbem ipsam magnifico ornatu: pauca a modum vi tractata, quo ceteris quies esset.

1. *Multus hinc ipso de Augusto sermo*, v. ad Agr. 12. n. 3. — *pleri que vana mirantibus* et fortuita more vulgi. — *idem dies accepti quonda imperii princeps et vitae supremus*: „Imperium Augusteum plurimi num rant ab Actiaca pugna, IV Non. Sept. a. U. 723., quidam a septimo A gusti consulatu, quo imperium illi a senatu firmatum datumque cogn men Augusti, a. U. 727. Id. Ian. (Ovid. Fast. 1, 587 sq.) vel VIII. I Ian. (Oros. 6, 20.) vel XVI Kal. Febr. (Censorin. de die nat. 21.) v potius VII Id. Ian. ut in lapide, qui Narbone. Tertii et quidem curio isti atque auctor Dial. de orat. c. 17. numerabant a primo eius consulat qui gradus et aditus ad reliquos honores. v. Dio 46, 32 sq. 51. 53, Suet. Aug. 8. 26. 31. Appian. B. Civ. 3, 48 sq. 94. Is fuit non X K Oct. a U. 709. (Vell. 2, 65.) sed XIV Kal. Sept. a. U. 711. v. Dio 4 43 sq." *Lips.* „Cf. Dio 56, 30. Monum. Ancyr. in Chishulli Antiq. Asi p. 172. et Noris. cenot. Pis. p. 102." *Wolf.* Eodem iure mirari pot rant, quod Augustus Augusto mense obierit et Quirini templum ornave LXXVI columnis, quasi totidem annos victurum se esse divinans; *M* — *quod Nolae — vitam finivisset*, cf. Suet. Aug. 100.

2. *Numerus etiam consulatuum* cet. nam XIII gessit, (v. Suet. Au 26. Stat. Silv. 4, 1, 31. et Noris. ad cen. Pis. p. 244.) *M. Valerius Co vus* sex et *C. Marius* septem. *Corvum* MS. edd. Ber. et rec. *Corvin* cet. edd. vet. ante J. Gron. *Valerius* gentis auctor et princeps dict est *Corvus*, ut alii *Albus*, *Rufus*, *Crassus*, *Luscus*, *Longus*, at posteri eor *Corvinus*, *Albinus*, *Rufinus*, *Crassinus*, *Luscinus*, *Longinus*. v. Drak. Liv. 7, 26. Arntzen. ad Aurel. Vict. de viris ill. c. 29. — *continuata XXXVII annos tribun. pot.* „Accepit eam V Kal. Iul. a. U. 731. ut XXXVI annos et duos ferme menses gesserit. v. Dio 53, 32. et Noris. cen. Pis. p. 260." *Wolf.* *XXXVIII annos* in inscr. Grut. p. CLX, Cf. ad c. 2. n. 4. — *nomen imperatoris* (v. ad c. 3. n. 2.) *semel a vicies partum*: ita in marm. Ancyr. et in Begon. numo; *Brot.* Hinc *καὶ εἴκοσιν* corr. Reimar. ap. Dion. 52, 41. et refutatus Noris. l. l. p. 9 ab Eckhel. D. NN. T. VI. p. 140. Cf. Dio 43, 44. 51, 25. 55, 6. — *a honorum*, v. Ind. III. v. *Adiectiva neutr. gen.* — *multiplicata*, toties re titi consulis et imperatoris tituli, *nova*, principatus, tribunicia potest regimen morum legumque perpetuum, quod sine censura habebat; *M* et *Brot.* Cf. Dio 54, 10. 30. Suet. Aug. 7. 26. 27. 31. 57. 58. — *v* in MS. et ed. Ber. *vitae*. — *arguebatur*, v. ad 3, 72.

3. *Hi* (v. ad 2, 77, 1.) *pietate* (ambitioni praetenta) *erga parent* Caesarem, cuius caedem ultus est, ut c. 10. pr. — *necessitudine rei pu cae*, cf. Suet. Caes. c. 86. et Dio 56, 44. „*Necessitudo* et *necessitas necessitates* differunt, nec adeo risu ludoque digna ea res, uti videba Gellio 13, 3. *Necessitas* est vis premens et cogens, *necessitudo* aut vinculum ex necessitate oriundum, sive ea conditio, in qua quis versa ob necessitatem. Hinc *necessitudo rei publ.* non est ipsa res, quae r publ. premeret, cogeret, sed conditio, qua res publica utebatur in necessitatem. Sic 4, 20. *necessitudo legis* est vinculum, quo teneban ob legem. Cf. 12, 9. 30. 46. 15, 36. Contra *necessitas* et *necessita* sunt res, quae necessitudinem imponunt, 1, 11. 19. 30. 35. 58. 66. a *Walth.* „Vocabula haec saepius et permutantur, (v. Drak. ad Liv. 43, 3. 8, 33. Cort. ad Sall. Cat. 17, 5. 21. Schütz. Clav. Cic.) et pe liaribus usurpantur significationibus. *Necessitudo* proprie dicitur 12,

3, 46. al. et pro *necessitate* 3, 40. 64. 4, 20. 12, 30. pro adversa fortuna 1, 9. *Necessitas* plerumque sensu praegnante ea exprimit, ad quae necessitate cogente aliquis adigitur, atque ita angustias, mortem, sumptus, negotia et similia designat, ut 2, 67. 11, 37. 13, 1. H. 1, 3. *Necessitas senatoria* 11, 4. quae, quum senator esset, necessitate coactus dicere debebat. *Necessitas ultima* et *extrema* 15, 61. H. 1, 3. 72. al. vel mors et nex, vel maximae angustiae et summum periculum, ut ap. Liv. et Sall. *Necessitates* sumptus necessarii 1, 11. ubi *largitionibus* opponuntur. Sic *necessitates* ap. Plin. ep. 8, 21. negotia necessaria, ap. Sen. de ira 3, 16. mala, quae necessitate cogente subeas. Similis ratio est loci Ann. 2, 27. *hortatur ad luxum et aes alienum socius libidinum et necessitatum, quo pluribus indiciis illigaret*, ubi *libidines* respondent *luxui, necessitates* vero aeri alieno. Ambo, ut sumptus facere possent, aes alienum contraxerant, atque ita alter alterius necessitatibus i. e. aeris alieni nexu illigatus est. Cf. Suet. Tib. 47. Plin. ep. 7, 16. Liv. 21, 43. 27, 12. Caes. B. G. 7, 89." Bott. in Lex. Tac. p. 316. — *in qua nullus tunc legibus locus*, v. ad 1, 2, 6. Gron. et Drak. ad Liv. 3, 46. pr. — *civilia arma*, bella. v. Ind. II. — *dum interfectores patris ulcisceretur*, Caesaris. Cf. Suet. Aug. c. 10. *dum*, dummodo, ut c. 22. 6, 45. al. *dum* edd. rec. ex emend. Mur. et Pich. *tunc* MS. edd. Ber. Rhen. *tunc*, *dum* ed. Ald. *ut* pro *tunc* coni. Rhen. et sic edd. Lips. et Grut. *ut* vel *quo* deesse putabat Ber. *multa A. tunc, int. p. ut ulcisceretur* corr. Iac. Gron. *ulciscerentur* MS. — *senuerit* h. l. sensu et proprio et figurato. v. ad 2, 77, 1. — *quam ut ab uno regeretur*, cf. ad 1, 1, 2. *ut* abest a MS. et edd. Ber. Rhen. Ald.

4. *Non regno* (regis) *tamen neque dictatura*, (dictatoris) *sed Principis nomine c. r. p.*, v. ad 1, 1, 2. — *mari Oceano aut a. l. septum imperium*, cf. ad 1, 11, 4. et Suet. Aug. 21. *mari Oceano*, ut *mare Oceanus* et *Rhenus amnis* H. 4, 12. non *mare Oceanum*: nam in neutra forma aut adiective usquam occurrit; *Ern.* Sed adiective et apposite in eodem casu dixerunt *mare Oceanum* Caes. B. G. 3, 7. (ubi v. Davis.) et Mela 2, 6. *Oceano litore* Mela 3, 3. ut *Metaurum flumen* Hor. od. 4, 4, 38. *Rhenum flumen* Hor. A. P. 18. *flumen Allia* Liv. 5, 37. *flumen Padum* Tac. H. 2, 32. *campum Marathona* Nep. 1, 4. *terra Gallia* Gell. 2, 22. Ἑλλάδα γαῖαν Aeschyl. Pers. 184. Sic et alia Substantiva pro Adiectivis ponuntur, inpr. a poëtis. Cf. Ramshorn. Gram. p. 294. Zumpt. Gram. p. 235. ed. VI. Interpp. Caes. l. c. Iuvenal. 11, 94. Sil. 1, 173. 2, 45. 3, 387. Claudian. de nupt. Hon. et Mar. v. 88. Virg. Aen. 1, 686. — *amnibus longinquis*, Euphrate, Danubio et Rheno; *Brot.* Cf. Herodian. 2, 11, 5. et Lips. in Admirandis 1, 3, 4. — *ius apud cives* cet. cf. Suet. Aug. 29. 30. 33. 34. 46. 47. — *Urbem ipsam magnifico ornatu*, cf. ad 3, 52. et de re ipsa Dio 52, 38. 55, 8. Suet. Aug. c. 29.

CAPUT X.

Dicebatur contra, *pietatem erga parentem et tempora rei publicae obtentui sumpta: ceterum cupidine dominandi concitos per largitionem veteranos, paratum ab adolescente privato exercitum, corruptas consulis legiones, simulatam Pompeianarum gratiam partium: mox ubi decreto Patrum fasces et ius praetoris invaserit, caesis Hirtio et Pansa, (sive hostis illos, seu Pansam venenum vulneri affusum, sui milites Hirtium et machinator doli Caesar abstulerat) utriusque copias occupavisse: extortum invito senatu consulatum armaque, quae in Antonium acceperit, contra rem publicam versa: proscriptionem civium, divisiones agrorum,*

ne ipsis quidem, qui fecere, laudatas. Sane Cassii et Brutoru exitus paternis inimicitiis datos, quanquam fas sit, privata odi publicis utilitatibus remittere; sed Pompeium imagine pacis, se Lepidum specie amicitiae deceptos: post Antonium, Tarentin Brundisinoque foedere et nuptiis sororis illectum, subdolae affin tatis poenas morte exsolvisse. Pacem sine dubio post haec, veru cruentam: Lollianas Varianasque clades: interfectos Romae Va rones, Egnatios, Iulios. Nec domesticis abstinebatur. *Abduct Neroni uxor et consulti per ludibrium pontifices, an concept necdum edito partu rite nuberet: Q. Tedii et Vedii Pollion luxus; postremo Livia, gravis in rem publicam mater, gravius de mui Caesarum noverca. Nihil deorum honoribus relictum, quu se templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli velle Ne Tiberium quidem caritate aut rei publicae cura successore ascitum, sed, quoniam arrogantiam saevitiamque eius introspex rit, comparatione deterrima sibi gloriam quaesivisse.* Etenii Augustus paucis ante annis, quum Tiberio tribuniciam pot statem a Patribus rursum postularet, quanquam honora oration quaedam de habitu cultuque et institutis eius iecerat, quae velu excusando exprobraret.

1. *Dicebatur contra*, quam partem uberius exsequitur Tacitus, qu ipsum in ea fuisse non ambigo; *Lips.* Propterea Fabian. Strada Prolu 1, 11. Tacitum iusto acrius carpit; *Wolf.* — *pietatem erga parentem sumpta*, cf. ad c. 9. n. 3. et Dio 52, 2. *obtentui sumpta*, Germ. zum Vo wande. Cf. Ind. III. v. *Dativus obiectivus.* — *concitos per largition veteranos* Caesaris milites. Cf. Dio 45, 7. 12. Suet. Aug. 10. Appian. C. 3, 40 sq. Vell. 2, 61. *largitionem* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. Lips. *largitiones* edd. Lips. poster. et cet. usque ad Wolf. — *paratum ab ad lesc. privato exercitum*, de quo ipse in Monym. Ancyr. pr. *annos XI natus exercitum privato consilio et privata impensa comparavi.* Cf. Su Aug. 8. — *corruptas consulis legiones*, D. Iunii Bruti, quas in Mutinen obsidio ad se traxit; *Lips.* Immo Antonii *consulis* Quartam et Martia donis promissisque corruptas; *Mur. Gron. Brot. Wolf.* v. Dio 45, Appian. B. C. 3, 43. 45. 93. Cic. Phil. 4, 2. Vell. 2, 61. Corruptae eti Lepidi legiones. v. ad 1, 2, 2. — *simulatam Pompei. partium gratiam* reconciliationem. Cf. Suet. Aug. c. 10. 12. Plut. Ant. c. 16. — *mox decreto patrum — occupavisse*, v. Suet. Aug. c. 10. 11. Cic. Phil. V — Appian. B. C. 3, 51 sq. 65—76. — *sive hostis illos — seu Pansam* c cf. ad 6, 9, 1. — *abstulerat* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. Lips. 1. quod rev cavit Wolf. *abstulerant* edd. Lips. poster. et seqq. Sed v. ad 12, 45, et Ind. III. v. *Praedicatorum atque Subiectorum numeri et genera divers* — *extortum invito senatu consulatum*, cf. Dio 46, 32 sq. Suet. Aug. Appian. B. C. 3, 48 sq. Vell. 2, 65. Liv. epit. 119. *senatui* corr. Mu quod ap. Cic. praeferendum esset; *Wolf.* „Minime vero: nam senat non potuit extorquere consulatum, qui in senatus populique Rom. ma bus erat. Hinc *invito senatu* est Ablat. absol. et *extortum* absolute dictu ut ap. Eutrop. 7, 1. *extorsit, ut sibi XX anno consulatus daretur.* Cèteru *senatu* pro *senatui* dicere potuit Tacitus, ut similia 6, 23. 12, 5. 62. al *Walth.* — *quae in* (ut mox *contra*) *Antonium acceperit*, v. ad 1, 8, „*acceperat* malebat Mur. quia mox *fecere.* Tacitus utroque modo utit et paulo ante *invaserit.*" Ern. „*Acceperat* alium loco induit colorem alienum. Exhibet enim eam rem, quod in Antonium accepit arma,

per se constantem, nec pendentem e sententia dicentium. Sic 4, 10. *postquam convivium inierat — poculum Druso tradidisse.* Iam vero id ipsum illi arguunt, quod in Ant. arma accepit, contra rem p. vertit. Hinc *acceperit* e persona loquentium." *Walth.* Sic et mox *ne ipsis quidem, qui fecere, laudatas,* ut *iis, qui ad se perfugerunt* ap. Liv. 24, 33, 6. Cf. Ind. III. v. *Verborum Modi in oratione obliqua,* et Ramsh. Gram. p. 619. 620. — *proscriptionem civium* et (v. Ind. III. v. *Asyndeta*) *divisiones agrorum ne ab ipsis quidem* triumviris eorumque amicis, *qui* eas *fecere,* (ut ap. Sall. Cat 8.) *laudatas,* cf. Ind. III. v. *Ablativi ab omissa praep.* a *pendentes* et *Dativus.* De re ipsa v. Suet. Aug. 13. 15. 27. Dio 46, 56. 47, 7 sq. 48, 6. Appian. B. C. 4, 2—51. 5, 2—16." Heinsius *caepere* pro *fecere* in scriptis esse ait. Sed unus modo scriptus exstat et is habet *fecere.* Muretus legi volebat *cepere,* idque probat Ryck. Bene, ut opinor. Non ignoro, Augustum simulasse, se invitum proscribere: sed si hoc voluisset Tacitus dicere, dixisset, ut opinor, brevius *nec ipsis laudatas.* Longe gravissima sententia est, si nec illi probarunt divisiones agrorum, ad quos fructus ex iis pervenit." *Ern.* „Verissimae sunt hae duae rationes, emendatio autem felicissima; cui a Crollio, ut saepe alibi, futiles ratiunculae quaedam oppositae sunt. Abuti iste speciosius poterat simili loco H. 1, 6. ut vulgatum dici videretur de mensoribus ex partibus Triumvirorum. Sed cui placere hic potest harum operarum mentio? Immo quod in tali genere largitionum Cicero de off. 2, 22, 79. accidere ait, ut eas plerumque ne sperata quidem gratia sequatur, id in illa agrorum divisione accidisse clare testatur Suet. Aug. c. 13. *neque veteranorum neque possessorum gratiam tenuit, alteris pelli se, alteris non pro spe meritorum tractari querentibus.* Ita ad probabilitatem ex ipsius rei natura accedit etiam diserta probati testis auctoritas." *Wolf.* ad h. l. et in Miscell. (Vermischte Schriften) p. 184. Appianus ll. ll. eadem tradit. Sed prior ratio ab Ern. allata nihili est; (nam *ipsis* neque ad Sullam, neque ad triumviros, quorum nulla ante mentio facta, referri poterit nisi adiectis verbis *qui fecere*) altera iam bene refutata a Walthero his verbis: „Primum quaero, num divisiones agrorum per se displicuerint veteranis? Immo satis his placebant; querebantur vero ex nimia cupiditate. Multum igitur abest, ut e veteranorum querelis vituperium Augusti repeti possit, ut potius in eius laudem illae valeant. Altera quaestio est, num verba *ne ipsis q. q. f. laudatas* ad *divisiones agrorum* tantum pertineant, an etiam referenda sint ad *proscriptionem civium?* Illud si statuis, Tacitus satis nude posuit *proscriptionem civium* inter hasce sententias ad unam omnes pleniori quadam enuntiatione expositas. Omnia potius contrarium suadent; tum vero verbum *cepere* ineptum evadit. Quae quum ita sint, ad lectionem MSti (omniumque edd. ante Wolf.) *qui fecere* redeundum erit. Qui fecere et proscriptionem civium et divisiones agrorum, sunt triumviri et qui plurimum apud illos potuere, spectatque hic locus ad varias dissensiones super utraque re in triumvirorum partibus exortas. De his v. Suet. Aug. c. 27. et Dio 48, 6." Hinc quoque repudianda coniectura Doederleinii in Seebodii N. Archiv für Philol. u. Pädag. a. 1826. I, 4. p. 77. *ne ipsis quidem, quîs* (quorum in gratiam) *fecere, laudatas.*

2. *sane* (v. ad 3, 6, 2.) *Cassii et Brutorum exitus paternis inimicitiis datos — privata odia p. u. remittere,* v. ad 1, 2, 1. 1, 7, 8. et 2, 71, 1. 4. *fas sit privata odia p. u. r.,* „cf. Plin. ep. 7, 18. Cic. p. red. in sen. c. 8. de prov. cons. c. 18. Liv. 9, 38." *Walth.* — *sed Pompeium — deceptum,* cf. Dio 48, 36 sq. 49, 12. Suet. Aug. c. 16. Vell. 2, 77. 80. Appian. B. C. 5, 60 sq. *Sed* in affectu repetitum, ut 1, 38. 2, 14. Liv. 24, 14. Plin. ep. 4, 29. Sic et alia vocabula cum et sine emphasi repetuntur. Cf. Ind. III. v. *Verba eadem repetita,* Gron. et Drak. ad

Liv. 8, 11. 24, 14. Wopk. obss. misc. 7, 3. p. 404. Goerenz. ad Cic. d leg. 1, 1. Ramsh. Gram. p. 707. — *imagine pacis*, v. ad 3, 17. — *Le pidum specie amicitiae deceptum*. v. ad c. 2. n. 2. — *post*, postea, *Antoniu Tarentino Brundisinoque foedere* — *illectum*: „Utrumque foedus dictum loco, ubi ictum, priusque fuit Brundisinum, quod Octavianus cum An tonio coiit a. 714. Perusia capta. Quum morte opportuna Fulviae sub latum esset non dubium bellum, Octavia Antonio data et provincia Orientis. Simultate vero iterum exorta, prudentia Octaviae, annitentibu Agrippa et Maecenate, iterum compositae res ictumque foedus Tarenti num a. U. 717. v. Dio 48, 28. 33, 54. Plut in Anton. p. 931. F. Appiar B. C. 5, 57—64. 93 sq." *Lips*. *Brundisium* rectius scribitur quam *Bru dusium*. v. ad 3, 1. 3, 7. Garatoni ad Cic. Phil. 1, 3. — *nupti sororis* Octaviae a. U. 714. Instabile coniugium, de quo v. Dio 48, 31 Plut. et Appian. ll. ll. et Lips. Exc II. ad Ann. I. — *Lollianas Variana que clades* in Germania. Illa accepta a. U. 738. et fortasse in Marchi comit. Westphal., prope Bochum, ubi loco, qui *Lolle* dicitur, etiam nun effodiuntur numi veteres. v. Petersen in libro laud. ad c. 60. De *Lolli* v. ad 3, 48. de *clade Lolliana* Dio 54, 20. Suet. Aug. 23. Intpp. Hor. o 4, 9. et Ruhnk. ad Vell. 2, 97. de *Variana clade* ad 1, 3, 8. — *interfecti Romae Varrones, Egnatios, Iulios*, cf. Ind. III. v. *Numerus Plur*. *pro Sing* Licinius *Varro* Murena et M. *Egnatius* Rufus auctores coniurationis. v Dio 53, 24. 54, 3. Suet. Aug. 19. 56. et Tib. c. 8. Vell. 2, 91. 93. Se de clem. c. 9. de brev. vitae c. 5. Strab. XIV. p. 670. *Iulius* vel *Iuli* Antonius, triumviri filius e Fulvia, poëta et consul a. U. 744., qui dux Marcellam Octaviae filiam, sed reus adulterii cum Iulia (cf. Sen. de bre vitae c. 5.) et regni affectati occisus est a. U. 752. iussu Augusti aut su manu. Cf. 3, 18. 4, 44. 13, 19. Dio 54, 36. 55, 10. Suet. Claud. 2. Plin. 45. Vell. 2, 100. Hor. od. 4, 2. Reines. epist. 21. ad Rupert. et de fratr minoris nece Suet. Aug. c. 17. *Iulios* MS et edd. vet. tum h. l. tum 18. et 4, 44. *Iulium Antonium M. F. et Q. Fabium Q. F. Maximum Afri canum coss. a.* 744. edunt exc. Chron. Euseb. et omnes MSS. Suet. se *Iulum Antonium* cet. Fasti Siculi et Cuspiniani, Cassiodorus et optin codd. Horatii et Dionis 54, 36. ubi v. Reimar. Eum *Iulum* putant dictu a patre, cuius mater Iulia, L. Iulii Caesaris filia, a Iulo, Aeneae fili (v. Liv. 1, 3.) originem ducebat. Cf. Spanhem. de usu et pr. num. dis X. T. II. p. 55. 65. Grut. inscr. p. 119. Pigh. Ann. et intpp. Suet. Hora et Vell. ll. ll.

3. *Nec domesticis abstinebatur* sc. malefactis eorumque reprehensio nibus: arguebantur *abducta Neroni uxor et consulti* — *nuberet*, cf. 5, Suet. Aug. 62. et Tib. 4. et Claud. 1. Vell. 2, 94. inpr. Dio 48, 1 43. 44. Apollinem consultum tradit. Prudent. c. Symm. 1, 260 sq. *a ducta* MS. — *concepto necdum edito partu*, ut *sex partus* (liberos) *eni* 3, 33. — *Q. Tedii* edd. Brot. et sqq. *quae tedii* MS. edd. Ber. Rhe Ald. *qui Tedii* et *qui Atedii* edd. plurimae medii aevi. *Q. Vedii Pollion* coni. Rhen. *Cn. Matii* Freinsh. et Ryck. (v. 12, 60. et Plin. 12, 2.) *q Vedii Pollionis* Lips. *Q. Pedii* Wolf. (v. Suet. Caes. 83.) *quin etiam Ve P.* Walth. *nuptaeque taedia et Vedii Pollionis luxus* Bip. qui id defe derunt in Commentat. crit. T. I. p. LXI—LXXIV. Alii *Atedii*, *Atid Aledii, Alledii, Asellii, Haterii*, de quorum tamen luxu nihil compertu Notior *Vedius Pollio* Eq. Rom. Augusto familiaris eiusque luxus. v. Pli 9, 23. s. 39. 9, 53. s. 78. Dio 54, 23. Sen. de ira 3, 40. de clem. 1, 1 Tertull. de pallio c. 5. — *Livia gravis in rem publ.* (v. ad 1, 8, 7.) *mat gravius domui Caesarum noverca*, cf. ad 1, 4, 7. et 1, 5, 1. „Est imitat Hesiodi *Ἔργ.* v. 558. χαλεπώτατος οὗτος Χειμέριος, χαλεπὸς προβάτοι χαλεπός δ' ἀνθρώποις." *Iac. Gron.* — *gravius* MS. edd. Ber. Rhen. *gra* edd. Ald. et al. ut *grave-grave* 6, 26. Cf. nota 2. *graviave* ed. Bip. *gr*

nier edd. Pich. Lips. Bern. al. „Causam affert, quod illud, rei publ. obtrudere fraudibus suis filium saevissimum, peius sit; certum praeterea, quum hoc dubium sit. Sed in criminando rumores pro certis rebus sumuntur, et in perdendis privignis maior saevitia.“ *Ern.* Immo gradatio ab h. l. aliena: nam loquuntur prudentes, quibus publica res antiquior; *Wolf.* „At Taciti stilum non satis novere, qui hic aliquid emendandum esse censerent. *Gravius* est adverbium et id. qd. *graviori modo, gravioribus sceleribus*, ut *audentius visebantur*, h. e. audentiori modo usi, 4, 47. *prospere* (prospero in statu) *aut in metu* 15, 45. *simplicius et antiquius* G. 5. Tacitus autem variandae structurae studiosus est; (v. ad 1, 7, 8.) et qui gradationem ab h. l. alienam esse censebant, in suam rem disputabant. Nam perdere privignos et grassari veneno, ferro, haud dubie *gravius* est, quam civitati Principem obtrudere filium et impotentia materna in filium Principem uti.“ *Walth.* Cf. ad 3, 28, 1. et 4, 57, 3.

4. *Nihil deorum honoribus relictum*, quod in honorem eorum fieri et institui posset. *Sic honor*, inpr. deorum, saepius dicitur pro honoratione, Beehrung, (v. c. Virg. Ge. 3, 486.) *vulnus* pro vulneratione, *pax* pro satisfactione, reconciliatione, Befriedigung, Versöhnung, (ut fortasse 12, 33. 14, 39.) et similia; *Günther* in Athenaeo 11, 2. p. 271. — *quum se templis et effigie numinum per flamines et s. coli vellet:* haec Lipsius et alii eo referunt, quod Imperatoribus vivis in multis provinciis, mortuis vero et divis etiam Romae et in Italia, dicata templa, sacerdotes, arae, festi dies et ludi, venia ante ab iis petita et impetrata. Cf. c. 11. 78. 4, 15. Ind. I. v. *Templum*, Dio 51, 20. 56, 46. Suet. in Aug. 5. 2 100. in Tib. 40. 47. in Cal. 21. Plin. 12, 19. s. 42. Spanhem. de usu et pr. num. T. 2. p. 650. Eckhel. D. N. Vol. II. p. 466. „Sed h. l. non sermo est de templis et statuis Augusto positis per provincias: nam si hoc voluisset Tacitus, scripsisset *voluerit*, non *vellet*. Immo cogitandum est hic de templo tantum et coelestibus religionibus, quae decernebantur Augusto mortuo et per Urbem, quod facile intelligis e verbis *per flamines et sacerdotes*. Solent autem sic, quae per adulationem peccantur, imputari idolo. Quoad vixit, in Urbe Augustus pertinacissime abstinuit divino honore. v. Suet. Aug. 52. Minime igitur hic Taciti locus dicit contra Suet. aut Dionem, quod putabant viri docti. cf. Reimar. ad Dion. 51, 20.“ *Walth.* — *Effigies numinum* sunt signa statuis Augusti apposita, quae solent deorum, radius, hasta, fulmen: unde numi etiam hodie, in quibus caput Augusti, tanquam novi sideris, radiatum; *Lips.* v. Suet. Aug. 94. Stat. Theb. 1, 27 sq. Sil. 3, 629. Lucan. 7, 458. Schwarz. ad Plin. pan. 2. Burm. ad Val. Fl. 1, 19. et ad Ovid. Trist. 5, 2, 52. *Effigies numinum* est imago ad modum numinum effictum; *Walth.* — *Flamines* etiam divis Caesaribus dati et Flaminiae s. Flaminicae, et *sacerdotes* s. sodales v. c. Augustales, Flaviales, Hadrianales) et collegia sacerdotum. Ipsa quoque Livia Augusti et Agrippina Claudii flamina s. flaminia fuit v. 13, 2. Vell. 2, 75. Lips. Exc. III. ad Tac. Ann. I. Gruteri inscr. p. 101, 3. 8, 10. Panvin. de civ. Rom. 2. p. 173.

5. *comparatione deterrima*, cum deterrimo homine, *sibi gloriam quaesivisse*, cf. omnino Suet. Tib. 21. et Dio 56, 45. „Ne tamen Augustus monstrum habeatur, v. 4, 57. Dio 57, 3. 12. Suet. Tib. 23. Calig. 4. Namque rem perpende et fortunam domus principalis. Ceterum non placet coniectura Bip. *deterrimi* sine fulcro substantivi, multoque minus illa Lipsii *teterrima*. *Comparatio deterrima* dicitur ut *honorifica comparatio*, quae in honorem alterius utrius partis cedit; et sic in aliis, quae ποιητικῶς καὶ ἀντιστρόφως permutantur attributa. Sic G. 5. terra nostra est *improcera* ob improcera corpora pecudum.“ *Wolf.* „Passiva vocis *comparatio* vis accuratius secernenda est ab activa et definienda secundum verbi usum ap. Cic. de or. 1, 3. *Si diligenter ex nostrorum et ex Grae-*

corum copia comparare voles. Antiquior dictio est illa Vell. 2, 9 *ingenia usque in Graecorum ingeniorum comparationem evecta* et 1, 9 *omnium ante actorum comparationem.* Cf. Ruhnk. ad Vell. 1, 9. ub tamen non apte laudatur Macrob. 2, 7. *Pylades Hylam usque ad aequa litatis contentionem provexit.*" *Walch.* ad Agr. 10. pr.

6. *paucis ante* (Adverb.) *annis*, v. ad 1, 2, 2. et *ad* Agr. 45. n. 8. - *quum Tiberio tribuniciam pot.* cet. v. ad 1, 2, 4. — *quanquam honora ora tione*, honorifica, ut 3, 5. 4, 68. et contr. *inhonora* H. 4, 62.; *Günth* in Athenaeo II, 2., p. 264. — *habitu cultuque* h. l. et 2, 59. synonym esse, ut *habitum vultumque* H. 1, 17. 2, 52. contendit Roth. de Taciti Sy non. Norimb. 1826. p. 7. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin* et *Synonyma.* „Imm *habitus* est modus habendi ipsum corpus eiusque partes, qualis describ tur in Tiberio 4, 57. et inpr. a Suet. Tib. c. 68., *cultus* est vestitus reliquus ornatus, ut ap. Suet. Iul. 45. ubi *habitum* Caesaris ante descr pserat. Coniunguntur autem saepissime, ut significent omnem corpor curam speciemque externam." *Walth.* Plerumque *habitus* est forma, qua natura, et *cultus*, quam ars tribuit sive corpori, sive armis (ut G. 6 aliisve rebus. „*Habitus corporis* G. 4. eius forma, die Haltung, da Exterieur, ut ap. Quintil. 4, 2. 9, 1. 11, 3." *Schulz.* ad O. 8. E Gr. σχῆμα. Cf. Cort. ad Sall. Cat. 13, 3. ad Iug. 5. extr. et Forcel *Habitus in aliqua perfecta et constanti animi aut corporis absolutione co sistit* Cic. de inv. 1, 25. Nonnunquam *habitus* est φύσις, indoles, m natura. v. ad G. 17. n. 6. et cap. 46. n. 3. *habitu vultuque* coni. Hei idque substituere Ern. et Brot. coll. c. 38. 16, 22. H. 1, 17. 2, 52. Su Tib. 68. „Sed *habitus* inprimis oris et vultus est, iungiturque mo *vestitus*, modo *cultus*, cuius pars est *vestitus.* v. 2, 59. et Suet. Aug. 4 In tali autem homine cultum habitui similem fuisse, vel tacente Su facile intelligitur." *Wolf.* — *institutis eius*, vitae ratione moribusque. *iecerat*, v. ad 11, 9, 2. — *quae velut excusando exprobraret*, v. ad 3, 22,

CAPUT XI.

Ceterum sepultura more perfecta templum et coelestes r ligiones decernuntur. Versae inde ad Tiberium preces. Et i varie disserebat de magnitudine imperii sua modestia: *sol divi Augusti mentem tantae molis capacem: se in partem curar ab illo vocatum experiendo didicisse, quam arduum, quam su iectum fortunae regendi cuncta onus. Proinde in civitate illustribus viris subnixa non ad unum omnia deferrent: plu facilius munia rei publicae sociatis laboribus exsecuturos.* P in oratione tali dignitatis quam fidei erat, Tiberioque etiam rebus, quas non occuleret, seu natura sive assuetudine, s pensa semper et obscura verba; tunc vero nitenti, ut sen suos penitus abderet, in incertum et ambiguum magis impli bantur. At Patres, quibus unus metus, si intelligere vider tur, in questus, lacrimas, vota effundi; ad deos, ad effigi Augusti, ad genua ipsius manus tendere, quum proferri lil lum recitarique iussit. Opes publicae continebantur, quant civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinc tributa aut vectigalia et necessitates ac largitiones. Quae cu sua manu perscripserat Augustus; addideratque consilium c cendi intra terminos imperii, incertum metu an per invidi

1. *sepultura more perfecta*, cf. Suet. Aug. 100. et Herodian. 4, 2. ad cetera vero, quae hoc et proximo cap. traduntur, Suet. Tib. 24. 25. Dio 57, 2. — *templum et coelestes religiones* synonyma esse censet Roth. l. l. Sed *templum* esse potest sine coelestibus religionibus et utrumque Augusto decretum est; *Walth.* Cf. ad 1, 10, 4. 15, 74. et Dio 56, 46. De consecratione, *ἀποθεώσει*, Imperatorum Rom. v. Herodian. 4, 2. Dio 56, 12. 74, 5. Böttiger Vorles. über Kunstmythol. p. 68. et Creuzer Symbolik T. III. p. 49. 50. ed. pr. „Quae hic *coelestes religiones*, in Kalendario Amiternino vocantur *coelestes honores*, qui Augusto decreti dicuntur . d. XIII Kal. Oct. Nam dissentio a Fogginio, qui Fast. Praenest. p. 30. illarum rerum discrimen ex Dione trahit.“ *Wolf.*

2. *Versae inde ad Tiberium preces*, ut onus cuncta regendi sibi imponi patiatur; *Mur.* et *Wolf.* — *Et ille varie disserebat*, in utramque partem; *Ern.* Cf. Dio 57, 2. *At ille* scribendum forsan; *Wolf.* „Frustra t male: nam *at* fortius incipit, quam huic loco convenit; *et* tam ab initio corum, quam in transitu ponitur, ac plane sic adhibetur, ut inchoet l quod ab altera parte evenit, ut 1, 22. 1, 61. 2, 12. 28. 50. 4, 16. 15, 7. al.“ *Walth.* Cf. Ind. II. *Et ille* — *At Patres* inter se opponuntur; *Liesl.* — *sua modestia*, moderatione, animo minime ambitioso; *Lips.* *Modestia* est mediocritas, cui *magnitudo* opponitur, ut 12, 43. *modestia hiemis*; *Ern.* Muretus var. lectt. 11, 4. accurate explicat de tenuitate irium suarum, et cf. Dio 57, 2. ubi Tiberius aetatem et visus imbecillitatem excusat; *Wolf.* „*Modestia* est ea animi ratio, qua quis vires facultates suas credit minores; opp. *arrogantia*. Tum et ipsa mediocritas virium, ut H. 3, 70. extr.“ *Walth.* Ipse olim professus sum, mihi otius iungenda videri verba *disserere sua modestia*, solita, quam simulare debat; ita enim servari vulgarem huius voc. vim neque copulam esse supplendam. Haec ratio contorta videtur Walthero, non Boettichero in ex. Tac. p. 307. ubi haec disputavit: „Nullo prorsus modo *modestia* est *diocritas*, et valde errant, qui hanc significationem probari putant cis Ann. 1, 11. (ubi vulgarem retinet; cf. 1, 12. *nequaquam decorum ideri suo* et 2, 36. *grave moderationi suae*) 3, 56. et 12, 43. ubi *destia hiemis* et eius clementia, cui *saevitia* opponitur, ut *modestia* *rum* de flumine, cuius non rapidus est cursus, ap. Plin. 6, 23. Nunam sane Augustus aliique ingenium Tiberii spreverunt; et erravit Mutus, qui l. l. Tacitum aliquoties *modestum* pro *modico* dixisse contendit.“ . ad 4, 7, 1. — *solam divi Augusti mentem* — *exsecuturos*, cf. Dio 57, 2. *Proinde*, cf. Ind. II.

3. *Plus in oratione tali dignitatis*: „vertunt Würde, quod longum t a vero. Immo *dignitas orationis*, ut Suet. Claud. c. 30. *dignitas* *mae* et Plin. pan. c. 4, 7. *dignitas oris* est pulchra species, quae in-. Pulchritudinis enim alterum genus est *dignitas* secundum Cic. de l. 1, 36.“ *Walth.* — *suspensa semper et obscura verba*, quorum sensus *ocurus* et ambiguus. v. ad 4, 1, 3. 11, 34, 1. H. 3, 37, 2. et cf. Suet. b. 24. et Dio 57, 1. — *quibus unus*, unicus, solus, *metus* erat, *si int. legeretur*, cf. ad 14, 6. H. 4, 86, 1. et inpr. Dio 57, 1. de Tiberio: *ἦ δὲ ὠργίσατο, εἴ τις αὐτοῦ συνεὶς φανερὸς ἐγένετο, καὶ πολλούς, οὐδὲν ἐν σφίσιν ἢ ὅτι συνενόησαν αὐτὸν ἐγκαλέσαι ἔχων, ἀπέκτεινεν, ὥστε χαλεπὸν μὲν ἦν μηδεμίαν αὐτοῦ σύνεσιν ποιεῖσθαι, χαλεπώτερον δὲ συνιέναι· ... γὰρ ἐπιτήδευσιν αὐτοῦ καταφωρᾶν κἀκ τούτου καὶ ἄχθεσθαι αὐτῇ ὑπωπτεύοντο.* — *si* pro *ne*. Cf. ad 11, 28. et Spald. ad Quintil. 3, 1, 3. — *ad effigiem Augusti*, in ipsa curia, quod ex 2, 37. apparet; *Lips.* Immo in *atio*, in quo senatus tum habitus, quod ex eodem loco patet. — *ad* ... *ipsius manus tendere*, v. ad H. 1, 36, 3. et Ind. II. v. *Supplices*. — *afferri libellum recitarique iussit*, „ut videretur flexus paulum et imperium accepturus, quum curas susciperet. *Libellus* non incommode a Suet.

Aug. 28. appellatur *rationarium imperii*, quia *rationes* eo publicae contin bantur, et *breviarium imperii* c. 101. ut *rerum gestarum D. Augusti exe plar*, qui titulus est monumenti s. marmoris Ancyrani." *Lips.* Hui fragmentum insigne, a Chishullo in Antiq. Asiat. illustratum, Sueton a Wolfio, Tacito ab Ern. et Livio a nobis subnexum est, diversum fo tasse a *rationario imperii*. Cf. Dio 56, 33—45. — *opes*, copiae viresque p *blicae* (v. ad 2, 61, 2.) *continebantur* sc. eo. „Id omissum coni. Hei Credo Tacitum ipsum omisisse studio brevitatis, ut alibi facit in pron minibus." *Ern.* Wopkensius ad h. l. exempla collegit; *Wolf.* — *qua tum civium sociorumque in armis*, v. Dio 55, 23. — *Tributa* in capita facultates imposita (Germ. Kopf- und Vermögenssteuer) cer pecuniae summa quotannis a civibus solvenda pro modo facultatu *Vectigalia* omnis reditus publicus e portorio, decumis et scriptura, h. pascuis publicis. In provinciis haec modo maiora erant, pro frugu copia et inopia, illa semper eadem, et hinc *tributariorum* vel *stipendi riorum* (4, 20. pr.) durior conditio, quàm *vectigalium*. Cf. ad Agr. l n. 3. Ernesti clav. Cic., Burm. de vectig. p. R., Lips. de magnit. Ur Rom. 2, 2. Sigon. de ant. iure prov. 1, 3. Cuiac. obss. 7, 3, 4. — *nece sitates* publicae, impensae s. sumptus necessarii, in reip. commodu faciendi. „Onera publica quaeque necessario in milites, in populu aliasque imperii res eroganda, ut ap. Liv. 23, 48. et Lamprid. Alex. 38 *Lips.* Cf. ad 1, 93. et 2, 27, 2. De *largitionibus* et ,congiariis Augu v. ad 12, 41. Suet. Aug. 41. 42. et locus class. in monum. Ancyr. Chishulli antiq. Asiat. p. 173 seq.

4. *consilium coercendi intra terminos imperii* s. limites, Euphrate Istrum, Rhenum, Oceanum. Cf. ipsius Augusti verba ap. Iulianum Menippea de Caes. p. 326. ed. Spanh. ubi tamen duo tantum termini limites nominantur, Ister et Euphrates, quibus adde Rhenum et Oc num; *Lips.* v. ad 1, 9, 4. — *incertum* an s. utrum *metu*, quem pro ip habebat, ne studio plura quaerendi ante parta amitterent; quam rat nem ab ipso Augusto in libello datam Dio 56, 33. auctor est; *Lips. an per invidiam*, ne quis successorum proferendo fines imperii auge gloriam et latius imperasse diceretur; *Ern.* Cf. ad 11, 19. extr. Agr. n. 3. Strab. VI. extr. et Moeser hist. Osnabrug. T. I. p. 153.

CAPUT XII.

Inter quae senatu ad infimas obtestationes procumbe dixit forte Tiberius, *se, ut non toti rei publicae parem*, *i quaecunque pars sibi mandaretur, eius tutelam suscepturum.* T Asinius Gallus, *Interrogo*, inquit, *Caesar*, *quam partem rei publi mandari tibi velis.* Perculsus improvisa interrogatione paul reticuit; dein collecto animo respondit: *nequaquam decor pudori suo, legere aliquid aut evitare ex eo, cui in univers excusari mallet.* Rursum Gallus (etenim vultu offensionem iectaverat) *non idcirco interrogatum*, ait, *ut divideret*, *quae parari nequirent, sed et sua confessione argueretur*, *unum rei publicae corpus atque unius animo regendum.* Addidit lau de Augusto Tiberiumque ipsum victoriarum suarum, qua in toga per tot annos egregie fecisset, admonuit. Nec iram eius lenivit, pridem invisus, tanquam ducta in matri nium Vipstana M. Agrippae filia, quae quondam Tiberii fuerat, plus quam civilia agitaret Pollionisque Asinii patris ciam retineret.

1. *senatu ad infimas obtestationes procumbente*, constr. praegnans pro: ad genua eius procumbente, ut infimis obtestationibus eum exoraret, *Boett.* in Lex. Tac. p. LXXVI. — *dixit forte Tiberius*: ne fortuiti speciem artem mimi putes, quod non fert Latinitas: sed excidit hoc ei in calore sermonum, quum reliqua omnia probe meditata domo attulisset; *Wolf.* Cf. Suet. Tib. 24. — *se, ut non toti reip. parem*, cet. ut H. 1, 17. *quorum favorem, ut largitione et ambitu male acquiri, ita per bonas artes haud sperandum*, aliisque locis, quibus *ut* — *ita*, *quemadmodum* — *sic*, *quippe*, *quia*, *quanquam* et *nisi forte* Infinitivis iunguntur. v. Ramshorn. Gram. p. 617. — *quaecunque pars* reip. „Tiberius enim tres fecerat reip. partes, Romam et Italiam, exercitus, provincias. Uni ex istis *parem* se aiebat, non omnibus. At bono histrioni detracta propemodum persona est improvisa interrogatione Galli.“ *Lips.* cf. Dio 57, 2.

2. C. *Asinius* (Ἀσίννιος ap. Suid. et al.) *Gallus*, filius *C. Asinii Pollionis*, viri celeberrimi, praef. Galliae a. U. 712. Cos. a. 714. Proc. a. 715. Augusto et Horatio amicissimi, summi oratoris, poetae, inpr. tragici, et historici, qui orationes, tragoedias et historiam bellorum civilium XVII libris scripsit (v. Suid.) primusque bibliothecam publicam exstruxit ex praeda Dalmatica. Idem Pollio obtrectator fuit tum Ciceronis, (a cuius tamen nitore et iucunditate longe abfuit iudicio Sen. ep. 100. et Quintil. 10, 1, 113.) tum Livii, cuius Patavinitatem ridere solebat, (Quintil. 1, 5, 56. 8, 1, 3.) tum Caesaris et Sallustii. (Suet. Caes. 56. et de ill. Gram. c. 10.) De eo v. Ind. Tac. I. et Appian. b. civ. 2, 40. 45. 82. 3, 46. 74. 97. 4, 12. 27. 5, 20 — 23. 50. 64. Suet. Caes. 30. 55. et Aug. 29. 43. et de Gram. 10. Plin. 35, 2. Dio 48, 41. Quintil. 6, 3, 110. 10, 1, 22. 12, 6, 1. Vell. 2, 36. 62. 73. 76. 86. inpr. Horat. od. 2, 1. ibique intpp. Manut. ad Cic. ep. ad div. 10, 31. Heyne ad Virg. Ecl. 3, 84 sq. et vita Virg. ad a. 715. Thorbeckii diss. de C. Asinii Pollionis vita et scriptis Lugd. Bat. 1820. et Manso in comm. de indole Rhetorices apud Romanos in Collect. Opuscul. Vratislav. 1821. p. 52 sq. Pollionis liberi fuere Herius Asinius, Asinia et *C. Asinius Gallus* cos. a. U. 746. Hic libros scripsit de comparatione patris et Ciceronis, quos refutavit Imperator Claudius. v. Plin. ep. 7, 4. Suet. Claud. 41. Gell. 17, 1. „Asinii Galli uxor Vipsania Agrippina s. Agrippina maior, Agrippae filia, (antea Tiberii coniux et mater Drusi; cf. Dio 57, 2. 58, 3. Suet. Tib. 7.) et quinque filii, *M. Asinius Agrippa*, cos. a. 778. (4, 34. 61.) *C. Asinius*, qui captis Salonis, Dalmatica urbe, cognominatus est *Saloninus*, (v. Serv. ad Virg. Ecl. 4, 1. et inf. 3, 75. ubi in edd. vet. ante Lips. et in Bekk. 11. *Salonius*) *C. Asinius Gallus*, (cuius filius L. Asinius Gallus cos. a. 816. v. 14, 48. Suet. Claud. 13. Dio 55, 5. 60, 27.) *C. Asinius Pollio* cos. a. 776. (v. 1, 12. 4, 1. Plin. 33, 2. s. 8. Dio et Fasti.) et *Asinius Celer* cos. sub Caio Principe. v. Plin. 9, 17. s. 31. Ex his Asinius Saloninus Tacito 3, 75. et Asinius Gallus Dioni 60, 27. *Drusi frater* dicitur, scil. uterinus.“ *Lips.* ad 3, 75. Nam his et Druso eadem fuit mater, Vipsania. „Lipsius quinque Galli filios recenset, nullum Cnaeum; sed lapidis Puteolani inscriptio est: *Cn. Asinio Pollionis et Agrippae nepoti Puteolani patrono publice.* Ex illis M. Asinius Agrippa non C. Asinio Gallo, sed Marco, qui alter C. Pollionis filius erat, natus esse videtur, et ex huius filia M. Asinius Marcellus Aeserninus, de quo Caii patris nepote v. Suet. Oct. 43.“ *Rupertus* ep. ad Reines. Ceterum Asinius Gallus Tiberio invisus erat tum ob παῤῥησίαν paternae similem, tum quia priorem Tiberii coniugem duxerat in matrimonium et se Drusi patrem esse dixerat. Damnationis vero et mortis causa ei fuit amicitia Syriaci et Seiani. Cf. Ind. I. ad 6, 23, 1. et Dio 57, 2. 58, 3. 23.

3. *Perculsus improvisa interrogatione* Tiberius. *Percussus* coni. Ern. qui mira inconstantia multis locis modo hoc, modo illud probat. „Gra-

vius vocab. poscit *collectus* (recollectus) *animus*, atque proprium est *pe celli* in terrore et formidine ex inopinis. Adde quod altero illo Tacit ne semel quidem utitur, hoc multis in locis." *Wolf.* „Multis quide locis promiscuus est utriusque verbi usus, sed rectius *perculsus* dicit is, cui re quadam stupor iniectus est, ut nesciat, quid statuendum, d cendum, faciendum sit, ἐκπλαγείς, ἐμβρόντητος, betroffen, at *percusn* qui aliqua re ita est tactus, debilitatus, vulneratus, ut viribus et anin deficiat obnoxiumque se sentiat, βληθείς, getroffen. Est translatio vulnere corporis ad animum." *Walth.* „*Percellere*, sicut *celsus*, *excelle praecellere*, *procella*, originem trahit ab antiquo *cello* s. *cillo*, (unde *cillare*) i. e. impello, moveo; est vero ita impellere, ut loco moveatu quod impulsum est, (Plin. pan. 66.) translata signif. animum quasi gra deiicere, aus der Fassung bringen. Hinc Ann. 1, 12. *perculsus i provisa interr. paulum reticuit: dein collecto animo respondit.* Cf. 1, 2, 39. 4, 31. 6, 44. (ubi leg. *perculsus*: nam perturbatus erat Tiridat consilii ambiguus, pavore trepidus, non affectu quodam diuturno pe citus) 14, 57. H. 1, 53. 2, 54. 3, 36. Cic. Verr. 3, 57. (*vox haec te n perculit, non perturbavit!*) ep. ad fam. 9, 25. Suet. Tib. 11. Liv. 2, Contra *percutere* (quod a *per* et *quatio* derivandum est) refertur ad quae concutiuntur quidem, sed loco non moventur, ut 4, 24. ubi prop dicitur, et Virg. Ecl. 5, 83. Deinde transfertur ad animum non pert batum, sed graviter ictum et saucium, ut ap. Cic. Acad. 1, 3. Eo sen Tacitus nusquam hoc verbo usus esse videtur. Sed nonnunquam ex s scriptoris cogitatione pendet huius inter utrumque vocab. discrimi diiudicatio, quare haud raro in libris scriptis et editis confunduntur *p culsus* et *percussus*." *Boett.* in Lex. Tac. Cf. Ruhnk. ad Ter. Andr. 1, 98. et Kritz. ad Sall. Cat. 6, 4. — *legere*, eligere, *aliquid aut evita* respuere s. deprecari. — *cui in universum excusari mallet* pro *a quo*, *defendere, arcere, pellere aliquid alicui* pro *ab aliquo*; *Roth.* de Synon. T p. 10. Cf. ad 2, 64, 3. et Agr. 30. n. 4. „*Rursum* est scriptura auri gratior Codicis et prisc. editt. ut c. 10. 25. 29. et alibi *adversum*. *Ru* edd. rec." *Wolf.* — „*etenim e vultu* Tiberii, in quo signa offensionis satis dissimulatae eminebant. Praepositionis huius omissae plura exem sunt apud nostrum." *Ern.* — *sed ut sua* edd. Lips. et rec. *sed et* (eti *sua* MS. et edd. vet. Recte: nam ceteri iam id confessi erant; *Wa*

4. *Addidit laudem de Augusto:* „liberiorem usum particulae *de* sa notavi in optimis auctoribus Latinitatis. Fortasse ergo nihil opus c rect. Mur. *addidit de laudibus Augusti*. Et magis in promptu erat *l dem Augusti*, ut natum esset mendum ex male repetita finali syllaba *d Wolf.* Cf. Ind. „Nemo unquam Romanus scripsit *laudem de aliquo*; *de* pendet e verbo *addidit*. Cf. 2, 22. 3, 17. et ad Agr. 25." *Walth. victoriarum suarum*, v. Ramshorn. Gram. p. 344. — *in toga*, pace: n *togae* usus pacis, ut *sagi* belli temporibus; unde *toga* de pace eius artibus et eloquentia forensi dicitur, opponiturque *sago*, *castris*, *ar* Cf. ad 11, 7, 2. et H. 1, 53, 6. Plin. ep. 1, 22. Liv. 22, 26. (*toga et rum.*) Flor. 4, 12. — *admonuit*, sc. ut refelleret ipsius verba de mode sua; *Walth.* — *ideo*, ita, ea re, ut 1, 72. 4, 26. H. 1, 74. 4, 44. — *quam ducta* cet. cf. nota 2. — *Vipstana* scripsi pro *Vipsania*. In *vipstania*. v. ad 11, 23, 1. — *plus quam civilia*, (v. ad 1, 8, 3.) *agita τόν τε Δρούσον ὡς υἱὸν προσεποιεῖτο.* Dio 57, 2. — *Pollionis Asinii*, (pro *Asinii Poll.* v. ad O. 1. n. 1. et Ind. III. v. *Nomina gentium cet.*) *patris feroci* „Sic ap. Dion. 57, 2. Ἀσίνιος δὲ δὴ Γάλλος παῤῥησίᾳ ἀεί ποτε πατρῴᾳ καὶ τὸ συμφέρον αὐτῷ χρώμενος, et *ferocia* Asinii vocabatur in aula, ut beonis *insania* Horat. Sat. 1, 3, 82. quod, submittentibus sese inservi tibusque aliis, paulo plus libertatis et iuris sui retineret: quo referen quae Tacitus h. l. et al., Sen. de ira 3, 23. Suet. Aug. 43. Dio 57, 2.

Vell. 2, 86. de eo tradunt. *Gron.*" *Ferocia* Germ. Unbeugsamkeit, Ungefügigkeit; *Kiessl.* Cf. ad 2, 72, 1. et 4, 21, 1. *polionis* MS.

CAPUT XIII.

Post quae L. Arruntius, haud multum discrepans a Galli oratione, perinde offendit, quanquam Tiberio nulla vetus in Arruntium ira; sed divitem, promptum, artibus egregiis et pari fama publice, suspectabat. Quippe Augustus supremis sermonibus quum tractaret, quinam adipisci principem locum suffecturi abnuerent aut impares vellent vel iidem possent cuperentque: *M. Lepidum* dixerat *capacem, sed aspernantem; Gallum Asinium avidum, et minorem; L. Arruntium non indignum et, si casus daretur, ausurum.* De prioribus consentitur: pro Arruntio quidam Cn. Pisonem tradidere; omnesque praeter Lepidum variis mox criminibus, struente Tiberio, circumventi sunt. Etiam Q. Haterius et Mamercus Scaurus suspicacem animum perstrinxere: Haterius, quum dixisset, *Quousque patieris, Caesar, non adesse caput rei publicae?* Scaurus, quia dixerat, *spem esse ex eo, non irritas fore senatus preces, quod relationi consulum iure tribuniciae potestatis non intercessisset.* In Haterium statim invectus est; Scaurum, cui implacabilius irascebatur, silentio tramisit: fessusque clamore omnium, expostulatione singulorum, flexit paulatim, non ut fateretur suscipi a se imperium, sed ut negare et rogari desineret. Constat, Haterium, quum deprecandi causa palatium introisset ambulantisque Tiberii genua advolveretur, prope a militibus interfectum, quia Tiberius, casu an manibus eius impeditus, prociderat. Neque tamen periculo talis viri mitigatus est, donec Haterius Augustam oraret eiusque curatissimis precibus protegeretur.

1. *L. Arruntius:* in ed. Ber. *Arruncius.* „Consul a. U. 732. et inter scriptores illustres censitus a Plin. in Ind. lib. 3. et 5. Divitias etiam hic commemorat et Sen. de ben. 6, 38. ubi tamen alius, opinor, ab isto intelligendus, qui sub Caio magnus et ante praeco. v. Ioseph. A. I. 19, 1. sub fin." *Lips.* Sed h. l. et aliis (v. Ind. II.) sermo potius de illius filio, qui Cos. a. U. 759. Proc. Hisp. orator et historicus fuit. v. Dio 57, 2. 58, 27. Sen. ep. 114. Appian. B. C. 4, 46. Vell. 2, 77. 85. Ryck. ad h. l. et inpr. Brummer. de lege Cinc. c. 7. p. 84. — *perinde* Cf. Ind. II. — *quanquam Tiberio,* in MS. *quam T.* v. ad 2, 63, 2. *quam T.* narrationi convenientius videtur, quum deinde apponat ratiocinationem; *I. Gron.* — *sed divitem,* de quo nihil compertum habemus. *Rarae frugalitatis vir* dicitur Sen. ep. 14. — *Promptus* non modo paratus ad aliquid audendum, (unternehmend) sed etiam *promptus ingenio,* (ut ap. Vell. 2, 118. Germ. gewandt, tüchtig) et hoc sensu nude ac simpl. transfertur ad ingenii praestantiam, animi dotes, artes scientiasque, ut 4, 17. Agr. 3. Cic. Verr. 2, 14. ep. ad div. 2, 18. al. Cf. Ind. II. Manut. ad Cic. 4, 17. Ruhnk. ad Vell. 2, 75, 1. Fr. Iacobs in Iahnii Annal. a. 1828. VII. 2. p. 180. Walch. ad Tac. Agr. 3. p. 127. — *artibus egregiis et pari (egregia) fama,* v. ad 3, 52. — *publice,* circa egregias artes, quas in rebus publicis, ut in senatu, magistratibus cet. exercebat; *Walth.* Sed iungantur *pari fama publice,* iudicio omnium. — *suffecturi* sc. principi loco: nam *suf-*

ficere rei est, ei parem esse, ad eam satis valere, satis virium habere. v. ad 3, 32, 1. 4, 8. 16, 5. G. 13. n. 2. Animadvertat hic nobis studiosus eloquentiae, quanta arte sine ulla affectatione locutiones *suffecturi abnuerent* et *impares vellent* variatae sint; *Wolf.* — *iidem:* in edd. Ber. Rhen. Ald. Lips. I. *idem* ἀρχαϊκῶς.

2. *M.* (Aemilius) *Lepidus*, Aemilii Pauli Cens. a. 731. filius, M. Lepido triumviro fratris filius, L. Aemilii Pauli cos. a. U. 703. nepos cos. a. 758. de quo v. 3, 11. 35. 50. 72. 4, 20. 6, 5. 27. Dio 55, 25. 56 12. Vell. 2, 114. Alius *M'.* (Aemilius) *Lepidus*, Q. Lepidi Cos. a. 732 filius, triumviri nepos, Cos. a. 763. Proc. Asiae, homo ignavus, pauper et turpis. v. 3, 22. 32. 4, 56. Dio 56, 25. Gruter. p. 229. Hunc perperam pro illo et hoc et aliis locis substituere Lips. Pich. Freinsh. quod iam annotarunt Ryck. ad 1, 13. 3, 32. Rupertus in ep. 60. ad Reines. et Burm. ad Vell. 2, 114. Mater illius fuit Cornelia, Corn. Scipionis et Scriboniae filia, huius Cornelia, filia Fausti Sullae et Pompeiae. — *avidum et minorem*, imparem. *sed minorem* corr. Mur. et Pich. *at min.* Ern. et Brot. Sed Tacitus saepissime particulam copulantem pro adversativa *et, ac, atque, que*, pro *atqui, sed,* καίτοι ponit, v. c. *et* 3, 12. 4, 71. 5 3. 6, 14. 21 extr. 11, 5. 23. 30. 38. 12, 4. 30 extr. 13, 22. 15, 21. H. 1 52, 5. 1, 76, 1. 2, 46. 3, 56. G. 4. *ac* 6, 40. 12, 11. 39. 65. 14, 64. *atque* 15, 1. 54. *que* 2, 70. 11, 38. 14, 9. H. 1, 52. Agr. 39. „Sexcenta sunt exempla, quae eodem modo simplicem habent copulam, omissa particula adversativa, quia vis adversativa ipsis verbis inest, particula ingratam tarditatem afferret." *Walth.* „*Et* id. qd. *et tamen* vel, quod serius dici solebat, *sed tamen*, ut 1, 13. Agr. 15. n. 5. Liv. 1, 37. 25, 25. in medio orationis, ut in principio H. 1, 70, 3. et Agr. 3 pr. non vero, ubi praemissae negationes. Cf. Wopk. Act. Traiect. 2. p. 121. Sic et *nec* pro *nec tamen* Agr. 8. In longiori periodo post *et* repetitur *tamen* Agr. 3 pr. ut ap. Cic. *tametsi* post *tamen.*" *Walch.* ad Tac. Agr. p. 120. et 22 Sed idem Agr. 39. *at* legendum censet, ut clarius fortiusque exprimatur oppositum, vel delendum *ac*, saltem interpungendum *ac, nunc.* Alii *ac nunc* dictum putant pro *at nunc*, ut Gr. καὶ νῦν pro νῦν δὲ. Cf. Ind. III Beier ad Cic. de off. 3, 6. Roth. in Seeb. N. Archiv für Philol. a. 182 p. 87. Ramshorn. Gram. p. 519. 523. Dronke ad Tac. Agr. 3 pr. — *casus daretur* „sc. a fortuna, ut 11, 9 pr. 13, 36. H. 1, 65. Liv. 30, 3 Sall. Iug. 56." *Gron.* Hinc *casus* est facultas *s.* occasio fortuita, commoda, opportuna, h. l. et 4, 50. 12, 28. 50.

3. *Cn. Pisonem*, v. Ind. I. et ad 3, 12, 1. — *omnesque* dicit de tribus illis, quorum mortes enarrat 3, 15. 6, 23. 48. quibus tamen locis accurate lectis mirabere, cur tam affirmate loquatur de *omnibus*; *Wolf.* Quamquam incertum habebatur, sponte Asinius Gallus an necessitate decesserit, non tamen incertum fuit, an struente Tiberio circumventus perierit; *Walth.* — *criminibus* fictis, criminationibus. v. Ind. II. — *struente* ea. — *circumventi sunt* exquisite pro oppressi, ad perniciem redacti; *Ern.* De insidiis, ut *struere.* — *Q. Haterius*, v. ad 4, 61, 1. — *Mam.* (Aemilius) *Scaurus*, „v. Ind. II. Dio 58, 24. ubi male Μάρκος dicitur, Sen. Suas. 2 et de ben. 4, 31. Tertull. de pallio c. 5." *Lips.* — *perstrinxere*, v. a H. 1, 84, 6.

4. *Quousque patieris, Caesar, non adesse* (deesse) *caput reip.* ex emend. Rhen. et Ferretti. *non adesse aput te rei publicae* MS. et edd. vet. *non ad. apud te rem publicam* Ald. *non esse caput te reip.* coni. Lips. I. F. Gronovius haec annotavit: „Tiberius dici sibi putavit: Quousque sines rem publ. quasi truncam et absque capite, quod scis esse atque esse debere Caesarem, neque ex illis, qui nomen hoc ferunt, alium quam temetipsum esse posse, nisi bellum civile volumus exsistere? Nolebat autem sciri, Caesarem reip. caput esse, quippe *ignota etiam tum Caesarum*

potestate, quam ipse *onerosam servitutem* vocabat, et Principem *servire senatui oportere* dicebat. Nolebat suspicari homines, si Caesar caput rerum foret, spe successionis in imperio id se nomen admisisse. Invitus audiebat, per ipsum stare, quo minus remp. quaecunque pars, nedum caput deficeret. Nolebat notescere, alium Principem ac reip. caput esse non posse, qui *modestiam* loquebatur et malle privatum pati se simulabat, quum iam eo processisset et milite et provinciis occupatis, ut privatus vivere nequiret. Praeterea illud *quousque* impatientiam quandam et familiaritatem praefert multum rogari et rogando fatigari volentis, nec nisi tardissime exorandum sese praebituri mimum agenti contrariam.“ *Wolfius*: „Quum dicit *quousque patieris*, rem in unius sitam Tiberii potestate significat. Et *caput reip.*, *imperii*, senatus dictus vulgo, ut H. 1, 84. et tractatur ita saepe, nomine saltem, a posterioribus Principibus.“ Cf. ad 1, 2, 6. 2, 36, 2. „Verba sunt impatientis et obscure idem significant, quod ap. Suet. Tib. c. 24. unus in tumultu proclamasse dicitur: *aut agat, aut desistat*. Et nisi fallor, *unus* ille est Haterius noster. In talibus enim rebus variant scriptores. v. ad 1, 6, 1.“ *Walth.* — *iure tribuniciae potestatis*, v. ad 1, 2, 4. 1, 3, 5. Scauri vero verbis similis sarcasmus et simulationis exprobratio inest. — *Scaurum, cui implacabilius irascebatur, silentio tramisit*, cf. ad Agr. 42. n. 4.

5. *flexit se paulatim*, h. e. flexus est animo, saltem se flecti et cedere simulavit. Cf. ad 4, 37, 1. — *Tiberii genua advolveretur*, ad eius genu, a se volveret, ut 6, 49. 15, 71. H. 4, 81. Pellicerius ap. Brot. corr. *genibus*, ut 1, 23. 32. et *genibus provolvi* 11, 30. 12, 18. 14, 61. „Sed *genibus advolvi*, *advolutus* simpliciter indicat statum vel locum, in quo quis versatur; *genua advolvi* est per genua orare, Gr. προςκυνεῖν, προςπτύσσεσθαι τινά.“ *Walth.* Cf. ad G. 39. n. 8. Ind. II. v. *Supplices*. — *prociderat*, ceciderat supinus; *Wolf.* coll. Suet. Tib. 24. 27. — *eiusque* ex emend. Cuiacii et Lips. *et usque* MS. et edd. vett. — *curatissimis* MS. et edd. rec. *accuratissimis* edd. Rhen. 2. 3. sqq. usque ad Pich. *acuratissimis* Ber. Cf. ad 2, 27, 1.

CAPUT XIV.

Multa Patrum et in Augustam adulatio. Alii *Parentem*, alii *Matrem patriae* appellandam; plerique, ut nomini Caesaris ascriberetur *Iuliae filius*, censebant. Ille, *moderandos feminarum honores*, dictitans, *eademque se temperantia usurum in iis, quae sibi tribuerentur*. Ceterum anxius invidia et muliebre fastigium in deminutionem sui accipiens ne lictorem quidem ei decerni passus est, aramque Adoptionis et alia huiusce modi prohibuit. At Germanico Caesari proconsulare imperium petivit, missique legati, qui deferrent, simul maestitiam eius ob excessum Augusti solarentur. Quo minus idem pro Druso postularetur, ea causa, quod designatus Consul Drusus praesensque erat. Candidatos praeturae duodecim nominavit, numerum ab Augusto traditum, et hortante senatu, ut augeret, iure iurando obstrinxit se non excessurum.

1. *Multa Patrum* cet. cf. Dio 57, 12. et Suet. Tib. 50. — *Augustam et Iuliae filius*, v. ad c. 8. n. 2. „*Parentem* et *Matrem patriae* coniungenda, non, ut plures faciunt, *parens* κατ' ἐξοχὴν sic intelligendum, quasi sola dici meruerit *parens*, quae Tiberium peperisset. In proprio autem et magis genuino nomine *matris* maior est affectus caritatis.“ *Wolf.* Fortasse frustra quaerimus significatus discrimen, quum illi εὐφωνίαν tantum spectarent disceptarentque, utrum esset in hac an in illa voce.“ *Walth.* Quemadmodum nomini *matris* inest amoris, sic *parentis* curandi et

fovendi rationis notio, ut *parens legionum* 2, 4. 55. unde Ceres *mater frugum* et philosophia *bonarum artium parens* dicitur; *Ricklefs*. — *in iis, quae sibi tribuerentur* tacite, sed recte, opinor, substituit Wolf. pro vulg. *in his q. s. t.* — *deminutionem* MS. edd. Pich. et rec. *diminutionem* edd. vet. Semper *deminuere* MS. non *diminuere*; *Pich.* v. ad Agr. 9. n. 4. — *ne lictorem quidem ei decerni*: „quo tamen vulgo feminae principes usae Vestalium exemplo: Claudii quidem Agrippina etiam duobus. v. 13, 2." *Lips.* Alia tempora, alii mores: et in adulationem semper effusa aetas sequens; *Brot.* ad 13, 2. In sacrificiis tamen, quae ut sacerdos Augusti faceret, lictore uti Liviae permissum esse, Dio 56, 46. testatur; *Walth.*

2. *aram adoptionis* Liviae. v. ad c. 8. n. 2. „Sic multis rebus arae aut templa statuta memoriae earum propagandae causa. Cf. 3, 18. 4, 74. 15, 23. Suet. Cal. 8." *Lips.* „Ita *Paci Aug. Sacrum*, quia pacem Augustus cum Parthis fecisset; *Fortunae Reduci Sacrum*, quod rediisset; *Victoriae Aug. Sacrum.* Sic ergo *aram Adoptionis*, quia curante Augusta Tiberius in familiam Caesaris adoptatus esset." *Mur.* Cf. Ruhnken. ad Vell. 2, 75. p. 322. *Wolf.*

3. *Germanico Caesari* (v. cap. 3.) *proconsulare imperium petivit.* „id quidem Germanico iam tributum a. U. 764 triennio ante. v. Dio 56, 25. Sed Dio intelligit proconsulare imperium, quo ad bellum gerendum ornabatur, quoniam consulatum nondum gesserat; Tacitus h. l. proconsulare imperium perpetuum, quod inter titulos principatus. Exemplum ab Augusto, cui id decretum Dio 53, 32. tradit. Cf. 12, 41. H. 4, 3 Lamprid. Alex. 8." *Lips.* Hoc erat imperium in omnibus provinciis unde *extra Urbem* ap. Capitol. Aurel. 6. vanam esse censebat Salmas „Hunc recte refellit Ryck. ad Tac. Ann. 12, 41. ubi adiecta eadem verba Sed in eo fallitur, quod non satis illi credit, hoc imperium procos. non nis *extra Urbem* fuisse, motus exemplis eorum, qui absentes et in Urbe provincias administraverint, in Urbe retenti a Caesaribus. v. 6, 27. H. 2 65. Suet. Tib. 63." *Ern.* ad 12, 41. Cf. ad 6, 27. *petivit*, ut senatui placeret fingeretque modestiam; *Brot.* — *ob excessum A.* v. ad 2, 71, 2. *Quominus*, ne; v. ad Agr. 20. n. 2. — *ea causa fuit*: alia memoratur a Suet Tib. 52.

4. *Candidatos praeturae XII nominavit* cet. v. ad 2, 36, 1. Vell. 2, 12 et inpr. Lips. Exc. IV. ad Tac. Ann. I. — *iure iurando obstrinxit* sc. se vel affirmavit, obtestatus est, *se non excessurum*, ut 4, 31. et *obstringen clementiam suam* 13, 11. *obstrinxit se, non exc.* (sc. se) distinxere Ern Wolf. Bekk. Lün. *se non excessurum* sc. hunc numerum. Cf. ad 4, 40, et Agr. 42. n. 5. „Obstrinxerat quidem Tiberius. Sed Dio 58, 20. tradit, deinde illum nunc XV, nunc XVI praetores creasse. Tacitus inf. 32 pr. *praeturas extra ordinem datas* dicit a Tiberio: qui tamen ita iusiurandum illud non violavit, quia numerus ordinarius XII praetorum man sit. Ab eodem 2, 32. praetores illos non solum extra comitia, sed etiam supra numerum ordinarium destinatos censeo. Nam res cadit in ea anni partem, ubi magistratus in proximum annum iam erant creati. *Walth.* ad 2, 32.

CAPUT XV.

Tum primum e Campo comitia ad Patres translata sun nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio Principis, quaeda tamen studiis tribuum fiebant. Neque populus ademptum i questus est nisi inani rumore; et senatus largitionibus ac pr cibus sordidis exsolutus libens tenuit, moderante Tiberio, plures quam quatuor candidatos commendaret sine repulsa ambitu designandos. Inter quae Tribuni plebei petivere, ut pr

prio sumptu ederent ludos, qui de nomine Augusti, fastis additi, *Augustales* vocarentur. Sed decreta pecunia ex aerario utque per Circum triumphali veste uterentur: curru vehi haud permissum. Mox celebratio annuum ad Praetorem translata, cui inter cives et peregrinos iurisdictio evenisset.

1. *Tum primum e campo* Martio *comitia* populi *translata sunt* in curiam *ad Patres* Principi obnoxios, praetenta nimia populi multitudine. Cf. ad 1, 2, 6. 4, 6, 1. Dio 58, 20. 59, 9. Pompon. L. 2. §. 9. D. de or. iur. *Summota e foro seditio, ambitio campo* ait Vell. 2, 126. Tiberii adulator; *Wolf.* Exinde cuncta apud Patres tractata, (cf. 4, 15.) comitia autem non nisi dicis causa in campo Martio habita, et *comitia legesque* intell. de creatione magistratuum in senatu et de SCtis. „Hinc *legem latam* non satis apte dixit Tac. 11, 13. et H. 4, 47. nam his temporibus leges *fiunt, dantur* cet. non *feruntur*.“ *Ern.* ad 11, 13. De varia comitiorum ratione v. Lips. Exc. V. ad Ann. 1.

2. *senatus — libens tenuit*, obtinuit, *moderante Tiberio* rem et ius suum, *ne*, ut non, *plures q. q. c. commendaret*, cf. 2, 36. — *sine repulsa et ambitu designandos*, i. e. ut sufficeret sola Principis commendatio et ne opus quidem haberent in senatu ambire; *Lips.*

3. *tribuni plebei petivere, ut proprio sumptu ederent ludos* cet. Sic consules et praecipue praetores suis sumptibus edebant ludos circenses et tum utebantur insignibus triumphalibus, *triumphali* et *veste* (toga picta tunicaque palmata) et *curru*. v. 12, 41. Iuvenal. 10, 36 sq. 11, 192 sq. Liv. 45, 1. Plin. 34, 5. Plin. pan. c. 92. Ruben. de re vest. 1, 21. Eckhel. D. NN. T. VI. p. 114. „Utrumque, si non petivisse, saltem in votis habuisse videntur tribuni. Sed *curru vehi haud permissum*, ne prorsus aequarentur potestati maiori.“ *Lips.* — *ludos, qui de nomine Augusti fastis additi Augustales vocarentur*: nodos in scirpis quaesiverunt Freinsh. et Wolfius. Verum vidit Walther, qui haec annotavit: „Vivo etiam Augusto ludos in eius honorem celebrari solitos perhibent Suet. Oct. 57. 59. et Dio 51, 19. 20. 54, 10. 26. 30. 34. 55, 6. 56, 29. Nunc vero tribuni petunt, ut ludi illi et post viri mortem continuentur et tanquam deo consecrati, fastis additi, per annos celebrentur. Hinc etiam Dio 56, 46. postquam retulit alia in honorem divi Augusti constituta, addit decretum esse, ὅπως τὰ Αὐγουστάλια οἱ δήμαρχοι, ὡς καὶ ἱεροπρεπεῖς ὄντες, διατιθῶσι κ. τ. λ.“ Novos designari ludos in honorem memoriamque Augusti edendos, indicatur verbis *fastis additi* et c. 54. *tunc primum coepti*. Hinc recte dictum *vocarentur*, non pro *vocantur*, ut similia in oratione obliqua. — *decreta pecunia* ex aerario *utque*, decretumque simul ut *per circum tr. v. uterentur*; *Gron.* Recte. Cf. ad 15, 43. et Ind. III. v. *Syllepsis* N. 2. *Zeugma*, et loca a Wopk. et Walth. iam laudata 4, 33. 14, 12 pr. 14, 33. Liv. 40, 44 med. *per circum* pro *in circo*, quatenus certus locus circi non significatur; *Wolf.* coll. Lucan. 1, 1. Dio 56, 46. καὶ γὰρ τῇ ἐσθῆτι τῇ ἐπινικίῳ ἐν τῇ Ἱπποδρομίᾳ ἐχρήσαντο, h. e. quum in circo essent; *Walth.*

4. *celebratio annuum ad praetorem translata* edd. Ald. et seqq. nec non Ern. Allem. Brot. ex emend. Rhen. *annum* MS. edd. Ber. et Rhen. *annua* Lips. et cet. usque ad Ern. ut et Wolf. al. Per omnes Musas, quis iste *praetor annuus!* quasi non omnes magistratus apud Romanos annui; *Lips.* in ed. 1. „Ferri posset, si legeretur *annuum ad magistratum, cui* cet. Nunc magistratus nomine addito frigidum et absurdum fit adiectivum. Leg. *celebratio annua*; at I. Gron. et qui huic paruerunt, errabant in eo, quod ludos illos iam ante hoc decretum senatus statos et quotannis celebratos putabant. Id non liquet ex Dione 54, 10. 34. 55, 6. 56, 29. 46 sq. Sed ut illud pro certo sumam, quotannis celebratos esse, credibile

facit adulatio saeculi, ex uno tamen horum locorum plane apparet, a. U. 743 a senatu rem nondum constitutam vel ordinatam fuisse in singulos annos. Neque, si id factum esset, fieri poterat, ut nunc, quasi nihil actum esset, tribuni pl. operam suam ac sumptus offerrent, aut de modo celebrandi ulla consultatio apud senatum oriretur.“ *Wolf.* „Immo *annua* est inepta tautologia, quoniam de ludis annuis sermonem esse per id satis constat, quod tribuni dixere *fastis additi. Annuus praetor* autem est qui Gr. dicitur ὁ *ἀεὶ στρατηγός*, der jedesmalige Prätor. Sic Dio 54, 34. *καὶ τοῦτο μὲν, καίτοι μὴ ψηφισθέν, ἐν πᾶσιν ὡς εἰπεῖν τοῖς ἔτεσιν πρός τινος τῶν ἀεὶ στρατηγούντων ἐγίγνετο*, et 56, 28. *τῶν ἀεὶ ὑπατευόντων.*“ *Walth.* Sic et *annuum praetorem* pro *praetore anni cuiusque* dictum putabant I. Gron. Ern. Allem. Brot. Bip. *annua eum ad praetorem, cui* cet. coni. Kiessl. Cf. ad 1, 54. — *cui inter cives et peregr. i. evenisset* sorte, ut *obvenerat* Agr. 6.

CAPUT XVI.

Hic rerum urbanarum status erat, quum Pannonicas legiones seditio incessit, nullis novis causis, nisi quod mutatus Princeps licentiam turbarum et ex civili bello spem praemiorum ostendebat. Castris aestivis tres simul legiones habebantur praesidente Iunio Blaeso, qui, fine Augusti et initiis Tiberii auditis, ob iustitium aut gaudium intermiserat solita munia. Eo principio lascivire miles, discordare, pessimi cuiusque sermonibus praebere aures, denique luxum et otium cupere, disciplinam et laborem aspernari. Erat in castris Percennius quidam, dux olim theatralium operarum, dein gregarius miles, procax lingua et miscere coetus histrionali studio doctus. Is imperitos animos et, quaenam post Augustum militiae conditio, ambigentes impellere paulatim nocturnis colloquiis aut, flexo in vesperam die et dilapsis melioribus, deterrimum quemque congregare. Postremo, promptis iam et aliis seditionis ministris, velut concionabundus interrogabat:

1. *Pannonicas legiones* (v. Ind. I. et ad G. 1. n. 1.) *seditio incessit*, cf. Suet. Tib. 25. Dio 57, 4. Vell. 2, 125. — *mutatus Princeps* cet. Arguta brevitas pro *mutatio principatus* erat prima causa turbarum, quae ostentabant occasionem lucri; *Wolf.* v. Ind. III. v. *Participia formae pass. pro Substantivis abstractis.* Pro *ostendebat* Freinsh. in Ind. Flori coni. *ostentabat.* Hoc sane Tacito frequentius est: sed ea una ratio non satis valet; *Wolf.* — *Castris aestivis habebantur tres simul legiones*, v. cap. 30. De *Iunio Blaeso* et filio eius v. Ind. I. et Vell. 2, 125. — *iustitium indictum propter finem Augusti*, mortem eius, (v. ad 2, 71, 2.) *aut gaudium* propter *initia Tiberii*, novi imperii. „Acutissime monuit Muretus, sed nulli intpp. auditus, verba *aut gaudium* ex priore vocab. *iustitium* perperam iterato nata vel adiecta esse ab aliquo, qui, iustitium quid esset, parum recte tenuerit. Fuerunt enim feriae, gaudentibus iuxta et maerentibus indictae ex more, sicut hodie publici luctus in morte Principum. Secutam mox aut coniunctam cum iustitio fuisse publicam gratulationem seu laetitiam, nusquam lego; et ineptum videtur *gaudium* de praesidis affectu privato. Ursinus malebat *ob maestitiam aut gaudium.* Etiam ineptius. Dicamne, quod sentio? Mihi hoc totum glossam olet.“ *Wolf.* Enimvero *iustitium* olim in tumultu aut calamitate a dictatore consulibusve ex decreto senatus, et his temporibus in funere principum

virorum luctuve publico indici solebat aut sponte sumi. cf. 1, 7. 1, 50. (ubi idem *iustitium ob amissum Augustum* memoratur) 2, 82. 3, 7 pr. Liv. 9, 7. Neque est quod dubites, quin hunc luctum, ut etiamnunc, ita et olim, publica exceperit laetitia, sive vera sive simulata, propter initium novi imperii. cf. 1, 7. H. 1, 76. Suet. Cal. 13. 14. al. Verba quoque *iustitium aut gaudium* plane respondent iis quae praecedunt *fine Augusti et initiis Tiberii*, nisi quod in his *et*, in illis *aut* positum. Neque desunt, qui particulis disiunctivis *aut*, *nec*, *neque*, *ve* saepius vim copulativam inesse credant, praecipue ubi vel negatio antecesserit vel, qui eius vicem sustinere soleat, Comparativus. v. Cort. ad Sall. Iug. 82. Drak. ad Liv. 21, 53. Roth. de Synon. ap. Tac. p. 12. 13. 15. ubi conferuntur loca Tac. G. 22. Agr. 46. (add. 1, 32. 47. 55. 64. 2, 47. 4, 49. 12, 12. 15, 47. H. 1, 63. 88. 2, 17. 3, 52. 4, 71. 72. G. 5. 7. 16. 24. Agr. 33.) Liv. 3, 42. 5, 54. 21, 2. 4, 22. 28. 26, 39. Sall. Cat. 7. 26. 58. Diomed. p. 411. Priscian. p. 1170. ed. Putsch., Bentl. ad Hor. Serm. 1, 6, 68. et Gell. 13, 23. qui ab Homero synonyma per partic. *μηδὲ* iungi dicit. Aliis id dubium videtur aut librariorum socordiae tribuendum et illis locis pro *aut* substituendum *et* s. *ac* s. *atque*. Accuratius vero rem exposuit Boetticher in Lex. Tac. et optime Walther ad c. 8. Illius verba sunt: „*Aut* ap. Tac. haud raro copulativam habet vim, ita tamen, ut non simplicem copulam, sed ad distributionem maiore cum vi indicandam iteratum *et* vel *partim* exprimat et fere sit id. qd. *aut rursus*, Germ. oder auf der andern Seite, ut 1, 55. 4, 49. 12, 12 pr. 15, 47. extr. (*aut*, si qui forte hanc ominis causam respicere maluerit) H. 3, 52. 4, 71. Eodem pertinet *non* et *nec* s. *neque* — *aut* pro *neque-neque* 3, 53. 54. 13, 39. 15, 13. G. 7. (cf. Hand. Tursell. I. p. 544.) *ve* et *vel* G. 4. Virg. Aen. 6, 769." Huius: „Particula *aut* eam habet vim genuinam, ut distinguat res singulas vel species, quae pertinent ad idem rerum genus. Sic 1, 64. *Quadragesimum id stipendium Caecina parendi aut imperitandi habebat.* Stipendia XL habebat; haec autem erant partim stipendia parendi, partim imperitandi. Illud genus est; hae sunt species. *Magna vis armata aut incondita*, cuius alia pars armata, alia incondita 4, 47. *Quantum aerario aut fisco pendebant* 2, 47. Quae pendebantur, sunt genus; pendebantur autem et aerario et fisco: hinc distinguuntur, quae pendebant aerario aut fisco. *Dianam aut Apollinem* 3, 63. *quique Mosteni aut Macedones Hyrcani vocantur* 2, 47. *ob iustitium aut gaudium* 1, 16. nam intermiserat Blaesus solita munia cum ob iustitium, tum ob gaudium, igitur *ob iustitium aut gaudium*. Cf. 1, 8. 55. 15, 47. H. 4, 71. Haud inepte igitur Grammatici prisci observarunt, particulam *aut* habere vim copulativam; perperam vero putant, eam poni pro *et* s. *que*. Immo semper copulat distinguendo. Ceterum vim copulativam latiori sensu omnes habent particulae, quae Coniunctionum nomine vocantur." Ita et *tolerans aut declinans* 6, 51. — *intermiserat solita munia*, non exegerat ab exercitu, sed ferias ei otiumque concesserat; *Freinsh.* „*Solita munia* non ducis, sed militum: er hatte den gewöhnlichen Dienst ausgesetzt., Sic *munia Romanorum* 13, 35. et *m. militiae* H. 1, 48." *Kiessl.* Illo tamen sensu *intermittere* haud dici solet. — *Eo lascivire miles* a nonnullis iunguntur, non *eo principio*, ut *eo* sit pro *ideo*, quemadmodum *eoque* pro *ideoque*. Sic centies ap. Tac. Cf. Ind. II. v. *is* et Ind. III. v. *Ablativi ex omisso Part. pendentes.* „At sententia potius est: id principium miles habuit lasciviendi, vel inde principium sumpsit lascivia. Sic *quo initio incidiae* 4, 52. et *eo initio erecta provincia* Agr. 18." *Walth.* Haec tamen exempla non satis congrua. — *disciplinam et laborem aspernari*, ut 3, 21.

2. *Dux olim theatralium operarum — procax lingua et miscere coetus histrionali studio doctus:* „In theatro, sicut in circo, suae partes et factiones, distracto scil. favore plebis in hunc histrionem, in illum. Eae

non raro in tumultum exibant, immo pugnam, immo caedem. His factionibus *dux* et *signifer* (ut ap. Suet. Ner. 26.) levissimus quisque e plebe, cui *lingua* manusque ad iniurias et contumelias promptae." *Lips.* Hinc *histrionale studium* et O. 29. *histrionalis favor*; hinc quoque *miscere coetus*, et 1, 77. 11, 13. 13, 24. 25. *licentia theatralis* et *ludicra*, *fautorum lascivia* et *spectatorum immodestia*. *Operae* dicuntur homines, quorum opera in re et labore aliquo utimur. Sic *operae Clodianae* ap. Cic. ad Att. 1, 13. 14. 4, 3. *operae publicae*, *conductae*, *mercenariae* ap. Cic. (v. Schütz. Lex.) *operae veteres a scena* in Grut. inscr. p. 467, 7. *operae in circo* ap. Plin. 8, 6. *Theatrales operae* histriones, qui operam suam locant ad fabulas agendas; *Mur. Salin. Stromb.* Cf. Suet. Aug. c. 43. 45. Ner. 12. Terent. prol. Hecyrae et Heauton. „Immo h. l. *operae theatrales* sunt spectatores, qui plaudebant ipsi primi et fautores mercede conductos plausoresque histrionibus comparabant. Cf. Suet. Ner. 20. 26. Plaut. Prol. Amphitr. v. 65 sq. 82 sq. Plin. ep. 7, 24. Lucian. περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ §. 28. *Duces theatralium operarum*, ut *capita factionum* ap. Suet. Tib. c. 37. *Histrionali studio*, quod solitus erat praestare histrionibus in comparandis plausorum factionibus." *Gron.* — *imperitos animos impellere*, agitabat, concitabat ad tumultum. Cf. ad 1, 31, 3. — *dilapsis melioribus* in tentoria sua, ut H. 3, 10 extr. Ad curanda corpora; *Mur.* *dilapsis*, ut 2, 7. H. 1, 31. 3, 10. ex emend. Mur. *delapsis* edd. Ber. Rhen. Ald. Lips. priores. — *concionabundus:* in ed. Ber. *contionabundus*, in MS. *conditionabundus*.

CAPUT XVII.

Cur paucis centurionibus, paucioribus tribunis, in modum servorum obedirent? quando ausuros exposcere remedia, nisi novum et nutantem adhuc Principem precibus vel armis adirent? Satis per tot annos ignavia peccatum, quod tricena aut quadragena stipendia senes et plerique truncato ex vulneribus corpore tolerent. Ne dimissis quidem finem esse militiae, sed apud vexillum retentos alio vocabulo eosdem labores perferre, ac si quis tot casus vita superaverit, trahi adhuc diversas in terras, ubi per nomen agrorum uligines paludum vel inculta montium accipiant. Enimvero militiam ipsam gravem, infructuosam: denis in diem assibus animam et corpus aestimari. Hinc vestem, arma, tentoria, hinc saevitiam centurionum et vacationes munerum redimi. At hercule verbera et vulnera, duram hiemem, exercitas aestates, bellum atrox aut sterilem pacem sempiterna. Nec aliud levamentum, quam si certis sub legibus militia iniretur, ut singulos denarios mererent, sextus decimus stipendii annus finem afferret, ne ultra sub vexillis tenerentur, sed iisdem in castris praemium pecunia solveretur. An praetorias cohortes, quae binos denarios acceperint, quae post sedecim annos penatibus suis reddantur, plus periculorum suscipere? Non obtrectari a se urbanas excubias: sibi tamen apud horridas gentes e contuberniis hostem aspici.

1. *paucis centurionibus*, (LX.) *paucioribus tribunis* (VI.) in quavis legione, in qua erant XXX manipuli, (quorum quisque ex CXX militibus constabat) et LX centuriae s. ordines, XX hastatorum, XX principum, XX triariorum. Cf. ad 1, 32, 1. 2, 11. Dionys. Hal. 9, 2. Veget. 2,

8. Gell. 16, 4. Lips. de mil. Rom. 2, 5—8. — *tricena aut quadragena stipendia*: olim dena equitum, senadena et vicena peditum *stipendia* (h. e. anni militiae) legitima vel iusta erant, quique ab anno aetatis XVII ad XLVI, saltem L annum tot meruerat, *emeritus* dicebatur et *veteranus*. v. Liv. 3, 71. 27, 11. 42, 31. 33. 34. Polyb. 6, 17. 19. ibique Schweigh. Sed ab Augusto a. U. 741. definiti praetorianis XII anni militiae, ceteris militibus XVI, et deinde a. U. 758. illis XVI. et his XX. v. extrema huius cap. verba et Dio 54, 25. 55, 23. Suet. Aug. c. 49. Unde igitur h. l. *tricena aut quadragena stipendia?* quia veterani, ut mox dicetur, inde ab Augusti temporibus multos saepe per annos apud vexilla retinebantur et res invidiose a Percennio augetur. Quod ad stipendium militis (Sold) et praemia militis attinet, primis rei publ. temporibus de suo quisque fungebatur munere militiae, sed a. U. 347. decretum est, ut stipendium miles de publico acciperet. Liv. 4, 59. Stipendii nomine peditibus primum in diem soluti asses unciales bini, postea quini s. bini oboli; centurionibus duplum; equitibus drachma. v. Polyb. 6, 37. ibique Schweigh. Iulius Caesar stipendium deinde duplicavit, (Suet. Caes. c. 26.) ita ut asses diurni s. singuli denarii vel annui novem aurei peditibus solverentur tribus pensionibus s. stipendiis, quibus quartum, h. e. alios tres aureos Domitianus adiecit; unde annuum stipendium ex eo tempore fuit XII aureorum. v. Ern. et Oudend. ad Suet. Dom. 7. Schel. de mil. Rom. c. 3. Gron. de pec. vet. 3, 2. Burm. de vectig. c. 9. Ab Augusto bini *denarii* diurni praetorianis decreti vel XX asses. v. cap. 17. et Dio 53, 11. Denarius autem primum decem, deinde (belli Punici II. tempore) sedecim, tandem (inde a principatu Augusti) duodecim assibus permutabatur. v. Plin. 33, 3. Vitruv. 3, 1. Hinc Percennio auctore pro decem assibus exposcuntur singuli denarii. v. cap. 26. „Plinius tradit, denarium in militari stipendio *semper pro X assibus datum*; Dio 53, 11., praetorianis duplum stipendii datum. Videntur itaque praetoriani favore Augusti stipendia meliore numo h. e. ad argenti valorem revocata vel XX asses cum collybo, legionarii stipendia sua ad viliorem numum h. e. ad asses unciales facta ratione vel decem asses sine collybo accepisse. Nam quod Plinius dicit, denarium XVI assibus permutari, sex asses sunt pro collybo, et denarius nomine suo semper par habendus est X assibus, non aeneis, sed, si darentur, argenteis. Aeneis si permutas, pro collybo accedit, quod deest, ut argenti valor exaequetur." *Walth.* Cf. Lips. Exc. VI et VII. ad Tac. Ann. 1. et Gron. ad h. l. ubi haec annotavit: „Lipsius contra Ferrettum disputat reprehenditque etiam, quod is ex Suet. Tib. 25. posuerat, seditiosos aequari voluisse praetorianis; de Germanico enim id dici, non de Pannonico exercitu. Sed ipse deceptus est prava verborum Suet. interpunctione. Neque etiam necesse est, Tacitum et Suet. idem per omnia dicere; tradidit enim uterque, quod a suis auctoribus accepit. Et fortasse fuerunt aliqui primo fervore tumultus, qui clamarent, aequari omnes oportere: plures ad spem profici putarunt, si dimidio contenti essent, et sic omnium nomine in postulatis ad Principem editum. Hoc secutus est Tacitus curatius rem narrans, illud Suetonius verbo periculum ex insolentia militum perstringens." Ceterum Augustus praeter alia et haec in re militari commutavit. Abrogato veteri instituto, ex quo milites non nisi e primis civium classibus lecti vicenisque stipendiis confectis militia et sacramento soluti essent, data missione honesta ac iusta, milites ille et perpetuos et voluntarios, spe praemiorum allectos, ex omnibus, etiam infimis, civium classibus conscripsit et praeter *missionem* (Entlassung, völlige Verabschiedung) instituit *exauctorationem* (Enteidung). Usu periti milites et satis robusti, (quum enim continua essent bella, multi iam anno aetatis XXXVII legitima expleverant stipendia) *exauctorabantur*, h. e. sacramento ex parte

tantum solvebantur eaque conditione, ut, ante quam dimitterentur red derenturque penatibus suis, immunes quidem essent ab excubiis, vigilii aliisque militiae laboribus, sed tum limites imperii tuerentur in prae sidiis collocati, tum legionibus iuncti aut ab iis separati cum hostibu pugnarent. v. Ann. 1, 36 extr. 1, 38 pr. (Sic ap. Liv. 7, 7. cohorte Hernicorum *immunes operum militarium erant, ut in unum pugnae labore reservati plus quam pro virili parte annitendum scirent*. Similes iis *Trian* et magis *Evocati*, de quibus v. ad 2, 68, 2.) Ita aliquamdiu et multo saepe per annos *sub vexillis* vel *apud vexilla retinebantur*, diu dilatis mi litiae praemiis, quae dabantur plane missis et emeritis. v. Ann. 1, 1 26. 34. 36. 37. 4, 4 sq. 11, 24. Dio 52, 27. Suet. Aug. 24. 49. Causar affert Suet. Tib. 48. Hinc h. l. *tricena aut quadragena stipendia*, hin illa legionum postulata cap. 17. quaeque iis concessa sunt et per sedi tionem ad tempus expressa cap. 36 extr., sed iam a Tiberio abolita cap 78. Hi sunt *veterani*, qui inde *exauctorati* (halb Entlassene, ihre Eides zum Theil Entbundene) et *vexillarii* dicebantur. v. nota 2 Missione demum data accipiebant praemia militiae sive commoda mis sionum et emerita, alii agros, sed palustres saepe et incultos, alii pecu niam, et quidem, ex instituto Augusti, praetoriani XX, legionarii XI millia HS., quam summam Caligula ad dimidiam recidit. v. Dio 54, 25 55, 23. Suet. Aug. 24. 49. et Cal. 44.

2. *apud vexillum retentos*: in MS. literae *vexillum t.* finiunt versicu lum, quem excipit alius hoc initio *tentes*: quod videtur occultare *apu vexillum tendentes*; Iac. *Gron.* Sed verum vidisse puto Beroaldum, qu *retentos* dedit: est enim verbum propr. in hac re; *Ern.* — *apud vexillu retentos alio vocabulo eosdem labores perferre*: „Quonam vocabulo? *Veterar* enim propriè dicebantur, non *legionarii*. Ita 3, 21. H. 2, 11. Nam e praetoriani post XVI annos habebantur sub vexillo. Dicti etiam *Emeriti* saepe item *Vexillarii*.“ *Lips.* Postremum vocabulum huc unice pertiner contextus arguit; *Wolf.* De his *vexillariis* et *vexillis* v. ad Agr. 18. n. — *alio vocabulo eosdem labores perferre*: mentiuntur; *Lips.* Cf. nota 1 — *si quis tot casus vitâ superaverit*: nam *vitâ superare* exacte respon det nostro überleben; nec propter seq. plurale *accipiant* opus est con iectura Lips. *si qui* — *superaverint*, quum *si quis* hanc commutationer libenter ferat; *Wolf.* Sed *si qui* scribendum videtur pro *si quis*. v. a O. 36. n. 5. Ceterum loca Caes. b. G. 6, 19. et Virg. Aen. 11, 24 non apte comparata a Gron. — *trahi adhuc diversas in terras*, remota v. ad 2, 60, 1. *adhuc* pro *ad hoc*, insuper, praeterea, ut 3, 42. G. 1 29. 38. Cf. ad G. 22. n. 8. Walch. ad Agr. 33. et emendatt. Liv. p. 19 Spald. ad Quintil. 3, 6, 53. 3, 21, 7. 12, 10, 40. et Forcell. Lex. — *pe nomen*, nomine, *agrorum*, ut H. 3, 65. *per conditionem* pro *sub condition Ern.* — *uligines paludum vel inculta montium* (v. ad 2, 16, 2.) *accipiant* „Id quidem contra leges militares. v. Flacc. Sic. p. 17. Querela autem consimilis militum in Sullana agrorum divisione ap. Sall. fragm. his l. I.“ *Lips.* „Eadem omnium temporum querela veteranorum, se no pro spe meritorum tractari. Suet. Oct. c. 13.“ *Walth.* Cf. nota 1. ext

3. *hinc* (his) *vestem, arma, tentoria* scil. emi. Cf. Ind. III. v. *Syllep sis* N. 2. „Aucto enim a Caesare stipendio abrogata Gracchi lex, qu militi e publico vestem dari iussit sine ulla stipendii detractione. v Suet. Caes. 26. Polyb. 6, 6. Plut. in Gracch. p. 837. Ambigas tame coll. Lamprid. in Alex. c. 39. et 52., an secuti Principes iterum non r duxerint Gracchi hac parte legem.“ *Lips.* Cf. Duk. ad Liv. 42, 52. ul haec annotavit: „Milites Rom. sibi de suo quemque paravisse arma sua cuique classi ea ex censu imperata fuisse, patet ex Liv. 1, 43. Polyb. 6, 21 sq. nec non ex Gell. 16, 10. qui proletarios tantum asper

reip. temporibus publicitus armatos fuisse scribit: nam hi in classibus non censebantur. Locum vero Liv. 22, 57. de servis publice emptis, ut militarent, accipio; et armamentaria in Urbe non nisi difficilibus reip. temporibus fuisse instituta, probabile fit ex Cic. p. Rabir. perd. 7. et Phil. 7, 4. Frumentum et vestis de publico praebebantur, non arma: nec dubium mihi est, quin et Tacitus Ann. 1, 16. et Polybius 6, 37. (c. 39. extr. in ed. Schweigh. ubi dicit, quaestorem de stipendio militum pro frumento, veste, κἂν τινος ὅπλου προςδεηθῶσι, certam pecuniam deduxisse) de armis militum, qui adversus hostes rem gerebant, et maxime eorum, qui in provinciis militabant, (ubi armamentaria publica fuisse colligas ex Liv. 26, 51.) loquantur, non eorum, qui primum ad bella mittebantur: nam frumentum quoque et vestem milites demum in bello et provinciis de publico accipiebant. Praeterea Polybius significat, si quid armorum inutile factum fuisset, iis hoc de publico, sed eadem conditione, qua frumentum et vestem, datum fuisse; fortasse ex armamentariis in provinciis."

CAPUT XVIII.

Astrepebat vulgus diversis incitamentis, hi verberum notas, illi canitiem, plurimi detrita tegmina et nudum corpus exprobrantes. Postremo eo furoris venere, ut tres legiones miscere in unam agitaverint. Depulsi aemulatione, quia suae quisque legioni eum honorem quaerebant, alio vertunt atque una tres aquilas et signa cohortium locant: simul congerunt caespites, exstruunt tribunal, quo magis conspicua sedes foret. Properantibus Blaesus advenit increpabatque ac retinebat singulos, clamitans: *Mea potius caede imbuite manus: leviore flagitio legatum interficietis, quam ab Imperatore desciscitis. Aut incolumis fidem legionum retinebo, aut iugulatus poenitentiam accelerabo.*

1. *Astrepebat vulgus*, strepitu assensum significabat, ut 2, 12. 11, 17. et H. 2, 90. — *diversis incitamentis*, non aliorum, sed suis, propriis. — *verberum notas* — *exprobrantes*: „non verbis, sed ostendendo, ut c. 35 pr. Cf. Lucan. 5, 274 sq." *Ern.* — *tegmina*, vestes, *detrita* longo usu, *et nudum corpus*, cutim per togarum tunicarumque fissuras perlucentem.

2. *Postremo eo furoris venere*, v. ad 3, 73, 1. *Furor* erat, quod *agitaverent* animo, quia eo violabatur sanctitas signorum et sacramenti; *Ern.* Immo *furor* h. l. et H. 1, 9. ut *rabies* inf. c. 31. in universum de atrocius rebellantibus accipias; *Walth.* — *alio*, ad aliud consilium coeptumque *vertunt* se. — *tres aquilas et signa cohortium*, non sociorum aut triariorum, (ita Lips. de mil. Rom. 4, 5.) sed manipulorum, qui in quaque cohorte essent; *Ern.* „Disputant interpretes, utrum cohortes propria signa habuerint, diversa a signis manipulorum, an hic signa manipulorum sint intelligenda, qui in quaque cohorte essent. Scilicet non discernunt tempora. Priori aetate, ubi acies Rom. manipulatim disponebatur nulla cohortium distinctione, nulla fuere cohortium signa, sed manipulorum. At postquam obtinuit consuetudo per cohortes disponendi legionem, nullus in acie potuit esse usus signorum manipularium, sed cohortes signis discernebantur. Hinc de signis manipulorum tacet et Veget. 2, 13. et Germanicus inf. c. 34. ubi milites discedere in manipulos iubet et *vexilla praeferri, ut id saltem discerneret cohortes:* quod sine causa esset, ni vexilla cohortium intelligeres diversa a manipulorum signis. Sic H. 1, 41. 44. et ubique apud Nostrum sermo est de signis cohortium, non manipulorum, atque ita de illis loquitur, ut non possis

non intelligere signa, quae discernant cohortes, non manipulos. Haud negaverim, manipulis singulis etiam mansisse sua insignia; minime tamen credo, in castris Pannonicis tum singulos trium legionum manipulos signa sua una locasse." *Walth.* Cf. ad Agr. 18. n. 3.

3. *simul congerunt caespites* et inde *exstruunt tribunal* imperatoris ut *suggestum*, locum altius exstructum in castris, c. 44. H. 1, 36. 35. „Itaque hoc etiam illa aetate caespiticium, ut olim. v. Dio 62, 2. Plin. pan. 56. Plut. in Pompeio p. 641. A. Claudian. b. Gild. 424 sq." *Lips.* Cf. Spanh. de usu et pr. num. diss. 13. p. 628. *exstruunt*, sperantes, non defuturum esse ducem seditiosorum, Percennium aliumve. — *quo magis conspicua sedes foret*, ut videre quisque posset, ubi essent, qui non ferre possent iniurias, ubi conveniendum esset ei, qui se iis aggregare vellet. *Ern.* „Ubi signa legionum in castris locabantur, ibi tribunal deesse nequibat, quia illa solebant tribunali circumdari. Cf. 15, 29. et Plin. pan. c. 56, 6. Id templum legionum erat. Sine tribunali iusta species atque dignitas loco defuisset." *Walth.*

4. *Properantibus* opus, tribunal, *Blaesus advenit*, de quo v. ad c. 16. n. 1. *Operantibus* malebat Gron. coll. c. 64. Suet. Claud. 20. Veget. de re mil. 2, 20. „*Properantibus* efficacius est: non modo *operabantur*, sed etiam acriter laborabant, ut celeriter perficeretur opus, item, studio incensi. Sic *properare* rem c. 51. 56. 2, 6. 31. 80. Virg. Aen. 12, 425. Tibull. 4, 1, 205. ubi v. Broukh." *Ern.* — *clamitans* cet." quia capitale hoc facinus erat: nam solus imperator allocuturus milites conscendebat tribunal. Cf. Vopisc. in Probo c. 10." *Lips.* — *poenitentiam accelerabo:* Cuiacius coni. *poenam*, sed vulgatum ἠθικώτερον et ad misericordiam permovendam accommodatius; *Wolf.*

CAPUT XIX.

Aggerebatur nihilo minus caespes, iamque pectori usque accreverat, quum tandem pervicacia victi inceptum omisere. Blaesus multa dicendi arte, *Non per seditionem et turbas desideria militum ad Caesarem ferenda*, ait: *neque veteres ab imperatoribus priscis, neque ipsos a divo Augusto tam nova petivisse et parum in tempore incipientes Principis curas onerari. Si tamen tenderent in pace tentare, quae ne civilium quidem bellorum victores expostulaverint; cur contra morem obsequii, contra fas disciplinae vim meditentur? Decernerent legatos seque coram mandata darent.* Acclamavere, *ut filius Blaesi tribunus legatione ea fungeretur peteretque militibus missionem ab sedecim annis: cetera mandaturos, ubi prima provenissent.* Profecto iuvene modicum otium; sed superbire miles, quod filius legati, orator publicae causae, satis ostenderet, necessitate expressa, quae per modestiam non obtinuissent.

1. *Aggerebatur caespes*, ut 2, 57. 3, 67. *Aggerabatur* (ut c. 61. 63) coni. *Walth.* Cf. ad Agr. 31. n. 2. — *pectori usque accreverat* edd. vet. et rec. „Recte. *Pectori* pendet e verbo *accreverat*, et particula *usque* non regit casum peculiarem, sed coniungitur cum praeposit. *ad, in, ex* aliisque vocibus et constructionibus, ut sensum intendat atque illustret, non ut regat casum." *Walth.* *pectori eiusque a.* MS. Hinc *pectori et usque a.* vel *pectoribusque a.* leg. censebat I. Gron. — *pervicacia victi* ipsius Blaesi et si qui alii fortiter obsisterent; *Lips.* — *seditionem et turbas* synon. Cf. ad H. 1, 84, 2. — *desideria militum*, ut c. 26. Suet. Au

17. 53. Plin. pan. 79. *Pich. Postulata* dicuntur c. 25. et Ciceroni; *Ern. desiderium — ferendum* MS. — *parum in tempore*, v. ad 1, 1, 2. et 3, 41. — *incipientes Principis curas*, (initium principatus) ut H. 1, 31. Ovid. Met. 12, 395. et de Am. 2, 648.; *Gron. incipientis* coni. Acid. Ita Plin. pan. 57. (*Principes incipientes et desinentes*) Quintil. et alii huius aetatis, si probe ommini; *Wolf.* — *onerari*, v. ad c. 69 extr. — *tenderent*, contenderent, conarentur, vel intenderent, vel pergerent. Cf. ad 3, 24, 2. et Ind. III. v. *Verba simpl. pro comp.* — *meditentur* lectio ant. et reducta a Wolf. *meditarentur* rescripserat Ern. Cf. Ind. III. v. *Verborum Tempora.* — *decernerent* — *darent*, cf. ad 11, 6, 1. — *mandata darent*, ad Caesarem perferenda; *Brot.*

2. *ubi prima provenissent*, „successissent. v. Ind. II. et intpp. Suet. Vesp. 5." *Ern.* — *otium*, v. ad 1, 2, 5. — *necessitate* et vi *expressa*, ut c. 39. 78. Liv. 2, 13. 4, 55. 37, 31. al. Ita etiam *expellere*, (v. c. Quintil. 10, 7.) *extorquere* et Germ. erpressen, erzwingen, abnöthigen. — *quae per modestiam non obtinuissent*, obtinere potuissent. v. ad Agr. 17. n. 3.

CAPUT XX.

Interea manipuli, ante coeptam seditionem Nauportum missi ob itinera et pontes et alios usus, postquam turbatum in castris accepere, vexilla convellunt direptisque proximis vicis ipsoque Nauporto, quod municipii instar erat, retinentis centuriones irrisu et contumeliis, postremo verberibus insectantur, praecipua in Aufidienum Rufum praefectum castrorum ira, quem dereptum vehiculo sarcinis gravant aguntque primo in agmine, per ludibrium rogitantes, *an tam immensa onera, tam longa itinera libenter ferret?* Quippe Rufus diu manipularis, dein centurio, mox castris praefectus, antiquam duramque militiam revocabat, intentus operis ac laboris et eo immitior, quia toleraverat.

1. *Nauportum missi ob itinera*; expeditionem ergo meditabantur eoque haec procurabant: neque alio fine simul in aestivis erant; *Lips. Nauportus* Pannoniae sup. s. occident. opp. ad eiusdem nominis fluvium, nunc *Laibach*, caput Carniolae. v. Strab. 7, 5, 2. Plin. 3, 22. Barth. Teutschl. Urgesch. §. 80. 433. — *accepere*: in MS. *accipere.* — *vexilla* solo fixa *convellunt*, evellunt, ut confestim ad castra et seditiosos reverterentur. „*Signa converti* dicuntur vel ab agmine, quod ex itinere retro cedit, vel ab acie, quae iam mota et ferri coepta in aliam partem fertur, sed *terrae infigi* in castris stativis, hisque movendis *velli, convelli, evelli.*" *Gron.* ad Liv. 3, 54. Sic et *signa tolli, ferri, moveri, promoveri.* — *quod municipii instar erat*, propr. imago, species, h. e. ei simile, Germ. wie, ut 2, 61. 3, 36. Cf. Ramshorn. Gram. p. 163. —

2. *praefectum castrorum*, de quo v. Lips. exc. VIII. ad Tac. Ann. I. — *dereptum vehiculo*: honestiores ergo militum etiam tunc in vehiculo aut equo; *Lips. dereptum* e MS. restituit Pich. Cf. ad 2, 45. 13, 57. et ad 1. 41, 2. 4, 74, 2. Heins. ad Ovid. Met. 3, 51. et Val. Fl. 2, 160. *direptum* edd. vet. Mox in *ferret* est dilogia, et intelligitur proprie, relatum ad onera, tropice, ad *itinera*; *Ern.* — *antiquam duramque militiam*, id. qd. antiquam militiam duram, sive antiquam militiae duritiem: nam Adiectivo demum *duram* illa castrorum disciplina significatur, qua Rufus erat insignis; *Roth.* Cf. ad 1, 33 extr. et Ind. III. v. *Hendiadyoin.* MS. edd. rec. *intentus operis ac laboris* edd. rec. h. e. labores militiae conficere et perferre

longo usu edoctus. Sed *intus operis* MS. et in marg. *invictus*. Ald et Mur. coni. *immitis*, Heinsius *intentus* (*intus*) Iac. Gron. *tritus*, G. Ch H. in Ephem. Schol. Darmst. a. 1826. p. 171. *in ius*, (auf die Berechtigung hin über Werkbau und Arbeit) et *laetus*, Rhen. *atte tus*, et Lipsius *vetus*, quod recepere editores rec. „At verum esse n quit: nam id profecto nihil aliud significat, quam Rufum tolerasse op et laborem. Tum vero, quod additur *quia toleraverat*, plane otiosum es nec quisquam potest *immitior* esse, quia toleravit, quam quia vetus e operis ac laboris. Egregie autem Heinsius emendat *intentus o. ac l.* et MS. permulta sunt exempla mediae syllabae omissae. v. ad 2, 63, 2. G nitivos eiusmodi vocabulis Noster more Graecorum addit, ut significe quo respectu dicantur. Cf. Matthiae Gram. Gr. §. 322. Nos dicim in Ansehung. Igitur *intentus operis ac laboris* est *intentus ad opus laborem*, quo milites exercebantur. Contra *intentus operi ac labori* est, q ipse strenue facit opus ac laborem sibi impositum. De voc. *intentus* Agr. c. 5." *Walth.* Hinc ab eo nobisque recepta emendatio Heinsii. C ad 5, 11, 2. et Ind. III. v. *Adiectiva relativa Genitivis obiecti iuncta*, Ru dim. inst. gram. II. p. 73 — 79. et Heusing. ad Vechneri Hellenol. p. 269 sq. *operis ac laboris*, v. Ind. III. v. *Synonyma*. — *immitior*, ace bior operis exactor; *Ern.*

CAPUT XXI.

Horum adventu redintegratur seditio et vagi circumiec populabantur. Blaesus paucos, maxime praeda onustos, ad te rorem ceterorum affici verberibus, claudi carcere iubet: na etiam tum legato a centurionibus et optimo quoque manipul rium parebatur. Illi obniti trahentibus, prensare circumsta tium genua, ciere modo nomina singulorum, modo centuria quisque, cuius manipularis erat, cohortem, legionem, *eade omnibus imminere* clamitantes: simul probra in legatum cum lant, coelum ac deos obtestantur: nihil reliqui faciunt, quo m nus invidiam, misericordiam, metum et iras permoverent. A curritur ab universis et carcere effracto solvunt vincula, d sertoresque ac rerum capitalium damnatos sibi iam miscent.

1. *claudi carcere:* nam carcer in castris stativis, et quum exercit moveret, maleficos catena trahebant; *Lips.* Cf. ad 3, 22. et Iuvenal. 561. — *nam etiam tum legato a centurionibus — parebatur:* „Hoc paru congruere videtur cum reliqua narratione. Centurionum saevitiam pr mum querebatur seditiosa turba c. 17. ut prope semper assolebat: m iidem contumeliis et verberibus afficiuntur: tum unus eorum occiditu et, ne in hunc aut paucos saevitum putemus, *ceteros* omnes, non ali latebrae texere c. 23. Etiam c. 28. centurionum pauci dicuntur vul grati fuisse; nec usquam indicium est, quando officium facere desieri Quid igitur? num leg. *nam etiam tum legato ac centurionibus ab opti q. m. p.?* Satis facilem emendationem vides: an aeque necessaria s tute videris." *Wolf.* „Immo omnia hic sunt sana. Blaesus paucos mi tum affici verberibus, claudi carcere iubet, opera centurionum ad usus, qui tum adhuc praesto erant ad exsequenda ducis iussa. Refe autem Noster c. 23. centurionem Lucillium interfectum ceterosque mo tis metu latebras quaesivisse. Num etiam tum legato a centurionib parebatur? Minime vero. Ceterum verba *nam etiam tum — parebat* veram parenthesin efficiunt; unde uncos a Rhen. sqq. omissos reduxi ed. Ber." *Walth.* Recte: sed *nam* dictum quoque videri potest pro *atq*

vero, enimvero, ut Gr. δή γάρ τοι et γάρ pro δή. v. ad 2, 63, 1. 14, 11. 44. H. 4, 11. Sil. 13, 468. *etiam tum*, v. ad 1, 3, 2. *centurionibus*, a quibus milites nonnunquam *verberibus afficiebantur*. v. ad 1, 23, 2.

2. *modo centuriam quisque, cuius manipularis erat, cohortem* cet. „Melius foret sic: *modo centuriam quisque, modo cohortem, cuius manipularis erat*: nam manipuli sunt cohortium, non centuriarum. Sed nihil muto. Etenim, qui etiam in centuriis sunt, *manipulares*, quia quaeque centuria manipuli certi est et a centuria milites non dicuntur, ut nec a cohortibus.“ *Ern*. *Manipularis* est miles gregarius. — *coelum ac deos obtestantur*, v. ad O. 35. n. 3. et Ind. III. v. *Synonyma*. — *nihil reliqui faciunt*, nihil praetermittunt, ut ap. Caes. B. C. 2, 26. Sall. Cat. 11. Nep. Att. 21. — *quo minus invidiam — permoverent*: nam affectus non minus quam homo *permoveri* dicitur, et hoc efficacius est verbo simplici; *Wolf*.“ Cf. 3, 23. 16, 32. Quintil. 12, 10, 36.“ *Bip*. Latinitas *permoveant* scribi postulat; *Ern*. Sed v. Ind. III. v. *Verborum Tempora*. — *sibi iam miscent*: „*Iam* h. l. vim augendi habet, ut alibi, et sensus est: non modo *solvunt vincula* desertoribus ac rerum cap. damnatis, sed eos adeo ipsos liberatos sibi miscent, sui furoris socios faciunt.“ *Ern*. „Recte *iam* intendit orationem et confirmat, ut *profecto, sane*, et Gr. δή. Cf. ad H. 1, 15. et Zeun. ad Viger. p. 503. ed. Herm. Frustra *sibi immiscent* et *sibi admiscent*. emend. Faernus, Pich. et Grut.“ *Walth*.

CAPUT XXII.

Flagrantior inde vis, plures seditioni duces. Et Vibulenus quidam, gregarius miles, ante tribunal Blaesi allevatus circumstantium humeris, apud turbatos et, quid pararet, intentos: *Vos quidem*, inquit, *his innocentibus et miserrimis lucem et spiritum reddidistis: sed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit, quem, missum ad vos a Germanico exercitu de communibus commodis, nocte proxima iugulavit per gladiatores suos, quos in exitium militum habet atque armat? Responde, Blaese, ubi cadaver abieceris? Ne hostes quidem sepultura invident. Quum osculis, quum lacrimis dolorem meum implevero, me quoque trucidari iube, dum interfectos nullum ob scelus, sed quia utilitati legionum consulebamus, hi sepeliant.*

1. *plures seditioni duces*, v. Ind. III. v. *Dativus*.

2. *quis fratrem mihi reddit*: Voss. ad Caes. B. C. 1, 75. coni. *reddet*. Sed elegantius est tempus instans in tali commotione; *Wolf*. — *de communibus commodis* Pannonici et Germanici exercitus; *Lips*. — *iugulavit*, iugulari iussit, iugulandum curavit, sc. Blaesus, δεικτικῶς. — *per gladiatores suos*: nam praesides s. praefecti provinciarum familias gladiatorum alebant ad spectacula exhibenda; *Lips*. Sic et duces in stativis. Cf. 13, 31. Capitol. vita Maxim. et Balbi c. 8. et Voss. l. l. „Fortasse tamen non tantum alebantur munerum edendorum causa et ad tempus terendum in statione ab urbanis voluptatibus remota, sed non minus utiles fuere ad dominum custodiendum inter legiones inquietas et suspectae fidei. Nam frustra Vibulenus non dixerit *quos in exitium militum habet atque armat*.“ *Walth*. Invidiose id h. l. dictum videtur.

3. *ubi cadaver abieceris*: „Sicubi *quo* requiritur, illic τῷ *ubi* locus non est: et recte quidem dicimus *quo abieceris*; sed *ubi abieceris* Tacitus dixit alio sensu et more illo suo praegnantes sensus breviter efferendi pro: ubi non humaveris aut condideris, sed sic abiectum sub dio relinqui iusseris feris lacerandum, ubi feceris ut foede iaceat.“ *Gron*. „Recte

ista habent. Simplicius erit ac facilius: ubi significationes *in loco* et *i* *locum* concurrunt, ut h. l., et *ubi* et *quo* poni potest; non, quum sola sig nificatio est *in locum*, ut 15, 47. sed ibi necessario *quo* dicitur. v. Clark. a Hom. Il. 1, 593." *Ern.* Aptissima et verbi et particulae exempla affer Wopk. ut Suet. Ner. 48. Galb. 20. et alia; *Wolf.* „*Ubi abieceris* invidio sius dictum est quam *quo abieceris*. Hac enim formula simpliciter quaeri tur, ubi cadaver iaceat; illa magis exhibetur turpe illud et indignum quod est in verbo *abiicere*. Similiter nos distinguimus wohin du ge worfen et wo du hingeworfen hast. Verum Gron. vidit. Si Suet. Ner. c. 48. *abiecti in via cadaveris* et Galb. c. 20. *eo loco, ubi — ab iecit.*" *Walth.* Cf. Ind. III. v. *Oratio praegnans* et inpr. ad Agr. 38. n. *ablegeris* in MS. non *abegeris*, quod testatus est et probavit Iac. Gron. - *ne hostes quidem sepultura invident*, v. ad 15, 67. *sepultura* MS. ed. Wol et rec. *sepulturam* ed. Ber. et cet. ante Pich. *sepulturae* ed. Pich. et alia „Quum *invidere aliquid* dicitur, semper intelligi censeo dativum perso nae, cui invidetur; quum *invidere alicui*, accusativum rei, quae invide tur, ut 13, 53. *invidere operi* sc. incrementa s. successum, 15, 63. *invider exemplo* et h. l. *sepulturae* sc. τὸ γίνεσθαι, *fieri*, non prohibebo ne fiat nisi leg. *sepulturam* sc. mortuis." *Gron.* Ablativum quoque verbo *invider* iungi ab huius aetatis scriptoribus certum est, etsi Schwarz. ad Plin. par c. 86 obloquitur; *Wolf.* Semper a Plin. min., ut ep. 1, 10. 2, 10. 3, 8 al. „*Invidere* coniungitur cum dativo, ut *nemini invideas.* Iam si dativu est personae, id quod illi invidetur accusativo enuntiatur, ut *nemini divi tias invideas.* Hic est usus optimorum scriptorum. At postea invalui usus verbi ad modum Graecorum accommodatus, qui φθονεῖν iungunt ge nitivo, ut Dio 51, 12. μηδέ μοι τῆς σὺν αὐτῷ ταφῆς φθονήσῃς. Eum ge nitivum Latini per ablativum exprimunt, ut Tac. G. 33. et Plin. Il. ll. *Walth.* *Si antiquum sermonem nostro comparemus, paene iam quicquid lo quimur figura est, ut hac re invidere, non, ut omnes veteres et Cice praecipue, hanc rem*, Quintil. 9, 3, 1. ubi v. intpp. Cf. ad G. 33. n. Cort ad Plin. ep. 1, 10, 12. Periz. ad Sanct. Min. 3, 3, 83. Ruddim. ins gram. T. II. p. 144. Ramsh. Gram. p. 203. Doederl. Synon. III. p. 63. - *quum oculis, quum lacrimis dolorem meum implevero*, explevero, satiavero v. ad H. 1, 16, 7. et ad Agr. 45. n. 3. — *dum* — *hi sepeliant*, dummodo *hi sepeliant* edd. Pich. et rec. *ii sep.* MSS. et edd. vet. Recte *hi*, et loquen digito ostendit commilitones; *Pich.* et *Wolf.* „Utrumque pronomen per mutatur in MSS. v 13, 1. 21. 14, 15. 15, 59. H. 3, 82. G. 25. Editio Spir plane ignorat pron. *ii* et *iis* atque constanter scribit *hi* et *his.*" *Walth.* Ce terum vel tironibus notum est, sepelienda fuisse cadavera mortuorum in terfectorumque, ne a feris lacerarentur et Manes eorum centum anno circa Stygem errare cogerentur. v. ad 15, 67.

CAPUT XXIII.

Incendebat haec fletu et pectus atque os manibus verbe rans: mox disiectis, quorum per humeros sustinebatur, prae ceps et singulorum pedibus advolutus tantum consternationi invidiaeque concivit, ut pars militum gladiatores, qui e servi tio Blaesi erant, pars ceteram eiusdem familiam vincirent, ali ad quaerendum corpus effunderentur: ac ni propere, nequ corpus ullum reperiri, et servos adhibitis cruciatibus abnuer caedem, neque illi fuisse unquam fratrem, pernotuisset, hau multum ab exitio legati aberant. Tribunos tamen ac prae fectum castrorum extrusere. Sarcinae fugientium direptae e

centurio Lucillius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum *Cedo alteram* indiderant, quia, fracta vite in tergo militis, alteram clara voce ac rursus aliam poscebat. Ceteros latebrae texere, uno retento Clemente Iulio, qui perferendis militum mandatis habebatur idoneus ob promptum ingenium. Quin ipsae inter se legiones octava et quintadecuma ferrum parabant, dum centurionem cognomento Sirpicum illa morti deposcit, quintadecumani tuentur, ni miles nonanus preces et adversum aspernantis minas interiecisset.

1. *Incendebat haec fletu*: „his vim addebat. Crollius coni. *intendebat*. Sane *incendi* propr. dicuntur homines, non res. Sed huius generis translationum permulta sunt exempla.“ *Wolf*. Ita et *accendere, asperare, acerbare, onerare*. v. Ind. II. In MS. *incedebant*: — *e servitio Blaesi*, e servis eius. v. ad 2, 13, 2. et H. 3, 70, 1. — *ceteram eiusdem familiam*, v. ad 3, 14. — *effunderentur*, propr. de fluvio s. torrente eiusque fluctibus, magna et abundantia et vi proruentibus, ut *fundi, effundi*, χεύεσθαι, ἐκ- et ἐπιχεῖσθαι s. χύεσθαι, affluenti numero adesse et irruere: unde *effusius affluere* 4, 62.

2. *neque illi fuisse unquam fratrem*: „Num Vibulenus voluit imitari artem Volscii ap. Dionys. Hal. 10, 7.? (cf. idem 10, 28. et Liv. 3, 13. 24. 25.) Scilicet longe minor similitudo in scriptis, praesertim poetarum, saepe doctis videtur sufficere, ut alterum alteri ante oculos versatum putent.“ *Wolf*. — *haud multum ab exitio legati aberant*, parum aberant quin eum interficerent; *Ern*. Cf. ad 4, 19, 1. — *Lucillius* v. ad 4, 15, 1. — *militaribus facetiis vocabulum*, appellationem, nomen s. cognomen, (v. ad 2, 6. extr.) CEDO (da) ALTERAM (sc. vitem) *indiderant* ex more ingenioque militum, qui, ut rudes et simplices, plerumque crassa et aliis ridenda nomina hominibus et rebus imponunt; *Freinsh*. cf. nota 3. et c. 41. „Sic Aureliano inditum cognomen *manu ad ferrum* et Paulo Notario *Catena*. v. Vopisc. Aurel. 6. et Ammian. 14, 5, 8.“ *Lips*. et *I. Gron*. *Vocabulum* h. l. de duobus vocabulis iunctis; *Ern*. — *fracta vite*: in MS. *facta vitae*. *Vitis* insigne centurionis, qua milites vitibus ferire solebat. Cf. ad 3, 21, 1. Plin. 14, 1. Lips. mil. Rom. 5, 18. Casaub. ad Spart. Hadr. 10. — *Clemente Iulio*, centurione. — *perferendis militum mandatis*, ad ducem sive Principem; *Freinsh*. Cf. cap. 26 pr.

3. *ferrum parabant ni miles* cet. v. ad 1, 35, 3. — *cognomento Sirpicum*; fortasse paterno, ut ap. Hor. ep. 1, 13., (ita Freinsh.) vel indito ei a *Sirpis*, Pannoniae opp., vel potius a *scirpis* s. *sirpis*, iuncis, quibus aeque ac vitibus etiam milites castigari solebant. „An forte *Sirpicus* a *sirpando*? *Sirpare* (s. *scirpare*) est ligare nodoque constringere, prisca quidem voce, unde *sirpi* aenigmata s. nodi. Quiane verberavit obsoleto illo verbo militum aures? an quia asperior in constringendis militibus duriorque?“ *Lips*. Festus v. *Scirpus*: *Sume arma! Quid est? an occidam clava scirpea?* cf. nota 2. — *minas interiecisset*: „Hoc loco posset aliquis abuti ad defendendam vulg. lect. ap. Suet. Dom. 17. *dolum interiecit* pro *adhibuit*, quo sensu id dici posse in Exc. ibi negavimus. Sed et hic sunt primo duae partes, inter quas interponuntur minae, quod est *interiicere*; deinde adhibentur ad impediendum, non ad perficiendum.“ *Ern*. — *morti deposcit*, ut al. *ad mortem*. Cf. Ind. III. v. *Dativus obiectivus*.

CAPUT XXIV.

Haec audita, quanquam abstrusum et tristissima quaeque maxime occultantem, Tiberium perpulere, ut Drusum filium

cum primoribus civitatis duabusque praetoriis cohortibus mitteret, nullis satis certis mandatis, ex re consulturum. Et cohortes delecto milite supra solitum firmatae. Additur magna pars praetoriani equitis et robora Germanorum, qui tum custodes Imperatori aderant. Simul praetorii praefectus Aelius Seianus, collega Straboni patri suo datus, magna apud Tiberium auctoritate, rector iuveni et ceteris periculorum praemiorumque ostentator. Druso propinquanti, quasi per officium, obviae fuere legiones, non laetae, ut assolet, neque insignibus fulgentes, sed illuvie deformi et vultu, quanquam maestitiam imitarentur, contumaciae propiores.

1. *abstrusum et tristissima quaeque maxime occultantem*, „et merito. Cf. Liv. 5, 1. 23, 5. Caes. 7, 28." *Gron.* *abstrusum* (ut al. *tectus* et *occultus*, nostrum versteckt). *Tiberium*, qui sensus suos penitus abdere solebat. v. cap. 11. — *nullis satis certis mandatis*, cf. Ind. III. v. *Homoeoteleuta.* — *ex re consulturum*; Woltmannus: nach den Umständen sollte er handeln. Cf. Ind. II. v. *ex* et ad G. 7. n. 1.

2. *magna pars praetoriani equitis* (equitum, v. Ind. III. v. *Numeru sing. pro plur.*) *et robora Germanorum* cet. v. ad 13, 18. — *praetorii praefectus L. Aelius Seianus* cet. v. Ind. I. et ad 1, 7, 3. — *rector iuveni*, v. ad 1, 3, 1. et cf. ad 3, 48. — *ostentator periculorum*, rector poenarum pervicacibus, *praemiorum* ad meliorem sensum redituris: non quasi ipse utriusque fortunae exemplar, ut volunt nonnulli; *Wolf. ostentator*; v. ad H. 2, 80, 6. — *quasi per officium* (propter off. vel eius causa, v. Ind. II.) *obviae fuere legiones*, v. ad 2, 42, 1. — *non laetae, ut assolet* sc. fieri s esse, ut 3, 1. 6, 12. 13, 44. Liv. 37, 14. Sic et *ut solet* H. 2, 6, 1. Liv. 23 14. 36, 23. 41, 14. — *neque fulgentes insignibus*, aquilis signisque, qua rebus laetis festisque diebus nitida erant, praetersa, fulgentia, lauro floribusque ornata et unguentis delibuta, tristibus vero squalida, incompta inhonora, vel inversa. v. ad 3, 2. 15, 29. Lips. exc. IX. ad Tac. Ann. I „*Insignia* sunt ornamenta et indicia, ex quibus cognoscitur alicuius dignitas, ordo, gradus vel quibus ab aliis distinguitur, ut regum corona e sceptra, consulum fasces, toga praetexta, sella curulis, legionum aquilae militum galea et cassis cum pennis et apice plumato, et chlamis et cingulum et scutum clipeusque et omnis generis arma, h. l. omnis generi ornamenta armaque; unde *illuvie deformi*, ut H. 4, 46. Cf. H. 1, 38. 82. 4 29. 46. G. 43. Caes. B. G. 2, 21." *Walth.*

CAPUT XXV.

Postquam vallum introiit, portas stationibus firmant, globos armatorum certis castrorum locis opperiri iubent: ceter tribunal ingenti agmine circumveniunt. Stabat Drusus silentium manu poscens. Illi, quotiens oculos ad multitudinem retulerant, vocibus truculentis strepere, rursum viso Caesare trepidare. Murmur incertum; atrox clamor et repente quies: diversis animorum motibus pavebant terrebantque. Tandem, interrupto tumultu, literas patris recitat, in quis perscriptum erat *praecipuam ipsi fortissimarum legionum curam, quibuscum plurim bella toleravisset. Ubi primum a luctu requiesset animus, actu rum apud Patres de postulatis eorum. Misisse interim filium, u sine cunctatione concederet, quae statim tribui possent.* · *Ceter*

senatui servanda, quem neque gratiae neque severitatis expertem haberi par esset.

1. *Postquam vallum introiit* edd. Lips. poster. et rec. *introit* MS. edd. vet. et Lips. 1. — *Stabat Drusus,* v. ad Agr. 33. n. 5. — *Illi quotiens* (v. Ind. I.) *oculos ad multitudinem retulerant:* „is quidem mos et affectus vulgi in turba sua audacis. Pariter ap. Lucan. 5, 259. et Vell. 2, 81. in seditione; *Lips. sedtulerant* MS. — *Atrox clamor* ad *terrentes* referendus et *repente quies* ad *paventes.* Silianum illud 10, 395 seq. plane geminum; *Lips.* Ibi tamen utrumque maestorum est. *repente quies* edd. vet. *repens quies* ut *clamor repens* ap. Sil. l. l. malebat Lips. Illud magis mihi placet ob ipsam variationem; *Wolf.* — *pavebant terrebantque* ut c. 29. *nihil in vulgo modicum: terrere, ni paveant.*

2. *cetera senatui servanda,* reservanda eiusque deliberationi. — *expertem haberi,* esse. v. ad 2, 58, 2. *Expers rei* dicitur senatus, de qua non consulitur; *Ern.*

CAPUT XXVI.

Responsum est a concione, *mandata Clementi centurioni, quae perferret.* Is orditur de missione a sedecim annis; de praemiis finitae militiae: ut denarius diurnum stipendium foret: ne veterani sub vexillo haberentur. Ad ea Drusus quum arbitrium senatus et patris obtenderet, clamore turbatur: *Cur venisset, neque augendis militum stipendiis, neque allevandis laboribus, denique nulla benefaciendi licentia? At hercule verbera et necem cunctis permitti. Tiberium olim nomine Augusti desideria legionum frustrari solitum: easdem artes Drusum retulisse. Nunquamne nisi ad se filios familiarum venturos? Novum id plane, quod Imperator sola militis commoda ad senatum reiiciat. Eundem ergo senatum consulendum, quotiens supplicia aut proelia indicantur. An praemia sub dominis, poenas sine arbitro esse?*

1. *concione:* in MS. *contentione.* — *mandata Clementi centurioni,* (c. 23.) *quae perferret:* hoc Pich. restituit e MS. et edd. antt. *praeferret* et *proferret* edd. quaedam. „Aurelius vult *proferret,* ut *proferam mandata* ap. Plin. 18, 3. ubi iam sic ediderunt, sed in optimo Chifleti est *perferam;* nec dubito, quin rectius. Neque enim *perlata* sunt, priusquam audita et pronuntiata, et pronuntiando traduntur. Quod quid aliud quam *perferuntur?* Similiter ap. Iuvenal. 6, 392.“ *Gron.* „Sic et cap. 23. 57. Et tamen Brot. ineptum suum *proferret* defendit.“ *Wolf.* Cf. et 3, 10. 14, 7. — *denarius diurnum stipendium.* cet. v. ad 1, 17, 1. 2. — *ne veterani sub vexillo haberentur,* v. ad Agr. 18. n. 3.

2. *at hercule* „forma asseverandi, quae sermonem in sensum diversum ita traducit, ut alias *sane,* sed maiore cum vi. An quisquam eorum, qui nunc supersunt principes scriptores, ita loquatur, non facile dixerim. Conf. tamen auctorem Epist. 2. ad Caes. de ord. re publ. c. 4.“ *Wolf.*

3. *Nunquamne nisi ad se filios f. v.* MS. et edd. vet. *N. ad se nisi* cet. edd. rec. quae traiectio verborum debetur Lipsio. Ea recepta fortasse sine causa, si *nunquam nisi* ad totam enuntiationem pertinet, ut interdum *nunquam non*; Wolf. „Haec ratio vana. Nihil tamen impedit, quo minus MSti verba restituamus. Queruntur legiones Pannonicae, quod ad se tantum filii familiarum veniant desideria legionum frustraturi, neque ad alios etiam exercitus. Augustus enim ad Pannonicas legiones saepius miserat Tiberium. v. Suet. Tib. c. 9. 16. 21. Dio 54, 31. Iverant sane ad

alios etiam exercitus filii familiarum; sed more querentium legiones Pan nonicae prae aliis se gravatos sentiebant. Hinc volunt: alibi iam exerc rent artes suas; se satis expertos esse. Haec vero contumelia et cavill tio, quae optime convenit verbis *Tiberium olim* cet.“ *Walth.* — *quod im ratur sola militiis* (militum) *commoda ad senatum reiiciat*, ad senatus ar trium iudiciumque deferat, et permittat, reservet, (Germ. verweisen überlassen, anheim stellen) ut 1, 47, 1. 3, 35. Sic et *integra causam ad senatum remittere* 3, 10 extr. et *integrum negotium ad Princip differre* 3, 52. Cf. ad 1, 8, 6. Drak. ad Liv. 2, 22. Gron. ad Liv. 42, extr. — *an praemia sub dominis, poenas sine arbitro esse*, v. ad 3, 36, et 15, 17.

CAPUT XXVII.

Postremo deserunt tribunal, ut quis praetorianorum mili tum amicorumve Caesaris occurreret, manus intentantes, causa discordiae et initium armorum: maxime infensi Cn. Lentulo quod is, ante alios aetate et gloria belli, firmare Drusum cre debatur et illa militiae flagitia primus aspernari. Nec mult post digredientem cum Caesare ac provisu periculi hibern castra repetentem circumsistunt rogitantes, *quo pergeret! a Imperatorem an ad Patres, ut illic quoque commodis legionu adversaretur?* Simul ingruunt, saxa iaciunt. Iamque lapidi ictu cruentus et exitii certus accursu multitudinis, quae cu Druso advenerat, protectus est.

1. *ut quis praetorianorum militum a. C. occurreret:* „Errant Mur. Acid. qui *occurrerat* legendum esse censuerant. Nam hic quoque Co iunct. Imperf. exprimit Graecorum Optativum, qui hic requiritur ut i re praeterita, neque tamen in certo quodam homine aut definito quoda tempore facta, sed saepius et a quocunque iterata. Sic *quotiens per urb incederet* 2, 2. *ἀπικνέονται* – *ὡς ἕκαστος αὐτέων ἀπικνέοιτο* Herodot. 1, 2 *ἐπειδὴ δὲ ἑκάστοις ἕτοιμα γίγνοιτο* – *ξυνῄεσαν* cet. Thucyd. 2, 10.“ *Walt* Cf. Ind. III. v. *Verborum Modi.* — „*manus intentantes*, ad verbera porr gentes, quod est minitantium, *causam discordiae et initium armorum*; qu est appositio eius generis, de quo agunt Buttman. Gr. Gr. §. 118. n. Matth. Gr. Gr. §. 426. 1. Ramsh. Gr. lat. p. 269. 6. Referuntur verba a posita ad totam, quae praecedit, sententiam, scil. quod manus intentaren Sic c. 3. 49. 2, 64 3, 27. 67. H. 1, 44. al. Frustra igitur Ernestius me di suspicionem movit; frustra Wagner in Seebod. bibl. crit. a. 1820. 852 sq. per ellipsin vel syllepsin haec explicare studuit.“ *Walth.* Cf. lo simill. H. 4, 19, 4. et Ind. III. v. *Appositio.* „Iam quaeris, cuiusnam *di cordiae* mentio fiat, quum discordiam diu saeviisse viderimus. Nimiru totius huius seditionis tres quasi actus seu gradus distinguuntur, inde c. 17., tum a c. 20, tum a verbis istis. Narraturus nunc est discordia praetorianos inter ac Pannonicos milites, iras horum novas et arma e pedita in cohortem Drusi. Huius extremi et atrocissimi actus praecip *causa*, i. e. occasio et materia, incentivum, fuit *intentatio* illa *manuum*. *Wolf.* — *Cn. Lentulo*, v. ad 4, 44, 1. — *ante alios*, *πρὸ ἄλλων*, aliis sup rior, sc. *ὤν*, *aetate et gloria belli*, cf. Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant. Part. ante alios*, ut 2, 3. 13, 54. (*fide ante Germanos esse*) H. 2, 76. 4, 5 5, 12. — *militiae flagitia*, v. ad 3, 17, 1. — *primus aspernari*, primu improbare. Cf. Ind. III. v. *Adiectiva pro Adverbiis.*

2. *provisu periculi*, „h. e. ut caveret periculum, quod immineb Vulgo interpretantur: quia periculum praevidebat. Cf. intpp. ad Sue

Oct. c. 10." *Walth.* *provisu p.* ut 12, 6. 12. 15, 8. H. 2, 5. 3, 22. v. ad G. 8. n. 1.

CAPUT XXVIII.

Noctem minacem et in scelus erupturam fors lenivit: nam luna claro repente coelo visa languescere. Id miles rationis ignarus omen praesentium accepit ac suis laboribus defectionem sideris assimilans, prospereque cessura, quae pergerent, si fulgor et claritudo deae redderetur. Igitur aeris sono, tubarum cornuumque concentu strepere. Prout splendidior obscuriorve, laetari aut maerere; et postquam ortae nubes offecere visui creditumque, conditam tenebris, ut sunt mobiles ad superstitionem perculsae semel mentes, sibi aeternum laborem portendi, sua facinora aversari deos, lamentantur. Utendum inclinatione ea Caesar et, quae casus obtulerat, in sapientiam vertenda ratus circumiri tentoria iubet. Accitur centurio Clemens et si alii bonis artibus grati in vulgus. Ii vigiliis, stationibus, custodiis portarum se inferunt, spem offerunt, metum intendunt. *Quousque filium Imperatoris obsidebimus? quis certaminum finis? Percennione et Vibuleno sacramentum dicturi sumus? Percennius et Vibulenus stipendia militibus, agros emeritis largientur? denique pro Neronibus et Drusis imperium populi Romani capessent? Quin potius, ut novissimi in culpam, ita primi ad poenitentiam sumus! Tarda sunt, quae in commune expostulantur: privatam gratiam statim mereare, statim recipias.* Commotis per haec mentibus et inter se suspectis, tironem a veterano, legionem a legione dissociant. Tum redire paulatim amor obsequii. Omittunt portas; signa unum in locum principio seditionis congregata suas in sedes referunt.

1. *Noctem minacem et in scelus erupturam,* cf. Ind. III. v. *Participia Futuri.* Eleganter *nox, tempus, dies, annus, aestas* dicuntur de rebus, quae in iis contingunt, et de hominibus, qui in illis agunt. Similiter *speculati noctem incustoditam* (captantes opportunitatem noctis, in qua sine custodibus esset et praesidiis) 2, 40. *tempus egregium vita famaque — occultum et subdolum* 6, 51. Cf. Ind. II. — *nam luna claro repente coelo visa languescere* edd. rec. ex emend. Lipsii. *clamore pena coelo* MS. *clariore pene coelo* edd. Ber. Rhen. et al. *clariore* (claro) *plena coelo* coni. Salin. *clarore* (lumine solis, quod luna recipit) *plena coelo* Nerius Ann. 1, 4. *luna clara et orbe plena* Walth. quia non nisi plenilunii die defectio lunae accidere possit. Sed verum vidit Lipsius; *Ern.* Haec lunae eclipsis certa testis incipientis principatus Tiberiani; *Wolf.* Ex rationibus Petavii de doctr. temp. 1, 8. p. 822. 11, 10, 6. p. 299. fuit ea VI Kal. Oct. a. U. 767. p. Chr. n. 14. „Dio 57, 4. brevius dicit τῆς δὲ δὴ σελήνης ἐκλιπούσης. Idem 60, 26. exponit rationes causasque defectionum solis et lunae. Has inter prodigia esse habitas multis exemplis docet Freinsh. ad Curt. 4, 10. Cf. et Frontin. Strateg. 1, 12. *languescere,* labore confici." *Walth.* Verba seqq. *prout splendidior obscuriorve luna* ex optica fallacia pendere, nam lunam in defectione sensim et primum quidem obscuriorem fieri, deinde splendidiorem, credebat Bredenkamp in Magazin für öffentl. Schulen. Bremen 1790. 1, 2. p. 427.

2. *Id miles, rationis verae ignarus ac suis laboribus defectionem sideris*

assimilans, omen praesentium accepit prospereque, prospere quoque (v. a 2, 37, 1.) cessura sc. opinatus est, putavit, vel dixit, *quae pergerent* cet Ita Walth. (cuius tamen annotata non omnia sunt probanda) et Roth. i Seebodii Prompt. N. (N. Archiv für Phil.) a. 1829. n. 22. Idem et vir docto in Ephem. schol. Darmst. a. 1826. p. 278. et mihi in mentem ve nerat. Cf. Ind. III. v. *Ellipsis* et *Syllepsis*. *a suis* MS. sed *ac suis* i marg. ut in omnibus edd. *ac* delebant Freinsh. et Rickl. *hanc* con Heins. *Id miles accepit*, interpretatus est tanquam *omen praesentium* re rum, vel accepit pro omine, in omen, ut ap. Liv. 21, 63. Sed *omina ac cipere* h. l. vulgari sensu dictum videtur, de quo Plin. 28, 2. s. 4. *omin ostentaque in hominum potestate esse ac, prout quaeque accepta essent, it valere*. Omina enim vel impleri et evenire, vel eludi et averti s. aver runcari credebantur, si homines indicarent facto aliquo aut dicerent, s vel *accipere* vel *non accipere omina*. Cf. ad 1, 67, 1. 2, 13, 2. H. 1, 6 Liv. 1, 9. 5, 55. Cic. de div. 1, 46. 2, 40. Plut. in Aemil. p. 260. Hin *placet omen* ap. Liv. 29, 27. *defectionem sideris*, lunae, *assimilans*, com parans, (ut 15, 39.) *suis laboribus*, aerumnis, quae bene ita dicuntur h. l quia *aeris sono, tubarum cornuumque concentu* (interpret. verborum *aer sono*) lunae deficientis et cum magis pugnantis *labores* levari vel ei la boranti succurri posse, credebant olim homines verae *rationis ignari*. v intpp. Liv. 26, 5. Sil. 8, 500. Iuvenal. 6, 443. Virg. Ecl. 8, 69. Tibul 1, 8, 21. Plin. 2, 9. s. 12. Ovid. Met. 3, 532. 7, 207. Theocr. 2, 3 *adsimulans* edd. Ber. Rhen. et rec. *adsimilans* edd. quaedam. In MS Flor. *adsimulare* 15, 39. sed *adsimilatis* 11, 11. 16, 17. et *similans* 13, 4 Cf. ad G. 9. n. 6. *cessura*, processura esse. v. ad Agr. 18. n. 4. „Herr mannus coni. *prospere aeque*, qui pessimus est hiatus, et Wopkens. *ac cipiebat, suis laboribus* cet. quod commodissimum videbatur Wolfio. Se Aoristo potius quam Imperfecto hic locus est et ita membrum alteru valde languet. Anacoluthon h. l. inesse putat Kiessl. et structuram in ceptam abrumpi post *redderetur*." *Walth.* — *quae pergerent*: in MS. *que gererent* et in marg. *quae peragerent*. Illud etiam coni. Rhen. et ho Pich. ut *quo* (ad quae patranda) *pergerent* Heins. *quae urgerent* Gro *quae agerent* Davis. ad Cic. de leg. 2. extr. Alii vulgatum defendun sed non eadem ratione. *Pergere rem* antiquo usu est studiose tractar in re molienda ac persequenda quum maxime occupari; *Wopk.* Lect Tull. 3, 2. Sic et alia verba neutra similis potestatis olim cum quar casu poni solita, v. c. *petere* (iter), *contendere* et inpr. *properare*; *Wol* „Eodem iure dicitur *aliquid pergere*, v. c. *iter* 3, 66. 4, 20. 15, 27. I 3, 68. (ubi insolentius *iter solum, quod in sacram viam pergeret, pateba* i. e. quo ipse Vitellius in s. viam pergeret) quo *aliquid festinare* 4, 2 6, 40. 44. 50. 12, 25. 14, 33. H. 1, 90. 2, 57. 82. 3, 37. 4, 67. *aliqu maturare* 12, 41. 15, 59. *aliquid properare* 1, 18. 2, 6. 22. 31. 80. 3, 6 4, 69. 11, 37. H. 3, 40. *id perpulerant* H. 2, 62. *quod et utraque pervice* 12, 59. 14, 14. *id laetor, id gratulor* et similia, in quibus Accusativ Pronominum verbis iungitur loco praepositionum. Nihil est quo offe damus h. l., quum reputamus, *pergere* ortum esse ex *per* et *regere*, *porrigo* ex *pro* et *rego*, et sic *arrigo, erigo, dirigo, corrigo*, quae omn accusat. recipiunt." *Boett.* in Lex. Tac. p. 19. 198. 389. „*quae perg rent* sc. facere, agere, ut *pergere iter* sc. ire s. persequi. Sall. Iug. 7 *perge reliqua* sc. dicere Cic. ad Att. 4, 11. *libros evigilavit*, vigilan confecit, Ovid. Trist. 1, 1, 107. et similia." Ramshorn. Gram. p. 2 Cf. Ind. III. v. *Ellipses* et *Oratio praegnans*. „Observasse mihi video *pergere* ap. Tac. esse synonymum verbo Gr. σπεύδειν. Nam *pergere* vel *in* 1, 40. 41. 5, 10. al. dictum ut σπεύδειν et σπεύδεσθαι εἰς τι Herodian. 5, 8, 15. et al. *pergere* cum Inf. 1, 51. (ubi iunguntur *perg rent, properarent*) H. 1, 40. ut σπεύδων ἰδεῖν et ἐπιστῆναι ap. Herodi

1, 11, 7. 5, 8, 15. Iam haud temere puto, *pergere* etiam cum accusat. poni ut σπεύδειν, intellecto aliquo Infinitivo, ut sit operam dare alicui rei, tendere ad aliquid, properare aliquid. Sic Herodot. 1, 206. παῦσαι σπεύδων, τὰ σπεύδεις, Eurip. Phoen. 591. δύο κακὰ σπεύδεις, Soph. El. 251. τὸ σὸν σπεύδουσ' ἅμα καὶ τοὐμὸν αὐτῆς, plane ut Noster *quae pergerent*. Ceterum nota Optativum, qui indicat non quae nunc agant, sed quae porro peragenda in animo habebant; non *pergant*, sed *pergerent*," *Walth.* Ingeniosa haec: sed *pergere* minus respondere videtur Graeco σπεύδειν, quam *festinare, maturare, properare*. — *fulgor et claritudo*, v. Ind. III. v. *Synonyma*.

3. *aeris sono, tubarum c. c. strepere*, v. nota 2. — *prout splendidior obscuriorve*, cf. nota 1. — *mobiles*, v. ad 4, 17, 1. — *perculsae semel mentes*, v. ad 1, 12, 3. — *portendi*: MS. *potandi*, sed in marg. *portendi*. — *sua facinora aversari deos* edd. Rhen. et sqq. *adversari* MS. edd. Ber. Weik. Ita et *adversari aliquid* H. 1, 1. 38. 3, 25. 4, 84. multisque aliorum scriptorum locis in plerisque MSS. legitur probb. Bip. et Oberl. qui id interpretantur *adverso animo accipere* et perperam provocant ad loca Plauti Cas. 2, 3, 35. et Merc. 2, 3, 43. quibus non *adversari quid*, sed *adversus aliquid* dictum reperies. „Gesnero in Thes. Lat. non videbatur admodum probabile, in omnibus his locis esse vitium scripturae. Sed sciendum, omnes, quos habemus Taciti libros ex uno codice fluxisse. Hinc et *adversam* in optimis libris pro *aversam*, sed H. 3, 25. *aversaretur* in Flor. Praeterea H. 1, 1. *pronis auribus accipere*, quod opponitur, bene convenit verbo *aversari*, non *adversari*." *Ern.* ad H. 1, 1. „Tacitus utroque verbo utitur. *Aversari* est male affici aliqua re, aegre ferre, nolle aliquid, ut 6, 26. H. 3, 25. Suet. Tib. 27. *Adversari* significat, adversarium esse alicuius hominis vel rei. Id c. 27. 2, 67. 4, 37. al. ponitur cum Dativo, qui exprimit subiectum, cuius aliquis est adversarius, ut persona vel res in Dativo posita et is, qui adversatur, invicem sint cogitandi adversi. Ponitur vero etiam H. 1, 1. 38. 4, 84. cum Accusativo, qui indicat obiectum, circa quod aliquis est adversarius, h. e. eam rem vel personam, quam impedire studet ut adversarius. Sensus saepissime ex utraque structura eodem redit; et sunt verba haud pauca, quae Dativo et Accus. iunguntur. v. Ramsh. Gram. §. 122. Iam *sua facinora adversari deos* minime ineptum esse vides; nam cur dii non dicantur impedire facinora rebellantium, ut H. 1, 38. *adoptionem*, nulla est causa. At non minus aptum est *aversari*, quum *facinoribus* insit notio atrocitatis, flagitii." *Walth.* Sed *adversari* nonnullis Taciti aliorumque scriptorum locis pravam esse scripturam mediae aetatis, recte, opinor, contendunt Ern. ad H. 1, 1. Drak. ad Liv. 8, 7, 14. Cort. ad Sall. Jug. 93. Oudend. ad Suet. Tib. 27. et Schwarz. ad Plin. pan. 46. — *Utendum inclinatione ea* sc. mentium ad superstitionem. Conversione animorum; *Ern.* *Uti re*, ut 3, 28. 12, 57. H. 3, 2. et Gr. χρῆσθαι τινί, rem in suam utilitatem convertere. — *centurio Clemens*, cf. cap. 23. 26. — *et si alii* MS. edd. Ber. et cet. ante Lips. ut Pich. et rec. *et si qui alii* edd. Lips. et Grut. „*et qui alii* vel *et si qui* vult Wopk. Frustra. Non enim omnes bonis artibus gratos in vulgus tum accitos puta; immo quosdam." *Walth.* — *bonis artibus grati in vulgus*, v. ad 1, 76. — *ii vigiliis, stationibus, custodiis p. se inserunt* edd. Pich. et rec. ex coni. Lips. in marg. *in vigiliis* MS. et edd. vet. „Quod sic potest intelligi: militibus vel eorum colloquiis, sermonibus se inserunt in vigiliis, ut 14, 43 pr. *in hoc ordine interfui*. Haud inepte *hi vig.* dedit Weik." *Walth.* et *Kiessl.* Cf. Ind. III. v. *Abstracta pro Concretis*. Quatuor erant *excubiae* diurnae et *vigiliae* nocturnae, tubae sono indictae, quaevis trium horarum et IV peditum equitumque. v. Polyb. 6, 35. *Stationes*, in quibus etiam custodiae, unius cohortis et turmae equitum ad singulas castrorum

portas tempore meridiano mutatae. v. ad 15, 30. Sil. 7, 154 sq. Liv 44, 33. Lips. de mil. Rom. 5, 8. — *metum intendunt* militibus, vel i milites, ut *intentare*, proprie de telis et ictu. Cf. Ind. II. et Gierig. a Plin. ep. 3, 9, 21. — *filium imperatoris obsidebimus*, cf. c. 25. περιεφρού ρησαν αὐτὸν, μὴ διαφύγῃ Dio, *Walth.* — *Percennione*: in MS. *percennion*

4. *Percennius et Vibulenus* v. cap. 16 sq. et 22. — *denique* est id qd. ut rem in compendium mittam, ut paucis absolvam, usurpaturque quum multa dicenda sunt, sed ad id, quod maximum est et validissi mum, properans oratio ante exspectatum abrumpitur, *Freinsh.* „Sic, s quid aliis rebus praemissis brevi praeciditur, *denique* 1, 26. 72. 2, 69. 6 22. *postremo*, sed ita ut minus praecidatur oratio quam incertis rebu enuntiatis confirmetur eo, quod dubium non esse videatur, 1, 2. (gewiſs doch) H. 1, 39. Plin. pan. 4. (ubi est id. qd. *denique*) *porr* Agr. 15, 31. *prorsus* H. 2, 5. Sall. Cat. 15, 25. Iug. 76. *breviter* Plin 3, 6. *in summa* Hirt. b. Alex. 71. Quintil. 9, 2, 72. Plin. ep. 6, 21.' *Boett.* in Lex. Tac. — *pro Neronibus et Drusis*, pro Tiberio et Druso Cf. Ind. III. v. *Numerus Plur. pro Sing.* — *ut novissimi* (ultimi) *in cul pam, ita primi ad poenitentiam sumus*, cf. Ind. II. v. *in* et *ad*, et Ind. III v. *Oratio variata*. Hoc dictum ad meliores militum; *Lips.* Immo ad *tiro nes*, qui maxime in vigiliis et a *veteranis* concitati erant; *Freinsh.* For tasse Clemens aliique arte quadam, ut quosque alloquebantur, simulave runt credere, postremos eos ac fere coactos descendisse in culpam, qu facilius hos in poenitentiam et spem veniae perducerent; *Pich.* Sediti coepit a veteranis, qui dein ceteros traxerunt: sed aliquid simulationi adspersum haud negaverim; *Walth.*

5. *Tarda sunt*, tarde, lente conceduntur, *quae in commune*, pro et a omnibus, (v. Ind. II. v. *in* et ad 15, 12.) *expostulantur*, postulantur, ve acriter et enixe postulantur, ut 3, 14. 12, 46. 15, 17. 53. H. 1, 45. 3, 8 E contrario cita sunt, quae a paucis et *privatam gratiam meritis* expostu lantur; *Brot.* — *tironem*, tirones, qui stipendia nondum compleverant Lips. Cf. Ind. III. v. *Numerus Sing. pro Plur.*

CAPUT XXIX.

Drusus orto die et vocata concione, quanquam rudi dicendi, nobilitate ingenita incusat priora, probat praesentia negat se terrore et minis vinci: flexos ad modestiam si videat si supplices audiat, scripturum patri, ut placatus legionum preces exciperet. Orantibus, rursum idem Blaesus et L Apronius, eques Romanus e cohorte Drusi, Iustusque Cato nius, primi ordinis centurio, ad Tiberium mittuntur. Cer tatum inde sententiis, quum alii, opperiendos legatos atqu interim comitate permulcendum militem, censerent; alii, for tioribus remediis agendum: nihil in vulgo modicum: terrere ni paveant: ubi pertimuerint, impune contemni: dum superstitio urgeat, adiiciendos ex duce metus sublatis seditionis aucto ribus. Promptum ad asperiora ingenium Druso erat. Vo catos Vibulenum et Percennium interfici iubet. Tradun plerique, intra tabernaculum ducis obrutos; alii, corpor extra vallum abiecta ostentui.

1. *orto die et vocata concione*, v. ad 1, 55, 1. *contentione* MS. — *no bilitate ingenita*, v. Ind. III. v. *Ablativi qualitatis*, et H. 1, 30. pr. ub *nobilitas modestiae* opponitur. Sic *nobilitas dolendi* ap. Lucan. 8, 329. e

nobilis ira ap. Claudian. b. Get. 376. in quibus plus intelligitur quam dicitur; *Lips.* *Nobilitas* h. l. est γενναιότης, animi firmitas; *Freinsh.* „Etenim nobilitas addit fiduciam, conscientiam et, ut 15, 26. dicitur, *auctoritatem, quae ei pro facundia erat.* *vocalitate ing.* coni. Grut. in Misc. Nov. Lips. V, 3. p. 518." *Walth.* „*Nobilitas* h. l. et H. 30. est superbia, pervicacia, magis tamen conscientia virtutum arrogantia quadam permixta. Cf. Liv. 38, 54. et Plaut. Mil. 4, 8, 14. Hinc *nobilis* in malam quoque partem usurpatur, ut sit famosus, δύςφημος. Sic H. 3, 39. Cic. p. Coel. 13. pet. cons. 3." *Boett.* in Lex. Tac. — *preces exciperet:* „Immo *excipiat*, quod legitima ratio postulat. Vulgatum est a librario Langobardico et germanizante." *Ern.* Hoc probat Croll. et Imperf. h. l. nimis insolens videtur, non tamen ad Taciti mentem; *Wolf.* „*Exciperet* est Optativus et rectissime ponitur. Drusus enim non certus est neque pro certo hoc vult affirmare, sed scripturus est, si forte vellet Tiberius, placatus exciperet. E sola Drusi cogitatione res pendet. Sic ὡς - ἐεδνώσαιτο θύγατρα, δοίη δὲ cet. Hom. Od. 2, 53. πέμπει - ὅπως - ἐπαγάγοι Thucyd. 1, 109." *Walth.* Cf. Ind. III. v. *Verborum Tempora.*

2. *Orantibus*, v. Ind. III. v. *Ablativi absolute positi.* — *e cohorte Drusi:* nam amici, propinqui, philosophi, grammatici, rhetores, adolescentes nobiles et optimae spei a viris summis et ditioribus, consuetudinis otiique iucunde fallendi causa, tum Romae ali solebant, (*convictores, cohors urbana* et *aulica*) tum in provincias et expeditiones duci, unde *comites* dicuntur, *comites peregrinationis et expeditionis, sectatores, assectatores, contubernium, contubernales.* Cf. ad 6, 9. 1. 2, 2. 3, 10. 13. 11, 21. Agr. 5. Plin. ep. 10, 95. Suet. in Caes. 10. in Tib. 46. in Cal. 19. in Vesp. 3. Cort. ad Sall. Iug. 64. Ern. clav. Cic. v. *Contubernales* et inpr. in Exc. XV. ad Suet. in quo etiam docuit, aliam esse *cohortem praetoriam*, comites magistratuum provincialium, praefectos, medicos, scribas, accensos, haruspices, *praecones, comites delectos, cohortem* et *manum* Verris ap. Cic. Verr. 2, 10. (*gravem comitatum* legati H. 4, 14.) alios quoque comites et amicos Imperatorum, e senatu et equestri ordine lectos, consilium Principis privatum, ap. Suet. Tit. 40. et Spartian. Hadr. c. 18. qui a Constantino et Hadriano in tres ordines distributi sint. v. Euseb. vit. Constant. 2, 31. et Gothofr. l. l. cod. Theod. de Comit. et trib. schol. p. 100. Cf. ad 6, 9, 1. — *Justus Catonius, primi ordinis*, pili, *centurio*, v. ad 2, 11, 1. „Credo eum esse, qui postea Praef. praet. imperante Claudio et Messalinae fraude interfectus. v. Dio 60, 18." *Lips.* — *permulcendum*: in MS. *primulcendum.*

3. *nihil in vulgo modicum*, moderatum, ut ap. Cic. p. Planc. 4. *Non est enim consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia*; *Brot.* — *dum superstitio* (v. cap. 28.) *urgeat*, eos angat, obnoxios habeat; *Ern.* — *ex duce metus*, metum, Germ. die Furcht vor dem Feldherrn, ut *metus* et *timor ex aliquo* 2, 38. 3, 55. 65. 11, 20. H. 2, 67. Agr. 16. Sic ap. Sall. de rep. ad Caes. c. 1. extr. *formido ex multis*; *Lips.* cf. Ind. II. — *obrutos* (sc. terra, obtectos) sepultos, aut properatae scrobi iniectos: (cf. c. 61.) nam necatos esse, per se et ex antecedd. apparet; *Ern.* cf. Dio 57, 4. — *extra vallum abiecta*, v. ad 1, 22, 3. „Sic *ante vallum* c. 32. Nam corpora eorum, in quos animadversum, ut in oppidis extra muros, sic in castris extra vallum abiecta in eum locum, qui fuit extra portam decumanam a castrorum tergo. v. Veget. 1, 23. Sen. de ira 1, 16. Hirt. b. Afric. c. 46. Calpurn. declam. 7. in ipso argumento." *Lips.* *obiecta ostentui*, ut omnibus spectaculo essent, Germ. zur Schau. Cf. 12, 14. 15, 29 extr. 64. H. 1, 78. 3, 35. Ind. III. v. *Dativus obiectivus.*

CAPUT XXX.

Tum, ut quisque praecipuus turbator, conquisiti, et pars,

extra castra palantes, a centurionibus aut praetoriarum co hortium militibus caesi; quosdam ipsi manipuli, documentum fidei, tradidere. Auxerat militum curas praematura hiems imbribus continuis adeoque saevis, ut non egredi tentoria congregari inter se, vix tutari signa possent, quae turbin atque unda raptabantur. Durabat et formido coelestis irae nec frustra adversus impios hebescere sidera, ruere tempe states: non aliud malorum levamentum, quam si linquerent castra infausta temerataque et soluti piaculo suis quisqu hibernis redderentur. Primum octava, dein quintadecum legio rediere. Nonanus, *opperiendas Tiberii epistolas*, cla mitaverat, mox desolatus aliorum discessione imminentem necessitatem sponte praevenit. Et Drusus, non exspectat legatorum regressu, quia praesentia satis consederant, in Ur bem rediit.

1. *praecipuus turbator*, ut 1, 55. et 3, 27 — *documentum fidei*, tan quam s. in doc. fidei, ut ita fides probaretur. Cf. Ind. III. v. *Appositi* — *vix tutari signa*, erecta habere et servare in principiis, ubi defixa *Lips*. „Habitum hoc in diris: quippe signa numina legionum erant. Flor. 3, 11, 3. ibique Duk." *Wolf*. Cf. ad 1, 20, 1. 1, 37. 1, 39. Stewec ad Veget. 1, 23.

2. *hebescere sidera*, c. 28. *lunam languescere*, ubi *tempestatum* nul mentio. Cf. Dio 57, 4. — *soluti piaculo*, his criminibus piaculo digni *Brot*. „*Piaculum* h. l. non ipsa modo culpa, sed omne id, quod culpa quoquo modo cohaeret. Ita hi non rebantur se satis purgari posse, ni etiam locum, in quo peccassent, tanquam infaustum pollutumque reli querent." *Freinsh*. — *hibernis redderentur* cet. cf. ad c. 16. n. 1.

3. *desolatus aliorum discessione*, postquam alii discesserant. *desola tus*, μονωθεὶς Gloss. vet., solus relictus; *Lips*. Cf. ad 12, 26. 16, 3 Virg. Aen. 11, 870. et Gron. obss. 4, 21. ubi docet, *desolare* proprie es ad solitudinem et vastitatem redigere, non (quod Ferrettus ad 12, 2 annotavit) tanquam de solio deiicere, ut *desolatus* inde sit deiectus demissus. — *aliorum discessione*, ceterorum. Cf. Ind. II. et ad 12, 26. *praesentia*, haec seditio. — *consederant* (sedata erant) edd. Lips. et re ex emend. Rhen. qui etiam coni. *composuerat*. *considerant* MS. „Ita ed. Ber. ut a verbo *considĕre*. Sed *sedisse* a *sidere* 2, 47. *consyderat* ed Rhen. Ald. ut *praesentia* sit in num. sing.

CAPUT XXXI.

Iisdem ferme diebus, iisdem causis Germanicae legion turbatae, quanto plures, tanto violentius, et magna spe for ut Germanicus Caesar imperium alterius pati nequiret daretq se legionibus vi sua cuncta tracturis. Duo apud ripam Rhe exercitus erant. Cui nomen superiori, sub C. Silio legato; i feriorem A. Caecina curabat. Regimen summae rei penes Ge manicum agendo Galliarum censui tum intentum. Sed quib Silius moderabatur, mente ambigua fortunam seditionis alien speculabantur: inferioris exercitus miles in rabiem prolaps est, orto ab unaetvicesimanis quintanisque initio et tractis pr ma quoque ac vicesima legionibus: nam iisdem aestivis, in nibus Ubiorum, habebantur per otium aut levia munia. Igit

audito fine Augusti vernacula multitudo, nuper acto in Urbe delectu, lasciviae sueta, laborum intolerans, implere ceterorum rudes animos: *Venisse tempus, quo veterani maturam missionem, iuvenes largiora stipendia, cuncti modum miseriarum exposcerent saevitiamque centurionum ulciscerentur.* Non unus haec, ut Pannonicas inter legiones Percennius, nec apud trepidas militum aures alios validiores exercitus respicientium, sed multa seditionis ora vocesque: *sua in manu sitam rem Romanam, suis victoriis augeri rem publicam, in suum cognomentum asscisci imperatores.*

1. *Germanicae legiones — apud ripam Rheni* cet. cf. Dio 57, 5. Suet. Tib. 25. Vell. 2, 125. Augustus orientalem Galliae Belgicae partem in duas partes divisit easque appellavit Germaniam superiorem et inferiorem: unde et *exercitus superior*, qui in illa erat, *inferior*, qui in hac; *Brot.* Cf. ad G. 1. n. 1. In utraque erant IV legiones. Cf. c. 3. — *daret se legionibus*, ad imperium ipsi deferendum pronis, (v. cap. 33. 35.) sc. facilem, ut earum voluntati obsequeretur vel fidei se committeret. — *vi sua cuncta tracturis* ad se s. partes suas, ut H. 2, 86. 3, 44. *tracturis* ex emend. Lips. et Freinsh. recte, opinor, recepere Wolf. Bekk. Lün. Walth. „Sequentia sensum hunc non improbant; iactant enim extr. cap. *sua in manu sitam rem Romanam*, et statim subiicit Tacitus de harum legionum viribus. Tamen et vulgata lectio *tracturus* in MS. et edd. vet. commodum fundit sensum; nimirum speravisse legiones, ut, mortuo nunc Augusto, Germanicus cupiditate aliqua imperii sollicitatus mallet sibi ipse imperium asserere, quam alium Imperatorem ferre, quum hoc ipsi facile factu foret, *vi sua cuncta tracturus*, modo opera legionum nihil magis optantium uti sustineret.“ *Ryck.* Suffragatur Ern. sed refutavit ea *Wolf.* his verbis: „Sicut extr. hoc cap. *sua* ad milites spectat, ita hic quoque. Si ad Germanicum spectaret, tamen *sua vis* esset ea, quam ab exercitu mutuaretur; igitur non *sua*, sed *aliena*. Tam ambigue non loquuntur veteres; nec possunt haec ex nostrarum linguarum vitiis iudicari. Quare ut omittam, quantum legiones praevalentes suarum opum fiducia deceat, (illa enim *magna spes* est militum) ad Lipsii et Freinsh. coniecturam ipsa constructio nos trahit vi sua. Cf. et cap. 35 med.“ *vi sua* omnino ad legiones spectat, ad eas tamen referri non potest, si legitur *tracturus*, etsi id contendunt Kiessl. et Steuber. in Seeb. bibl. crit. a. 1827. p. 1083. — *Silio*: MS. *filio*, in marg. *silio.* De C. *Silio* et *A. Caecina* Severo v. Ind. I. et de illo Suet. Aug. 101. — *curabat*, ut mox *moderabatur*. v. ad 4, 36, 3. — *agendo Galliarum censui*, cf. ad c. 33. n. 1. 2, 6. 14, 46. ad H. 4, 36. et inpr. Lips. Exc. X. ad Tac. Ann. I.

2. *seditionis alienae*, quam moverat exercitus inferior s. Germaniae inf.; *Brot.* — *unaetvicesimanis* edd. rec. ex emend. Lips. *un et vices.* MS. *unetvices.* et pessime *undevices.* (nam legio XIX cum Varo deleta, c. 60.) edd. vet. *una et vic.* ed. *Brot.* ut in MSS. H. 2, 43. 4, 78. In Germ. inf. hac aetate fuerunt legiones I. V. XX. et XXI. earumque ferocissimae V. et XXI. v. cap. 37. 45. 51. 60. H. 1, 61. 67. 2, 43. 100. 4, 78. — *prima legio*, v. Ind. I. et ad c. 42. „De ea erudite disseruit Bimardus in Murator. Thes. inscr. T. I. p. 95 sq.“ *Ern.* — *in finibus Ubiorum*, a M. Agrippa e dextra Rheni ripa ad sinistram in Galliam traductorum, a quibus eo fortasse loco, ubi *ara Ubiorum* fuit, conditum *oppidum Ubiorum*, quo ab Agrippina Germanici filia et Claudii uxore ibi nata, non ab Agrippina Agrippae et Iuliae filia, Germanici coniuge, deducta a. U. 804. veteranorum colonia; unde urbs appellata *colonia Agrippina*, rectius *col. Agrippinensis* et *Agrippinensium*, hod. Cöln. v. 1, 36. 37. 39. 45. 57.

71. inpr. 12, 27. nec non H. 4, 28. 64. 65. G. 28. n. 16. Strab. 4, 3, 4 Dio 48. 49. 50, 24. Caes. b. G. 1, 54. 4, 3. 16. Rau laud. ad c. 3. n. 4 Wilhelm. German. p. 117. Fiedler Geschichten u. Alterth. des unter Germ. Essen 1824. T. 1. Minola Beitr. zur Übersicht d. röm. deutsch Gesch. Sect. IV. qui de loco, ubi *ara Ubiorum* fuerit, non consentiunt Haec vero *ara* Augusto, opinor, novo coeliti, recepta adulatione, ex structa, ut Lugduni, (v. Suet. Claud. 2.) et ad eam sacerdotes ex primo ribus gentis; *Lips.* ad 1, 57. Cf. Barth über die Druiden der Kelten, Er lang. 1826. p. 152. et ad G. 7. n. 3.

3. *audito fine Augusti*, v. ad 2, 71, 2. — *nuper acto in Urbe delectu* „ante quinque circiter annos, nuntiata in Urbe clade Variana, quum quidem Romae subitum militem Augustus conscripsit ad tutelam ripa Rheni, et plerosque e libertinis. v. Suet. Aug. 25. et Dio 56, 23. 57, 5. *Lips.* Hinc *vernacula multitudo.* v. ad H. 2, 88. *Nuper* vero et mod de longiori tempore dicuntur. v. ad H. 4, 17. — *lasciviae sueta*, ad sueta. Cf. Ind. II. et III. v. *Verba simpl. pro comp.* — *laborum intolerans*, v ad 4, 1. — *implere* MS. et edd. vet. *impellere* ex emend. Acid. recepere Wol Bekk. Lün. Kiessl. „Vulg. *implere* Index Ern. explicabat *contagione im buere*, anstecken, nescio quo auctore; Wopkens. *exagitare, concitare* laudatis quidem auctoribus, sed parum validis. Aures seditiosorum *im plere*, animos *impellere* Latinum est.“ *Wolf.* Cf. ad c. 16. n. 2. „Imm *implere* h. l. dictum pro *morbo inficere, contaminare*, ut ap. Liv. 4, 30 *urbs deinde impletur* et ἀφ' ἑτέρου θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι ap. Thuc. 2 51. Plura dabit Ruhnk. ad Tim. p. 31.“ *Doederl.* in Seeb. N. Archi f. Philol. a. 1826. 1, 4. p. 78. Sed exempla haec non satis apta. Maller exponere *implet* sc. talibus s. his vocibus, h. e. hortatibus, ut ap. Sil. 1 165. 5, 150. 8, 29. Val. Fl. 2, 126. et 167. „Noster c. 16. in simili r dixit *impellere*, sed ob vocem *ambigentes*; nam ambigentes impelluntu Hic autem sermo est de consiliis, studiis, sensibus, quibus rudes anim sint imbuti, ut *venisse tempus* cet. Hinc aptius est *implere*, Gr. ἐμπλή θειν.“ *Walth.* Cf. 4, 9. et ad H. 1, 16.

4. *Non unus haec* sc. dixit. „Mutavi interpunctionem et delevi po *legiones* incisum, ne sit *unus Percennius*, nomen propr. pro appellativ Oritur hinc acumen quoddam, quod dubito an sit veterum linguarum. *Wolf.* De *Percennio* v. cap. 16 sq. — *multa seditionis ora vocesque*, mul seditiosi uno ore vociferabantur. Non synon. sed Hendiadyoin: mul ora, ex quibus voces prodirent; *Walth.* — *in suum cognomentum ascis imperatores*, a se tanquam pugnacissima gente *Germanicos* cognominar Cf. ad 1, 8, 2. 2, 26 extr. Suet. Cal. 1. et Dio 55, 2. „*imperaturos*, i e. qui in spe principatus, scrib. censeo, quia ad hoc aevi solus Drusu et Germanicus cognomine illo usi, et si quisquam ex Imperatoribus, so lus certe Tiberius. cf. H. 2, 59.“ *Lips.* Alii *imperatores* intelligunt duc exercituum, et recte, ut sensus sit, qui imperatores fiant, exercitui Ge manico maxime praefici, ut Germanicorum cognomen accipiant velu omnium gloriosissimum, sive hoc maxime cognomen petere ac sumer *Ern.* „Ad gloriationem satis erat, adhuc duos tres duces ita appellat fuisse. Militi militaris usus nominis conveniebat. Quid de vocabul mutetur Romae, isti non curant. Et quando illic *Imperator* usurpa coepit pro *Principe?* Cf. Lamprid. Sever. c. 4 pr. Germanico exercit superbia creverat ex eo, quod duces tum e nulla gente praeterquam Germanis cognomentum sumpserant.“ *Wolf.*

CAPUT XXXII.

Nec legatus obviam ibat: quippe plurium vecordia consta tiam exemerat. Repente lymphati destrictis gladiis in cent

riones invadunt, (ea vetustissima militaribus odiis materies et saeviendi principium) prostratos verberibus mulctant, sexageni singulos, ut numerum centurionum adaequarent. Tum convulsos laniatosque et partim exanimos ante vallum aut in amnem Rhenum proiiciunt. Septimius, quum perfugisset ad tribunal pedibusque Caecinae advolveretur, eo usque flagitatus est, donec ad exitium dederetur. Cassius Chaerea, mox caede C. Caesaris memoriam apud posteros adeptus, tum adolescens et animi ferox, inter obstantes et armatos ferro viam patefecit. Non tribunus ultra, non castrorum praefectus ius obtinuit: vigilias, stationes et si qua alia praesens usus indixerat, ipsi partiebantur. Id militares animos altius coniectantibus praecipuum indicium magni atque implacabilis motus, quod neque disiecti, nil paucorum instinctu, sed pariter ardescerent, pariter silerent, tanta aequalitate et constantia, ut regi crederes.

1. *Nec legatus* (A. Caecina) *obviam ibat*, adversabatur iis, ut Blaesus legionibus Pannonicis c. 16. 18. 19. 21. — *constantiam exuerat*, ei ademerat, ut 11, 32. 13, 15. *exuerat* coni. Mur. — *lymphati*, propr. *νυμφόληπτοι*, qui subito aspectu *nymphae* aquaticae s. numinis in *lympha* s. aqua consternati aquam timere et ab irato deo in furorem agi credebantur; hinc vel perterriti, perturbati, vel furiosi, insani. v. Cuperi obss. 3, 12. Burm. ad Val. Fl. 3, 46. — *destrictis gladiis*, (de vagina strictis) ex emend. Gron. *districtis* MS. et edd. vet. Cf. c. 44. 12, 51. 14, 8. 15, 58. H. 4, 50. et intpp. Hor. od. 3, 1, 17. — *in centuriones invadunt* ut c. 67. impetum faciunt, irrumpunt: at *invadere aliquem* est per vim potiri aliquo; *Walth.* — *odiis materies*, odii causa. Cf. c. 17 pr. et med. — *prostratos*: " ex more fustuarii. v. Casaub. ad Suet. Tib. 60. „*Pich.* et *Wolf.* — *mulctant* et *multant* edd. vet. *mulcant* MS. edd. Lips. Pich. et rec. v. ad G. 12. n. 7. — *sexageni singulos* — *adaequarent*, v. ad c. 17. n. 1.

2. *Cassius Chaerea* — *adeptus*, v. Dio 59, 29. 30. et Suet. Cal. 56. 57. — *tum adolescens*, admodum XXX annorum et amplius, qui *senior* dicitur Suet. quum Caligulam occideret; *Wolf.* Cf. ad 1, 3, 8. — *animi ferox*, v. Ind. III. v. *Genitivi Adiectivis iuncti.* — *obstantes et armatos*, v. ad 1, 2, 7. et 3, 1, 3. — *ius obtinuit* suum, servavit et exercuit. — *si qua*, aliqua, *alia praesens usus*, res et tempus, *indixerat* ei, exegerat. — *militares animos altius coniectantibus*, v. ad 2, 82. — *praecipuum indicium* cet. quae enim impetu iraque manifesta fiunt, durare non solent, magisque metuendi, qui etiam in media ira lenti sunt, qui nihil incomposite et inordinate faciunt et cum ratione insaniunt; *Mur.* — *neque disiecti*, separati, (ut Pannon. legiones c. 18. 23.) *nil paucorum instinctu*, ut Percennii et Vibuleni c. 16 sq. et 22 sq. *Disiecti* dicuntur separati, sparsi, palantes, iisque *coniuncti* et *contracti* opponuntur. v. 1, 50. 70. 2, 45. 61. 3, 2. 4, 46. 6, 44. 12, 31. H. 3, 22. 69. et ad Agr. 20. n. 2. Ita et *diducere* 2, 11. H. 4, 46. *distrahere* v. c. *hostem* 1, 60. *turmas* 6, 35. *partes* H. 2, 68. *hominem animumque* (in diversa consilia et partes trahere) 2, 40. H. 4, 10. ut *diducere* 4, 17. H. 2, 68. 4, 6. *remp.* 1, 4. Similiter *distinere*, *divellere*, *διαλύειν*, *διασπᾶν*. Cf. ad 6, 35, 1. *neque disiecti*, *nil pauc. inst.* MS. et edd. vet. Sed *nil* ab h. l. alienum interpretibus visum. Hinc alii *nec*, alii *vel* substituere, et Gron. pro *neque* coni. *nusquam*, Herrm. *nempe*. „At *neque* est nostrum auch nicht, nicht einmal, Gr. *μηδέ*, ut 2, 82. 3, 54 extr. G. 6. Suet. Iul. 28. Sall. Iug. 54. Ammian. Marc. 14, 31. Cf. Buttman. Gr. Gr. §. 136. p. 573. Non sunt

h. l. disiunctivae enuntiationes *et neque* haud requirit, quod ipsi respondeat: nimirum alias legiones rebellantes solent *disiici*, deserere ordines, in globos coetusque inconditos discedere; sed in his legionibus id *praecipuum indicium m. a. t. motus fuit, quod* milites *neque*, ne quidem, *disiecti nil paucorum instinctu* scil. agerent, ut 1, 43. 65. 4, 38. H. 1, 84. Agr. 19. (Cf. Ind. III. v. *Ellipses.*) Alia seditionis ratio fuit apud legiones Pannonicas, ad quas haec verba respiciunt. Ibi ab initio non nisi dilapsis melioribus deterrimum quemque congregare ausus est Percennius; deinde quum tres legiones miscere in unam agitarent, depulsi sunt aemulatione. Et furore iam adulto ab optimo quoque manipularium legati adhuc parebatur. Igitur disiecti, omnia paucorum instinctu.“ *Walth.* — *ut regi crederes.* „Sic *acciperes* 2, 30. *timeres* H. 2, 62. *argueres* H. 3, 75. aliaque. Ita quoque Graeci ponunt Optativum. v. Ramsh. Gr. p. 587 n. 1.“ *Walth.* Cf. Ind. III. v. *Verborum Tempora.*

CAPUT XXXIII.

Interea Germanico per Gallias, ut diximus, census accipienti excessisse Augustum affertur. Neptem eius Agrippinam in matrimonio pluresque ex ea liberos habebat. Ipse Druso fratre Tiberii genitus, Augustae nepos, sed anxius occultis in se patrui aviaeque odiis, quorum causae acriores, quia iniquae. Quippe Drusi magna apud populum Romanum memoria, credebaturque si rerum potitus foret, libertatem redditurus: unde in Germanicum favor et spes eadem. Nam iuveni civile ingenium, mira comitas et diversa a Tiberii sermone, vultu, arrogantibus et obscuris. Accedebant muliebres offensiones, novercalibus Liviae in Agrippinam stimulis, atque ipsa Agrippina paulo commotior, nisi quod castitate et mariti amore quamvis indomitum animum in bonum vertebat.

1. *Germanico per Gallias* cet. v. ad c. 31. n. 1. *census accipienti*, i. e. *deferre* 6, 41. et *legatio ad census accipiendos* c. 1. D. de mun. et honoribus; *Lips.* Cf. ad 1, 32, 1. — *excessisse*, v. ad 2, 71, 2. — *Agrippinam* minorem. v. Ind. I. — *pluros liberos*, novem. v. Suet. Cal. 7. — *odiis, quorum causae acriores, quia iniquae*, a virtutibus eius ortae: invidebant et erectum ingenium timebant; *Lips.* Iniustus atque iniquus non certis terminis continetur, et nemo minimeque Princeps vult iniustus videri vel, si quid remittat ex odio, iniustitiam erroremve confiteri, sed hic mavult veniam eorum aliis dare, ut mansuetus ac misericors videatur, quam ab illis petere; *Mur.* „*Acriores* causae sunt validiores. (Cf. Ind.) *Quod iniquissimum est, pertinaciores nos facit iniquitas irae* Sen. de ira 3, 29. Alte repetita sententia, in quam scite commentatus est Muretus.“ *Wolf.* — *Drusi magna apud pop. Rom. memoria*, grata et honorifica virtutum eius. v. ad c. 3. n. 5. — *credebaturque* cet. „Imo prodita a Tiberio eius epistola est, qua de cogendo ad restituendam libertatem Augusto agebat: quae una causa necis pio in patriam iuveni sed infelici. v. Suet. Tib. 50.“ *Lips.* Cf. 2, 82. et Suet. Claud. 1.; *Wolf.* *credebatur. qui* MS. — *rerum potitus*, v. ad 1, 5, 5. — *civile ingenium populare* est eius, qui sibi non plus iuris vindicat aliosque contemnit. Cf. 1, 54. 76. 2, 34. 82. 3, 22. 76. 6, 13. H. 4, 3. — *arrogantibus et obscuris*, tectis, occultis, simulatis.

2. *muliebres offensiones* et simultates, quales mulierum esse solent, ut *muliebres causae* 12, 64. — *novercalibus L. in Agr. stimulis*, cf. 1, 6, 3. Neptis erat e Scribonia, priori uxore Augusti; *Walth.* — *Agri*

pisa paulo commotior, fervidior, vehementior, ut 2, 28. et 6, 45. Cf. 2, 72. pr. — *nisi quod*, v. ad 6, 24, 1. et Agr. 6. n. 2. — *castitate et mariti amore*, „castitate, qua unum maritum amabat suum. Per se castitas ferociam domare non potest, nisi ea virtute et moderationem et ceteras omnes muliebres virtutes contineri dixeris. Sed prius videtur verius, et *amore mariti* quasi explicationis causa additum.“ *Wolf*. Copulae *et*, *ac*, *que* saepius ἐξηγητικῶς pro *hoc est*, *et quidem* ponuntur. v. Ind. II. ad G. 17. n. 6. et Ind. III. v. *Hendiadyoin*. Ita et Gr. *καὶ*. v. Graev. ad Hesiodi Ἔργα v. 328. et Dorvil. obss. misc. T. IX. p. 108. „At h. l. non explicandi causa, sed ad amplificandam Agrippinae laudem alterum additur. *Castitas*, quae licentiae et impudicitiae opponitur, potest esse et sine *mariti amore*, *caritate*.“ *Walth*. — *indomitum animum*, ἀδάμαστον, al. *impotentem*, ferocem, *in bonum vertebat*: „Ne intelligas, quasi castitas et mariti amor domuisse indomitum animum et mitem reddidisse dicatur; sed animi ferociam abstinuisse a flagitiis inque rectum et honestum potius vertisse, ut ita contra flagitiosos et iniquos incenderetur.“ *Walth*. *quamvis indomitum animum* pro *animum*, *quamvis indomitum*, ut similia 1, 76. 6, 50. 11, 35. 14, 4. 15, 24. H. 1, 44.

CAPUT XXXIV.

Sed Germanicus, quanto summae spei propior, tanto impensius pro Tiberio niti. Sequanos proximos et Belgarum civitates in verba eius adigit. Dehinc, audito legionum tumultu, raptim profectus obvias extra castra habuit, deiectis in terram oculis velut poenitentia. Postquam vallum iniit, dissoni questus audiri coepere, et quidam, prensa manu eius per speciem exosculandi, inseruerunt digitos, ut vacua dentibus ora contingeret; alii curvata senio membra ostendebant. Assistentem concionem, quia permixta videbatur, discedere in manipulos iubet: sic melius audituros responsum. Vexilla praeferri, ut id saltem discerneret cohortes. Tarde obtemperavere. Tunc a veneratione Augusti orsus flexit ad victorias triumphosque Tiberii, praecipuis laudibus celebrans, quae apud Germanias illis cum legionibus pulcherrima fecisset. Italiae inde consensum, Galliarum fidem extollit; nil usquam turbidum aut discors.

1. *Sequanos*, v. ad H. 1, 51. *sequē* MS. et in marg. *sequanos*. In eodem paulo ante *proprior*. — *in verba eius adigit*, v. ad 1, 7, 3. — *Dehinc*, v. ad 4, 5, 2. — *prensa* edd. Pich. et rec. ut c. 35. *prensam*. Sic fortasse MS. e quo non aliud enotatur. Sed *prehensa* edd. vet. — *per speciem exosculandi* MS. et edd. antt. non *osculandi*, quod Lipsius, nescio quare, invexit; *Wolf*. — *vexilla praeferri* — *cohortes*, v. ad Agr. 18. n. 3. Distinctionem recte, opinor, mutavit Walther, ut sensus sit; *responsum* a militibus, *sic*, sc. permixtos, *melius audituros*. Tum Germanicus contumaciae paululum cedens *vexilla praeferri* iubet, *ut* cet. Iam obtemperant, verum tarde. Cf. c. 26. pr.

2. *a veneratione Augusti orsus* sc. loqui, disserere, ut 2, 10 pr. et *coepit* 1, 41. extr. *orsus* orationem *a veneratione Augusti* debita, vel exorsus verbis, quae venerationem adversus Augustum exprimerent; *Kiessl*. „Orsus dicere de Augusti magnitudine ac maiestate: nam *veneratio* est vox usurpata pro ea, quam noluerunt dicere *venerabilitatem*: ut *veneratio Augusti* non sit actio aliorum circa eum, sed sensu pass. conditio eius,

qui veneratione fruitur ipsi insita dignitas vel maiestas. Sic 12, 42. Sen. ad Polyb. c. 21. Iustin. 13, 1. Aurelius male haec verba ita capit, ut Germanicus initio orationis oculos coniecerit in imaginem Augusti signis affixam, quam sit veneratus genu flexo, et manu ori admota mox orsus sit proloqui." *Gron.* Cf. ad 15, 74 extr. — *flexit* se et orationem *ad victorias Tiberii* cet. v. ad G. 1. n. 3. — *quae pulcherrima fecisset,* ut 3, 5. pr. „Credo, Tacitum dedisse *pulcherrime,* quae in hac phrasi est legitima ratio. Scio, ab ea discessisse paulatim scriptores latinos, sed etiam, librarios eam mutasse, quod a suae linguae indole discreparet." *Ern.* „Errat, ut puto. Tenue discrimen est. Si *recta, strenua* vel simile quid esset, concederem. Sed ut rem *strenue* facere dicimus, ita non dicimus *pulchre;* et *pulchrum factum* magis in usu est quam *pulchre facere,* in illa certe significatione. Ad hoc etiam exquisitior est vulgata." *Wolf.* — *nil usquam turbidum a. d.* cf. Dio 57, 7.

CAPUT XXXV.

Silentio haec vel murmure modico audita sunt. Ut seditionem attigit, *ubi modestia militaris? ubi veteris disciplinae decus? quonam tribunos, quo centuriones exegissent?* rogitans; nudant universi corpora, cicatrices ex vulneribus, verberum notas exprobrant. Mox indiscretis vocibus pretia vacationum, angustias stipendii, duritiam operum ac propriis nominibus incusant vallum, fossas, pabuli, materiae, lignorum aggestus, et si qua alia ex necessitate aut adversus otium castrorum quaeruntur. Atrocissimus veteranorum clamor oriebatur, qui tricena aut supra stipendia numerantes, mederetur fessis, neu mortem in iisdem laboribus, sed finem tam exercitae militiae neque inopem requiem orabant. Fuere etiam, qui legatam a divo Augusto pecuniam reposcerent, faustis in Germanicum ominibus, et, si vellet imperium, promptos ostentavere. Tum vero, quasi scelere contaminaretur, praeceps tribunali desiluit. Opposuerunt abeunti arma minitantes, ni regrederetur. At ille, moriturum potius, quam fidem exueret, clamitans, ferrum a latere deripuit elatumque deferebat in pectus, ni proximi prensam dextram vi attinuissent. Extrema et conglobata inter se pars concionis ac, vix credibile dictu, quidam singuli propius incedentes, feriret, hortabantur: et miles nomine Calusidius strictum obtulit gladium addito, acutiorem esse. Saevum id malique moris etiam furentibus visum, ac spatium fuit, quo Caesar ab amicis in tabernaculum raperetur.

1. *quo centuriones exegissent,* expulissent; *Ern.* — *universi,* ex emend. Lips. *universa* MS. et edd. vet. quod infirmis argumentis defendunt Ia. Gron. et Woltm. Neque multis arridebit explicatio *Doederleinii* in Seebod. N. Archiv für Philol. u. Paedag. a. 1826. 1, 4. p. 78. ubi haec dixit „Non sane veri simile videtur, universos milites aut cicatricibus fuisse obtectos aut nudasse corpora. Immo hoc dicit Tacitus: Multi illi, quibus erant cicatrices, eo iam impudentiae prolapsi sunt, ut vel imperatori coram *universa corpora* seu quaslibet corporis partes *nudare* non vererentur. Nam *flagitii principium est, nudare inter cives corpora,* ut ait Ennius ap. Cic. Tusc. 4, 33. Paulo verecundius etiam idem de his militibus refert Tacitus, quod Liv. 45, 39. de Servilio." — *verberum notas exprobrant,* v. ad ca

18. n. 1. — *indiscretis*, confusis, *vocibus pretia vacationum* cet. Cf. ad c. 17. not. 1. 2. et 4. *praetia vocationum* MS. — *materiae, lignorum:* nam *ligni appellatio nomen generale est, et materia est, quae ad aedificandum, fulciendum necessaria est, lignum, quicquid comburendi causa paratum est; Ulpian.* l. 55. Dig. de legat. et fideic. l. 32, 1. Cf. Oudend. ad Suet. Ner. 33. et Buchner. ad Plin. ep. 10, 50, 2. — *si qua alia* (v. ad O. 3. n. 2. et 36. n. 5.) *adversus otium castrorum*, adv. militum socordiam et corruptelam, *quaeruntur* tanquam remedia, qualia memorantur 11, 20. 13, 53. H. 2, 67. 3, 32. et a Lips. de mil. Rom. 5, 13. extr. Cf. ad 11, 18, 2. Sen. ep. 18 med. Liv. 39, 2. Vopisc. Prob. 9. Suet. Oct. 18. Plin. 11, 29. Quintil. I. O. 2, 13, 16. Serv. ad Virg. Aen. 8, 652.“ *Gron.* *Quaerere* pro parare, v. Ind. II. *queruntur* ed. Ber. quod perperam coni. Heins. Walther putat, h. l. esse Zeugma et *quaeruntur* non nisi alteri membro *adversus otium castrorum* convenire, ad prius membrum *ex necessitate* aliud verbum esse intelligendum. Sed *quaeruntur* utrique membro satis convenit. — *neu mortem in iisdem laboribus — orabant:* „Haec mutilata esse putabat Heinsius. Ipse aliquando emendabam *neu morerentur*, neu sineret se mori. Particula *neu* necessario verbum requirit et, si est a Tacito, aut leg. *morerentur*, aut excidit *obirent* aut simile. Etiam vulgatum defendi potest, si pro *neu* legatur *nec*. Qui dixit *neque*, et non, *inopem requiem orabant* pro et orabant, ne sineret, requiem sibi a militia esse cum inopia coniunctam, idem non dubitavit dicere *nec mortem in iisdem laboribus orabant*, h. e. ne se ad mortem usque iisdem laboribus vexari sineret, ne mors se in iisdem laboribus opprimeret. Sed prius, ut opinor, melius.“ *Ern.:* „*Neu* legitimum est in prohibitione, (quippe alius generis est *neque*, ut bene docet Ern.) nec ellipsis verbi durior hic quam c. 7. pr. *ne laeti* cet. Mollit eam post tria substantiva *mortem, finem, requiem*, illatum *orabant*, neque erat verbum, quod cum illis tribus commode iungi posset, v. c. *daret*. Quod Ern. coniecit aliquando, multo est durius hac omissione.“ *Wolf.* Cf. Ind. III. v. *Anacolutha* et *Ellipsis*. „*neu mortem* sc. accidere — *sed finem* — *requiem* sc. esse *orabant*, quod verbum Nostro cum Infinit. ponitur.“ *Walth.* *exercitae militiae neque*, et non, *inopem requiem*, cf. ad 1, 17, 4.

2. *legatam a D. Augusto pecuniam* (v. cap. 8.) *reposcerent*, poscerent (v. Ind. III. v. *Verba compos. pro simpl.*) a Germanico, tanquam legitimo imperii herede, (quae sunt *fausta in Germanicum omina*) *et, si vellet imperium, promptos se ostentavere*, (v. ad 5, 5, 1.) se fore promiserunt, sc. ad regnum ipsi parandum. Cf. ad H. 1, 74, 1. Suet. Tib. 25. Dio 57, 5. „*Defuit, qui contra rem publ. duceret, non qui duceret*, Vell. 2, 125. Nec alio fine legata petunt, tanquam illum scil. habeant pro herede. An vero leg. *faustis in Germanicum nominibus?* Sic *fausta nomina* ap. Suet. Cal. 13. Ea sunt *Augustus, Imperator, Princeps, Felix, Victor* aliaque ab adulatione vulgi nata. Τὸν Γερμανικὸν αὐτοκράτορα ἐπεκάλεσαν Dio 57, 5.“ *Lips.* *omnibus* MS. *ominibus* edd. et vet. et rec. *Faustum* et nominum et omnium epitheton est: at ἄκυρον est *nomen in aliquem*, et in ipsis nominibus sunt omina; *Wolf.* Sed *in* hic pendet e *faustis* et dicitur pro Dativo; *Walth.* Cf. Ind. II. v. *In*. „Plane assentior viris eruditis, qui *fausta omina* reponi iubent ap. Suet. Cal. 13. Cf. Suet. Oct. 57. 98. Neque omina simpliciter continentur nominibus, etsi fere *nomina* sunt, ut *Magnus, Felix*, similia; verum sunt acclamationes favorem et vota prosperae fortunae significantes, integris sententiis comprehensae. Denique ubicunque in talibus locis *fausta nomina* leguntur, et *festa omina*, ut ap. Tac. Ann. 5, 4., vitium inesse censeo.“ *Wolf.* ad Suet. Cal. 13. Cf. inf. ad 5, 4, 2. *promptas* MS. et ed. Ber. „*promptos* emend. Rhen. quod deinde omnes edidere, scil. se *ostentavere*, ut mox *moriturum* se *potius*, 5, 5. et aliis locis. Sed haec exempla aliam praeferunt spe-

ciem, et omissio pron. *se* hic plane intolerabilis est: nam *promptas ostentavere* in hac quidem serie non potest accipi, nisi ut alios ostentaverint promptos, qui tamen legenti non sunt obvii. Ut referas ad milites, inconcinnum saltem est, nec utitur Noster tam incerto loquendi genere. Gruterus defendit *promptas* et accipit de legionibus: sed earum vocab. remotius est. *Prompta* sc. omnia corr. Heins. Sed vocab. *omnia* sic intelligi posse non docuit. An post aut ante *legatam* excidit *legionibus?* Sed fortasse leg. *promptas res ostentavere*, ut 12, 12. Ceterum *et* post *ominibus* non coniungit *reposcerent* et *ostentavere*, sed, ut saepe, transitum facit ad aliam sententiam et constructionem. Noli igitur cum Ern. cogitare de emendat. *ostentarent* aut *reposcerent*. *Et, faustis in G. o., si* cet." *Walth.* „Si cui *promptos* mancum videtur, lenem medelam habet: *et se, si vellet i., p. o.* Nec eam tamen ipse probarim." *Wolf.* Lenior illa Grut. et Pellic. *ostentare se.*

3. *minitantes*, sc. se vi usuros, *ni regrederetur*, ut c. 48 pr. 2, 22 extr. et alibi; *Walth.* — *moriturum* se *potius, quam* ut *fidem exueret*, v. ad Agr. 25. n. 4. — *ferrum a latere deripuit* cet. cf. Dio 57, 5. „Mos priscus, gladium ex humero suspendere et demittere ad latus. v. Hom. Il. 2, 45. et Odyss. 2, 3. Virg. Aen. 8, 459. 11, 1. Nec id heroum modo saeculo, sed obtinuit postea atque adeo apud Romanos et Germanos. v. Claudian. laud. Stil. 2, 91. et Windichind." *Lips.* Gladium ad dextrum latus, belli certe Punici temporibus, pependisse Romanis, constat ex Polyb. 6, 21. cui alii scriptores et numi adversantur. v. Drak. ad Sil. 5, 146. Salmas. ad Spart. Sev. c. 6. Fabrett. ad col. Trai. c. 2. et, qui Romanos variis temporibus aliter atque aliter gestasse gladios docet, Lips. de mil. Rom. 3, 3. *ferrum a latere deripuit elatumque deferebat in pectus*, deferre s. dirigere volebat, iam in eo erat ut deferret, et detulisset vel infixisset, *ni proximi attinuissent* eum. Structura verborum ἐλλειπτικὴ et Tacito familiaris, ut et Homero. (Il. 8, 90. 218. et al.) v. Ind. III. v. *verborum Modi* 1, 1. Hanc tamen explicationem damnat Iacob de Manilio poeta 1. p. 16. *Τέλος τὸ ξίφος, ὡς καὶ ἑαυτὸν καταχρησόμενος ἐπεσπάσατο* Dio 57, 5. *Attinere* saepius dicitur pro retinere, impedire, cohibere, ut al. *tenere* et *detinere*. v. Ind. II. — *quidam singuli propius incedentes*, „accedentes, ut 1, 61. 4, 47. 11, 32. 15, 13." *Boett.* in Lex. Tac. „*Incedere* potius est Germ. auftreten, hervortreten, quam auf Einen lostreten, näher treten, ut 3, 26. 11, 32. 15, 13. (Cf. ad 3, 26, 1.) nam ut hortarentur, non opus erat accessu, sed incessu, ut audirentur. Sic *propius* 2, 70. 4, 26. 13, 57. Agr. 16. et *haud procul* 4, 5." *Walth.* ad h. l. et ad 2, 70. Immo quidam extremae concionis milites ferocissimi propius accesserunt singuli ad Germanicum, ut *propius*, magis ex propinquo (v. ad Agr. 16. n. 2.), audire posset hortantes, ut se *feriret* (ut *propius audiri* 13, 57.) utque suos gladios ei offerrent; quod *vix credibile dictu*. Cf. Dio 57, 4. — *addito* sc. verbo. v. ad 1, 46, 1. — *ac spatium fuit*, tempus opportunum, *quo Caesar in tabernaculum* ducis *raperetur*, v. ad 2, 19, 1. Adstabant milites attoniti: idque factum, ut ne furentes quidem illico sentirent Caesarem abductum; *Wolf.* — *id mali moris*, v. ad H. 1, 15, 2. et G. 6. n. 14.

CAPUT XXXVI.

Consultatum ibi de remedio: etenim nuntiabatur, parari legatos, qui superiorem exercitum ad causam eandem traherent, destinatum excidio Ubiorum oppidum, imbutasque praeda manus in direptionem Galliarum erupturas. Augebat metum gnarus Romanae seditionis et, si omitteretur ripa, invasurus hostis; at si auxilia et socii adversum abscedentis legiones arma-

rentur, civile bellum suscipi. Periculosa severitas, flagitiosa largitio: seu nihil militi, sive omnia concederentur, in ancipiti res publica. Igitur volutatis inter se rationibus placitum, ut epistolae nomine Principis scriberentur: *missionem dari vicena stipendia meritis; exauctorari, qui senadena fecissent, ac retineri sub vexillo, ceterorum immunes nisi propulsandi hostis: legata, quae petiverant, exsolvi duplicarique.*

1. *superiorem exercitum*, v. ad 1, 31, 1. — *Ubiorum oppidum*, v. ad 1, 31, 2. — *imbutas praeda manus* seditiosorum. Cf. H. 3, 15. extr. — *Galliarum*, Belgicae et Lugdunensis.

2. *Augebat metum*, quod *gnarus* foret — *hostis et invasurus* esset Romanos, (cf. ad 11, 8, 2.) *si omitteretur ripa* Rheni, (v. ad 3, 47, 1.) *at* — *civile bellum suscipi* pro: quod civile bellum suscipiendum esset. Variatur more Taciti structura verborum, quae ex *augebat metum* pendent. *at* recte edd. vet. Lips. et rec. *ac* MS. ed. Pich. et cet. ante Brot. — *periculosa severitas* — *res publica* sc. erat, nisi leg. *in ancipiti re publica* sc. futura; *Gron.* „Hoc dubito an belle. Inde a verbis *peric. sev.* intell. *videbatur*, quod in superioribus latebat. Heinsius leg. censebat *periculosam severitatem* — *rem publicam* sc. fore. Sed nova orationis commutatio in postremis inepta esset.“ *Wolf.* „Desiit oratio obliqua cum verbo *suscipi*. Sequentia e recta scriptoris narratione accipienda sunt ita: *periculosa severitas, flag. largitio* sc. est, videtur deliberantibus, h. e. dum deliberant, intelligunt, periculosam — esse et *in ancipiti rem publ.* fore, *seu nihil militi sive omnia concedentur*, non *concederentur*, sed *concedentur*, ut de re futura, quam adhuc deliberant, quemadmodum ap. Cic. p. Caec. c. 18. sermo — non constabit, *si verba inter nos aucupabimur*. Sic vero lector in mediam consultationem rapitur.“ *Walth.* Postrema aeque ac priora ex verbis *augebat metum* pendere videntur et varia seditionis *remedia* memorari, sed ancipitia: periculum severitatis, flagitium largitionis, discrimen rei publ. *seu nihil militi* cet. Cf. Ind. III. v. *Constructio verborum variata*. „*Sive omnia* edd. Wolf. et rec. *sibi omnia* MS. vulgari literarum *b* et *v* permutatione. Cf. ad 11, 6, 1. *seu omnia* edd. Ber. Rhen. sqq. sed *seu* non ponitur ante vocalem. *concedentur* MS. et ed. Ber. *concederentur*. edd. Rhen. sqq. Male.“ *Walth.* — *in ancipiti res publica* MS. edd. Pich. et rec. *in anc. re p.* edd. vet. *in ancipiti*, in magno periculo, discrimine, ut *anceps proelium* (cuius eventus est dubius) 4, 59. *ancipitia* 11, 26. 14, 22. G. 14. *anceps vox* H. 1, 5. — *missionem dari* — *exauctorari* cet. v. ad 1, 17, 1. — *retineri sub vexillo* — *hostis*, v. ad A. 18. n. 3. — *legata, quae petiverant, exsolvi duplicarique*, cf. Suet. Tib. 48. *petiverant*, non *petivissent*. Cf. Ind. III. v. *Verborum Modus Indicat.*

CAPUT XXXVII.

Sensit miles in tempus conficta, statimque flagitavit. Missio per tribunos maturatur; largitio differebatur in hiberna cuiusque. Non abscessere quintani unaetvicesimanique, donec iisdem in aestivis contracta ex viatico amicorum ipsiusque Caesaris pecunia persolveretur. Primam ac vicesimam legiones Caecina legatus in civitatem Ubiorum reduxit, turpi agmine, quum fisci de imperatore rapti inter signa interque aquilas veherentur. Germanicus, superiorem ad exercitum profectus, secundam et tertiamdecumam et sextamdecumam legiones nihil cunctatus sacramento adigit. Quartadecumani paulum dubitaverant. Pecunia et missio quamvis non flagitantibus oblata est.

1. *in tempus conficta*, v. ad 1, 1, 2. — *largitio differebatur in hiberna cuiusque*, donec ea venissent; *Ern.* Differebatur, ut divellerentur interim legiones, quae in castris aestivis iunctim habebantur, in hibernis singulae seorsum; *Lips.* Cf. H. 2, 28. — *Non abscessere* in hiberna *quintani unaetvicesi.* — *primam ac vicesimam legiones*, v. ad 1, 31, 2. *unletvicesimanique donec istem* MS. corrupte. In eo tamen haec verborum distinctio et lectio: *largitio diff. in hib. cuiusque. Non abscessere* cet. Male *largitio differebatur. In hiberna cuiusquam non abscessere* edd. vet. ante Pich. qui vitia ex MS. correxit, ut Mercerus ex ingenio. „Sic interpretor immotam priscam lectionem. Quum acquiessent primani et vicesimani, tardum fuit quintanis unaetvicesimanisque exspectare, donec in hiberna veniretur; ideoque occlamitaverunt minitabundi, non se vestigium moturos, non in officio futuros, nisi et numi repraesentarentur: nec destiterunt tumultuari, donec concederet Germanicus. Hoc quum extorsissent duae legiones improbae, si non necessario, at prudenter placuit, ut modestioribus et moram passis ultro par honor haberetur, ne illi, videntes contumaciam furoris sociis profuisse, rursus exasperarentur et male obrutum incendium resurgeret.“ *Gron.* „Extorserunt eam pecuniam in ipsis aestivis quintani et unaetv., turbarum concitores pervicacissimi c. 31. 45. Hi abscedere recusabant, quum iam per ceteros mora non erat. Si quid offendit, hoc est, quod continuo *fisci rapti* memorantur tantum in I et XX legg. Sed id eo fit, quia harum discedentium prior mentio occurrebat. Illae autem quum poscerent largitionem, non tam pro se, quam pro communibus commodis loqui putandae sunt.“ *Wolf. Viaticum* h. l. non pecunia ea, quae magistratibus in bellum provinciasve ituris de publico attribuitur, ut muli, tabernacula cet. compararentur, saltem non sola, sed ea, quam secum quisque sumpsit, non modo ad certas necessitates, sed etiam ad fortuitas; *Ern.* Germ. Reisebedarf, *Woltm.* Cf. ad H. 1, 57. Ern. clav. Cic. quique ab eo laudantur Sigon. de ant. iur. prov. et Casaub. ad Theophr. c. 11.

2. *fisci de imperatore rapti inter signa interque aquilas veherentur*, more prisco, quo pecunias solitum deponere ad signa: ii enim militares dii, id templum; *Lips.* Cf. ad 1, 8, 1. 1, 37. 39. 4, 2, 2. Veget. 2, 20. Herodian. 4, 4. Suet. Dom. 7. et de fisco ad 6, 2, 1. *inter signa interque aquilas veherentur* integer paene hexameter. Cf. ad G. 39. n. 4. et Ind. III. v. *Versus*. „*veherentur* sc. mulis. v. Schwab. ad Phaedr. 2, 7.“ *Walth.* — *superiorem ad exercitum*, v. ad c. 31. n. 1. — *cunctatas* MS. ed. Lips. Pich. et rec. *cunctatus* edd. vet. — *sacramento adigit*, in verba Tiberii iurare iussit. Cf. ad 1, 7, 3.

CAPUT XXXVIII.

At in Chaucis coeptavere seditionem praesidium agitantes vexillarii discordium legionum, et praesenti duorum militum supplicio paulum repressi sunt. Iusserat id Mennius castrorum praefectus bono magis exemplo quam concesso iure. Deinde intumescente motu profugus repertusque, postquam intutae latebrae, praesidium ab audacia mutuatur: *non praefectum ab iis, sed Germanicum ducem, sed Tiberium Imperatorem violari.* Simul deterritis qui obstiterant, raptum vexillum ad ripam vertit et, *si quis agmine decessisset, pro desertore fore*, clamitans reduxit in hiberna turbidos et nihil ausos.

1. *At in Chaucis*, de quibus v. ad G. 35. *in Chattis* corr. Wachs-

muth, animadv. in Tac. hist. expeditt. Germanici Kil. 1821. et Luden. Gesch. d. deutsch. Volks T. I. p. 668. quia paulo post dicatur *ad ripam* sc. Rheni. Sed v. Ephem. lit. Jen. a. 1827. p. 330. *Et in Chaucis* — *at* vel *sed praesenti* coni. Ern. „Immo: *at in Chaucis* quoque *coeptavere seditionem vexillarii*. Nam etiam post Varianam cladem in interiore Germania praesidia erant relicta, Chaucique socii in primis constantis fidei. Interiectum *et* egregie exprimit facilitatem et celeritatem rei.“ *Wolf.* De *vexillariis* v. ad Agr. 18. n. 3. — *Mennius* forsan corrupte, ut H. 3, 12. Cf. ad 12, 22. *M. Ennius* et *M'. Ennius* et *Memmius* et *Menenius* coni. Heins. — *bono magis exemplo, quam concesso iure.* „Soli enim illi ius plectendi militis, qui exercitus rector. Et Augusti quidem instituto (v. Dio 53, 13.) solis propraetoribus sive legatis Augusti, quos gladio succinxerat, id ius fuit, postea etiam proconsulibus universisque provinciarum rectoribus, ex lege VI. de off. praesid. saltem ut punirent milites gregarios, leg. IX. de custod. reorum.“ *Lips.* „Ego accipio: magis opportune atque utiliter, quam legitime et ex disciplina. Nam imitationem si cogites, *exemplum malum* erat, praesertim militiae, gladio quemquam uti, cui ius utendi non est, vel in usum publicum. Unde illud Galbae: commilito, quis iussit? H. 1, 35. Et inde, quod ausus est L. Otho, quo facto gloriam eum auxisse testis Suet. Oth. 1. Eodem pertinet, quod Clodium a Milone iugulatum ait Vellei. 2, 47. *exemplo inutili, sed facto salutari rei publ.* Hic respexit ad imitationem: at Tacitus *bono exemplo* non dixit pro re imitanda, sed simpl. pro *bene*, ut Iuvenal. 13, 1. *exemplo malo* pro: male aut perperam. Bene autem factum interpretatur ob utilitatem praesentem.“ *Gron.* „Rectissime! *Exemplum* est facinus, (sive bonum sive malum) non simpliciter tamen, sed quoad vel alii imitari possunt, etsi non debent, vel exemplum fit, quod intuentes alii, quid fugiendum, quid timendum sit, intelligunt.“ *Ern.* Illo sensu est nostrum Beispiel, ut *documentum* 12, 6. 16, 33. hoc Germ. Warnung, ut *documentum* 15, 27. Hinc *exemplum* etiam est supplicium 12, 20. 14, 44.“ *Exemplum*, παράδειγμα, est quod datur ad hortandum vel ad dehortandum, ut hic: *exemplo bono*, utili in rem: namque eventum habuit eum, ut seditio paulum reprimeretur. Sic *boni ad proelium campi* 2, 14.“ *Walth.* Cf. Ruhnk. ad Vell. 1, 5. 2, 25. 119. Spald. ad Quintil. 4, 1, 7. inf. ad c. 57. n. 2. et Ind. II. v. *Exemplum* et *Exemplar*.

2. *intutae latebrae,* in quibus aliquis iam deprehensus; *Ern.* — *sed Germanicum ducem, sed Tib.* v. ad 1, 10, 2. — *deterritis* MS. et ed. Bekk. *exterritis* edd. cet. — *raptum vexillum* cet. nam *primum militiae vinculum est religio et signorum amor et deserendi nefas* Sen. ep. 95. De *vexillo* v. ad Agr. 18. n. 3. — *ad ripam* Rheni. Cf. ad G. 17. 23. 28. 37. 41. Amisiae, *Brot.*

CAPUT XXXIX.

Interea legati ab senatu regressum iam apud aram Ubiorum Germanicum adeunt. Duae ibi legiones, prima atque vicesima, veteranique nuper missi sub vexillo hiemabant. Pavidos et conscientia vecordes intrat metus, venisse Patrum iussu, qui irrita facerent, quae per seditionem expresserant: utque mos vulgo, quamvis falsis reum subdere, Munatium Plancum, consulatu functum, principem legationis, auctorem senatus consulti incusant; et nocte concubia vexillum in domo Germanici situm flagitare occipiunt, concursuque ad ianuam facto moliuntur fores; extractum cubili Caesarem tradere vexillum intento mortis metu subigunt. Mox vagi per vias obvios habuere le-

gatos audita consternatione ad Germanicum tendentes. Ingerunt contumelias, caedem parant, Planco maxime, quem dignitas fuga impediverat. Neque aliud periclitanti subsidium quam castra primae legionis. Illic signa et aquilam amplexus religione sese tutabatur, ac ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, (rarum etiam inter hostes) legatus populi Romani Romanis in castris sanguine suo altaria deum commaculavisset. Luce demum, postquam dux et miles et facta noscebantur, ingressus castra Germanicus perduci ad se Plancum imperat recepitque in tribunal. Tum fatalem increpans rabiem, neque militum sed deum ira resurgere, cur venerint legati, aperit: ius legationis atque ipsius Planci gravem et immeritum casum, simul, quantum dedecoris adierit legio, facunde miseratur, attonitaque magis quam quieta concione, legatos praesidio auxiliarium equitum dimittit.

1. *legati*, ablegati, missi *ab senatu*, ut c. 57. et al. „Missi ad turbas sedandas, (cf. Dio 57, 5.) vel ad deferendum imperium proconsulare (cf. c. 14.) *Germanicum adeunt regressum iam* a superiore exercitu ad infer., (cf. c. 37.) ad aram Ubiorum, (nam plurimum fortasse ibi, aut Coloniae Agrippinae, agebat) vel in uxoris patrisque eius gratiam. *regressum* ex MS. bene restituit Pich. *regressi* ed. Ber. et cet. antt. Sed nondum ulli Romam missi ab hoc exercitu." *Lips.* „*regressum* recte legi, prodit particula *iam*." *Wolf.* *egressi* edd. Lips. — *apud aram Ubiorum* — *duae ibi legiones* — *hiemabant*, v. ad c. 31. n. 2. — *veterani nuper missi sub vexillo*, v. ad Agr. 18. n. 3. — *vecordes conscientia* mala, facinorum, seditionis, ut 1, 57. 2, 77. — *quae per seditionem expresserant*, v. ad 1, 19, 2. — *reum* aliquem *subdere* criminibus *quamvis falsis*, v. ad 1, 6, 6.

2. *Munatium Plancum consulatu functum* (v. ad 2, 33, 1.) a. U. 765. cum C. Silio et fortasse filium eius, qui a. U. 732. Censor fuit; *Lips.* Pater fuit aut avus Munatiae Plancinae, de qua v. Ind. *Munatium*, ut in numis, v. c. ap. Gruter. p. 985, 8. *Munacium* edd. quaedam. — *auctorem*, ut auctorem. — *nocte concubia* (v. ad H. 1, 83.) *vexillum flagitare occipiunt in domo Germanici situm*, positum, conditum. v. Ind. II. et ad 6, 41, 2. Sed quale fuit *vexillum* hoc?" Seditio potissimum agitata videtur a *veteranis, qui nuper missi sub vexillo ibi hiemabant*. Manipulos quanquam non intactos, tranquilliores tamen mansisse, inde etiam colligo, quod Planco periclitanti subsidium fuere castra primae legionis. Iam illi si flagitarunt vexillum, metu, ne *irrita fierent per seditionem expressa*, quod tandem vexillum flagitari cogitabis, nisi illud, quod fuit signum vexillariorum veteranorum et tanquam pignus missionis impetratae. Id vexillum nondum acceperant veterani nuper missi; situm adhuc erat in domo Germanici tradique futurum. At illa nocte Caesarem tradere vexillum subigunt, ut ita missio iam rite peracta videretur nec revocari posset." *Walth.* Sed veterani ad aram Ubiorum *missi sub vexillo* erant ideoque iam acceperant illud. „*Vexillum* h. l. non illud, sub quo veterani habebantur, (non enim illi solum, sed duae legiones in eadem culpa; quarum signa aquilaeque in castris, non in tabernaculo ducis) sed velum s. linteum rubrum, quod super praetorium extentum et e conto suspensum futurae pugnae signum dabat et *in domo* aut tabernaculo ducis asservabatur. v. Macrob. Sat. 1, 16. Caes. b. Gall. 2, 20. b. civ. 3, 89. b. Hisp. 28. Isidor. orig. 19, 22. Plut. in Fabio c. 15. p. 182. C. in Marcello c. 26. in Bruto c. 40. p. 1002. D. Ammian. 27, 10." *Lips.* Hoc vexillum *flagitatum* raptumque a militibus putabat Lipsius, ut ius caedis et

armorum sibi daretur; Wolfius, ut significarent, se imperium detrectare, et ne dux eo adversus ipsos uti primo quoque tempore posset. Contra *Gron.* haec annotavit: „Quorsum ius caedis et armorum, aut signum pugnae?“ Ego intelligo *vexillum*, quod, quum exauctorarentur, nacti erant veterani *nuper missi sub vexillo* et apud aram Ubiorum hiemantes. Hoc suspicabantur venisse, qui sibi ereptum irent, ab senatu legatos, et, quamvis aliud renovato tumultu extorquere possent, tamen ipsum omen verebantur, si, modo quod accepissent, fieret irritum. Et facile subserviebant veteranis, qui sub signis manebant, quippe metuentes, ne, si veteranis auferretur vexillum, ab sese repeterentur numi eadem vi expressi.“ Quae in dubium vocavit Ern., quia vexillum veteranorum *in domo* Germanici *situm*, Wolfius, quoniam audax facinus, simile auso c. 18, ne uno quidem verbo veteranis tanquam praecipuis auctoribus assignetur. Illam dubitationem facile tolli posse credidit *Wolfius*, utramque vero *Moebius* in Seebod. bibl. crit. a. 1823. p. 175. 176. Ille haec annotavit: Si fides veteranorum suspecta erat imperatori, eorum vexillum ei loco pignoris esse poterat, retentum in domo sua; hic vero: „Missorum veteranorum vexillum *in domo Germanici erat situm*, quia illis non amplius hoc opus erat signo, utpote tantum apud aram Ubiorum hiematuris. Quos quum *metus intravisset, irrita fore, quae per seditionem expressissent*, vexillum flagitant ira commoti, ut hac re significarent, se, licet nuper missos ac vexillo levatos, tamen, quasi sub vexillo essent retenti, duritiae operum militarium non fore immunes. Ceterum non est, ut scrupulus, qui Wolfium ussit, tibi oriatur, quippe quum *occipiunt* et cetera verba rectius ad *vexillarios*, quam ad duas *legiones* trahas.“ Alii intelligunt vexillum militibus in pugnam ituris praelatum servatumque in principiis castrorum una cum aquila et signis. Cf. ad Agr. 18. n. 3. — *fores moliuntur*, ut 2, 82 extr. effringere conantur. *Moliri* propr. est movere vel agere et facere, inpr. rem magnae *molis* s. arduam et magnam, v. c. *in insulam navibus moliri* se s. viam H. 2, 35 pr. *moliri hinc* (castra movere) Liv. 28, 44. *m. a terra naves* Liv. 37, 11. *m. corpora ex somno* Liv. 36, 24. deinde amoliri, amovere, ut *moliri portas* Liv. 23, 18 pr. (ubi Stroth. exponebat removere vel vi aperire, Germ. ausheben, forciren) 24, 46. *obices portarum* Liv. 6, 33 extr. *montes sede sua* Liv. 9, 3. *onera* Liv. 25, 36. al. — *extractum cubili Caesarem*: „Cave vim ei factam cogites. *Extrahi* dicuntur etiam, qui strepitu aut alia re commoti surgunt e lecto, progrediuntur, ut ap. Liv. 1, 7. *Evander concursu pastorum trepidantium excitus.*“ *Ern.* „At fores molientium necemque minantium audacia Lamallo incredibile facit, vim factam non esse. Equidem nescio, quid fecerint, nisi quod eum non traxerunt pedibus. *Excire* paulo lenius vocabulum est quam nostrum.“ *Wolf.* — *intento mortis metu*, v. ad 1, 28, 3. — *audita consternatione*, v. ad H. 2, 49, 2. — *ingerunt contumelias*, v. ad 4, 42, 1.

3. *neque aliud periclitanti subsidium*, in vitae discrimine versanti, *quam castra primae legionis.* „Haereo, an distinguendum sit *quam castra. Primae legionis illic signa.* Videntur enim duae hae legiones unis in hibernis fuisse, sic tamen, ut ritu Rom. quaeque legio cum signis seorsum locaretur. Ideo ait, Plancum confugisse ad aquilam et signa primae legionis. Supra tres legiones Pannonicae castris aestivis simul habebantur, separatae tamen aquilae, donec per furorem *una tres aquilas et signa cohortium locarent* c. 18. Receptam tamen interpunctionem tueri videntur verba seq. *quantum dedecoris adierit legio*; ut videantur haec in unius legionis castris gesta.“ *Lips. Castra primae legionis* cum Schelio ad Hygin. p. 24. 26. int. partem castrorum, ubi prima legio; *Ern.* Vicesima legio in iisdem hibernis tetendisse videtur, sed seorsum locata. — *signa et aquilam* (v. ad Agr. 18. n. 3.) *amplexus*, „nam haec numina castrensia

et in iis effigies deorum Principumque: eorum quoque honori in principiis exstructa, opinor, *altaria deûm*, deorum militarium." *Lips*. Cf. 1, 37, 2. 2, 17. H. 3, 10. Liv. 26, 48. Dionys. Hal. 6, 45. Lips. de mil. Rom. 5, 4. Ottfr. Müller: die Etrusker III, 6, 10. p. 150. — *recepitque* MS. et edd. Ber. Weik. Bekk. al. *recipitque* edd. Rhen. et cet. Cf. ad 2, 7.

4. *Tum fatalem increpans rabiem* „sc. esse, ut mox *miseratur*, miserando disserit." *Walth*. „Germanicus, ne irritaret seditiosos, in fatum et deos avertit culpam, *increpans* dixit, *fatalem* illam *rabiem* esse *neque militum* cet. *Increpans* non videtur tegere rabiem, (sequentia non patiuntur) sed absolute poni, nisi quis malit accipere pro *accusans*, (v. Gron. ad Liv. 27, 1.) et deinde intelligere *dicens*." *Ern*. *Increpans* h. l. potestatem quam dicunt praegnantem habet, ex neutrali propria et activa mixtam, sicut Germ. schelten: fatalem rabiem et θεοβλαβείαν vocat cum increpatione; *Wolf*. Cf. H. 2, 44. et Ind. II. Liv. 1, 51. 4, 50. 6, 37. 8, 32. 23, 45. Sic et *exsecrari, detestari, indignari* apud Livium pro: cum indignatione loqui, moleste ferre, queri, improbare, exprobrare et 'επιμέμφεσθαι ap. Thucyd. Cf. ad 6, 21, 2. et Ind. III. v. *Oratio praegnans*. — *ius legationis* sc. violatum.

CAPUT XL.

Eo in metu arguere Germanicum omnes, *quod non ad superiorem exercitum pergeret, ubi obsequia et contra rebellis auxilium. Satis superque missione et pecunia et mollibus consultis peccatum; vel, si vilis ipsi salus, cur filium parvulum, cur gravidam coniugem inter furentes et omnis humani iuris violatores haberet? Illos saltem avo et rei publicae redderet.* Diu cunctatus aspernantem uxorem, quum *se divo Augusto ortam neque degenerem ad pericula* testaretur, postremo uterum eius et communem filium multo cum fletu complexus, ut abiret, perpulit. Incedebat muliebre et miserabile agmen, profuga ducis uxor parvulum sinu filium gerens, lamentantes circum amicorum coniuges, quae simul trahebantur; nec minus tristes, qui manebant.

1. *eo in metu:* coni. *motu* Lips. et Faern. „Nunc non *motus* erat, sed quies aliqua. Quum milites exprobratione imperatoris magis perculsi, quam mitigati erant et metuebatur, ne cito rabies rediret, *arguere G. omnes* amici cet." *Wolf*. „*Metus* h. l. non est affectus animi, sed rerum status, in quo metuendum est, ut 2, 72. 14, 43. 15, 45. H. 1, 86." *Walth*. Cf. ad Agr. 44. n. 3. — *ad superiorem exercitum*, v. ad c. 31. n. 1.

2. *aspernantem uxorem — perpulit:* haec iungenda. *aspernantem*, sc. pericula; *Brot*. Immo: detrectantem, recusantem, ut saepissime. — *quum* s. cum: in MS. *con*. — *degenerem* a maiorum virtutibus *ad pericula* suscipienda, adeunda, ut contra *praecipuus* 6, 7. 14, 58. (ut H. 3, 38. Caes. b. G. 1, 20.) — *complexus*, cf. Ind. III. v. *Participia Perf. depon. pro Part. praes*. — *Incedebat*, non curru aut nave, sed pedibus, (nam his tantum *inceditur*) et quidem per castra ad naves aut vehicula; *Walth*. — *muliebre et miserabile agmen* id. qd. miserabile agmen muliebre: nam una notio est *agmen muliebre*; *Roth*. Cf. ad G. 17. n. 5. et Ind. III. v. *Hendiadyoin*. — *qui manebant*, Caesar et amici distracti a suis coniugibus; id. et *Ern*. *quae manebant* coni. Lips.

CAPUT XLI.

Non florentis Caesaris neque suis in castris, sed velut in urbe victa, facies: gemitusque ac planctus etiam militum aures oraque advertere. Progrediuntur contuberniis: *quis ille flebilis sonus? quod tam triste? feminas illustres, non centurionem ad tutelam — non militem — nihil imperatoriae uxoris aut comitatus soliti pergere ad Treveros et externae fidei.* Pudor inde et miseratio et patris Agrippae, Augusti avi memoria; socer Drusus: ipsa insigni fecunditate, praeclara pudicitia: iam infans in castris genitus, in contubernio legionum eductus, quem militari vocabulo *Caligulam* appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi studia eo tegmine pedum induebatur. Sed nihil aeque flexit quam invidia in Treveros. Orant, obsistunt, rediret, maneret, pars Agrippinae occursantes, plurimi ad Germanicum regressi. Isque, ut erat recens dolore et ira, apud circumfusos ita coepit.

1. *Non florentis Caesaris,* ut 1, 1. 4, 71. (ubi *florentes* opponuntur *afflictis*) 11, 37. 16, 33. Agr. 11. 44. — *neque suis in castris, sed velut in urbe victa* sc. ὄντος *facies* fuit; *Wolf.* Cf. Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant, in Partic.* — *advertere,* ad se verterunt, in se converterunt, Gr. προςτρέπεσθαι, ut 2, 17. 4, 21. 6, 44. H. 3, 48. Cf. ad 2, 32, 3. et Drak. ad Liv. 1. 12. — *contuberniis,* tentoriis, ut c. 17. et al. — *quod tam triste*: quidam intelligunt *spectaculum,* et Gron. *genus hominum et rerum.* Si *triste* substantive dictum est, (ut 15, 34. et ap. Virg. ecl. 3, 80.) et h. l. pro tristi facie rerum, recte habet *quod* et videri potest Tacitus frustra quaesivisse vocabulum, quod eam rem quam brevissime exprimeret; *Wolf. quid* male coni. Heins. et Ern. Nam triste aliquid esse satis iam intellexerant: nunc quaerunt, *quod* illud sit; *Walth.*

2. *feminas illustres, non centurionem — soliti* „sc. habentes, ἔχοντας, ut ap. Herod. 2, 41. ὑπερέχοντα sc. ἔχοντας et c. 134. κῶλον ἕκαστον τριῶν πλέθρων sc. ἔχουσαν et similia in Matthiae Gram. Gr. §. 427. b.“ *Walth.* „Haec molliora fient lineolis post *illustres* et *soliti* interpositis. Vulgaris grammatica poscebat *sine centurione* cet. Adeo vulgaria odit hic scriptor.“ *Wolf.* Abruptum loquendi genus egregie affectui convenit, et plures apposui lineolas. v. ad 14, 8. Waltheri explicatio friget, et illa verborum structura Graecis, non Romanis in usu fuit. — *pergere ad Treveros* (v. ad G. 28. n. 10.) *et,* hoc est, et quidem, (v. ad 1, 33, 2.) *externae fidei* sc. gentem s. homines, parum fidos, quia externi sint. Cf. 14, 23. 32. et ad 2, 44, 1. H. 4, 32, 2. et Ind. III. v. *Appositio. Treveros* edd. Lips. et rec. ut c. Flor. in libris Hist. *Treviros* h. l. MS. et edd. vet. v. ad G. 28. n. 10.

3. *Pudor inde et miseratio* commota; *et patris — memoria, socer Drusus* cet. sc. animis obversabantur. — *ipsa* Agrippina *insigni fecunditate, pr. pud.* v. ad 3, 52, 2. Peperit IX liberos. v. Suet. Cal. 7. — *iam infans in castris genitus,* (immo Antii, sed) *in contubernio legionum eductus,* educatus, ut 1, 4. 6, 15. 41. v. ad Agr. 5. n. 1. Lips. Exc. XI. ad Tac. Ann. I. et Ern. Exc. ad Suet. Cal. 8. — *militari vocabulo* (v. ad 1, 23, 2.) *Caligulam appellabant, quia plerumque ad concilianda* sibi *studia vulgi,* militum gregariorum, *eo tegmine pedum utebatur,* caligis, calceis militaribus, unde milites dicti *caligati* et *caliga* res militaris vel infimi militum ordines. Cf. c. 69. H. 2, 5. „Tribuni et centuriones digniores que militum veste et habitu erant a gregariis distincti, quanquam et his caliga, sed aureis argenteisve clavis distincta: unde cum additione

speculatoria caliga ap. Suet. Cal. 52. et Tertull. de cor. mil. init. *Caliga* itaque tegmen vulgi. Non ita plene expressit Dio 57, 5. melius Suet. Cal. 9. *Caligatus* manipularis, gregarius. Cf. Suet. Aug. 25. JC. l. IX de custod. reorum, Sen. de ben. 5, 16. (*Marius a caliga ad consulatum pervenit*) Plin. 7, 43. *Ventidius inopem iuventam in militari caliga toleravit.*" Lips. — *invidia in Treveros,* quorum fides potior habebatur; *Brot.* — *obsistunt*: in MS. *absistunt.* — *dolore et ira,* ut H. 2, 86. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin* et *Synonyma.* — *recens* (in s. a) *dolore et ira,* ut 4, 52. et 15, 59. H. 3, 19. 77. 4, 39. *recens in dolore* 3, 1. et Cic. ad Herenn. 2, 7. *rec. a vulnere* Virg. Aen. 6, 450. *vetus* et *recens stipendiis* 2, 66. 15, 59. v. ad 3, 1. 3. — *ita coepit,* v. ad 1, 34, 2.

CAPUT XLII.

Non mihi uxor aut filius patre et re publica cariores sunt: sed illum quidem sua maiestas, imperium Romanum ceteri exercitus defendent. Coniugem et liberos meos, quos pro gloria vestra libens ad exitium offerrem, nunc procul a furentibus submoveo, ut, quicquid istuc sceleris imminet, meo tantum sanguine pietur, neve occisus Augusti pronepos, interfecta Tiberii nurus nocentiores vos faciat. Quid enim per hos dies inausum intemeratumve vobis? Quod nomen huic coetui dabo? militesne *appellem, qui filium imperatoris vestri vallo et armis circumsedistis? an* cives, *quibus tam proiecta senatus auctoritas? Hostium quoque ius et sacra legationis et fas gentium rupistis. Divus Iulius seditionem exercitus verbo uno compescuit,* Quirites *vocando, qui sacramentum eius detractabant. Divus Augustus vultu et aspectu Actiacas legiones exterruit. Nos, ut nondum eosdem, ita ex illis ortos, si Hispaniae Syriaeve miles aspernaretur, tamen mirum et indignum erat. Prima ne et vicesima legiones, illa signis a Tiberio acceptis, tu tot proeliorum socia, tot praemiis aucta, egregiam duci vestro gratiam refertis! Hunc ego nuntium patri laeta omnia aliis e provinciis audienti feram? Ipsius tirones, ipsius veteranos non missione, non pecunia satiatos? Hic tantum interfici centuriones, eiici tribunos, includi legatos? infecta sanguine castra, flumina? meque precariam animam inter infensos trahere?*

1. *Non mihi uxor* cet. egregie et imperatorie; *Brot.* coll. Cic. de off. 1, 17. — *quicquid istuc sceleris imminet,* v. ad 2, 38, 3. — *occisus Augusti pronepos,* occisio Caligulae, et *interfecta nurus Tiberii,* interfectio Agrippinae. v. ad 1, 8, 7.

2. *Quod nomen huic coetui dabo* — *milites* — *cives* — *Quirites,* cf. Liv. 28, 27 pr. ex qua Scipionis oratione id imitatum; *Lips.* — *qui filium* adoptivum *imperatoris vestri,* Tiberii, me, Germanicum, tanquam hostem, *vallo et armis circumd.* Haec spectant ad c. 39. concursu ad Germanici domum facto; non quod vallum circumiecissent ei retinendo." *Wolf. Vallo* castrorum, etsi alium in finem exstructo, abusi sunt, aut certe abusos ille videri voluit; *Freinsh.* Figurato potius sensu haec dicta pro: hostiliter adversus eum egistis, pro hoste eum tractastis; *Walth.* — *proiecta senatus auctoritas,* ut al. *abiecta,* spreta, vilis. Sic *proiecta patientia* 3, 65. sordida, humilis; *Ern.* Cf. Liv. 2, 27. — *Hostium quoque ius et sacra legationis et,* id est, *fas gentium*: non *fas gentium* illa priora complectitur; *Roth.* v. Ind. III. v. *Hendiadyoin.* „Duo posteriora appositionis potius loco addita verbis *ius hostium.* Nam sententia est: rupistis,

quae inter hostes quoque sancta habentur, sacra legationis et fas gentium." *Walth.* — *Hostium ius et sacra leg.*, iura legationis, quae vel hostibus sacra sunt. Cf. c. 39. H. 1, 80. 4, 48. et ad 2, 65, 2. — *D. Iulius*, Caesar, *seditionem exercitus verbo uno compescuit, Quirites vocando, qui sacramentum eius detractabant*, non *milites* vel *commilitones* eos appellando, ut duces solent, sed *Quirites*, (*paganos* H. 3, 24.) ut oratores, verba ad cives et populum in Urbe et pace facturi, eos alloquuntur. Cf. Suet. Iul. c. 70. Dio 42, 53. Plut. Caes. c. 51. p. 732. A. Lucan. 5, 358. et similia exempla ap. Liv. 45, 37 extr. et Lamprid. Alex. Sev. c. 52—54. Omnes cives Romani *geminata Urbe, ut Sabinis aliquid daretur, Quirites a Curibus appellati* Liv. 1, 13. Nominis originem alii repetunt a *curis*, hasta in lingua Sabinorum, (v. Dionys. 2, 48. Ovid. Fast. 2, 475.) alii a *Curibus*, Tatii regia, (quia *Cures*, Κυρις olim pronuntiatum sit *Quiris*) sed Niebuhr Röm. Gesch. T. I. p. 321. a vero huius regiae nomine *Quirium*, ut *Samnium, Samnites.* — *detractabant* edd. vet. *detrectabant* edd. rec. Cf. ad 14, 52. — *D. Augustus v. et a. Actiacas legiones e.*, v. Suet. Aug. 17. Dio 49, 34. 51, 3. Liv. epit. 131. — *nondum eosdem*, aequales Caesari et Augusto, *nos*, me; *Brot.* Immo haec de solo Germanico valent; *Walth.*

3. *Prima ne et vicesima legiones* cet. v. cap. 39 pr. et ad c. 31. n. 2. Pro vulg. *Primane* scribendum puto *Prima ne* vel *nae*, (νὴ et ναὶ, sane, utique, profecto) quo vis ironiae augetur. Minus apta videtur interrogatio, cuius signum alii post *aucta* vel *refertis* ponendum censent. — *illa* (prima legio) *signis a Tiberio acceptis*, „conscripta fortasse ab ipso Tiberio post cladem Varianam in Germaniam misso ad restaurandum exercitum. v. Vell. 2, 120." *Lips.* et *Walth.* Apparet, religionem aliquam fuisse in militia ordienda; *Lips.* — *tu*, vicesima legio, δεικτικῶς, *tot proeliorum socia* cum Tiberio in Germania. Cf. c. 34. 47. Dio 55, 23 sq. et ad G. 1. n. 3. — *egregiam duci vestro gratiam refertis*, sc. Tiberio, quod clare patet e seq. *ipsius tirones, ipsius veteranos.* Sententia est e Virg. Aen. 4, 93. et ante *egregiam* intell. aut addendum *ita* vel *tam.*" *Ern.* „Vim ironiae frangeret talis adiectio; nec veteres ea uti solent. Neque opus est Wopkensii complemento *egregiam hanc.*" *Wolf.* *egregiam gratiam* εἰρωνικῶς, ut 3, 17. H. 1, 33. 4, 32. — *nuntium patri* adoptivo, Tiberio. — *animam trahere*, spiritum, halitum ducere, vitam agere *precariam*, cuius longior usus vestrae debeatur gratiae, ein verwilligtes, erbetteltes Leben. Cf. ad G. 44. n. 6.

CAPUT XLIII.

Cur enim primo concionis die ferrum illud, quod pectori meo infigere parabam, detraxistis? O improvidi amici! Melius et amantius ille, qui gladium offerebat. Cecidissem certe nondum tot flagitiorum exercitui meo conscius: legissetis ducem, qui meam quidem mortem impunitam sineret, Vari tamen et trium legionum ulcisceretur. Neque enim dii sinant, ut Belgarum, quanquam offerentium, decus istud et claritudo sit, subvenisse Romano nomini, compressisse Germaniae populos. Tua, dive Auguste, coelo recepta mens, tua, pater Druse, imago, tui memoria, iisdem istis cum militibus, quos iam pudor et gloria intrat, eluant hanc maculam irasque civiles in exitium hostibus vertant. Vos quoque, quorum alia nunc ora, alia pectora contueor, si legatos senatui,

obsequium Imperatori, si mihi coniugem et filium redditis, discedite a contactu ac dividite turbidos: id stabile ad poenitentiam, id fidei vinculum erit.

1. Cur enim cet. Cf. c. 36. — *Melius et amantius ille* sc. egit, fecit. v. ad Agr. 19. n. 2. et de re ipsa cap. 35. extr. Tota oratio gravis et acerba. — *tot flagitiorum*, quae ab eo commissa sunt, *exercitui meo conscius*, v. Ind. III. v. *Genitivi ex se pendentes* cet. — *claritudo*, gloria, decus; *Ern*. Cf. Ind. — *subvenisse Rom. nomini*, v. ad H. 4, 18, 2.

2. *Tua, pater Druse, imago* cet. „Suspicor imaginem huius Drusi, quo duce res pulcherrimae gestae, inter signa cultam; quam praesentem intuens ista pronuntiat filius. Nec enim solae Impp. imagines innexae signis, sed et aliorum, quos Imperator sibi velut aequabat, ut Seiani. v. Suet. Tib. 48." *Lips*. „Tropice capit Freinsh. quem magis probo. Mortuorum in deos non relatorum imagines in signis cultas, non credo; neque id satis probat Stewech. ad Veget. 2, 6." *Ern*. Cf. ad 4, 2. extr. *Imago* est ipse viri in imagine aspectus, *tui memoria* rerum a te gestarum cogitatio; *Walth*. qui Lipsium verum vidisse putabat. „*Imago* id. qd. *anima*, ut ap. Virg. Aen. 4, 654." *Kiessl*. — *cum militibus, quos iam gloria intrat*, eius cupido, ut H. 2, 21. *commilitibus* emend. Grut. et Ryck. qui latinitatem vocabuli defendebant tum locis corruptis Plin. 37, 2. et Caes. b. civ. 2, 29. tum Gloss. vet. συστρατιώτης, *commiles*. Ernestius delendum censebat *cum*, vel explicandum h. l. sic, ut velit, Divum Augustum et Drusum istorum ipsorum militum, qui rebellassent, opera eluere maculam susceptam; quanquam usitatius ita *per*. Quae refellit *Wolf*. his verbis: „Dativos qui primus desideravit, dormitabat et *maculam* forsan referebat ad dedecus seditione admissum: sed est publica, ex clade Variana aspersa Romano nomini. Hanc maculam ne Belgae, ne *exteri*, sed *iidem isti* iam mutati *milites* Romani eluant, ducibus et auspicibus Augusti et Drusi coelestibus animis. Longe usitatius est et vero etiam gratius *cum*, quo societas operae significatur. Cf. c 25. 34. quanquam talia ubique plurima sunt. (v. c. 2, 66. 11, 1. H. 2, 9; I. Gron.) Ut *commiles* non videretur aevi posterioris esse, h. l. tamen nihili esset, nisi forte ad ablativos absolute positos confugeris." — *iras civiles*, civium inter se; *Ern*.

3. *Vos quoque, quorum alia* cet. „Eximia peroratio. *Alia ora et pectora* quum dicit, nemo est qui id, si velit, non ad se privatim trahere queat; postrema autem sententia eiusmodi est, ut, si qui adhuc iram retineant, in eos ceteram turbam armet, seu poenitentia, seu metu poenae et coeptorum diffidentia correctam. Notavit Freinsh." *Wolf*. Cf. ad 3, 68, 2 — *si mihi coniugem et filium redditis, discedite a contactu*, communione et societate noxiorum, *turbidorum*, ab improbis, quorum scelere inficimini et contaminamini, *ac dividite*, separate, seiungite a vobis, (ut 3, 15.) *turbidos: id stabile*, firmum, *ad poenitentiam*, poenitentiae, *id fidei vinculum erit*; cf. ad 1, 7, 8. *Contactus*, ut *contagio* et *contagium*, propr. communicatio vitii contactu transfusi, et hinc communio, societas, ut 6, 7. H. 1, 11. 2, 60. Agr. 30. Liv. 1, 15. 2, 5. 37. 4, 30. al. Hinc et *tacti ruina Cheruscorum Fosi* G. 36. *et filium* MS. et edd. rec. *ac f.* edd. vet.

CAPUT XLIV.

Supplices ad haec et vera exprobrari fatentes orabant, *puniret noxios, ignosceret lapsis et duceret in hostem: revocaretur coniux, rediret legionum alumnus neve obses Gallis tradere-*

tur. Reditum Agrippinae excusavit ob imminentem partum et hiemem: *venturum filium: cetera ipsi exsequerentur*. Discurrunt mutati et seditiosissimum quemque vinctos trahunt ad legatum legionis primae, C. Cetronium, qui iudicium et poenas de singulis in hunc modum exercuit. Stabant pro concione legiones destrictis gladiis: reus in suggestu per tribunum ostendebatur. Si nocentem acclamaverant, praeceps datus trucidabatur. Et gaudebat caedibus miles, tanquam semet absolveret; nec Caesar arcebat, quando nullo ipsius iussu penes eosdem saevitia facti et invidia erat. Secuti exemplum veterani haud multo post in Raetiam mittuntur, specie defendendae provinciae ob imminentis Suevos, ceterum ut avellerentur castris, trucibus adhuc non minus asperitate remedii quam sceleris memoria. Centurionatum inde egit. Citatus ab imperatore nomen, ordinem, patriam, numerum stipendiorum, quae strenue in proeliis fecisset et cui erant dona militaria, edebat. Si tribuni, si legio industriam innocentiamque approbaverant, retinebat ordines: ubi avaritiam aut crudelitatem consensu obiectavissent, solvebatur militia.

1. *ad haec*, his auditis; *Ern*. Cf. ad 12, 20, 1. — *excusavit*, deprecatus est, negavit petenti; *Ern*. — *C. Cetronium* edd. vet. et rec. ut inscr. ant. Sed C. *Caetronium* MS. Eius pater C. Cetronius aedilis ap. Gruter. inscr. p. CCIC. n. 1. fuisse videtur; *Brot*. Cf. intpp. Liv. 22, 8 pr. et Iuvenal. 14, 86. *C. Petronium* coni. Pellicer. — *Stabant pro concione legiones*, quae ipsa concio; *Ern*. Cf. ad 2, 81, 1. et 12, 33. „Exemplum, nisi fallor, primum animadversionis a milite ipso usurpatae, quod hodie in nostra militia vulgo obtinet. *Priscum* tamen *morem* dicit Ammian. 29, 5.“ *Lips*. In castris Rom. forum erat,' in quod convocabantur milites; *Freinsh*. coll. 1, 67. H. 3, 13. Liv. 3, 13. Polyb. 6, 28. — *destrictis gladiis*, v. ad 1, 32, 1. — *in suggestu*, v. ad c. 18. n. 3. — *tanquam semet absolveret*, ita culpam a se demoveret et maculam. Cf. Virg. Aen. 2, 130. *Piaculum furoris* cap. 49. — *quando*, v. ad 1, 57, 1. — *veterani in Raetiam mittuntur*, v. ad 1, 17, 1. et G. 1. n. 1. — *specie defendendae provinciae*, v. ad 2, 5, 1. — *ob imminentes* Raetiae *Suevos*, v. ad G. 38. n. 1. — *ceterum*, re vera. Opp. *speciei*. — *adhuc*: in MS. *adhoc*. — *sceleris memoria*, conscientia, ut c. 58. princ.

2. *Centurionatum egit* Germanicus; inaudita et vox illa et haec dictio et res ipsa, etsi sententia satis perspicua e verbis seq. et ex eo quod centuriones saevitiae incusati a militibus hisque omnes querimoniarum et indignationis causae praecidendae erant. Cf. cap. 17. 20. 23. 31. 32. Viri docti varia coniecerunt: Lipsius *centurionatum legit*, ut *legere senatum*; I. Fr. Gron. *centurionatus exegit*, ut *exigere vulnera* G. 7., et *centurionum delectum egit*, i. e. examen aut recensionem; (etsi enim, inquit, *delectus agi* proprie dicitur in illis, qui ex privatis milites aut centuriones fiunt; tamen hoc ipsum, quod hic agitur, qui commodius Latine pronuntiem, non reperio, et ex illis, quos iam habeas olim lectos, nova trutina libratis, alios retinere, quo sunt loco, alios reiicere, utique *delectus* est) N. Heinsius *censum centurionum* s. *centurionalem egit*, h. e. singulos centuriones, alterum post alterum, citavit; I. Gron. *centurionatim*; (ut *manipulatim*, *regionatim*, *ordinatim*, *gradatim*) Ernestius *centurionatim* et *centuriatim* (per centurias) *egit*; G. Chr. H. in Ephem. Schol. Darmstad. a. 1828. p. 871. *centurionem tum*

integrat; (er gibt dem Centurio sein Ansehen wieder) Hillerus in Racematt. *centuriones tum in ordinem redegit* s. *coegit*; Pellicerius *centurionata egit*; alii *centurionum censuram egit*. De vulgata lectione et de emendd. quibusdam ita iudicabat I. Fr. Gron. „Fractus locus, cuius sententia satis conspicua, verba nihil Romanum sonant. *Centurionatum agere* Latine dicitur, ut *agere potestatem, proconsulatum, regnum*, ubi *agere* est gerere, administrare. Item *legere centurionatum* non respuent aures Romanae, ut *legere sortem vitae*, si cui et huius et cuiuscunque alterius loci libera est optio. Sed neuter sermo rei, qua de Tacitus, aptus est. *Legere* autem *centurionatum*, ut *legere senatum*, ferri non quit; *senatus* enim corpus est senatorum, *centurionatus* non corpus centurionum, sed gradus militiae honoratae. Hoc modo corpora multorum et personae singulae legi dicuntur, ut *legere senatum, magistratum, militem, exercitum*; munus aut officium non dicitur *legi*. Quid igitur iste ait *agere centurionatum* poni pro *legere*, quum nec *legere* Latinum sit hoc sensu, neque *agere* pro *legere*? Quid est autem *censum legere*? Nec felicius alter, qui comparat *delectum agere*. Cur non et *agere censuram, experimenta, inquisitionem*? Sed qua in re conveniant, dicam. Nempe *delectum agit* delector, *censuram* censor, *experimenta*, qui experitur, *inquisitionem* inquisitor. Sic ergo *centurionatum agit* non nisi qui centurio est: et quemadmodum *agere delectum, censuram* cet. non recensere aut examinare *delectores, censores* etc., ita neque *agere centurionatum* est probare et recensere centuriones. Quod vero tertius inculcat, non eam fuisse electionem novorum, sed examen veterum, quis non agnoscit? sed quid hoc iuvat? an *agere* est recensere aut examinare? an *recensere* aut *examinare centurionatum* est examen centurionum instituere?“ Wolfius haec annotavit: „*Centurionatim* et *centuriatim egit* coni. Iac. Gron. et Ern. sed totum loquendi genus mancum et nugatorium, neque usquam exstat *centurionatim*. Hoc ergo ludenti Iac. Gronovio reddimus, a patre priorem coniect. libentius accipimus, aut, quod aliis in mentem venerat, *centurionum censuram*. Quanquam nihil horum omnium animum explet, valdeque placet modestia Mureti, inauditam vocem simpliciter explicantis *recensionem et cognitionem de centurionibus*. Quid enim? si res, cuius nulla alibi mentio, vocabulo nobis ignoto, at olim vulgari et proprio, expressa est. In hoc equidem acquiesco, quum sensum videam, verborum autem medelam quamvis fallacem et incertam putem.“ Vulgatum quoque non improbant Hillerus l. l. et Moebius in Seebodii bibl. crit. a. 1823. p. 176. Ille exponit: centurionum congregationem egit iuris reddendi causa, ut *forum, conventum agere*. Hic ita: „*Centurionatum* alii de delectu centurionum, alii de illorum recensione ac cognitione intelligunt. Sed hac dictione militari utrumque exprimitur, Germ. er hielt *Centurionat*, d. h. Centurionen-Wahl und Musterung: nam si, ut h. l. docetur, approbati retinerent ordines, non erat dubium, quin, ubi ordines carerent centurionibus, ii statim ad disciplinam militarem conservandam eligerentur atque sufficerentur. Huc accedit, quod haec explicatio verbis c. 32. *repente lymphati destrictis gladiis in centuriones invadunt* cet. probetur nihilque ante de suffectis centurionibus commemoretur, quam rem auctor silentio transire neque potuit nec debuit.“ Hoc ceteris praeferendum videtur. Tacitus autem novas et voces et dictiones effingere solebat. v. Ind. III. v. *Verba Tacito propria* p. 889. — *citatus ab imperatore* centurio *edebat nomen* suum, *ordinem*, centuriam, quam duceret, primam, secundam, tertiam. — *dona militaria*, torques, phaleras, hastas puras, pateras argenteas et aureas, armillas, coronas cet. Cf. 2, 9. 3, 21. H. 2, 89. Polyb. 6, 39. Suet. in Oct. 8. 25. in Tib. 32. Liv. 30, 15. Gell. 2, 11. Plin. 7, 29. Sil. 15, 254 sq. Iuvenal. 16, 60. Lips. de mil. Rom. 5, 17. Noris. in cen. Pis. 2, 5. p. 121. *donaria militaria* MS. et edd. vet. Sed *donaria* dicuntur dona

diis, non hominibus militibusque data. Hinc *dona mil.* Allem. Brot. aliique recte substituere ex emend. Ern. qui ingeniose suspicabatur, terminationem vocis seq. illi *donaria* adhaesisse culpa librariorum, ut praecedentis 6, 48, 1. *pericularia* in MS. *dona iam militaria* coni. Latinus Latin. in bibl. sacra p. 36. — *retinebat ordines*: immo *ordinem*, *Kiessl.* Minus probabilis lectio ed. Ber. *retinebant ordines.* — *solvebatur militia* invitus, non commodi causa; *Ern.* Est inhonesta missio, *per ignominiam* H. 3, 57 pr. Germ. Cassation. Cf. ad H. 2, 67, 1. „Tacitus scripsit *si tribuni — approbaverant* et deinde *ubi — obiectavissent*, scil. illud ut de eo, quod vulgo fieri solebat; hoc ut de re fortuita, h. e. quae locum habuit, si quando non approbarent. Nos dicimus wenn etwa, wenn einmal. Cf. Ramshorn. Gram. §. 166. 4. b. p. 417.“ *Walth.*

CAPUT XLV.

Sic compositis praesentibus, haud minor moles supererat ob ferociam quintae et unaetvicesimae legionum, sexagesimum apud lapidem (loco *Vetera* nomen est) hibernantium. Nam primi seditionem coeptaverant: atrocissimum quodque facinus horum manibus patratum; nec poena commilitonum exterriti, nec poenitentia conversi iras retinebant. Igitur Caesar arma, classem, socios demittere Rheno parat, si imperium detrectetur, bello certaturus.

1. *haud minor moles*, multitudo rerum componendarum. *molis* MS. — *ob ferociam V et XXI legionum*, v. ad 1, 31, 2. — *sexagesimum apud lapidem*, (ut *apud, ad, ultra quartum, quintum lapidem et milliare* 2, 50. 3, 45. 13, 26. 15, 60. H. 3, 18. 4, 11. 60. vel *ad duodecimum, ad quartum, ad octavum* scil. lapidem H. 2, 24. 39. 3, 15. cf. Ruddim. inst. Gram. T. II. p. 287. 288.) a superioribus castris, quae prope Ubiorum opp. erant; (cf. cap. 31. 36.) *loco nomen est Vetera* (Οὐέτερα Ptol. 2, 11.) sc. castra, quod nomen accepit a castris Romanis olim ibi positis, e quibus crebrae olim expeditiones in Germaniam factae. Eiusmodi castra origo multorum oppidorum, ut et mapalia s. magaria. v. H. 4, 18. 53. 57. 60. 62. 5, 14. et ad H. 4, 22. 4, 23 pr. *Vetera* opp. Gugernorum, (inter Ubios et Batavos in ripa Rheni, v. Plin. 4, 17. s. 31. Strab. 4, 3, 4. et ad Tac. H. 5, 16.) quod hodie vel *Santen s. Xanten*, vel *Büderich* appellari, e situ loci et H. 4, 23 pr. colligitur. v. Itinerar. Anton. p. 370 (in quo LXIII M. P. Veteribus Bonnam usque numerantur; *Walth.*) Barth Teutschl. Urgesch. §. 481. et Wilhelm Germanien Weim. 1823. p. 111 — 113. Sed Fiedler (Geschichten und Alterth. des untern Germ. Essen 1824. Vol. I.) Vetera in horto monasterii olim siti in colle quodam posita putat, Fürstenberg s. Varusberg, Vorsseberg, inter *Birten* et *Xanten*, opp. vero *Xanten* fuisse *coloniam Traianam*.

CAPUT XLVI.

At Romae, nondum cognito, qui fuisset exitus in Illyrico, et legionum Germanicarum motu audito, trepida civitas incusare Tiberium, *quod, dum Patres et plebem, invalida et inermia, cunctatione ficta ludificetur, dissideat interim miles, neque duorum adolescentium nondum adulta auctoritate comprimi queat. Ire ipsum et opponere maiestatem imperatoriam debuisse cessuris,*

ubi Principem longa experientia eundemque severitatis et munificentiae summum vidissent. An Augustum fessa aetate totiens in Germanias commeare potuisse: Tiberium vigentem annis sedere in senatu, verba Patrum cavillantem? Satis prospectum urbanae servituti. Militaribus animis adhibenda fomenta, ut ferre pacem velint.

1. *At Romae* cet. v. ad 2, 82, 1. — *nondum cognito* (negotio, re), postquam nondum cognitum erat. Sic participia neutr. gen. in sexto aliisque casibus absolute poni solent, ut et Adiectiva. Cf. Drak. ad Liv. 1, 41, 6. 6, 17, 4. 28, 21, 5. Periz. ad Sanctii Min. 3, 9. Ruddim. inst. Gram. T. I. p. 273. T. II. p. 297. 298. Ramshorn. Gram. p. 479. et Ind. III. v. *Participia Perf. Pass. in sexto casu absolute posita.* — *exitus* seditionis in *Illyrico*, propr. Pannonia, Illyrico finitima. Cf. cap. 16 sq. et ad G. 1. n. 1. — *dissideat interim miles*, Cf. Ind. III. v. *Numerus sing. pro plur.* — *duorum adolescentium*, Drusi et Germanici. v. cap. 24 sq. et 31 sq. — *Principem longa experientia eundemque severitatis* — *summum*, v. ad 3, 52, 2.

2. *An Augustum* — *potuisse*, v. Dio 54, 20. 55, 6. et Suet. Aug. 20. — *fessa aetate* pro *fessum aetate.* Cf. Ind. II. — *verba Patrum cavillantem*, in sensum deteriorem maligne detorquentem. — *urbanae servituti*, civium in Urbe.

CAPUT XLVII.

Immotum adversus eos sermones fixumque Tiberio fuit, non omittere caput rerum neque se remque publicam in casum dare. Multa quippe et diversa angebant: validior per Germaniam exercitus, propior apud Pannoniam: ille Galliarum opibus subnixus, hic Italiae imminens. Quos igitur anteferret? ac ne postpositi contumelia incenderentur. At per filios pariter adiri maiestate salva, cui maior e longinquo reverentia. Simul adolescentibus excusatum, quaedam ad patrem reiicere: resistentisque Germanico aut Druso posse a se mitigari vel infringi. Quod aliud subsidium, si Imperatorem sprevissent? Ceterum ut iam iamque iturus legit comites, conquisivit impedimenta, adornavit naves. Mox hiemem aut negotia varie causatus primo prudentes, dein vulgum, diutissime provincias fefellit.

1. *Immotum fixumque* (synon.) *Tiberio fuit* ex Virg. Aen. 4, 15., *Gron.* In MS. *adversoe* — *in cassum dare* — *subnixius* — *intenderentur.* — *omittere caput rerum*, exire Roma. v. ad 3, 47, 1. — *in casum dare*, v. ad 12, 14, 1. — *Italiae imminens*, v. ad H. 2, 58. — *Quos igitur anteferret? ac ne* cet. „*Ecquos* male Rhen. Sic enim dubitaret, an essent aliqui anteferendi, ut in illo: *ecquis erit mecum?* At de hoc nulla dubitatio: non enim poterat esse simul duobus locis, eoque necessario alteruter exercitus erat adeundus prior. Illud ambiguum erat, utros anteferret. Male item *ac* delent Vertranius, Mur. et Acid. Sensus enim: *ac*, si alteros utros praetulisset, angebat eum metus, *ne postpositi* eam contumeliam interpretarentur et saevirent magis.“ *Gron.* „*Ac* insertum est, ut melius distinguantur duo momenta, primum optio ipsa, tum metus. Male *ne* explicares *ita ut non.* Ex verbo *angebant* duo sunt ἀναλόγως elicienda: *dubitabat*, utri adeundi forent: *metuebat*, ne posthabiti dolerent. Ex his minutis ellipsibus Germanum Tacitum agnosco.“ *Wolf.* Ante *ne* saepissime omittuntur verba *timere, metuere, vereri, cavere, videre,* ut ante

μὴ verba φοβεῖσθαι et ἰσχύν. v. ad 12, 2. 12, 66. Ind. III. v. *Ellipses* nr. 3. et Hoogeveen. de partic. Gr. ling. p. 710. — *maiestate salva: cui maior e longinquo reverentia,* vera et callida gnome, quae a Thucyd. 6, 11. med. sumta videri potest; *Lips.* Cf. Suet. Tib. 10. — *Simul adolescentibus excusatum* esse s. fore, eos facile extra culpam esse s. facilius excusari eo quod quaedam ad patrem reiicerent; *Bip. de adolescentibus* emend. Pellicer. Sed utrumque latine dicitur; *Brot.* — *quaedam ad patrem reiicere,* v. ad 1, 26, 3.

2. *conquisivit impedimenta,* „vehicula, iumenta cet. v. ad Suet. Tib. c. 38. Graev. et Oudend. ad Suet. Cal. 51. ubi male quidam corrigunt *iumenta,* et Oudend. ad Frontin. 2, 1, 11.“ *Ern.* Cf. ad H. 3, 2. — *adornavit naves,* v. ad H. 3, 63, 2. „Quorsum *naves,* si in Galliam aut Germaniam iturus? An haec simulatio ad Pannoniam spectat? quo etsi terra, tamen et supero mari licebat traiicere.“ *Lips.* „Immo et ad Germaniam: quemadmodum Claudius Britannica expeditione suscepta navigavit Ostia Massiliam, inde terrestri itinere Gessoriacum petiit. v. Suet. Claud. 17.“ *Gron,* — *mox hiemem aut n.* modo h., modo n.; *Ern.* v. ad 1, 16, 1. — *diutissime provincias fefellit,* „cf. 3, 47. 4, 4. Suet. Tib. 38.“ *Walth.*

CAPUT XLVIII.

At Germanicus, quanquam contracto exercitu et parata in defectores ultione, dandum adhuc spatium ratus, si recenti exemplo sibi ipsi consulerent, praemittit literas ad Caecinam, venire se valida manu ac, ni supplicium in malos praesumant, usurum promiscua caede. Eas Caecina aquiliferis signiferisque, et quod maxime castrorum sincerum erat, occulte recitat, utque cunctos infamiae, se ipsos morti eximant, hortatur: *nam in pace causas et merita spectari; ubi bellum ingruat, innocentes ac noxios iuxta cadere.* Illi tentatis, quos idoneos rebantur, postquam maiorem legionum partem in officio vident, de sententia legati statuunt tempus, quo foedissimum quemque et seditioni promptum ferro invadant. Tunc signo inter se dato irrumpunt contubernia, trucidant ignaros, nullo nisi consciis noscente, quod caedis initium, quis finis.

1. *ultione parata in defectores,* V. et XXI. legg. c. 37. 45. — *recenti exemplo* legionum I. et XX. Cf. c. 39. 44. *si* — *sibi ipsi consulerent,* v. ad 11, 23, 2. — *Caecina:* in MS. *caenia* et in marg. *caecinna.*

2. *causas et merita,* v. Ind. III. v. *Hendiadyoin.* — *iuxta cadere,* v. ad H. 1, 6. 6. — *irrumpunt contubernia,* tentoria. v. ad Agr. 5. n. 1. — *quis finis:* „Si aures recte capiunt latinam rationem, leg. *qui.* Scio, dubitari de discrimine et permutari saepe. Arbitror tamen, in interrogatione diserta *quis* rectius esse, quanquam et *qui* sic reperiri viri docti docent: ubi non proprie interrogatur, at hic, *qui* rectius puto.“ *Ern.* „Ne hoc quidem verum est, ita universe pronuntiatum. Alioqui falsum esset illud Virg. Ge. 1, 3. *quis cultus habendo sit pecori.* Hic et aliis locis satis erit, temerarias dubitationes leviter summovere.“ *Wolf.* *Qui* tanquam melius et doctius defendebant Heins. et Heyne ad Virg. Ge. 1, 3. et ad Ecl. 1, 19. 2, 19. Drak. ad Liv. 3, 17. 6, 32. 45, 24. ad Sil. 2, 645. 7, 538. 9, 651. 10, 117. 13, 450. 15, 666. Burm. ad Phaedr. 1, 13, 6. Gron. obss. ad script. eccles. c. 21. Bentl. ad Hor. Sat. 1, 4, 41. 1,

5, 79. „Ubi interrogationis vis cadit in pronomen, ibi ponitur *quis*; ubi vero cadit in substantivum pronomini additum, ibi requiritur *qui*. Hinc unice verum est *quis finis*. Nam finem fore caedis dubium esse nequibat; at *quem* finem fore nesciebant. Contra ap. Phaedr. 1, 13. legimus *O qui tuarum, corve, pennarum est nitor!* Perperam ibi Heinsius aliique maluerunt *quis*. Immo interrogationis vis cadit in vocab. *nitor*, neque quaeritur de nitore aliquo inter plures, qui esse possint, nitores. Eiusdem generis exempla sunt Ovid. art. am. 2, 561. et Trist. 3, 11, 5. 4, 1, 23. et Met. 14, 502. Valer. Fl. 4, 704. in alteram partem Virg. Ge. 1, 3. Ovid. Met. 13, 279. et Amor. 3, 12, 1.“ *Walth.* Mihi inter *quis* et *qui* hoc discriminis videtur intercedere, ut *quis* usurpetur, ubi sententiae vis posita est in voce interrogativa, *qui*, in voce adiecta; *Kiessl.* Cf. Ramshorn. Gram. p. 366. 367.

CAPUT XLIX.

Diversa omnium, quae unquam accidere, civilium armorum facies. Non proelio, non adversis e castris, sed iisdem e cubilibus, quos simul vescentis dies, simul quietos nox habuerat, discedunt in partes, ingerunt tela. Clamor, vulnera, sanguis palam; causa in occulto: cetera fors regit. Et quidam bonorum caesi, postquam, intellecto in quos saeviretur, pessimi quoque arma rapuerant. Neque legatus aut tribunus moderator affuit: permissa vulgo licentia atque ultio et satietas. Mox ingressus castra Germanicus, non medicinam illud plurimis cum lacrimis sed cladem appellans, cremari corpora iubet.

Truces etiam tum animos cupido involat eundi in hostem, piaculum furoris: nec aliter posse placari commilitonum manes, quam si pectoribus impiis honesta vulnera accepissent. Sequitur ardorem militum Caesar iunctoque ponte tramittit duodecim millia e legionibus, sex et viginti socias cohortes, octo equitum alas, quarum ea seditione intemerata modestia fuit.

1. *simul quietos nox habuerat*, una dormiverant; *Ern.* Cf. ad 2, 44, 2. — *cetera fors regit*, exitum rei; *Wolf.* Cf. ad 6, 22, 1. — *intellecto* edd. rec. ex emend. Lips. v. ad 1, 46, 1. *caesi. postquam intellectum* cet. edd. vet. — *pessimi* nunc *quoque*, ut antea boni tantum. — *licentia atque ultio et satietas* pro *ultionis satietas*, ut *ultione et sanguine* 4, 25. pro *ultione per sanguinem*, *Roth.* p. 32. et 52. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin*.“ Est vero hic ἓν διὰ τριῶν et illa belle dicta pro *licentia ultionis usque ad satietatem*.“ *Walth.* — *etiam tum*, v. ad 1, 3, 2.

2. *piaculum furoris*, ut furorem suum seque commilitonum sanguine contemeratos expiarent; *Brot.* v. ad c. 3. n. 1. et cf. Dio 57, 6. *Gaudebat caedibus miles, tanquam semet absolveret* cap. 44. — *nec aliter posse placari commilitonum manes:* nam interfectorum Manes hostiliter persequi credebantur eos, quorum scelere perierant. Cf. intpp. Virg. Aen. 4, 385 sq. Sil. 2, 704. 17, 161 sq. Claud. in Rufin. 2, 324 sq. Manes quoque hominum in bellis civilibus caesorum precibus et sacrificiis placabantur. v. Plat. Menex. 14. ed. Gottleb. De Manibus vero insepultorum v. ad 15, 67. — *pectoribus honesta vulnera accepissent*, ut tergo inhonesta. v. ad 12, 30, 1. „*excepissent* corr. Muret. ex librorum quorundam scriptura *eccepissent*. Quorum librorum? Haud male tamen, quod ablativus additus est, et ipsi se offerunt vulneribus. Quippe haec praecipua *excipiendi* vis. Diversum est Cic. or. de har. resp. c. 19. *acceptis a forti adversario vulneribus ad-*

versis." *Wolf.* — *Sequitur ardorem militum Caesar*, v. ad 3, 69. 1. — *iunctoque ponte*, v. ad 1, 69, 1. et 13, 7. — *e legionibus sex, et viginti* cet. „Ita male distinctum in edd. vet. Quatuor enim duntaxat legionum miles in eo bello et in Germania inferiori; quod ex cap. 51. med. clarum." *Lips.* — *quarum ea seditione intemerata*, non polluta, *modestia fuit*, v. ad H. 1, 48, 5. 1, 83, 3. et Ind. III. v. *Praedicatum Subiecto praepositum.*

CAPUT L.

Laeti neque procul Germani agitabant, dum iustitio ob amissum Augustum, post discordiis attinemur. At Romanus agmine propero silvam Caesiam limitemque a Tiberio coeptum scindit; castra in limite locat, frontem ac tergum vallo, latera concaedibus munitus. Inde saltus obscuros permeat consultatque, ex duobus itineribus breve et solitum sequatur, an impeditius et intentatum eoque hostibus incautum. Delecta longiore via, cetera accelerantur: etenim attulerant exploratores, festam eam Germanis noctem ac sollennibus epulis ludicram. Caecina cum expeditis cohortibus praeire et obstantia silvarum amoliri iubetur: legiones modico intervallo sequuntur. Iuvit nox sideribus illustris, ventumque ad vicos Marsorum et circumdatae stationes stratis etiam tum per cubilia propterque mensas nullo metu, non antepositis vigiliis. Adeo cuncta incuria disiecta erant: neque belli timor, ac ne pax quidem nisi languida et soluta inter temulentos.

1. *Germani agitabant*, v. ad 1, 68, 1. — *iustitio*, v. ad 1, 16, 1. — *attinemur* a bello. v. ad 1, 35, 3. — *silvam Caesiam*: „Dubites an scribendum *Hesia*, quo nomine etiamnunc in ducatu Clivensi (inter Luppiam Isalamque) Heserwald. Quae vox non abest quin a deo nomen habeat, quem Galli Germanique Martem colebant, *Heso*. (s. *Eso* et *Camula*.)" *Lips.* Ei suffragatur Wilhelm. in German. p. 47. sed Reichard. in German. p. 8. 223. 224. silvam hanc et castra Rom. fuisse putat, ubi nunc est *Nehein* confluuntque *Ruhr* et *Moenne*. — *limitemque a Tiberio coeptum scindit* cet. Male *scandit* coni. Lips. Freinsh. (qui hoc verbum ad silvas quoque collibus ut plurimum incumbentes referri posse putabat) et Eccard. de orig. Germ. p. 278. „Censeo cum Mureto, *limitem* hunc ex eo genere esse, quibus, ubi flumina, mare, montes non erant, adversus incursiones barbarorum imperium Rom. muniebatur. Cf. 2, 7. H. 2, 24. 42. 3, 21. G. 29. Spartian. Hadr. c. 12. Ammian. 30, 9. Hos limites *scandere* quid sit aut cui usui, non intelligo: sed si quando trans eos bellum inferebatur barbaris, aut hi invadebant fines Romanos, tum *limites scindi, aperiri, rumpi* et *perrumpi* dicebantur, ut ap. Vellei. 2, 120. Vopisc. in Tacito c. 3. Ammian. 23, 3. 26, 5. (Cf. et Ammian. 16, 11. Caes. b. G. 2, 17. 3, 29. 30. 5, 51.) *Scindere limitem* et silvam non est caedere, non exscindere: nam *caedere silvam* est aut conlucare, aut hic illic arbores deiicere; *exscindere* autem est omnem omnino abolere et nullas ibi arbores relinquere. At *scinditur*, quod dividitur, aperitur, rimam aut fenestram aut intercapedinem et aliquid interlucens accipit. Sic *scindit se nubes*; sic *scindere viam, solum, vallum, robora cuneis*. Ita ergo et limes ac silva *scinditur*, quum in ea pervium fit, quum per eam aperitur via militaris, ut relinquantur quidem utrinque arbores, tantum tamen fiat vacui, ut exercitus tuto ea commeare possit. *Castra in* ipso

limite locata intellige, ut fossae aggerisque et quicquid ibi structum erat muniendi causa, eius complanata pars intra castra recepta sit: non quasi praecise castra intra limitis quamvis latissimi angustias stringerentur. Quia proxime limitem erat silva Caesia, saltus autem omnes sunt loca insidiis nata, nec nisi caute et explorate intranda provido duci, eam non excidit totam, (neque enim necesse habuit) sed longe lateque, qua e castris prospectum patere voluit et qua exercitus ducendus erat, *scidit*, h. e. cecidit; eo consilio quo Caesar B. G. 3, 29. qui videndus.“ *Gron.* *Limites* vel a natura vel arte facti. Illius generis sunt montes, mare, flumina, huius muri, aggeres, fossae aliaque castrorum munimenta, quibus arcetur impetus et incursio hostium. — *Limes, a Tiberio coeptus*, primum factus, structus, institutus et a Germanico promotus ad Alisonem, (Germ. angelegt, ut 4, 68. 4, 30. 11, 1.) etsi non plane perfectus, (v. 2, 1.) Transrhenanus, ad dextram Rheni ripam, a Veteribus (v. ad 1, 45, 1.) ductus per Franconiam, Sueviam, Wetteraviam usque ad montes prope Bonnam sitos, (ad loca, quae nunc dicuntur Spellen, Obrighoven, Damm, Schermbeck, Vefte, Spellen) h. l. id. qd. Germ. Grenzwall, Landwehr, Vertheidigungslinie, diversus a *via*, Germ. Heerweg, Militärstrafse. v. Agr. 41. Vell. 2, 97. Flor. 4, 12. Fiedler Geschichten u. Alterth. German. Essen 1824. T. I. p. 164—179. Hic *limes*, castrorum castellorumque munimentum et praesidium, erat vallum, (*agger* c. 17. *agger viae* H. 2, 24. 42.) hic ibi duplex triplexque, X et XV pedes altum, passim quoque muro et *concaedibus* munitum, quod nunc dicitur. Teufelsmauer et Pohlgraben, Pfahldamm, Pfahldöbel i. e. Pfahlgraben. Cf. ad 1, 56, 1. ad G. 29. n. 11. von Gerning: die Rheingegenden von Mainz bis Cöln. Wiesbaden 1819. Bucherii Belg. Rom. 3, 4. Clostermeyer: wo Hermann den Varus schlug, Lemgo 1822. p. 62. Buchner: die Teufelsmauer, Regensb. 1818. 1821. Hanfselmann: wie weit der Römer Macht in Deutschl. eingedrungen, Schwäb. Hall 1768. Knapp: Röm. Denkmäler des Odenwaldes, Heidelb. 1813. Wilhelm: Germanien p. 291 — 310. Reichard: Germanien unter den Römern, Nürnb. 1824. p. 7. 8. 347 — 352. et in N. geogr. Ephem. T. X. Fasc. 4. Steger de viis militar. Rom. in Germ. vet., v. Wersebe über die Völker u. Völker-Bündn. d. a. Teutschl. p. 10. 55. 64. sqq. Eccard. orig. Germ. p. 282. et Wenck Hess. Landesgesch. T. I. p. 30. „Interpretes recentiores acquiescunt in Gronovii interpretatione. Obstant tamen plura. Et primum quidem, quis eo sensu silvam limitemque scindit *propero agmine?* Properum agmen celeriter regionem pervadit, nec moratur caedendis arboribus. Ubi obstantia silvarum sunt amovenda, praeeunt expeditae cohortes, ut mox videbimus. Deinde miror, per silvam Caesiam tum adhuc eiusmodi viam fuisse aperiendam. Quis enim sibi persuadebit, silvam cis limitem sitam nondum itinera satis tuta et lucida habuisse? Gronovius quidem silvam Caesiam ultra limitem ponit, quasi a limite eam aperuissent, eumque errorem et Wolfio indidit, qui *saltus obscuros* in seqq. de ipsa silva Caesia intelligit. At tum Noster haud dubie scripsisset *limitem silvamque Caesiam*, non *silvam Caesiam limitemque*. (Cf. nota 2.) Quae cum ita sint, nihili esse explicationem Gron. censeo et *scindit silvam limitemque* nihil aliud quam: per mediam silvam perque limitem vadit. Nos dicimus mit einem Heere durchbrechen, durchschneiden, sc. eundo. Sic *scindere* 1, 65. G. 43. Ovid. Met. 15, 739. *castra in limite locat* h. e. in eo loco, ubi limes erat, castra haud procul ultra limitem, sed in ipso limitis loco locavit: nam *in*, ut Gr. *ἐν*, etiam latiori sensu regionem denotat, qua quid positum est.“ *Walth.* — *frontem ac tergum vallo, latera concaedibus* (arboribus caesis

aggestisque, Germ. Verhaue) *munitus*, v. ad 2, 17, 2. *munitus* Ms. et edd. paene omnes praeter poster. Lips. et rec. In illis *munitur*, in his *munit*, ut *scindit*, *locat*, *permeat consultatque*." Aptius est *munitus*. Nam verba *frontem — munitus* adduntur, ut ratio castrorum ante dictorum describatur, non ut novi quid enarretur factum: nec locus est capiendus, tanquam Germanicus primum sciderit silvam limitemque, dein castra locaverit, postremo munierit; sed castra locavit ita, ut *munitus* esset vallo et concaedibus." *Walth.*

2. *Inde saltus obscuros permeat*: „Legendum videtur *penetrat*. Ita Germanicus in primis saltibus obscuris, quo penetraverat, ad bivium quoddam consultat Caecinaeque dat mandatum cet. Et haec omnia in una eademque silva Caesia. Nisi fortasse *permeat* ita accipis, ut actionem durantem exprimat, *permeando* Germanicum consultasse, aut potius *ὕστερον πρότερον: consultat — Caecina iubetur — permeat*." *Wachsmuth.* animadv. in Tac. hist. expeditt. Germanici Kil. 1821. p. 11. Immo *permeat* apte h. l. et vulgari sensu dictum, et *saltus obscuri* non sunt silva Caesia: nam Romanus exercitus primum *silvam Caesiam scindit*; *inde saltus obscuros permeat* et ita alios. Cf. nota 1. — *ex duobus itineribus*, quae a castris Veteribus et Rheno inf. in Germaniam ducebant eoque a Romanis semper petebantur in expeditionibus Germanicis, *breve et solitum* secundum Luppiam ad Cheruscos, *impeditius et intentatum*, ad Amisiam et Marsos; Clostermeyer l. l. *solitum*, quo iam Lollius et Drusus incesserant. *īteptatū* ed. Ber. — *eoque*, ideoque, *hostibus incautum*, passive, ut ap. Liv. 25, 38. et ut alia Adiectiva. v. Ind. III. v. *Enallage*. Non praesidiis insessum et munitum adversus hostes; *Ern.* „Est incustoditum, quod nonnunquam apponitur. cf. Mur. V. L. 11, 2." *Wolf.* — *cetera accelerantur*, ut c. 49. *cetera fore regit*; *Walth.* — *festam noctem* post messem peractam, ut suspicatur Barth. in libello, qui inscriptus est *Hertha*. Aug. Vindel. 1828. p. 40. — *obstantia silvarum*, v. Ind. III. v. *Adiectiva neutr. gen.*

3. *ad vicos Marsorum*, v. ad G. 2. n. 8. — *stratis* sc. Marsis. — *propter mensas*, prope, iuxta mensas, ut 2, 41. 4, 48. 54. 14, 9. 15, 47. — *disiecta*, valde neglecta, ut fere mox *soluta* et ap. Cic. *dissoluta*; *Ern.* Cf. ad 1, 32, 2. — *ac ne pax quidem nisi languida et soluta* ut *inter temulentos*: agitabant, tanquam nullo bello atque in media pace securi: nec tamen, ut pace homines sobrii et vigiles, (quippe qui hactenus plerumque intenti et sui compotes, ut, si quid subitum ingruat, aut arma aut fugam quaerere norint) sed ut saucii ac prae poculis, ubi essent, nescientes, marcebant torpebantque; *Gron.* Alius dixisset *si modo quies et languor, torpor temulentorum, pax dicenda est*: saltem *ut inter temulentos* dixisset; *Wolf.* „*Pax languida* est, in qua ne ea quidem vigilantia ac promptitudo, quae in pace etiam usurpari solet. *Nimiam ac marcentem diu pacem* G. 36. *Pax soluta* est, in qua homines sunt soluti, h. e. in qua ne id quidem regimen aut obsequium exercetur, quod in pace etiam usurpari solet: nam *soluti* dicuntur, apud quos nemo regimen exercet, ut 2, 4." *Walth.* *Languida* et *soluta* sunt synonyma; *Roth.* p. 14. Cf. Ind. III. v. *Synonyma*. *Soluta*, *neglecta* et *secura*, ut synonyma, iunguntur a Liv. 25, 39. ut *solute ac negligenter* 23, 37.

CAPUT LI.

Caesar avidas legiones, quo latior populatio foret, quatuor in cuneos dispertit; quinquaginta millium spatium ferro flammisque pervastat. Non sexus, non aetas miserationem attulit; profana simul et sacra et celeberrimum illis gentibus templum, quod *Tanfanae* vocabant, solo aequantur. Sine vulnere milites,

qui semisomnos, inermos aut palantis ceciderant. Excivit ea caedes Bructeros, Tubantes, Usipetes, saltusque, per quos exercitui regressus, insedere. Quod gnarum duci; incessitque itineri et proelio. Pars equitum et auxiliariae cohortes ducebant: mox prima legio et mediis impedimentis sinistrum latus unaetvicesimani, dextrum quintani clausere: vicesima legio terga firmavit: post ceteri sociorum. Sed hostes, donec agmen per saltus porrigeretur, immoti: dein latera et frontem modice assultantes tota vi novissimos incurrere: turbabanturque densis Germanornm catervis leves cohortes, quum Caesar advectus ad vicesimanos voce magna, *hoc illud tempus obliterandae seditionis*, clamitabat: *pergerent, properarent culpam in decus vertere.* Exarsere animis unoque impetu perruptum hostem redigunt in aperta caeduntque: simul primi agminis copiae evasere silvas castraque communivere. Quietum inde iter, fidensque recentibus ac priorum oblitus miles in hibernis locatur.

1. *avidas legiones* non tam praedae quam certaminis et caedis, iram effundere, animum explere cupientes; *Freinsh.* et *Wolf.* Cf. Ind. III. v. *Adiectivi relativi absolute positi.* — *in cuneos*, Gall. corps. *Brot.* „Cunei non modo vulgari sensu dicuntur, (de quo v. ad G. 6. n. 13.) sed etiam omnino sunt catervae militum in iustum ordinem redactae, Germ. *Colonnen*, ut h. l. H. 2, 42. Curt. 3, 2.“ *Rickl.* et *Walth.* — *celeberrimum illis gentibus*, Marsis, *templum*, sacra aedes aut lucus, (v. ad G. 9. n. 1.) *Tanfanae* numinis, vel dei vel deae, cuius mentio fit non nisi h. l. et in Marq. Gudii inscriptt. ant. p. LV. *Tamfanae Sacrum M. Appuleius* cet. *Teutanae* coni. D. Vossius ad Caes. B. G. 6, 17. quod Oudend. ad Lucan. 1, 445. recte improbat; *Ern.* Nonnullis *Tanfana* nomen loci aut templi esse videtur; aliis Germ. appellatio loci septi, *quod* ipsi et κατ᾽ ἐξοχὴν *Tanfanae vocabant*, ab artic. *tan, tana, thene, thone* et *fang.* s. *vang*, septum, ut sit lucus sacer et septus; (v. Schmitthenner in Seeb. Archiv für Philol. a. 1824. 1, 2. p. 392.) aliis deus, sic dictus a Belg. *Taenfanck*, principio rerum, vel Germ. *Tan* igni, et *fan*, domino, vel *tan*, abiete, et *fan* s. *fahna*, domino, ut fuerit luci inter Amisiam et Luppiam in Westphalia patronus, (quemadmodum *Iupiter fagutalis* ap. Plin. 16, 10. s. 15.) Barthio (Hertha p. 39. 40.) Terrae (matris) lucus, a *Tan, Ton, Thon*, χϑών, terra, et *Fania*, luco. Strombeckio id qd. Germ. Tannen-Hain, unde et opp. *Hamm* dictum putat. Nonnulli corr. *Aufanae.* v. ad G. 9. n. 2. Reichardus (Germanien unter den Römern, Nürnb. 1824.) p. 268 — 270. 367. 368. suspicatur, templum Tanfanae deae in Marsis fuisse in Abbatia Corbeiensi a Ludovico Pio a. 822 condita. Alias coniecturas recensuere Iani in observv. crit. P. III. I. H. M. Ernesti in Miscell. Antiq. Germ. p. 210. Gebauer vestig. iuris Germ. ant. p. 960 seq. Harrepeter in diss. de Tanfana Marsorum dea Nor. 1762. Hutschenreiter von d. berühmten Tanfanen-Tempel Magdeb. 1749. Adelung Gesch. d. Deutschen p. 261. 262. Moeser Osnabr. Gesch. T. 1. p. 151. Wilhelm Germanien p. 130. Cf. etiam ad 4, 73, 2. — *sine vulnere milites:* Freinsh. coni. *sine vulnere militis, qui — ceciderat.* „Immo ἀτρώτως s. ἄτρωτοι discessere s. fuere milites nostri. Nihil durum nisi ellipsis verbi substantivi, qua nihil vulgatius. „*Wolf.* — *Bructeros, Usipetes*, v. ad G. 32. n. 2. et 33. n. 1. 3. *Tubantes*, ut 13, 55. 56. Τουβαντοι Ptol. 2, 11. *Tubanti* Nazar. pan. in Constant. c. 18. Σουβάττιοι (Τουβάντιοι) Strab. 7, 1, 4. p. 292. socii Cheruscorum, in australi parte duc. Westphal. et in septentr. comit. Marcae, inter Has-

siam et Thuringiam, Fuldam et Werram fl., ad latus australe Luppiae. Cf. Adelung. Germ. p. 263. I. H. Iung hist. comit. Benthem. p. 7 seq. Mannert. Germ. p. 153. Wilhelm. Germ. p. 131. Reichard. Germ. p. 136. v. Wersebe über die Völker u. Völker-Bündn. d. a. Teutschl. p. 68 sq. n. 72. — *regressus*, regrediendum erat; *Ern.* — *quod gnarum duci*, v. ad 1, 5, 3. *gnaram* MS. — *incessit itineri et proelio* „sc. aptus, compositus. Mollius 13, 40. *viae pariter et pugnae composuerat exercitum.*" *Ern.* „Intell. *paratus*, ut ap. Curt. 3, 8, 23. *itineri simul paratus et proelio*, et ap. Xenoph. Cyrop. 2, 4. καὶ πρὸς τὸ ἀνύειν τὴν ὁδὸν καὶ πρὸς τὸ μάχεσθαι, εἴ τι δέοι, ἐπορεύετο." *Mur.* Immo Dativus, ut 13, 32. 38., positus pro *ad* cum Accusat. (für Marsch und Kampf) et explicandus e praegnanti significatione verbi *incessit*, h. e. incessum agminis ita instituit, ut statim, si res poscerent, ex itinere proelium incipi posset; *Walth.* Cf. Ind. III. v. *Dativus.* — *pars equitum et auxiliariae cohortes ducebant.* Cf. cap. 64. extr. ad Agr. 6. n. 7. et Ind. III. v. *Verba absolute posita.* Sic ἡγεῖσθαι ap. Thucyd. 2, 47. et al. „Est hic descriptio agminis quadrati huius aevi, pleni et iusti et ab omni parte firmati. v. Schel. ad Polyb. p. 280." *Ern.* — *prima legio* — *unaetvicesimani* — *quintani* — *vicesimanos*, v. ad c. 31. n. 2. *undevicesimani* edd. vet. — *dextrum quintani clausere*, in eo incessere; *Ern.* Alio sensu *latus alicuius claudere* vel *tegere*, *latus alicui dare* et *exterior esse* dicitur, qui ad sinistram, loco inhonestiore, incedit.

2. *Sed hostes immoti*, quieti, sc. fuere, *donec*, usque dum vel quamdiu, (cf. Ind. II.) *agmen per saltus porrigeretur*, „eundo in longum extenderetur, ut H. 5, 16. G. 41. Plin. ep. 5, 6. 10, 99." *Walth.* Ita exprimitur longitudo agminis inter angustias, aut *porrigeretur* pro: procedendo extenuaretur; *Ern.* Cf. ad Agr. 35. n. 6. — *leves cohortes* sunt, *ceteri sociorum*, leviter neque legionariis armis armati; *Freinsh.* et *Ern.* *Armatura levis* 2, 8 extr. — *pergerent*, *properarent*, v. ad 1, 28, 2.

3. *hostem redigunt* e saltibus *in aperta* loca, ins Freie. Cf. Ind. III. v. *Adiectiva neutr. gen.* — *evasere silvas*, ut 5, 10. 6, 48. 12, 35. Sic et 1, 61. *elabi vincula* et similia, quae laudavit Ruddim. inst. Gram. T. II. p. 330. Paulo ante *primis agminum* MS. — *fidens recentibus*, rebus nuper bene gestis. Recentis victoriae gaudio et fiducia fretus *obliviscebatur priora*, dira seditionis." *Wolf.*

CAPUT LII.

Nuntiata ea Tiberium laetitia curaque affecere. Gaudebat oppressam seditionem, sed quod largiendis pecuniis et missione festinata favorem militum quaesivisset, bellica quoque Germanici gloria angebatur. Retulit tamen ad senatum de rebus gestis multaque de virtute eius memoravit, magis in speciem verbis adornata quam ut penitus sentire crederetur. Paucioribus Drusum et finem Illyrici motus laudavit, sed intentior et fida oratione. Cunctaque, quae Germanicus indulserat, servavit etiam apud Pannonicos exercitus.

1. *Nuntiata ea* — *quaesivisset* Germanicus cet. cf. cap. 37. Dio 57, 6. 8. Strabo 6, 4, 2.

2. *magis in speciem:* in MS. m. *inspectam.* — *penitus sentire*, intime, ex animo, quae diceret. — *sed intentior*, accurata magis oratione: unde *accuratae laudes*, *accurata commendatio* passim. *Ern.* „Immo mit mehr Wärme. Id fieri potest brevi oratione, rem minus accurate explicante. Pauca loquitur verus affectus." *Wolf.* Cf. 3, 35. et 15, 62. — *Illyrici*

motus (v. 16 sq. et ad c. 46. n. 1.) *finem laudavit*, quod Drusus finem eius fecisset, *Ern.* Cf. c. 24 sq. — *quae Germanicus indulserat* Germanicis legionibus c. 37. *Germanicis* coni. Jac. Gron. ne subiectum mutetur. Quasi non res illud postulet; *Wolf.*

CAPUT LIII.

Eodem anno Iulia supremum diem obiit, ob impudicitiam olim a patre Augusto Pandateria insula, mox oppido Rheginorum, qui Siculum fretum accolunt, clausa. Fuerat in matrimonio Tiberii, florentibus Caio et Lucio Caesaribus, spreveratque ut imparem; nec alia tam intima Tiberio causa, cur Rhodum abscederet. Imperium adeptus extorrem, infamem et post interfectum Postumum Agrippam omnis spei egenam inopia ac tabe longa peremit, obscuram fore necem longinquitate exsilii ratus. Par causa saevitiae in Sempronium Gracchum, qui familia nobili, sollers ingenio et prave facundus, eandem Iuliam in matrimonio M. Agrippae temeraverat. Nec is libidini finis. Traditam Tiberio pervicax adulter contumacia et odiis in maritum accendebat, literaeque, quas Iulia patri Augusto cum insectatione Tiberii scripsit, a Graccho compositae credebantur. Igitur amotus Cercinam, Africi maris insulam, quatuordecim annis exsilium toleravit. Tunc milites ad caedem missi invenere in prominenti litoris nihil laetum opperientem. Quorum adventu breve tempus petivit, ut suprema mandata uxori Alliariae per literas daret, cervicemque percussoribus obtulit, constantia mortis haud indignus Sempronio nomine; vita degeneraverat. Quidam non Roma eos milites, sed ab L. Asprenate proconsule Africae missos tradidere auctore Tiberio, qui famam caedis posse in Asprenatem verti frustra speraverat.

1. *Iulia*, Augusti filia, Agrippae et Tiberio nupta, de cuius *impudicitia*, coniugiis et relegatione v. 3, 24. Dio 54, 31. 55, 10. 13. Suet. Oct. 63. 65. 101. et Tib. 7. 11. 50. Vell. 2, 100. Sen. de ben. 6, 32. — *Pandateria*, ut 14, 63. et ap. Mel. 2, 7. Plin. 3, 6. s. 12. Suet. Tib. 53. Dion. 55, 10. Varr. R. R. 3, 5, 7. *Pandateria* ap. Strab. et al. *Πανδαταρία* corrupte ap. Ptol. 3, 1. Insula Latio et Ischiae finitima in sinu Puteolano, nunc *Vente Tieno* vel *St. Mariae*. *Pandateria insula, mox oppido Rheg. clausa*, v. ad 1, 3, 6. *Rhegium*, hod. *Reggio*, opp. et prom. in ora Bruttiorum, ubi Sicilia, Italiae olim iuncta, ab ea motu terrae dirupta et hinc oppidum illud a ῥήγνυμι appellatum perhibetur. *Reginorum* MS. et edd. rec. Sed cum adspiratione nomen scriptum in edd. vet. ut in optimis Livii, Cic. aliorumque MSS., in numis et lapp. — *spreverat ut imparem*, taurum non ad illud iugum; *Lips.* et *Stromb.* Rectius alii ad genus referunt; *Ern.* „Ut H. 2, 50. *maternum genus impar* et Liv. 6, 34. extr. de Fabia minore Ambusti filia, nupta viro plebeio, *quod iuncta impari esset*. Lipsianam argutiam nulli Romanorum in mentem venisse crediderim.“ *Wolf.* Cf. et inf. 2, 43. 3, 23. 29. 6, 27. *ut imperarem* MS. — *tam intima causa*, tam gravis et urgens. Superlativus pro Positivo, ut *tam gravissimis iudiciis* Cic. Phil. 12, 5. *tam maxime* Cic. Lael. 23. (Ter. Adelph. 3, 4, 56.) et Sall. Iug. 31. *maxime remotissimi* Cic. Verr. 2, 66. *tam extrema sors* Suet. Cal. 35; *Ern.* in clave Cic. v. *tam*. Ita vis superlativi quam maxime augetur. Cf. ad Agr. 34. n. 2. et

Ramshorn. Gram. p. 320. — *cur Rhodum abscederet*, v. ad 1, 4, 6. — *post interfectum Postumum Agrippam* cet. Cf. c. 4. 5. 6. *post i. postumum* MS. et in marg. *posthumum.* — *inopia ac tabe* (v. ad 2, 69.) *longa peremit*, v. Suet. Tib. c. 50. „Haec per ἓν διὰ δυοῖν dicta pro *tabe longa inopiae.* Nam *tabes longa* per *inopiam* inferebatur, imminutis haud dubie alimentis, non ademptis: quare probandam censeo coniecturam Gron. *longinquitate* (propter longinquitatem) *exitii.*" *Roth.* — p. 32. de Syn. Tac. — „*Obscuram fore necem*, h. e. causam necis. At non adeo remotum est Rhegium a Roma, ut, si nota illic publice foret, fama eius Romam tardius perveniret: nec vero, utrum diu quis exsilium toleraverit, an modo exierit, interest ad iudicandum, fato an fraude humana perierit. Igitur leg. *longinquitate exitii.* Quod enim non subito eam peremit, sed aegrum spiritum inter inopiam trahere aliquamdiu passus est, donec contabesceret, eo speravit se posse consequi, ut fraus lateret, quemadmodum illi, qui lentis et tabificis venenis grassantur." *Gron.* „Immo *exsilii longinquitas*, diuturnitas, faciebat, ut homines iam paene obliti eius minus eam et, quae ei acciderent, curarent." *Ern.* „Rectissime. Relegata est haec Iulia a. U. 752. ut e Velleio et Macrob. docuit Noris. Cenot. Pis. p. 182. Dubito, an *exitium* Latine dici possit *longinquum* s. *longum.*" *Wolf.* „Ryckius contra Gron. disputat accipitque *longinquitatem* de distantia, quae inter Urbem et Rhegium erat, scil. CCCXX milliarium. Et haud dubie, quae in ea locorum distantia fiunt, *longinqua* dici possunt, si referuntur ad ea, quae in ipsa urbe eveniunt: ac Rhegii si exsul decedit, quis tandem Romae expediet, quo malo afflictus occubuerit morti? At si Rhegium oppidum comparas cum extremis imperii angulis, propinquum est. Cf. 14, 12. Ceterum *longinquitas, longinquus*, ut Gr. μακρότης et μακρὸς, non solum de loco, sed etiam de tempore, de diuturnitate usurpantur. Sic *peregrinatio longinqua* 3, 24. *longinquos saltus* 4, 27. *longinqua consuetudo* Caes. B. G. 1, 47." *Walth.* Cf. Ind. II. v. *longinquitas, longinquus* et *longus.*

2. *in* Tib. *Sempronium Gracchum*, adulterum Iuliae. „v. Vell. 2, 100. et numos, in quibus *Ti. Sempronius Graccus IIIIvir Q. desig. Divi Iulii f.*" *Lips.* — *Iuliam temeraverat*, vitiaverat, stupraverat, Germ. *entehren.* Cf. ad H. 1, 48. — *literae, quas scripsit:* „propr. *scripserat.* Talia vero passim dicunt historici e persona scribentis, v. c. Livius et Tacitus inf. c. 79. *an verterentur lacus, per quos augescit*, 2, 43. *praefeceratque Pisonem — insita ferocia a patre, qui — iuvit* pro *iuverat.* Durius est 2, 62 extr. *lixae ac negotiatores reperti, quos ius commercii — transtulit:* nam debet esse *transtulerat.*" *Ern.* „*Scripsit* est aoristus, (ut *imposuit* 6, 31.) rem factam et vulgo notissimam simpliciter indicans; forsan etiam exemplar literarum ad Tac. aetatem servatum. Alio pertinet parakimenus *credebantur*, de quo v. ad 1, 6, 3." *Wolf.* Cf. ad 2, 62, 2. et Ind. III. v. *Verba ἀορίστως posita.* — *credebantur* sc. tum quum scriberentur; *Walth.* — *amotus Cercinam*, v. ad 1, 3, 6. *Cercina* (nunc *Kerkine* vel *Zerbi*) *Africi maris insula*, Syrti min. vicina. „*amotus* ab Augusto a. U. 752. simul cum Iulia et aliis. v. Dio 55, 10. Vell. 2, 100." *Walth.*

3. *constantia mortis*, fortitudine ad mortem subeundam; *Ern.* Cf. 15, 49. et ad 13, 15. — *L. Asprenate:* „Credo cognomen esse gentis Noniae. De Asprenatum claritudine et familia cons. v. Plin. 30, 7. et Suet. Aug. 43." *Lips.* Cf. Schott. de claris rhett. ap. Senecam; *Wolf.* v. et 3, 18. — *speraverat*, immo *speraverit*; *Freinsh.* et *Ern.* Sed *speraverit* inde penderet, quod quidam tradidere, ut ita *speravisse Tiberium* iidem dixerint: *speraverat* ore scriptoris additur verbis *auctore Tiberio* explicandi causa; *Walth.* Cf. ad 2, 62, 2.

CAPUT LIV.

Idem annus novas caerimonias accepit addito sodalium Augustalium sacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat. Sorte ducti e primoribus civitatis unus et viginti. Tiberius Drususque et Claudius et Germanicus adiiciuntur. Ludos Augustales tunc primum coeptos turbavit discordia ex certamine histrionum. Indulserat ei ludicro Augustus, dum Maecenati obtemperat effuso in amorem Bathylli; neque ipse abhorrebat talibus studiis et civile rebatur, misceri voluptatibus vulgi. Alia Tiberio morum via; sed populum per tot annos molliter habitum nondum audebat ad duriora vertere.

1. *Idem annus novas caerimonias*, ritus sacros, *accepit*. v. Ind. II. v. *Annus*. — „*addito* reliquis sacerdotiis *sodalium Augustalium sacerdotio*, quos Dio 56, 46. et 58, 12. τοὺς τοῦ Αὐγούστου θιασώτας et 59, 7. τοὺς ἱερέας Αὐγουστείους dicit. Cf. Suet. Claud. c. 6. et Galb. c. 8." *Walth.* *Sodales Augustales*, ut *Flaviales*, *Hadrianales*, *Aeliani*, *Antonini*. v. Grut. inscr. p. 237, 1. Noris. cen. Pis. p. 56. 74 sq. Gorii inscr. II. p. 54. Schoepfl. Alsat. ill. I. p. 527. — *ut quondam T. Tatius ret. S. sacris* cet. „Pugnat aperto Marte secum Tac. H. 2, 95. ubi vult, *sodales Titios* institutos non retinendis Sabinorum sacris, sed memoriae Tatii sacrandae, quae causa h. l. aptior erat, fortasse et verior. Hanc rem non attigit Dionys. 2, 52. contentus dixisse, honeste sepultum Tatium et actas ei publicas quotannis inferias." *Lips.* Fortasse hi sodales a Tatio quidem retinendis patriis sacris instituti, sed a Romulo deinde eius memoriae sacratis; *Pich.* Id suam habet difficultatem, sed illa quoque inconstantiae suspicio vix admittenda; *Walth.* *sodales Tatios* MS. ed. Ber. Rhen. Ald. Ern. Sed hi sodales non a Tatii nomine, (ita scrib. potius *Tatienses*) sed ab eius praenomine ita dicti, (ut *Titia curia*, *Titiensis tribus* et *sodales Titienses* ap. Fest. et in numis, lapp. et MSS.) vel *ab Titiis avibus, quas in auguriis certis observare solebant* Varr. L. L. 4, 15. — *sorte ducti*, sorte ducta electi. Cf. Suet. Claud. c. 6. — *et Germanicus*, cf. 2, 83.

2. *Ludos Augustales tunc primum coeptos*, v. ad 1, 15, 3. *coepta — discordia* corr. Lips. coll. c. 77. pr. quia ludi Augustales iam dudum instituti. Haec emendatio deinde recepta ab omnibus editoribus ante Wolf. „Quid vero Tacitus c. 77 pr. affert? Nempe *hoc anno coeptam theatri licentiam*. Num omnem? tamne sero? Licentia histrionum et fautorum iam dudum sub Augusto invaluit. (v. ad c. 16. n. 2.) *Primum* autem *coeptos* licebat dicere *ludos*, qui tunc primum sollenni modo facti, et sive celebrati novum in modum, sive instaurati a senatu essent. (cf. ad c. 15. n. 3.) Non enim est dubium, quin hi iidem ludi sint, quorum pars c. 15. in hunc annum Tribunis pl. concessa dicebatur. Quod rei peractae mentio ad exitum anni differtur, illud fit ex more Taciti, quem servare solet in omnibus rebus minoris momenti et non perpetui tenoris. Denique ipsa Latinitas pristinae scripturae plus favet, quam novae. Nam ut c. 77. placet *coepta discordia*, ita h. l. series verborum nos ad *coeptos ludos* revocat." *Wolf.* Cf. ad 1, 15, 3. et ad 1, 77, 1. — *ex certamine histrionum*, cf. Dio 56, 47.

3. *Indulserat ei ludicro* histrionum et quidem pantomimorum *Augustus*: „Idem quoque id ludicrum invenit, et ante eum nullum Pantomimorum vestigium; eius autem aetate duo Pantomimi eximii, Pylades et Bathyllus, libertus et delicium Maecenatis. v. Suidas v. ὄρχησις (ubi leg. Βαθύλλου pro Βαχχυλίδου) et Ἀθηνόδωρος, Zosim. 1, 6. Sen. Contr. praef. 3 extr. (ubi scrib. *Bathyllus* pro *Pantillus*) et praef. 5. med. Dio

54, 17 extr. qui Maecenatis amorem honeste tetigit et vulgo non capitur." *Lips.* v. et Scalig. ad Euseb. p. 169; *Ern.* Cf. 1, 77. 4, 14. 14, 21. Iuvenal. 6, 63 sq. De Pantomimis, qui non sermone, ut Mimi, sed sola gesticulatione res adumbrabant et maiori arte tam psallebant quam saltabant, v. Ziegler de mimis Rom. Goett. 1788. et intpp. Iuvenal. l. l. — *dum Maecenati obtemperat* praes. hist., ut *dum insultant* 2, 8. et sim. Cf. Ramshorn. Gram. p. 573. — *effuso in amorem Bathylli,* ut ἐς τ' ἀφροδίσια κεχυμένος ap. Lucian. III. p. 71. — *neque ipse abhorrebat* cet. cf. Suet. Aug. 45. — *civile rebatur,* v. ad 1, 33, 1. et 1, 76, 3. — *morum via,* ratio, ὁδὸς, ut *via comis* 4, 7 pr. *viae proeliorum* 2, 5. ὁδοὶ τοῦ πολέμου Thucyd. 1, 122. ὁδοὶ ἀοιδᾶν Theocr. 16, 69. ἐπέων οἶμος λιγὺς Pind. Ol. 9, 72. et *via* ap. Cic. or. 1, 19. ep. 4, 13. ad Q. Fr. 1, 1.

CAPUT LV.

Druso Caesare, C. Norbano Coss. decernitur Germanico triumphus manente bello, quod, quanquam in aestatem summa ope parabat, initio veris et repentino in Chattos excursu praecepit: nam spes incesserat, dissidere hostem in Arminium ac Segesten, insignem utrumque perfidia in nos aut fide. Arminius turbator Germaniae: Segestes parari rebellionem saepe alias et supremo convivio, post quod in arma itum, aperuit, suasitque Varo, ut se et Arminium et ceteros proceres vinciret: nihil ausuram plebem principibus amotis, atque ipsi tempus fore, quo crimina et innoxios discerneret. Sed Varus fato et vi Arminii cecidit. Segestes, quanquam consensu gentis in bellum tractus, discors manebat, auctis privatim odiis, quod Arminius filiam eius alii pactam rapuerat, gener invisus inimici soceri; quaeque apud concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud infensos erant.

1. *decernitur Germanico triumphus,* v. ad 1, 72, 1. et cf. 2, 41. — *initio veris et repentino in C. e. praecepit,* maturius, ante aestatem orsus est, ut *praecipere,* (ante capere) *praesumere, praevertere, praeripere.* Cf. Ind. II. et ad 2, 35. 14, 33. H. 3, 15, 2. O. 9. n. 5. Copula *et* h. l. delenda et paulo post ante *saepe alias* inserenda videbatur Mur. et Acid. „Utrumque Ciceronianum est. Quanquam *et* non raro etiam ap. Cic. est *et quidem*; ac sic intell. h. l. ut c. 29 pr. et al. Cf. Ind. II." *Wolf.* „Videtur tamen hic simplex esse copula. Initium veris opponitur aestati, repentinus excursus bello, quod summa ope parabat. Sic 2, 63. *Hermundurorum opibus et Vibillio duce.* Ceterum saepius *et* in Taciti libris superfluum est visum interpretibus. v. ad 2, 39. 13, 21. 28. H. 1, 79. 2, 21. 4, 86." *Walth.* — *Chattos* MS. edd. Ber. Rhen. *Cattos* edd. Pich. et al. v. ad G. 29. n. 1. et cap. 30. n. 1. — *spes incesserat,* (v. Ind. II.) *dissidere hostem,* v. Ind. III. v. *Infinitivi Praes. pro Inf. Fut.* *dissidere hostem in Arminium ac Segesten,* cf. Dio 56, 19. Vell. 2, 118. „Sensus non obscurus: dissidere hostes, ita ut alii in Arminii, alii in Segestis partes abeant, hi illum, alii hunc sequantur. An dictum imitatione Graecorum, qui dicunt λέγειν τι εἰς τοὺς ἀτελέστους, dicere aliquid, ut ad notitiam profanorum perveniat, et similia? De his eleganter egit Hemsterh. ad Aristoph. Plutum p. 456." *Ern.* Cf. Ind. III. v. *Oratio praegnans.* *Arminius* Graecis semper Ἀρμένιος dictus; sed scriptura Romanorum verior. Cf. Barthii Teutschland's Urgesch. §. 365. ubi etiam ex Virg. Aen. 11, 642. colligit, Arminium non dictum fuisse *Hermannum.* De Arminio rebusque ab eo gestis v. id. Barth. §. 365. 410. Roth: Her-

mann und Marbod. Stuttg. 1817. Petersen: der Kirchsprengel Weitmar p. 143 sq. Anton: Gesch. d. teutschen Nazion T. I. p. 252 — 304. *aut fide*, v. ad 1, 16, 1. — *turbator*, v. ad 1, 30, 1. — *parari rebellionem* cet. cf. Vellei. 2, 118. — *ipsi tempus fore, quo crimina et innoxios discerneret*, abstr. *crimina* pro concr. criminosos, noxios, dictum putant. Cf. ad 2, 13, 2. et 12, 49, 1. „Perperam. Plena dictio haec est: quo vera crimina a fictis, noxios reos ab innoxiis discerneret. Nam *crimina discernere* ideo iubetur Varus, quod Arminii fide confisus Segestis indicia sive crimina (criminationes) in calumniis numerabat, *innoxios discernere* propterea, quod omnes promiscue proceres vinciendos in tempus esse tum suadebat Segestes.“ *Doederlein* in Seebodii Archiv für Philol. u. Pädag. a. 1826. I, 4. p. 78. — *Varus fato et vi* (astu potius) *Arminii cecidit*, cf. 2, 46. Dio 50, 19. Vell. 2, 118. Strab. 7, 1, 4. *Fatis* tribui solet perturbatio mentis et ruina hominum superborum impiorumque. v. Vell. 2, 57. et 118. — *auctis privatim odiis*, privatis de causis; *Ern.* — *filiam eius* Thusneldam *alii pactam rapuerat*, v. Strab. 7, 1, 4. Haec tamen non praecipua, nedum sola odii et discordiae causa.

2. *gener invisus inimici soceri:* si contuleris 1, 55. 57. 58. 60. 71. 2, 9. 10. 11, 16. Vell. 2, 118. Dio 56, 19. et inpr. Strab. 7, 1, 4. reges vel principes Cheruscorum fuere *Segimerus*, *Inguiomerus*, *Segestes* et *Segimerus* fratres; Segimeri maioris natu filii *Flavius* et *Arminius*; Flavii uxor Chattumeri Chattorum regis filia fuit, et filius *Italicus*; Arminii coniux *Thusnelda* et filius *Thumelicus*; Segestis liberi *Thusnelda* et *Segimundus*; Segimeri minoris natu filius *Sesithacus* huiusque uxor *Rhamis*. Ante verba *gener invisus inimici soceri* in plerisque edd. maior distinctio posita. Nonnulli eadem verba sine distinctione dant: sed sequentia docent, duo membra desiderari; *Ern.* „Utique sunt membra duo: *gener* socero *invisus*, ipsi *soceri*, Segestes et Segimerus, *inimici*. Alii virgula expuncta Genitivos inducunt; scil. ne quis socerum inviso genero amicum putet. Pichena coni. *gener* (socero) *invisus*, (quia filiam eius rapuerat) *inimicus* (genero) *socer*, quia hic Romanis amicus. Gruterus putabat, hac emendatione non opus esse et Plur. *inimici soceri* pro Sing. per enallagen positum. Quae absurdissima sunt acumina.“ *Wolf.* Steuber (in Seebodii N. Bibl. crit. a. 1827. p. 873.) corr. *gener invisus, inimici socii.* „Verba illa coniungi plerisque ineptum visum est, quia per se intelligatur, genero inviso inimicum esse socerum. Quare duo membra statuunt: *gener* socero *invisus*, ipsi *soceri*, Segestes et Sigimerus, *inimici*. Sigimeri tamen hic non sunt partes. Per totum locum de Arminio tantum et Segeste est sermo; *in hos dissidere hostem* Germanicus sperabat. Fabula autem de inimicis soceris adeo ieiuna atque ab h. l. aliena est, ut potius nugatorum garrulorumque circulis conveniat. Immo verba illa *gener invisus inimici soceri* sunt ἐπιφώνημα quoddam ad proxime praecedentia *quod Arminius filiam eius alii pactam rapuerat*. Concisa sententia idem exprimunt, quod dein magis illustratur verbis *quaeque apud concordes — erant*. Solent enim generi esse grati dilectique soceris, soceri illis amici. Ibi autem fuit *gener invisus, inimicus socer*, igitur *gener invisus inimici soceri*, ut ita, *quae apud concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud illos essent*. Inepta haud dubie esset oppositio, si legeretur *gener invisus inimico socero*. Iam vero in vulgato nulla plane superest oppositio. *Invisus* et *inimicus* sunt epitheta, quibus breviter auctor exprimit, insolitos illis invicem fuisse animos. Amat Tacitus hoc dicendi et ἀντιθέσεως genus. Sic 2, 45. *fratris filio iuveni patruus senex parere dedignabatur*; 3, 16. *utinam ego potius filio iuveni, quam ille patri seni cessisset*; 13, 21. *quibus nisi a filio absolvi non possim.*“ *Walth.*

CAPUT LVI.

Igitur Germanicus quatuor legiones, quinque auxiliarium millia et tumultuarias catervas Germanorum cis Rhenum colentium Caecinae tradit: totidem legiones, duplicem sociorum numerum ipse ducit, positoque castello super vestigia paterni praesidii in monte Tauno, expeditum exercitum in Chattos rapit, L. Apronio ad munitiones viarum et fluminum relicto. Nam (rarum illi coelo) siccitate et amnibus modicis inoffensum iter properaverat, imbresque et fluminum auctus regredienti metuebatur. Sed Chattis adeo improvisus advenit, ut, quod imbecillum aetate ac sexu, statim captum aut trucidatum sit, iuventus flumen Adranam nando tramiserit. Romanosque pontem coeptantis arcebant: dein tormentis sagittisque pulsi, tentatis frustra conditionibus pacis, quum quidam ad Germanicum perfugissent, reliqui omissis pagis vicisque in silvas disperguntur. Caesar incenso Mattio (id genti caput) aperta populatus vertit ad Rhenum, non auso hoste terga abeuntium lacessere; quod illi moris, quotiens astu magis quam per formidinem cessit. Fuerat animus Cheruscis iuvare Chattos; sed exterruit Caecina huc illuc ferens arma, et Marsos congredi ausos prospero proelio cohibuit.

1. *catervas tumultuarias*, ut milites *tumultuarii*, *subitarii*, *subiti* (H. 4, 76.) et *repentini*, raptim collecti et sine delectu conscripti. v. Drak. ad Liv. 41, 1, 6. Similiter *tumultuaria castra* et *proelia*, repente facta, *subitarii gradus* theatri subito structi 14, 20. *subitaria aedificia* 15, 39. *subita dictio* O. 10. Milites vero tales dicebantur *tumultuarii*, quia imminente repentino ac propinquo bello summoque periculo decerni solebat *tumultus*, h. e. periculum indicari et edici, ut arma raptim caperentur et nulla vacatio esset. — *Germanorum cis Rhenum colentium*, Vangionum, Tribocorum, Nemetum, Treverorum, Nerviorum, Batavorum; *Lips.* „Immo hi tum Galli. Intelligendi Ubii, Sugambri aliique ab Augusto traducti Rhenum, ut ibi colerent.“ *Ern.* Praeter hos Sugambri, Suevi, Cherusci aliique a Tiberio et Druso traiecti. v. ad 2, 26, 3. 12, 39. Suet. in Oct. 21. in Tib. 9. Dio 55, 6. Strab. 4, 3, 4. 7, 1–4. Eutrop. 7, 5. Mannerti Geogr. ant. 2, 1. p. 206 sq. — *positoque castello in monte Tauno*; al. *Tauro*. Nam *castella poni* solebant a Romanis in terra hostili, ut expugnata tuerentur. Cf. 2, 7. 3, 74. 15, 3. Agr. 14. et 22. ubi v. nota 2. *Taunus mons* hod. der Heyrich s. Heirich, Feldberg, hohe Rück, die Höhe contra Mogontiacum, vel Donnersberg prope Kirchhemium in duc. Nassoviensi, vel Dynsberg non longe a Giessa, vel die Saalburg prope Homburgum. v. praeter Cluverium, Cellar. et Mannertum Ayrmanni et Snell. diss. de Tauno monte Gies. 1723. et 1788. Voss. ad Caes. b. G. 6, 17. Fuchs Gesch. von Maynz p. 434 sq. Barth Teutschl. Urgesch. §. 418. Wilhelm Germanien p. 44. G. F. Grotefend in Seebodii Bibl. crit. a. 1828. Ian. 8. Postrema sententia ceteris probabilior: nam castellum in Tauno monte structum a Druso Germanici patre (aliud 2, 75.) et a Germanico renovatum non ad Fuldam fuit, (hod. Cassel) sed in finibus Mattii, et reliquiae Saalburgi prope Homburgum repertae. v. Neuhof Nachr. v. d. Alterth. bei Homburg 1780. Wencks Hess. Landesgesch. T. I. p. 12. 13. II. p. 65. 75. Rommels Gesch. v. Hessen T. I. p. 21. n. 33. v. Wersebe über die Völker und Völkerbündnisse des alten Teutschl. Hann.

1826. p. 10. et Grotef. l. l. *Praesidium paternum*, Drusi patris, Germ. Pfalgraben, Pfalwerk, Befestigungslinie, Land- und Schutzwehr, Militärplatz. v. ad 1, 50, 1. 2, 67, 1. Steger de viis milit. Rom. in Germ. Lips. 1738. Ephem. lit. Hal. a. 1821. Suppl. p. 998. et Minola in Beitr. zur Übersicht der römisch-deutschen Gesch. Sect. VIII. — *expeditum exercitum in Chattos rapit*, v. ad 2, 19, 1. et H. 3, 2. — *munitiones viarum et fluminum*, castella illa et limites. v. ad 1, 50, 1. et 2, 7, 1. — *rarum illi coelo*, v. Ind. III. v. *Appositio* et *Interpretamentum*. — *inoffensum iter properaverat*, v. ad 1, 28, 2. — *imbresque et fluminum auctus regredienti metuebatur*, cf. Ind. III. v. *Dativus subiectivus*. *metuebatur* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. nec necessaria causa mutandi: nam *auctus* in Sing. accipiendus et numerus genusque accommodantur saepe tantum subiecto proximo; *Ern.* Cf. ad 12, 45, 1. „Sed flumina Latine *auctus* habent, flumen *auctum*. Ab hac consuetudine non temere disceditur. Correxi igitur *auctus*.“ *Wolf.* „Videtur tamen res paulo aliter se habere. *Auctus fluminum* sunt auctus deinceps et statis temporibus iterati, ut ap. Plin. ep. 4, 30. Hic autem de *auctu* fluminum sermo est.“ *Walth.*

2. *ut quod imbecillum — trucidatum sit* et *iuventus flumen Adranam nando tramiserit*, „h. e. arma Romanis non opposuerit, sed fuga sibi consuluerit. A verbo *Romanosque* nova incipit sententia per particulam *que*, ut saepius, v. c. a *Compulerantque* 2, 52. ab *Incensumque* 11, 35. *tramiserit* MS. et edd. vet. *trucidatum sit*. *Iuventus flumen A. n. tramiserat Romanosque pontem coeptantis* s. *coeptantes arcebant* edd. rec. ex emend. Acid. et Pich. Sed ita cum *iuventus* verbum et sing. et plur. num. in eadem serie coniungitur, quod non patitur elegantia scribendi.“ *Walth.* *Adrana* est Edera in Hassis, qui fluvius Fuldam illabitur; *Lips.* Tacitus voluit aut debuit scribere *Loganam*, hod. die Lahne; *Mannert.* geogr. ant. T. III. p. 564. Sed v. Wilhelmi Germania p. 75. 188. et Barth. Teutschl. Urgesch. §. 384. — *incenso Mattio*, v. ad G. 29. n. 5. et Lehne in Rhein. Archiv 1810. II. Fasc. — *id genti caput*, cf. Ind. III. v. *Dativus obiectivus*. — *vertit ad Rhenum*, v. ad 4, 41. et G. 31. n. 1. — *non auso hoste*, cf. Ind. III. v. *Participia Praet.* — *quod illi moris*, cet. v. ad H. 1, 15, 2. et G. 6. n. 14. — *quotiens*, v. Ind. III. v. *Orthographia*. — *astu magis quam per formidinem*, v. ad 1, 7, 8. — *cessit*, v. Ind. III. v. *Verba ἀορίστως posita*. — *Fuerat animus Cheruscis* (v. ad G. 36. n. 1.) *iuvare Chattos*, v. Ind. III. v. *Infinitivi insolenter iuncti Substantivis*.

CAPUT LVII.

Neque multo post legati a Segeste venerunt auxilium orantes adversus vim popularium, a quis circumsedebatur, validiore apud eos Arminio, quando bellum suadebat. Nam barbaris, quanto quis audacia promptus, tanto magis fidus rebusque motis potior habetur. Addiderat Segestes legatis filium nomine Segimundum. Sed iuvenis conscientia cunctabatur: quippe anno, quo Germaniae descivere, sacerdos apud Aram Ubiorum creatus ruperat vittas profugus ad rebelles. Adductus tamen in spem clementiae Romanae pertulit patris mandata, benigneque exceptus cum praesidio Gallicam in ripam missus est. Germanico pretium fuit convertere agmen, pugnatumque in obsidentis et ereptus Segestes magna cum propinquorum et clientium manu. Inerant feminae nobiles, inter quas uxor Arminii eademque filia Segestis, mariti magis quam parentis ani-

mo, neque victa in lacrimas, neque voce supplex, compressis intra sinum manibus gravidum uterum intuens. Ferebantur et spolia Varianae cladis plerisque eorum, qui tum in deditionem veniebant, praedae data. Simul Segestes ipse ingens visu et memoria bonae societatis impavidus.

1. *legati a Segeste venerunt*, v. ad 1, 39, 1. — *validiore apud eos Arminio*, v. Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant. in Partic.* — *quando* et *quandoque* saepius Tacito dicitur vel pro *quum*, ut 4, 38. vel pro *quoniam*, ut 1, 44. 59. 2, 26. H. 4, 65. 5, 24. G. 33. vel pro *quandoquidem*, Germ. sintemal, ut h. l. et 4, 6. 12, 48. H. 4, 6. Cf. ad 1, 6, 2. et Ramsh. Gram. p. 565. Sed iudice Walthero (in Addendis ad 1, 74.) *quando* ubique significat, causam inesse rebus temporis non definiti, (Germ. sintemal) *quoniam* est *quom iam* indicatque causam, quae nititur rebus praesentibus. *quo* MS. (ut 3, 71. 4, 6. 16. et al.) quod designat *quando*, non *quod* vel *quoniam*. Utrumque tamen in eo latere et magis h. l. convenire quam *quando*, arbitrabatur Iac. Gron. — *quanto quis audacia promptus, tanto magis fidus:* „Sic 3, 46. 4, 67. H. 2, 99. Similiter 3, 32. *honori quam ignominiae habendam* et 3, 17. *miseratio quam invidia augebatur*, quae formula vulgo explicatur per intellectum *magis*. At hoc additum aliam redderet sententiam. Nam illud dictum pro: invidia non augebatur, sed miseratio. Addito *magis* sensus verborum esset: et miseratio et invidia augebatur, sed illa magis. v. Ramshorn. Gram. p. 314 sq.“ *Walth.* Cf. Ind. III. v. *Comparationis usus* n. 2. *α*. *rebusque motis* edd. rec. ex emend. Lips. *rebus commotis* MS., et edd. vet. Sed *moveri, mota* et substant. *motus* Tacito dicuntur de rebus novis et turbidis, ut 1, 32. 2, 1. 43. 4, 27. 14, 61. 15, 59. H. 1, 89. *commovere* plerumque de animo eiusque affectibus, ut 1, 28. 33. 4, 3. 6, 45. 11, 2. 12, 55. 14, 31. 15, 17. nonnunquam de turbata rerum conditione, ut 4, 52. et 6, 17. — *Segimundum*, v. ad 1, 55, 2. Apud Strab. VII. p. 291. Σεγιμοῦντος pro Σεμιγοῦντος scribendum; *Lips.* — *iuvenis conscientia cunctabatur*, v. ad 1, 39, 1. et Ind. III. v. *Ablativi Substantivorum absoluti.* — *anno, quo Germaniae descivere*, non a. U. 754. ut Ryck. scribit, sed a. U. 762. quem secuta est clades Variana; *Wolf.* — *sacerdos apud aram Ubiorum creatus*, v. ad 1, 31, 2. — *pertulit patris mandata*, v. ad 1, 26, 1. — *Gallicam in ripam*, v. ad 1, 58, 2.

2. *Germanico pretium* fuit: „Explicant *operae pretium.* Ita esset *visum est*, non *fuit*. Exquisitior mihi videtur locutio, eiusdem prope potestatis, qua est Gall. *interessant*. Nove positum in primis arguit usus H. 3, 8. *in Veronensibus pretium fuit.*“ *Wolf.* Cf. 2, 35. et G. 31. *Pretium* his locis dictum videtur pro re pretii s. momenti magni, gravi, utilissima. — *convertere agmen* a Mattio ad Rhenum. Cf. Barth. Teutschl. Urgesch. §. 385. — *clientium*, cf. ad G. 13. n. 6. — *Inerant* iis. — *mariti magis quam parentis animo*, cf. Ind. III. v. *Ablativi qualitatis.* — *neque victa in lacrimas*, flexa ad maestitiam, sic emollita, ut lacrimas effunderet. v. ad H. 2, 64. et Ind. III. v. *Oratio praegnans.* — *compressis intra sinum — intuens*, qui habitus etiam nunc Germanicis matronis per modestiam et decorum assumptus; *Lips.* — *Simul Segestes* sc. ferebatur, afferebatur. — *memoria*, v. ad 1, 44, 1. et Ind. III. *Ablativi Substantivorum absoluti.* — *bonae societatis*, cf. cap. 55. 58. et ad 3, 40, 1. *nostrae* aut *Romanae societatis* legendum censebat Ern. „Sed hominem non tam *Romana* societas impavidum facit quam *bona*, cognita fides societatis. Nullum ἐναργέστερον vocab. invenias quam *bonae*, nullum in pari simplicitate dignius.“ *Wolf.* „*Bona societas* est, ut *bona fides*, quae promissa pactaque servat, h. e. certa, fidelis et qua bene in Romanos meruit. Similiter *bono exemplo* 1, 38. et *bona aemulatione* 13, 54.“ *Walth.*

CAPUT LVIII.

Verba eius in hunc modum fuere: *Non hic mihi primus erga populum Romanum fidei et constantiae dies. Ex quo a divo Augusto civitate donatus sum, amicos inimicosque ex vestris utilitatibus delegi; neque odio patriae, (quippe proditores etiam iis, quos anteponunt, invisi sunt) verum quia Romanis Germanisque idem conducere et pacem quam bellum probabam. Ergo raptorem filiae meae, violatorem foederis vestri, Arminium apud Varum, qui tum exercitui praesidebat, reum feci. Dilatus segnitia ducis, quia parum praesidii in legibus erat, ut me et Arminium et conscios vinciret, flagitavi. Testis illa nox, mihi utinam potius novissima! Quae secuta sunt, defleri magis quam defendi possunt. Ceterum et inieci catenas Arminio, et a factione eius iniectas perpessus sum. Atque ubi primum tui copia, vetera novis et quieta turbidis antehabeo: neque ob praemium, sed ut me perfidia exsolvam; simul genti Germanorum idoneus conciliator, si poenitentiam quam perniciem maluerit. Pro iuventa et errore filii veniam precor: filiam necessitate huc adductam fateor. Tuum erit consultare, utrum praevaleat, quod ex Arminio concepit, an quod ex me genita est.* Caesar clementi responso liberis propinquisque eius incolumitatem, ipsi sedem veterem in provincia pollicetur. Exercitum reduxit nomenque *imperatoris* auctore Tiberio accepit. Arminii uxor virilis sexus stirpem edidit. Educatus Ravennae puer quo mox ludibrio conflictatus sit, in tempore memorabo.

1. *fidei et constantiae* sc. susceptae s. demonstrandae; *Ern.* „Verba haec per ἓν διὰ δυοῖν dicta: non enim laudanda fuit constantia, nisi quae ad fidem accederet; quare loco adiectivi ponitur." *Roth.* de Taciti Synon. p. 24. v. Ind. III. v. *Hendiadyoin.* — *ex vestris utilitatibus,* cf. Ind. III. v. *Abstracta in Plur.* et *Numerus Plur.* — *proditores etiam iis, quos anteponunt* patriae et civibus, ad quos transfugiunt, *invisi sunt,* vere dictum." Cf. Thucyd. 3, 9. *Gron.* — „*idem conducere* sc. iudicabam s. putabam, quod in verbo *probabam* latet; *Ern.* Recte: et *probare* etiam dicitur pro *iudicare et probare,* ut G. 13. 18. Suet. Iul. 65. et ap. Thucyd. 2, 35. οὕτως ἐδοκιμάσθη ταῦτα καλῶς ἔχειν." *Walth.* Cf. Ind. III. v. *Ellipsis* et *Syllepsis.* — *et pacem quam bellum probabam,* „ut 3, 17. 5, 6. G. 6. A Graecis est haec ratio. v. Herman. ad Viger. p. 884." *Walth.* Vulgo in his dictionibus ante *quam* suppletur *magis.* Sed cf. Ind. III. v. *Comparationis usus modusque.* — *raptorem filiae meae,* cf. c. 55. — *qui tum exercitui praesidebat,* v. ad 3, 39, 1. — *Dilatus,* dilata res eiusque cognitio. — *testis illa nox,* cf. c. 55. de supremo convivio. — *defleri magis quam defendi* a Germanis, foederis violatoribus. — *inieci catenas Arminio* cet. fortasse post Vari cladem. Cf. Roth: Hermann und Marbod. Stuttg. 1817. p. 31. 57. Illa non nisi h. l. et a Tacito memoriae prodita. — *Atque ubi,* postquam nunc *primum tui* conveniendi tuique praesidii *copia,* facultas et occasio mihi data est. — *idoneus conciliator* pacis et societatis cum Romanis. — *iuventa et errore* (v. Ind. III. v. *Hendiadyoin*) *filii,* Segimundi, de quo v. cap. 57. — *filiam* vi ereptam Arminio et *necessitate,* invitam et coactam, *huc adductam,* cf. cap. 59. pr. — *utrum praevaleat* cet. uter plus iuris in eam habeat et utri parere magis debeat, patri an marito

mox patri; *Lips.* Immo: utrum plus valeat et veniam dare malis, quia Segestis fidelis socii filia, an punire, quia hostis Arminii uxor est; *Freinsh.* et *Ern.* Cf. ad 11, 28. et 32.

2. *ipsi sedem vetere in provincia pollicetur* edd. rec. ex emend. Lips. Est Gallia cisrhenana, et id ad securitatem Segestis, ut in *vetere prov.* sedem acciperet, non in nova, hosti obnoxia; *Lips. Vetus provincia* dicitur pars terrae iam dudum capta, *nova* serius expugnata et veteri adiecta. Sic *vetus provincia* dicitur pars Africae Poenis iam pridem a Romanis, et *nova* pars eius, Iubae a Iul. Caesare adempta, (hod. regnum Tunetanum) 3, 74. 4, 23. (ubi illa non modo simpl. *provincia* sed et *ipsa provincia* appellatur) Appian. B. C. 4, 53. *vetus* et *nova provincia* in Sicilia ap. Liv. 24, 44. 25, 3. *vetus Gallia, ἡ παλαιὰ Κελτικὴ,* vel *Gallia provincia* et *Narbonensis,* a Romanis ante Caesaris tempora, et *Gallia nova, νεόληπτος,* reliqua Galliae pars a Caesare devicta, ap. Appian. B. C. 2, 48. 4, 2. et Dion. 46, 55. Sed Germania et Gallia cisrhenana in ripa Rheni citeriore s. sinistra dudum victa erat a Romanis, (quae *Gallica ripa* dicitur cap. 57. et *victa ripa* cap. 59. ubi de eodem Segeste: *coleret Segestes victam ripam*) nondum Transrhenana in ripa Rheni ulteriore s. dextra. Si itaque illa est *vetus* provincia, ubi quaerenda est *nova?* „Intelligenda est ea, quam nunc vel mox expugnatum iri animo praeceperat Germanicus. Vocibus *vetus* et *antiquus* interdum ita utuntur scriptores, ut referri debeant ad aliquid, quod illis quidem in animo est, sed quod adiicere gratâ negligentiâ non operae pretium ducunt. Ita 1, 58. et ap. Liv. 1, 33. 25, 16.“ *Walch.* ad Tac. Agr. 20. p. 288. et emend. Liv. p. 196. Cf. ad cap. 59 extr. Sed probabilior est lectio edd. vet. ante Pich. *sedem veterem in provincia,* (Gallia cisrhenana) quae etiam Lipsio non displicuit et probata est a Roth. (Hermann und Marbod, Stuttg. 1817. p. 58.) et Pabst. in Ecl. Tac. p. 21. Hic suspicatur, Segestem fuisse inter Cheruscos sedibus suis pulsos, de quibus v. Dio 55, 1. Cf. ad cap. 63. Male *sedem Vetera* (v. cap. 45.) *in prov.* MS. edd. I. Gron. et Croll. *sedem et aera* (stipendia) *in prov.*“ Malim *ultro* h. e. insuper. Ita super incolumitatem liberis propinquisque concessam ipsi et sedem in provincia pollicetur. Sic 3, 73. *sedemque ultro — postularet.* Attamen *veteris provinciae* etiam in simili loco 3, 74. mentio est.“ *Walth.* Hunc locum non plane similem esse iam monui. Ceterum Segestis arcem nunc dici Hünengräben, sitam non longe ab Alisone, castello Rom. et vico Kirchborchen, suspicantur Wilhelm. in German. p. 189. et Tappe: die Gegend und Linie der Hermannsschlacht p. 10.

3. *nomen imperatoris,* v. ad 1, 3, 2. — *Arminii uxor virilis sexus stirpem edidit,* v. ad 1, 55, 2. — *Ravennae,* v. ad 2, 63, 2. — *quo cum ludibrio* Fortunae (v. ad 3, 18 exstr.) *conflictatus sit, memorabo in tempore,* suo, iusto tempore. v. ad 1, 1, 2. et 3, 41. Tacitus haec narraverit in rebus Caii aut Claudii, libris qui perierunt; *Lips.*

CAPUT LIX.

Fama dediti benigneque excepti Segestis vulgata, ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat, spe vel dolore accipitur. Arminium super insitam violentiam rapta uxor, subiectus servitio uxoris uterus vecordem agebant; volitabatque per Cheruscos, arma in Segesten, arma in Caesarem poscens, neque probris temperabat: *Egregium patrem! magnum imperatorem! fortem exercitum! quorum tot manus unam mulierculam avexerint. Sibi tres legiones, totidem legatos procubuisse. Non*

enim se proditione neque adversus feminas gravidas, sed palam adversus armatos bellum tractare. Cerni adhuc Germanorum in lucis signa Romana, quae diis patriis suspenderit. Coleret Segestes victam ripam: redderet filio sacerdotium. Hominem Germanos nunquam satis excusaturos, quod inter Albim et Rhenum virgas et secures et togam viderint. Aliis gentibus ignorantia imperii Romani inexperta esse supplicia, nescia tributa. Quae quando exuerint irritusque discesserit ille inter numina dicatus Augustus, ille delectus Tiberius, ne imperitum adolescentulum, ne seditiosum exercitum pavescerent. Si patriam, parentes, antiqua mallent quam dominos et colonias novas; Arminium potius, gloriae ac libertatis, quam Segesten, flagitiosae servitutis ducem, sequerentur.

1. *ut quibusque* (v. ad 3, 1, 1.) *bellum invitis aut cupientibus erat.* Sic Xenoph. Ἑλληνικ. IV. *εἰ καὶ ἐκείνῳ βουλομένῳ ταῦτά ἐστι*, Dionys. Hal. III. p. 196. *ἐπειδὴ πᾶσι βουλομένοις ἦν*, Plat. Phaed. 24. et Polyb. 2, 50. 86. *σοὶ ἡδομένῳ ἐστὶ*, Xenoph. Cyrop. 4, 5, 10. *ὅτῳ ὑμῶν μὴ ἀχθομένῳ εἴη*, Thucyd. 2, 3. *τῷ γὰρ πλήθει τῶν Πλαταιέων οὐ βουλομένῳ ἦν τῶν Ἀθηναίων ἀφίστασθαι*, Soph. Trach. 18. *ἐμοὶ ἀσμένῃ ἦλθε*, Soph. Oed. Tyr. 1356. *θέλοντι ἐμοὶ τοῦτ' ἦν*. Alia laudavit Rhen. ad 15, 36. (ubi non male coni. *haec atque talia plebi volenti fuere*) ut H. 3, 43. *ceteris remanere volentibus fuit*, Agr. 18. *quibus bellum volentibus erat*, et similia 2, 4. *volentibus Armeniis praefecit* (ut ap. Virg. Ge. 4, 561.) et H. 3, 52. *Muciano volentia rescripsere*, grata, iucunda, accepta, ut Ann. 15, 36. Cf. 6, 41. Sall. Iug. 84. 100. et hist. 4, 9. (*volentia plebi facturus*) Macrob. Sat. 1, 7. Heyne ad Hom. Il. 14, 108. Vechner. Hellenol. 2, 9. (p. 535. ed. Heus.) Dorvill. ad Charit. p. 439 sq. Markland. ad Maxim. Tyr. 13, 5. Matthiae Gr. Gr. §. 388. 391. Ramshorn. Gram. p. 481. Viger. de graec. dict. idiotismis 5, 6, 17. p. 242. 243. ed. Herm. Roth. ad Agr. p. 148. de dativo attrachionis. *super insitam violentiam*, praeter eam, ut saepissime *super*. v. Ind. II. Cf. ad 11, 16, 2. — *rapta uxor* et *subiectus servitio uxoris uterus*, h. e. raptus graviditasque uxoris et servilis conditio partus, quem mox editura esset; propr. reputatio harum rerum. v. Ind. III. v. *Asyndeta* et *Participia Perf. pass. pro Substant. abstr.* — *Cheruscos*: in MS. *ceruscos*.

2. *Egregium patrem!* — *avexerint*, ut ap. Virg. Aen. 4, 93 sq. quem locum Tacitus in mente habuisse videtur; *Ern.* Cf. ad 3, 17. — *sibi tres legiones procubuisse*, a se victas caesasque esse, ut H. 4, 17. et *huic cadit* et *occumbit* dixere Sil. 4, 391. 543. 5, 260. et Valer. Fl. 6, 286. ut Graeci *αὐτῷ πίπτει* pro *ὑπ' αὐτοῦ*. — *proditione*, v. ad 14, 9. pr. *Cerni adhuc Germanorum in lucis signa* cet. v. ad G. 7. n. 6. — *coleret* vel *colat* (cf. ad 11, 6, 1.) *Segestes victam ripam*, v. ad cap. 58. n. 2. — *redderet filio sacerdotium*, de quo v. cap. 57. Verba amara, quibus significatur, eum hoc, non ducis honore dignum esse: nam *Χηρούσκων ἡγεμὼν* dicitur Strab. VII. p. 291. — *hominem*, Segesten, (qui per contemptum ita vocatur) *Germanos*, qui vere Germani sint, *nunquam satis excusaturos* esse de eo, *quod inter Albim et Rhenum virgas et secures et togam* Rom. *viderint*, quod ipsius culpa et proditione Romanorum crudele imperium, saevitiam, supplicia, tributorum gravitatem, avaritiam et superbiam olim experti sint, a Varo legato crudeliter tractati: nam privato odio (v. cap. 55.) eum eiusque culpam non satis excusari. Alii alio sensu Arminii sententiam capiunt. Proditione unius hominis nunquam satis excusari posse a Germanis amissionem libertatis, sed huius rei culpam toti potius populo tribuendam esse; *P—che* in Seebodii bibl. crit. a. 1821. p. 164. „*Hominem* h. e.

unum istum hominem, Segestem eiusque proditionem nunquam satis idoneam fore causam, qua sese excusarent ignominiaque purgarent Germani, *quod — viderint*; istum non debere amissae libertatis causam exsistere. *Hominem* per contemptum ponit, ut 16, 28. et Cic. p. Arch. c. 10. *excusaturos* vero ea vi atque structura, qua etiam est 3, 11. 5, 2. 15, 61. Similia sunt Suet. Oct. 101. Cal. 27. Ner. 41. Claud. 6. Liv. 23, 8. 26, 22. Id enim dicitur *excusari*, in quo causa est, quod cet., h. e. praetendere aliquid excusandi studio, causari, afferre praetextum, ut aliquid excusatum sit, *προφασίζεσθαί τι*." *Walth.* Cf. Agr. 42. n. 3. O. 5. n. 1. Cic. Phil. 9, 4. Hor. ep. 1, 7, 67. Plin. ep. 1, 7. et ad rem Dio 56, 19. Idem Walther in Addendis haec dixit: „Kritzius (in Allgem. Schulzeitung 1830. Abth. II. n. 16. p. 125.) commendat Grotii coniecturam *homines Germanos* h. e. vere Germanos, deutsche Männer, vel populos Germanos, (ut *homines Latini, Romani, Hermunduli* ap. Liv. 1, 32. 42, 19. Cic. p. lege Man. 14, 41. Gell. 16, 4.) *excusaturos* sc. posteritati, et interpretatur: Mag Segestes es mit den Römern halten, mag er seinem Sohne das Priesterthum wieder verschaffen, mag er in seiner Gleichgültigkeit gegen alles Vaterländische beharren und somit aufhören ein Deutscher zu seyn: Deutsche Männer werden es immer unerträglich finden, dass Römische Ruthenbündel cet. Quae sententia ut inesset, scribendum erat *Germanos homines*, non *homines Germanos*: nam vis orationis cadit in *Germanos*, non in *homines*, quod ita praepositum ferri nequit. Eadem inconcinnitate laborat Kiesslingii coniectura *hominibus Germanos* legentis. Non enim apparet, quid sibi velit *hominibus* illud primo loco positum, quod in ea voce sit praecipua sermonis vis." Quae arguta magis quam vera. Minus autem probabiles aliorum coniecturae, Lipsii *accusaturos*, Gron. obss. 2, 13. Acidalii *enimvero Germanis nunquam satis excusaturum*, Heinsii et Wachsmuthi (v. ad 1, 38, 1.) *ignominiam Germanos* cet., Freinshemii *hominem Germanis n. s. excusaturum*, Woltmanni *sacerdotium hominum*, (sc. Caesaris et Augusti) Herrmanni (in Ephem. Darmst. a. 1828. p. 872.) *hoc nomen Germanos n. s. exsecraturos*. Neque satis gravia videri possint argumenta, quibus *Wolfius* vulgarem lect. explosit suamque emendationem ita firmavit: „Vulgatum *hominem* vitiosum esse, nemo dubitabit. Nam oratio statim ad *rem*, quae inexcusabilis dicitur, conversa *hominis*, cuius illud commissum sit, commemorationi repugnat; quatenus obiectivus casus inest his ipsis *quod — viderint*. Quanquam id ferendum esset, si pro hoc verbo legeretur *adduxerit* aut simile quidpiam, quod a Segeste penderet. An praeterea hoc arguam, quam ridicule loquatur Arminius, qui optare videatur, ut invisus socer excusationem et veniam impetret? Sed alia quoque parte laboramus in hoc loco: siquidem *sacerdotium* ita nude positum loquentis animum non explet, et excidisse videtur aliquid, quod peregrinae religionis contemptum indicabat. His incommodis omnibus medebitur coniectura mea: *redderet filio sacerdotium Romanum: Germanos* cet. Iam verbum *excusare* nativa potestate fungitur: *Aliis gentibus excusatum esse, Romana imperia pati; Germanos nunquam excusaturos.* Simul sic vigor et vis additur sententiae." *hominum* MS.

3. *Aliis gentibus ignorantia imperii Rom.* cet. quasi dicat: Longinquiores gentes tutae sunt a superbia et imperio Rom. ipso situ et Romanos nec norunt: nos in limite, virtute nos liberavimus et porro liberemus; *Lips.* „Mihi videtur sensus hic esse: Aliis gentibus excusatius esse, si imperio Rom. non valde resisterent. Etenim ignorare rationem imperii Rom., non expertas esse supplicia et saevitiam eorum, nescire, quae et quanta tributa imponere soleant: Germanis veniam dari non posse, si subeant imperium Rom., quum plane sciant, Romanorum quanta

sit saevitia et avaritia, et quando se ab eo liberarint fortiter resistendo, neque subigi vel ab Augusto, vel a Tiberio potuerint cet." *Ern.* *ignorantia* pro *ignorantibus* seu *quod ignorabant*, ut c. 69. extr. *peritia morum* et similia; Wolf. *Ignorantia* pro *propter ignorantiam*. Cf. Ind. III. v. *Ablativi Substant. absoluti* et ad 14, 5. *Aliis gentibus ignorantiam — esse* coni. Lips. — *nescia tributa*, ignota, incognita, inexperta, ut *nescium habere* aliquid 16, 14. Cf. Ind. III. v. *Enallage*. — *quando*, v. ad 1, 57, 1. — *exuerint* post cladem Varianam. — *irritus*, postquam frustra eos devincere conatus sit, *discesserit* ex bellis et expeditionibus (cf. cap. 46.) *inter numina dicatus Augustus*, consecratus, in deos relatus. — *delectus* ad hoc bellum gerendum. Cf. Vell. 2, 120. Suet. Tib. 18. „Augustum et Tiberium extollendo auget laudem eorum, a quibus *irriti discesserint* viri tales. *Delectus Tib.* est ille, quem unum ex omnibus dignum Augustus putavit, ut heredem successoremque ordinaret." *Gron.* „Quid vero hoc ad heroem barbarum? Forti bellandique perito sese fortiorem fert. Intell. ergo cum Freinsh. ex optimis electum bello in Germania gerendo. Cf. c. 65. 2, 26. H. 1, 71. G. 10." *Wolf.* — *imperitum adolescentulum*, Germanicum, contemptim ita dictum, ut *Tiberiolus* 6, 5. — *seditiosum exercitum* c. 31 sq. — *patriam, parentes*, „non, qui parent, ὑπηκόους, sed quibus vitam debemus: de qua loquendi forma v. Cort. ad Sall. Cat. c. 6. ubi similiter *patria* et *parentes* iunguntur;" *Ern.* et *Walth.* „Immo *parentes*, qui parent, subditi, servi; nam hos amissuri erant et his opponuntur *dominis*. Ita etiam *patriam* et *parentes* iunxit Sall. Iug. 3, 2. ubi v. Cort." *Boett.* in Lex. Tac. p. 337. — *colonias novas* Arminius opponit iis, quas victoria sua deleverat; *Wolf.* Cf. Mannerti G. A. III. p. 78. „Opinantur viri docti respici morem Romanorum victis populis colonias imponendi tanquam praesidia, et colonias intelligi in subacta Germania a Romanis instaurandas atque genti Germanorum timendas; hoc tantum disceptatur, utrum *novas* dicat auctor respectu priorum coloniarum, quas Germani delevissent, (v. Dio 56, 18.) an potius propter *antiqua*, antiquum, pristinum statum, in quo nullae ibi coloniae. Falluntur. Arminius *novas colonias* opponit *patriae*, ut *dominos parentibus*, illasque intelligit novas sedes in Gallica ripa iis destinatas, qui Germanorum ut Segestes aliique ad Romanos transirent. Sic Augustus Ubios et Sugambros dedentes se traduxit in Galliam atque in proximis Rheno agris collocavit. v. ad 1, 56, 1. Segimundus in Gallicam ripam missus est. cap. 57. Segesti etiam sedem in provincia Germanicus pollicetur c. 58. Quare Arminius iam increpat *coleret Segestes victam ripam*. Hae sunt *novae* illae *coloniae*." *Walth.* Cf. Barth. Deutschl. Urgesch. §. 357. 386. Fuere etiam qui emendarent *dominos, colonias, nova*.

CAPUT LX.

Conciti per haec non modo Cherusci, sed conterminae gentes, tractusque in partis Inguiomerus Arminii patruus, veteri apud Romanos auctoritate: unde maior Caesari metus. Et ne bellum mole una ingrueret, Caecinam cum quadraginta cohortibus Romanis distrahendo hosti per Bructeros ad flumen Amisiam mittit: equitem Pedo praefectus finibus Frisiorum ducit: ipse impositas navibus quatuor legiones per lacus vexit; simulque pedes, eques, classis apud praedictum amnem convenere. Chauci, quum auxilia pollicerentur, in commilitium asciti sunt. Bructeros sua urentis expedita cum manu L. Stertinius missu Germanici fudit, interque caedem et praedam re-

perit undevicesimae legionis aquilam cum Varo amissam. Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum, quantumque Amisiam et Luppiam amnes inter, vastatum haud procul Teutoburgiensi saltu, in quo reliquiae Vari legionumque insepultae dicebantur.

1. *Conciti per haec non modo Cherusci, sed etiam conterminae gentes.* Ita saepissime *etiam* omittitur post *non modo, sed,* ut et *sed etiam* post *non modo* ap. Liv. 45, 7. *sed* ante *etiam* et post non *modo s. non solum* inf. 4, 35. H. 2, 27. Liv. 10, 6. 38, 22. 39, 28. *modo* Liv. 21, 31 pr. *modo* et *etiam* Liv. 28, 11. *non modo* ante *sed* inf. 15, 58 pr. Id in primis fit post negationes et ante voces graviter acuendas. cf. Ind. III. v. *Ellipsis* N. 7. Gron. et Drak. ad Liv. 28, 39. Cort. ad Sall. Cat. 18. et Iug. 21, 2. 33, 4. Wolf. Anal. lit. III. p. 3 sq. Ramshorn. Gram. p. 535. 536. — *Inguiomerus* Germ. *Hinkmar,* de quo v. Ind. I. et 2, 17. 26. 45. — *veteri apud Romanos auctoritate,* v. ad 3, 52. Non, quod amicus Rom. esset, sed quod vir fortis et prudens, cuius magna apud Rom. opinio, ut recte Freinsh. explicat; *Ern.* Cf. tamen ad G. 42. n. 9. — *Caecinam cum XL cohortibus Rom.,* IV legionibus. Cf. c. 31. 69. et Ind. 1. v. *Legiones.* — *distrahendo hosti mittit,* v. ad 6, 35, 1. et Ind. III. v. *Dativus* n. 3. — *per Bructeros,* de quibus v. ad G. 33. n. 1. et 3. — *Amisia,* ὁ Ἀμάσια Strab. VII, 1, 3. ὁ Ἀμάσιος Ptol. 2, 11. *Amisius* Plin. 4, 28. Mel. 3, 3. hod. Ems, Emse, Emsch, Emsche, Emscher. Fluvius hic separat comitatus Westphal. Marcam (Mark) et Tremoniam, (Dortmund) nec longe ab oppidulo Alsum Rheno miscetur, et navigabilis fit ad locum, qui nunc Emsbüren dicitur. v. Reichardi German. p. 189. et Petersen: der Kirchsprengel Weitmar, Essen 1823. p. 64—79. — *Pedo praefectus equitum.* „Credo C. Pedo Albinovanus, cuius fragm. exstat de navigatione Germanici per Amisiam fl. in Oceanum septentr. (inf. 2, 23 sq.) Est tamen et alius *Pedo* Pompeius, vir illustris, quem nominat Sen. in Apocoloc. s. ludo de morte Claudii sub fin.“ *Lips.* De illo v. Ovid. ex P. 4, 10. et 16. Sen. ep. 108. et 122. Martial. 2, 77. 5, 5. Wernsdorf. poet. lat. min. T. IV. p. 34 sq. — *finibus,* per fines, (v. ad H. 4, 68.) *Frisiorum,* de quibus v. ad G. 34. n. 3. *Fines* ditio, agri, Gebiet, ut 3, 45. al. — *lacus,* omnes postea haustos a sinu austrino; *Wolf.* Cf. ad 2, 8, 1. Mox *pedes equos classes* MS. — *Chauci,* v. ad G. 35. et 38. *L. Stertinius,* cf. c. 71. 2, 8. 17. 22. — *missu Germanici,* ab eo adversus illos missus. — *inter caedem,* caesos, cadavera, *reperit XIX leg. aquilam c. V. amissam,* v. ad 2, 25, 1.

2. *Ductum inde agmen — vastatum,* cf. Moeseri hist. Osnabrug. T. I. p. 157. — *Luppia* (Λουπίας Strab. 7, 1, 3. Dio 54, 33. et *Lupia* Mela 3, 3.) non modo fluvius comitatuum Westphal., Lippiensis et Marcae, (Mark) qui ad Lippspringam ortus per eos et iuxta Vesaliam (Wesel) in Rhenum fluit et nunc Lippe, sed etiam haud minor, qui nobis Ruhr s. Roer dicitur, et quidem non ille, qui apud oppidulum Ruhrort Rheno miscetur, sed maior ad sinistram Rheni ripam, qui, postquam Marcam Westphal. permeavit multosque sibi iunxit rivos — Moenum, (die Möhne) Hunnam, Lennam, Volmam, Wannam, Wormam, Muttam, Blennam aliosque, qui Daimonsbecke, (Daimonsbach) Donnerbecke, Heembecke, Eybecke, Mecklenbecke, Deilbecke vocantur — prope Stelam in Iuliacum, Cliviensem Montemsemque ducatus et postremo apud Ruhrmundam in Mosam (Maas) influit. v. Petersen l. l. p. 80—101. — *haud procul Teutoburgiensi saltu, in quo reliquiae Vari legionumque* trium, quibus praefuerat, *insepultae dicebantur* et erant quoque; unde Heins. coni. *visebantur.* Sed Romani tantum e fama rem sciebant; *Ern.* Loca classica, quibus mentio fit tum itineris a Varo in Germaniam suscepti, tum loci, quo ille a. U. 763. p. Chr. 9. IV Non. Aug. (Gell. 5, 17. et

Flor. 4, 12.) tertio pugnae die ab Arminio Cheruscorum duce, quorum socii erant Bructeri, Marsi, Chatti, Dulgibini, Angrivarii, Chamavi, Chasuari aliique, ingentem accepit cladem, sempiterna Germanorum memoria dignissimam, et *suo ictu mortem invenit*, sunt, praeter hunc, Tac. Ann. 1, 51. 61. 2, 7. Strab. 7, 1. p. 291. Vellei. 2, 105. 116 — 120. Dio 56, 18 — 24. Zonar. p. 542. ed. Par. p. 409. ed. Ven. Flor. 4, 12. Frontin. Strat. 4, 7, 8. Ex his tamen neutrum satis ad liquidum confessumque perduci poterit, quanquam viri docti, nostris potissimum temporibus, omnem in hac re operam consumserunt. Probabilior saltem ceteris videtur opinio eorum, qui contendunt, Varum, relictis Veteribus castris, (v. ad 1, 45, 1.) prope Duisburgum (Teutoburgium) transiisse Rhenum, atque paludes Bructerorum ad Amisiam Marsorumque ad Luppiam vitaret, (1, 62. 63.) via recta, *brevi et solita*, (1, 50.) a Lollio primum et Druso, (1, 56, 4. 2, 7, 2.) deinde a Germanico et Tiberio trita, inter Luppiam et Amisiam, ubi nunc Essen, Bochum s. Bockum, Tremonia, (Dortmund) Hammona, (Hamm) Susatum, (Soest) Detmolda et Luppia, (Lippstadt) in mediam Germaniam (Vellei. 2, 105. 117. 118.) et quidem in Westphaliam, nec tamen in episcopatum Osnabrugensem, sed in comitatus Lippiensem et Marcensem (Mark) penetrasse. Hinc et plerique loca castrorum pugnarumque quaesiverunt in comitatu Lippiensi; inter Detmoldam, Hornam, SalzUfelam et Luppiam, (Lippstadt) a Bielefelda usque ad Dringenbergam, ubi *Teutebergium* s. Teutoburgium, Teutorum s. Teutonum castellum ad Detmoldam, (Teutenhof et Hünenring in monte Groteburg; v. Wilhelm. German. p. 46. 47. Reichard. Germ. p. 264. 265.) Teutomeier, Winfeld, (quem campum nonnulli non a verbo Germ. winnen, gewinnen, vincere, sed a Wind, vento, sic dictum putant) et Varenholz, Vari silva, ad Visurgim et Ederam vicum — *Lipsius*, *Büschingius*, *Diltheius*, *Sprengel* ad Tac. G. 36. Wilhelm. l. c. Reichard. German. p. 225—228; inter Herfordam et SalzUfelam, a Lippiensi vico Amsen ad Paderborn. Elsen, Tappe; (über die wahre Gegend und Linie der Hermannsschlacht, Essen 1820. u. Nachtrag Essen 1822.) ultra Herfordam, ubi Teutehof, Wahrweg, Winnfeld, Römerberg, Paberg, Kohlstedt, Fallrum (Fall-Rom) et Hasselholz, *Hammersteinius*; (alte Sagen zu Fallrum, Hann. 1815.) ad vicum Lage et inter fluvios Aa atque Werram, Hohenhausen; (cuius libellum una cum duobus Tappii et Hammersteinii recudendum curavit Eichstadius Altenb. 1821.) in australi parte Luppiae, in comit. Marcensi et Ravensberg., Mannert (Geogr. T. III. p. 87. 88. 96 seq.) et Niesert; (Westphäl. Anzeiger 1810. N. 99.) inter Lippiensem Ravensbergensemque ditionem, *Cluverius* (Germ. III. p. 556. 580.) et Barth; (Deutschl. Urgesch. §. 371. 372. 373.) in Marca Westphal., ubi nunc Wunnenberg, Weitmar, Drusenberg, Daimonsberg, Siegerberg, Kausstätte, Hellweg (sacra via), Mordhof, Lolle, Varenholz, Thyg s. Thyge, (locus concionis et iudicii) Miarkamp, Steele, (extremus Marcae locus, ubi στήλη, columna in Arminii memoriam erecta, Irmensula, de qua v. ad G. 2. n. 7.) et rivi (Becke, Bäche) Heembecke, (rectius Haimbecke a Gr. αἷμα) Daimonsbecke, Donnerbecke, Petersen; (der Kirchsprengel Waitmar, Essen 1833.) non longe a Paderborna, ubi Deseburg, Teuteburgium, castellum et saltus, Trautvetter v. Moorgrund; (v. ad Tac. G. 2. n. 7.) in locis incultis tesquisque episcop. Paderb., (Senne s. Send) ubi hodie saltus Lippiensis, Oesterholz, Schlangen et Haustenbeck, Clostermeier; (wo Hermann den Varus schlug? Lemgo 1822.) sed in episc. Osnabrug. ad Hasam fl. (Hase), ubi nunc Haarscher Berg, Düstrupper Berg, Teufelsbruch, Gretesche, (magna fraxinus) Düteburger Wald, (Teutob. saltus) Dütefluss, Moeser; (Osnabr. Gesch. T. I. p. 146—150.) iuxta Varsa-

feld, (Vari campum) pagum in Belgico Geldriae ducatu ad fines episcop. Monasteriensis, Wassenberg; (Embrica cet. p. 25 — 40. Cliv. 1667. f.) ad Ratingam in ducatu Montensi, Theod. v. Haupt; (Beiblatt der Köln. Zeitung 1820. N. 15. 16.) prope Vesaliam et Reesum in ducatu Cliviensi, Clevischer Zuschauer Jan. 1793.; non longe a Warendorf. in episcop. Monast. ad Amisiam, Westphäl. Anzeiger 1810. N. 78. 79. alibi alii. Has paene omnes aliasque coniecturas recensuere Grupen Orig. Germ. 1, 4 seq. Gatterer hist. univ. synchron. T. II. p. 721 seq. Ephem. lit. Ien. a. 1816. sc. 131. 1820. sc. 115. 1823. sc. 37 — 40. p. 289 — 315. Seebodii bibl. crit. a. 1823. p. 400 — 414. Annal. lit. Goetting. a. 1822. sc. 60. Roth: Hermann und Marbod, München 1817. Clostermeier l. c. Chr. Ern. Hansselmann, wie weit der Römer Macht in die Ostfränk. Lande eingedrungen, Halle 1768. 1773. u. dess. Fortsetzung des Beweises u. s. w. Halle 1775. v. Wersebe über die Völker und Völkerbündnisse des alten Teutschl. Hannover 1826. p. 21 - 25. Greveri annot. ad Ann. Tac. p. 11 sq. *Teutoburgiensem* vero *saltum* dici montium silvarumque iugum a Paderborna ad Osnabrugam aut per totam Westphaliam porrectum, sibi persuaserunt Ferd. a Fürstenberg monum. Paderb. p. 22. 36 sq. 56. Moeser et Wilhelm. ll. ll. aliique. Cf. ad G. 2. n. 7.

CAPUT LXI.

Igitur cupido Caesarem invadit solvendi suprema militibus ducique, permoto ad miserationem omni qui aderat exercitu ob propinquos, amicos, denique ob casus bellorum et sortem hominum. Praemisso Caecina, ut occulta saltuum scrutaretur pontesque et aggeres humido paludum et fallacibus campis imponeret, incedunt maestos locos visuque ac memoria deformes. Prima Vari castra lato ambitu et dimensis principiis trium legionum manus ostentabant: dein semiruto vallo, humili fossa accisae iam reliquiae consedisse intelligebantur: medio campi albentia ossa, ut fugerant, ut restiterant, disiecta vel aggerata. Adiacebant fragmina telorum equorumque artus: simul truncis arborum antefixa ora: lucis propinquis barbarae arae, apud quas tribunos ac primorum ordinum centuriones mactaverant. Et cladis eius superstites, pugnam aut vincula elapsi, referebant, hic cecidisse legatos, illic raptas aquilas; primum ubi vulnus Varo adactum; ubi infelici dextra et suo ictu mortem invenerit; quo tribunali concionatus Arminius, quot patibula captivis, quae scrobes utque signis et aquilis per superbiam illuserit.

1. *solvendi suprema militibus ducique*, v. ad 1, 8, 1. — *permoto ad miserationem — ob casus bellorum et sortem hominum*, mortem et inopinatos aut incertos casus; *Lips.* Cf. ad 6, 19. extr. — *occulta saltuum*, v. Ind. III. v. *Adiectiva neutr. gen.* — *incedunt* vel accedunt, (v. ad 1, 35, 3.) vel potius ingrediuntur. — *locos visuque ac memoria deformes*, et visu et mem. Cf. ad G. 1. n. 1. *deformes*, v. Ind. II. Sic et *informis* 6, 49. et 12, 37. *deformes* omnes edd. Sed *deformides* MS. Hinc *deformi. Iidem* ooni. Heins. *deformi. Dein* I. Gron. *deformi. Sed* Herrman. *reformides* Walth.

2. *Prima Vari castra* cet. „Videntur bina castra designari, *una* (prima) ante cladem, iusta, magna; altera (*dein* cet.) in clade vel post eam. Haec secundo die in monte quodam fecisse eos Dio 56,

21. tradit; at tertio occidione occisos. In primis fuisse tres legiones, (*trium legionum manus*) ex principiis colligebatur: nam quoties plures legiones unis castris, principia suae cuique legioni descripta, in quibus aquila et signa, item principia maiora. Haec *dimensus* est ipse Germanicus. De his plura dixi in Dial. V. de mil. Rom. et in Anal. ad mil. Rom.“ *Lips.* „Immo in castris singulis etiam singula tantum principia, si vel decem legiones in iisdem castris tenderent. Sensus h. l. est: e *latitudine ambitus* et *principiis* e disciplina Rom. *dimensis* intelligebant periti consuetudinis castrensis, tres legiones ibi tetendisse. v. Schel. ad Hygin. p. 16. 17.“ *Ern.* „Unanimi errore interpretes *manus* volunt esse Mannschaften, quum potius sententia sit: latus castrorum ambitus et dimensa principia ostentabant, trium legionum manibus seu opera ea esse facta, h. e. tres Vari legiones integras adhuc fuisse, quum illa castra fierent. Res ad extremum redit eodem; dictio tamen elegantior est. Ita exquisite dixit Plin. ep. 10, 50. *hoc opus multas manus poscit.* Sin de trium legionum manu voluisset dicere, tum scripturum fuisse spero *tres legiones*, omissa inutili ambage *trium legionum manus.* Verba *dimensis principiis* converte nach dem Maasse, welches die Principien gaben. Cf. 15, 43. et Plin. ep. 8, 20. *Dimensa principia* opponuntur *ambitui.* Ceterum in plurimis edd. male distinguitur post *castra* et *principiis.*“ *Walth.* Mihi praeferenda videtur vulgaris interpretatio verborum *trium legionum manus*, quibus legionum partes earumque multitudo significantur et neutiquam inutilis est verborum ambages pro simpl. *tres legiones.* — *ostentabant*, v. Ind. III. v. *Verba, quae frequentativa vulgo dicuntur.* — *dein* cet. „Haec Lipsius recte cepit de alio loco, qui castrorum instar ibi erat. [Cf. Roth. l. l. p. 53.] *Semirutum vallum* vero non est, quod nostrates nobis dedere, ein halb eingestürzter Wall, sed ein halb aufgeworfener, vallum ad dimidiam tantum altitudinem perfectum. Nam verbum *ruere* nativa sua vi significat opus rusticum, quod fit *rutro* et quo *rus* s. solum s. humus vertitur, nostrum stürzen, aufwerfen. Ab opere rustico verbum ad aliam quamcunque ruinam translatum est. Iam 4, 25. *semirutum castellum* haud dubie est ein halb zerstörtes Castell. At vallum illud quis resciderit? et si rescissum invenerant, quid inde colligi poterat? *accisas iam reliquias* ibi *consedisse?* Minime. Id potius intelligebatur ex *humili* castrorum *fossa* et *vallo* ad dimidiam tantum partem perfecto. Inde colligebant, non integrarum legionum manus ibi operatas esse, sed accisas iam reliquias, quarum manus non suffecerant ad iustam fossam, iustum vallum conficiendum.“ *Walth.* Cf. Drak. ad Liv. 36, 24, 6. et Forcell. Similiter *proruere* et *prorutus* 1, 68. 2, 17. 12, 43. 15, 40. H. 3, 22. 23. — *accisae iam reliquiae*, imminutae. *Accisae* proprie dicuntur aves, quibus alae sunt resectae, et hinc *res, opes, vires* exhaustae, extenuatae, imminutae, consumptae, *abscisa, incisa, praecisa spes, accidere res* Liv. 8, 29. *incidere media* Cic. Phil. 2, 19. ἐπιτέμνειν τὰς γνώμας Polyb. 5, 58, 3. nostrum Einem die Flügel beschneiden. — *medio campi* inter duorum castrorum loca. — *disiecta*, v. ad 1, 32, 2.

3. *simul truncis arborum antefixa ora* — *arae* sc. conspiciebantur vel erant. v. Ind. III. v. *Ellipses* 1. *a* — in *locis propinquis barbarae arae* cet. sub magnis fraxinis, unde nunc Gretesche Steine dicuntur. v. ad G. 9. n. 3. et Moeser Osnabr. Gesch. T. I. p. 148. — *mactaverant* diis devoverant, ut 2, 13. et Liv. 10, 28. „*Mactare* est magis augere. Olim enim hostiae *immolatae* dicebantur mola salsa tactae. Quum vero ictae et aliquid ex illis in aram datum, *mactatae* dicebantur per laudationem, per boni ominis significationem, ut *adolere.*“ *Serv.* ad Virg. Aen. 4, 57.

4. *Et cladis eius* cet. cf. ad 1, 11, 2. et Ind. II. v. *Et.* — *pugnam aut vincula elapsi*, v. ad 1, 51; 3. et 5, 10, 2. — *infelici dextra et*, nempe, *suo ictu*, v. ad 2, 75, 1. et Ind. III. v. *Hendiadyoin. dextera* MS. — *suo ictu mortem invenerit*, ut *exitum vitae invenit* ap. Sall. Cat. 55. Ad rem cf. 3, 46. Dio 36, 20 sq. Vell. 2, 118 sq. Flor. 4, 12. — *quae scrobes*, *βόθροι*, *τάφροι*. „Scrobium mentio aliquoties in suppliciis, sive quia soliti puniendum in scrobe collocare, quo securius ferirent, sive quia posituri in ea cadaver pro ignominia, ut h. l. cadavera captivorum in patibulis obtruncatorum. Cf. 15, 67. Polyb. 1, 80 extr. de Poenis (*συντρίψαντες τὰ σκέλη, ἔτι ζῶντας ἔῤῥιψαν εἰς τινα τάφρον*) et Philo *εἰς Φλάκκον*. Germani non terra condebant corpora, sed igne absumebant. v. G. 27. Vix autem est, ut eiusmodi damnati combusti fuerint aut iusta iis facta.“ *Lips.* Ferrarius Elect. 1, 7. designari putabat poenam, quum vivi defoderentur aut iniecta crate necarentur a Germanis; *I. Gron.* v. G. 12. Querneus Egreg. c. 7. intelligit scrobem, in qua bestiae, quibus obiecti homines: quem tamen morem non credo Germanis fuisse; *Ern.*

CAPUT LXII.

Igitur Romanus qui aderat exercitus sextum post cladis annum trium legionum ossa, nullo noscente, alienas reliquias an suorum humo tegeret, omnes ut coniunctos, ut consanguineos, aucta in hostem ira, maesti simul et infensi condebant. Primum exstruendo tumulo caespitem Caesar posuit, gratissimo munere in defunctos et praesentibus doloris socius. Quod Tiberio haud probatum, seu cuncta Germanici in deterius trahenti, sive exercitum imagine caesorum insepultorumque tardatum ad proelia et formidolosiorem hostium credebat: neque imperatorem auguratu et vetustissimis caerimoniis praeditum attrectare feralia debuisse.

1. *Igitur Romanus* cet. ut cap. 61. princ. ad quod referenda haec verba. — *qui aderat*, verba ex initio cap. 61. male repetita; *Ern.* Addita potius ex grata quadam negligentia; *Wolf.* Rectius censebis, Tacitum prudenter haec addidisse, non solum ut narrationem locorum descriptione interruptam superioribus annecteret, (nam supra locutus erat de omni, qui aderat, exercitu) sed etiam ut cum emphasi quadam opponeret exercitum, qui aderat, tribus legionibus attritis, quarum ossa condebantur, uti opponere solemus vivos mortuis, utque mox ipse Tacitus defunctos opponit praesentibus; *Walth.* — *alienas reliquias*, hostium, Germanorum.

2. *Primum exstruendo tumulo* (cf. Ind. III. v. *Dativus* n. 3.) *caespitem Caesar posuit*, quo promptiores ceteros redderet; *Pich.* Cf. ad G. 27. n. 5. Dio 57, 18. (ubi tempora confunduntur) Suet. Cal. 3. Ner. 19. Vesp. 8. et inscr. cum tribus carm. in Pithoei epigr. vet. l. 3. p. 87. — *gratissimo munere in defunctos*, v. Ind. II. v. *In.* — *Quod Tiberio haud probatum*, v. Ind. III. v. *Dativus* n. 1. — *cuncta in deterius trahenti*, v. ad H. 4, 68, 1. et Ind. II. v. *In. seu cuncta in deterius trahenti, sive* — *credebat* pro *seu quia* — *trahebat*, *seu quia credebat*, de qua Antimeria v. Ramshorn. Gram. p. 691. Cf. ad 6, 9, 1. — *formidolosiorem hostium*, v. ad 1, 76, 3. — *imperatorem auguratu et vetustissimis caerimoniis* (v. Ind. III. v. *Hendiadyoin*) *praeditum:* nam Germanicus et flamen et augur erat. v. 2, 83. et Grut. inscr. p. 236. In *caerimoniarum* rituumve sacrorum observatione et pompa praecipue continebatur cultus deorum: unde et *caerimonia* pro sanctitate et religione, ut 3, 60. 61.

4, 64. 14, 22. Cic. Tusc. I, 12. p. Balbo 24. p. Rosc. Am. 39. Cf. Forcell. *vetustissimis*: nam Augures iam a Romulo, Flamines a Numa instituti. — *attrectare feralia non debuisse*: „nam omnes sacerdotes arcebantur a funestis, ne iis pollnerentur. Cf. 4, 12 pr. Plut. in Sulla p. 474. A. [Sen. cons. ad Marc. 15. Gell. 10, 15. qualia etiam de Iudaeis, Indis aliisque populis traduntur.] Sed occultam offensae causam Tiberio fuisse credo, quod hoc factum nimis populare et conciliando militi videbatur. Similia tradit Appian. Syr. c. 16.“ *Lips.* Nec non Livius 31, 34. *Feralia* sec. Varr. et Festum a *ferendis* epulis vel a *feriendis* pecudibus, neutrum fortasse recte, a *ferendis* potius mortuis, cineribus, unde etiam *ferculum*, *feretrum*; *Boett.* in Lex. Tac. p. 195.

CAPUT LXIII.

Sed Germanicus cedentem in avia Arminium secutus, ubi primum copia fuit, evehi equites campumque, quem hostis insederat, eripi iubet. Arminius colligi suos et propinquare silvis monitos vertit repente; mox signum prorumpendi dedit iis, quos per saltus occultaverat. Tunc nova acie turbatus eques, missaeque subsidiariae cohortes et fugientium agmine impulsae auxerant consternationem; trudebanturque in paludem gnaram vincentibus, iniquam nesciis, ni Caesar productas legiones instruxisset. Inde hostibus terror, fiducia militi; et manibus aequis abscessum. Mox reducto ad Amisiam exercitu legiones classe, ut advexerat, reportat. Pars equitum litore Oceani petere Rhenum iussa; Caecina, qui suum militem ducebat, monitus, quanquam notis itineribus regrederetur, Pontes longos quam maturrime superare. Angustus is trames vastas inter paludes et quondam a L. Domitio aggeratus: cetera limosa, tenacia gravi coeno aut rivis incerta erant; circum silvae paulatim acclives, quas tum Arminius implevit, compendiis viarum et cito agmine onustum sarcinis armisque militem quum antevenisset. Caecinae dubitanti, quonam modo ruptos vetustate pontes reponeret simulque propulsaret hostem, castra metari in loco placuit, ut opus et alii proelium inciperent.

1. *Arminium secutus*, cf. Ind. III. v. *Partic. Praet. Depon. pro Part. Praes.* — *campum hosti eripi iubet*: „genus loquendi e circo petitum, ubi quum quatuor currus ad carceres starent, si primo ostio missus palmam meruisset, dicebant *occupavit* (in vacuum venit primus) *et vicit*, si secundo, *successit et vicit*, si tertio, *eripuit* (campum praecedentibus) *et vicit*. v. Sil. 16, 337. 390. 406 sq. 424. Manil. 5, 79 sq. Gruteri inscr. p. 337. Salmas. ad Solin. p. 635. al. 905.“ *Gron.*

2. *Arminius colligi suos et propinquare silvis monitos*, v. ad II, 1, 2. — *nova acie*, insolita pugnandi ratione, *turbatus eques* et *cohortes fugientium* equitum *agmine impulsae*, propulsae; v. ad 2, 17, 1. — *trudebanturque - ni - instruxisset*, v. ad 1, 35, 3. — *gnaram vincentibus*, notam. v. ad 1, 5, 3. — *iniquam nesciis*, eluctatu difficilem; *I. Gron.* Cf. ad 3, 4. — *manibus aequis*, „ut *aequo Marte* et ap. Sall. Cat. 39. *aequa manu*. At Romanos, si non fusos, certe cum damno aliquo discedere coactos, e conseq. recte notarunt viri docti.“ *Wolf. manibus aequis abscessum*, ex pugna discessum, ut *ex aequo discedere* H. 3, 9 pr.

3. *litore Oceani* sc. legendo; *Ern.* Sed v. ad H. 4, 66. extr. — *suum militem ducebat*, exercitum Germaniae inferioris, cui praeesse consueve-

rat; *Freinsh.* Cf. cap. 31. — *Pontes longi, angustus trames:* „limes manu factus, arenis magno opere congestis et palis trabibusque ad marginandum defixis, qui limes hodieque exstat itque per medias paludes aut uligines haud procul Amisia flumine, inter Lingam, Weddam et Coevordam. Paludes aliquot milliarium spatium occupant, et extrema palorum aevo detrita sunt, sed sub terra vel aquis reperiuntur, et Batavi nunc tam opportuno loco usi, qua aditus in Frisiam datur, valido propugnaculo in ipso limite illo munierunt. Vocant *Bretaniae uligines*, nostra lingua *Bretanschekeyde:* unde et *Britannica* (rectius *Bretannica*) *herba* in Frisiis reperta aut dicta, quod frustra inquisitum Plinio 25, 3. s. 6. Porro isti limites sive aggeres *Kaii* etiam Latinis olim dicti: quae vox et Batavis manet.“ *Lips.* Cf. Alting. notit. Germ. inf. ant. P. I. tab. 2. Mannert. T. III. p. 79. al. 100. et Clostermeier (wo Hermann den Varus schlug, Lemg. 1822.) p. 76 sq. qui locum ponit ad veterem, quae dicitur, Romanorum viam ab Alisone ad Herfordum ducentem; *Walch.* Hi *pontes longi* (Moordamm) *a L. Domitio* Ahenobarbo, Neronis avo, (de quo v. 4, 44. ad G. 1. n. 3. et Suet. Ner. 4.) olim structi et a. 1818. reperti sub solo palustri in prov. Belg. Drenthe, non longe a Coevorda, Valthe et Exloo, a silva Weerdinger usque ad Ter-Haar. v. I. C. Baron du Tour Gedachten over de ontdekte Bruggen in de Provinzie Drenthe, Gravenh. et Amst. 1819. I. W. Karsten Verslag wegens het oude Planken Voetpad tussehen ter Apel en Valthe, Haerlem 1819. Algemeene Konst — en Letterbode voer het Iaar 1819. N. 9. 10. Annal. lit. Gotting. a. 1819. Sc. 100. 101. v. Wersebe über die Völker d. a. Teutschl. p. 16. Morgenblatt für gebild. Stände a. 1822. N. 167. 168. 169. 199. 202. Barth. Teutschl. Urgesch. §. 353. Reichardi German. p. 222. Wilhelmi German. p. 303. — *acclives* MS. edd. Pich. et rec. *acclines* edd. vet.

4. *castra metari*, v. ad Agr. 22. n. 3. et cap. 33. n. 2. — *in loco*, „in eo ipso loco, (in pontibus) ut 4, 47. et 13, 41.“ *Walch.* emend. Liv. p. 22. 23. *illico* frustra corr. Heins. — *ut opus et alii proelium inciperent:* „Sic Liv. 3, 37. et Caes. B. G. 1, 8. Etenim formula *alii-alii* stricte in duas partes discernit eos, qui fecere aut passi sunt aliquid. Omisso priori *alii* indicatur, in universum quidem hoc esse factum, alios tamen et illud fecisse aut passos esse.“ *Walch.* Vulgo ante *opus* intell. *alii.* Cf. Ind. III. v. *Ellipsis* N. 7.

CAPUT LXIV.

Barbari perfringere stationes seque inferre munitoribus nisi lacessunt, circumgrediuntur, occursant. Miscetur operantium bellantiumque clamor, et cuncta pariter Romanis adversa, locus uligine profunda, idem ad gradum instabilis, procedentibus lubricus; corpora gravia loricis: neque librare pila inter undas poterant. Contra Cheruscis sueta apud paludes proelia, procera membra, hastae ingentes ad vulnera facienda quamvis procul. Nox demum inclinantis tum legiones adversae pugnae exemit. Germani ob prospera indefessi, ne tum quidem sumpta quiete, quantum aquarum circum surgentibus iugis oritur, vertere in subiecta; mersaque humo et obruto, quod effectum operis, duplicatus militi labor. Quadragesimum id stipendium Caecina parendi aut imperitandi habebat, secundarum ambiguarumque rerum sciens eoque interritus. Igitur futura volvens non aliud reperit, quam ut hostem silvis coerceret, donec

saucii quantumque gravioris agminis anteirent: nam medio montium et paludum porrigebatur planities, quae tenuem aciem pateretur. Deliguntur legiones, quinta dextro lateri, unaetvicesima in laevum, primani ducendum ad agmen, vicesimanus adversum secuturos.

1. *seque inferre:* in MS. vitiose *sequi i.* et paulo post *liberare pila.* — *circumgrediuntur*, a latere et tergo irruunt; *Ern.* — *librare pila*, v. ad 2, 20, 2. et G. 6. n. 6. — *hastae ingentes*, v. ad 2, 14, 1. et G. 6. n. 4. — *inclinantis* s. *inclinantes tum legiones* sc. se in fugam. v. ad H. 3, 83, 2. *tum* delendum, ut e seqq. retractum; *Ern.* *iam* ex emend. Freinsh. recepit Wolf. coll. c. 61. et G. 8. pr. „Sed *tum* respicit ad voc. *nox*, quum nox erat. *Iam* non habet, quo apte referatur. Aliud esset *inclinatas iam*. Mox iterum occurrit *tum*; sed talia sunt apud Nostrum.“ *Walth.* *tum*, ut 2, 9. 4, 10. 28. 12. *Heins.* et *Wopk.* *tam* MS. et in marg. *iam.* — *adversae pugnae exemit*, cf. Ind. II. et ad 4, 29, 1. — *in subiecta* iugis loca. Mox *quo defectum operis* MS.

2. *Quadragesimum id stipendium* cet. cf. 3, 33 pr. et ad 1, 17, 1. — *rerum sciens*, illis uti; *Ern.* Sic 2, 13. 3, 70. 6, 26. et Gr. εὖ εἰδώς. — *futura volvens* mente, animo, ut 3, 38. 14, 53. H. 1, 54. 64. „Sic breviter dixit Noster 2, 33. *excessit* pro *excessit relationem*, 3, 58. *duxissent* pro *dux. sorte*, 4, 64. *affecit* pro *aff. calamitate*, 11, 22. *curarent* pro *cur. res*, H. 1, 7. *turbantem* pro *turb. res.*“ *Walth.* Cf. Ind. III. v. *Ellipses.* — *quae tenuem aciem pateretur*, ut 12, 55. *pateretur* tantum, Germ. nur, allenfalls, höchstens gestattete; *Ramsh.* Gram. p. 417. — *Deliguntur legiones* cet. cf. ad 1, 31, 2. 1, 51, 1. et Ind. III. v. *Constructio verborum variata.* — *unaetvicesima:* in edd. *undevic.* v. ad 1, 31, 2. — *primani ducendum ad agmen*, v. ad Agr. 6. n. 7.

CAPUT LXV.

Nox per diversa inquies, quum barbari festis epulis, laeto cantu aut truci sonore subiecta vallium ac resultantis saltus complerent, apud Romanos invalidi ignes, interruptae voces, atque ipsi passim adiacerent vallo, oberrarent tentoriis, insomnes magis quam pervigiles: ducemque terruit dira quies; nam Quinctilium Varum sanguine oblitum et paludibus emersum cernere et audire visus est velut vocantem, non tamen obsecutus et manum intendentis repulisse. Coepta luce missae in latera legiones, metu an contumacia, locum deseruere, capto propere campo humentia ultra. Neque tamen Arminius, quanquam libero incursu, statim prorupit; sed ut haesere coeno fossisque impedimenta, turbati circum milites, incertus signorum ordo, utque tali in tempore, sibi quisque properus et lentae adversum imperia aures, irrumpere Germanos iubet clamitans, *En Varus et eodemque iterum fato vinctae legiones!* Simul haec et cum delectis scindit agmen equisque maxime vulnera ingerit. Illi sanguine suo et lubrico paludum lapsantes, excussis rectoribus, disiicere obvios, proterere iacentes. Plurimus circa aquilas labor, quae neque ferri adversum ingruentia tela, neque figi limosa humo poterant. Caecina, dum sustentat aciem, suffosso equo delapsus circumveniebatur, ni prima legio sese

opposuisset. Iuvit hostium aviditas omissa caede praedam sectantium, enisaeque legiones vesperascente die in aperta et solida. Neque is miseriarum finis. Struendum vallum, petendus agger: amissa magna ex parte, per quae geritur humus aut exciditur caespes: non tentoria manipulis, non fomenta sauciis: infectos coeno aut cruore cibos dividentes funestas tenebras et tot hominum millibus unum iam reliquum diem lamentabantur.

1. *Nox per diversa inquies*, varias et contrarias ob causas, ut 3, 14. — *subiecta vallium*, v. ad c. 64. n. 1. — *invalidi ignes* sc. essent. Cf. Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant.* „Similis prorsus descriptio Xenoph. Anab. 3, 1, 3. in desperatione pari: *Ταῦτα ἐννοούμενοι καὶ ἀθύμως ἔχοντες, ὀλίγοι μεν αὐτῶν εἰς τὴν ἑσπέραν σίτου ἐγεύσαντο, ὀλίγοι δὲ πυρὰν ἔκαυσαν, ἐπὶ δὲ τὰ ὅπλα πολλοὶ οὐκ ἦλθον ταύτῃ τῇ νυκτί· ἀνεπαύετο δὲ ὅπου ἐτύγχανεν ἕκαστος, οὐ δυνάμενοι καθεύδειν ὑπὸ λύπης καὶ πόθου πατρίδων, γονέων, γυναικῶν, παιδῶν, οὓς οὔποτε ἐνόμιζον ἔτι ὄψεσθαι.* De castrorum his ignibus, qui accenduntur aluntur que a vigilibus, excubiis, stationibus, ut cantu sermonibusque horas et noctem fallant, scripsi in Mil. Rom. 5, 9.“ *Lips.* Gruterus putabat, intelligi h. l. militum et *ignes*, coenae parandae corporumque curandorum causa accensos, et *voces interruptas* in maestitia et trepidatione: illis vero opponi Germanorum *festas epulas*, his eorundem *laetum cantum trucemque sonorem.* „Milites Rom. cibi immemores et *insomnes* egisse noctem, quis non exspectet in tanta consternatione? At grandior imago maestitiae ac desperationis *vigilum ignis male pervigil*, ut ait Stat. Theb. 8, 266. Iisdem vigilibus, qui per officium debebant voces emittere, pavor ora clauserat; nedum ut milites quicquam locuti sint, quibus metum silentio tegere licebat. Antitheta vero hic in rebus sunt, non in singulis verbis.“ *Wolf.* „Omnino *interruptae voces* vigilum. v. H. 5, 22. Duo igitur sollennia Romanis vigilibus, signum et voces. Signum ab iis dabatur buccina: voces interposuisse videntur munere suo functi ad alios vigiles excitandos. Id colligo ex Ambros. Hexaëm. 5, 15.“ *Lips.* Cf. ad 1, 7, 6. Verba *atque ipsi cet.* ad milites spectant, qui a vigilibus distinguuntur. — *ducemque* (Caecinam) terruit dira quies, somnium, ut 2, 14. 11, 4. 12, 13. 16, 1. Somnia apud omnes populos sunt omina eventus. — *manum repulisse intendentis*, Vari manum Caecinae iniicere conantis, ut abstraheret; *Ern.* Cf. Ind. II. et ad seqq. cap. 63. — *Coepta luce* sensu activo s. reciproco, quo *coeptus* soli Tacito dicitur, sed saepius. v. Ind. I. *Lux*, ut Gr. *φῶς*. — *locum deseruere*, quem obtinere iussae; *Ern.* — *utque tali in tempore*, v. ad 4, 62, 2. — *sibi quisque procerus*, salutem suam fuga quaerebat. Cf. H. 1, 13. 4, 23, 4. — *En Varus et eodemque*, eodem quoque, (v. ad 2, 37, 1.) *fato vinctae legiones:* „Recte *eodemque* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. et *vinctae* MS. nota censoria literae *n* subiecta a recentiore manu, quae Beroaldi fuisse haud absurde creditur. *eodem* et *victae* omnes edd. nisi quod Herrm. et Kiessl. dedere *En Varus, en eodemque*, quae ingeniosa est emendatio Pichenae. Legiones *vinctae* dicuntur, quae quasi sunt in vinculis neque possunt effugere. Cf. H. 1, 79. et Agr. 32. Doederl. in Seeb. Archiv für Philol. a. 1826. 1, 4. p. 79. *Victae* tunc legiones nondum erant: poterant tamen *victae* ab Arminio praesumi: quare *victae* minime ineptum dixerim.“ *Walth.* ad h. l. et in Praef. p. XL.

2. *Simul haec* sc. dixit, *et* cet. „*Sic ἅμα* — *καὶ* ap. Thucyd. 1, 95. Dion. 55, 27. 28. Cf. Stat. Theb. 2, 659. et Buttman. Gram. §. 137.“ *Walth.* *Simulque coeptus dies et aderant* 4, 25. ut *ἅμα γὰρ πλουτοῦσι*,

καὶ ὑμᾶς μισοῦσι ap. Lys. p. 820. Cf. Viger. de idiot. graec. dict. 7, 2, 5 sq. — *equisque maxime vulnera ingerit*, ut ap. Dion. 60, 20. Britanni; *I. Gron.* Cf. ad 4, 42, 1. et 16, 26, 1. — *excussis rectoribus:* Heinsius coni. *vectoribus*. Sed *rectores equorum* multis dicuntur locis, quae omnia corrigere, ut ille vult, temerarium foret; *Ern.* „Ita et verbum *regere* equos corrigendum superesset. Plus in his dignitatis inest quam in vulgaribus.“ *Wolf.* — *neque ferri adversum i. t.* In MS. edd. Bekk. et *Walth.* n. *adversum ferri i. t.* — *sibi quisque properus*, cf. ad H. 1, 13. 4, 23, 4. — *dum sustentat aciem*, v. ad 14, 54, 1. et H. 2, 15, 2. — *circumveniebatur, ni legio se opposuisset*, v. ad 1, 35, 3. — *petendus agger*, h. e. terra aggerenda vel aggesta et egesta, sudes et caespites, quibus struitur vallum. v. ad 2, 81, 1. et 1, 68, 1. — *amissa*, sportae, corbulae, alvei, palae, cophini, ligones, quali, bidentes, rutra. — *per quae geritur* MS. edd. Ber. et Rhen. l. *egeritur* edd. Ald. et seqq. e coni. Rhen. „Sed hic non est sermo de aggere e fossa egerendo, sed longius petendo ad struendum vallum, qui *geritur*, h. e. portatur corbulis et sportis. Ab his distinguuntur, per quae *exciditur caespes*. Mox *manipulis* prudenter dictum, quia manipulatim tentoria in castris stabant ideoque sine dubio manipulatim quoque coniuncta in itinere vehebantur.“ *Walth.* — *funestas tenebras*, ut *ferales* 2, 31. mortiferas; *Freinsh.* Quasi vitae finem portendentes; *Ern.*

CAPUT LXVI.

Forte equus abruptis vinculis vagus et clamore territus quosdam occurrentium obturbavit. Tanta inde consternatio irrupisse Germanos credentium, ut cuncti ruerent ad portas, quarum decumana maxime petebatur, aversa hosti et fugientibus tutior. Caecina, comperto vanam esse formidinem, quum tamen neque auctoritate, neque precibus, ne manu quidem obsistere aut retinere militem quiret, proiectus in limine portae miseratione demum, quia per corpus legati eundum erat, clausit viam; simul tribuni et centuriones falsum pavorem esse docuerunt.

1. *Decumana* porta castrorum erat maxima, plurimum *aversa hosti*, ab eo remota, (unde *aversa porta* ap. Liv. 10, 34. 22, 24. 24, 17. 31, 42. 34, 47.) et sic dicta a magnitudine vel a *decimis* cohortibus legionis ad eam locatis, vel potius a forma castrorum, quae similis erat literae X. Reliquae portae erant *principales dextra* atque *sinistra*, ubi *principes* tendebant, et *praetoria*, (H. 4, 30 pr.) decumanae, orienti hostique obversa et vicina *praetorio*, (tentorio ducis) a tergo, ut decumana *quaestorio*, unde et haec *quaestoria* vocatur Liv. 34, 47. 40, 27. Praetoria dicta etiam *extraordinaria* ab *extraordinariis* sociorum *equitibus cohortibusque* ibi tendentibus h. e. tertia parte equitatus et quinta peditatus sociorum; qui extraordinarii milites etiam *electi* s. *delecti*, ἐπίλεκτοι, appellabantur, ut *ablecti*, ἀπόλεκτοι, quidam ex iis secreti, custodes satellitesque ducis. Cf. Lips. mil. Rom. 2, 7. 4, 8. 5, 5. Stewech. ad Veget. 1, 23. Schel. ad Hygin. et Polyb. in Graev. Thes. T. X. p. 945. 1084. 1152. 1164. 1279. Schweigh. ad Polyb. 6, 26. 10, 39. inpr. Ottfr. Müller: die Etrusker III, 6, 1. et 10. p. 126. et 150. qui formam castrorum ab Etruscis petitam docet.

2. *Caecina, comperto, vanam esse formidinem*, v. ad 1, 46, 1. et de *vano* ad 15, 55. — *obsistere* fugientibus — *proiectus in limine portae* cet. In Plut. Pomp. sub init. (Opp. T. I. p. 620. C. D.) habes idem

prorsus factum; *Lips.* — *falsum pavorem esse docuerunt* MS. edd. Ber. I. Gron. al. In plerisque edd. omissum *esse.* Cf. Ind. III. *Praedicatum Subiecto praepositum.*

CAPUT LXVII.

Tunc contractos in principia iussosque dicta cum silentio accipere temporis ac necessitatis monet: *Unam in armis salutem; sed ea consilio temperanda manendumque intra vallum, donec expugnandi hostes spe propius succederent: mox undique erumpendum: illa eruptione ad Rhenum perveniri. Quodsi fugerent, pluris silvas, profundas magis paludes, saevitiam hostium superesse; at victoribus decus, gloriam.* Quae domi cara, quae in castris honesta, memorat; reticuit de adversis. Equos dehinc, orsus a suis, legatorum tribunorumque nulla ambitione fortissimo cuique bellatori tradit, ut hi, mox pedes, in hostem invaderent.

1. *contractos in principia* castrorum, medium sacrumque locum, ubi conciones, signa, iudicia cet. *Concilii penetrale domumque verendam signorum* principia appellat Statius Theb. 10, 120. Cf. ad 1, 37, 2. 4, 2, 2. 15, 16. H. 3, 12, 2. 3, 13, 1. et Müller l. l. — *dicta cum silentio accipere*, ut *excipere*, (v. ad H. 3, 32, 6.) sc. auribus, percipere, audire, inpr. cum assensu et voluptate. Ita 4, 48. 69. 14, 4. H. 1, 19. 3, 38. G. 27. O. 1. 12. 30. 40. — *temporis ac necessitatis monet milites*, ut saepius *monere, admonere, commonere, commonefacere aliquem alicuius rei.* v. Grotef. Gram. T. I. §. 192. et Ramshorn. Gram. p. 443. *Temporis ac necessitatis* per ἓν διὰ δυοῖν pro *tempore necessitatis:* nam *temporis* erant admonendi, quod necessitas hoc tempore instabat; *Roth.* de Tac. Synon. p. 32. v. Ind. III. v. *Hendiadyoin.* Ita evitantur duo Genitivi ex se pendentes. Paulo post coniiciebam aliquando *donec hostes expugnandi spe p. s.* nam ingrata est traiectio verborum; *Wolf.* Sed cf. Ind. III. v. *Verba traiecta.* — *plures silvas*, hostium latibula. — *saevitiam hostium*, saevos hostes. Cf. Ind. III. v. *Abstracta pro concr. Aliam* ante *saevitiam* intell. aut addendum; *Ern.* Quod frigidum, nec Cornelianum; *Brot. Saevitia*, vehementia, impetus, δεινότης, χαλεπότης, *hostium*, ut 2, 11. et Sall. Iug. 7. Cf. Ind. II. et ad 1, 6, 2. Post *gloriam* punctum positum in MS. et a nobis: verba autem *quae domi cara*, (parentes, liberi, cognati) *quae in c. honesta*, cum *memorat* iungenda, quod iam suaserat Pich. *in castris honesta*, olim aut nuper in militia feliciter ab iis gesta; *Lips.* „Immo dona honorifica, non tam in castris reposita, quam adhuc merenda, ut bene Pich. Ita *domi cara*, ad quae dulcis reditus: *adversa*, futura, infelicem eventum. Sic et Hooftius.“ *Wolf.* — *reticuit de adversis*, cf. ad 15, 26. extr.

2. *Equos dehinc, orsus a suis*, h. e. primum suos, deinde equos *legatorum tribunorumque* cet. Sic ap. Caes. B. G. 7, 65. et Curt. 7, 1, 15; *Freinsh.* Nam *equis* Rom. *maxime vulnera ingesserant* hostes c. 65. *orsus a suo* coni. Lips. coll. Caes. B. G. 1, 25. Ibi tamen sermo de acie. In ea unus equus duci, legatis tribunisque, in castris plures; quod iam alii annotarunt. — *ut hi*, equites primum, *mox pedes* cet. v. ad 1, 57, 1. et G. 6. n. 5. — *in hostem invaderent*, cf. ad 11, 8, 2.

CAPUT LXVIII.

Haud minus inquies Germanus spe, cupidine et diversis

ducum sententiis agebat, Arminio, sinerent egredi egressosque rursum per humida et impedita circumvenirent, suadente, atrociora Inguiomero et laeta barbaris, ut vallum armis ambirent: promptam expugnationem, plures captivos, incorruptam praedam fore. Igitur orta die proruunt fossas, iniiciunt crates, summa valli prensant, raro super milite et quasi ob metum defixo. Postquam haesere munimentis, datur cohortibus signum, cornuaque ac tubae concinuere. Exin clamore et impetu tergis Germanorum circumfunduntur exprobrantes, non hic silvas nec paludes, sed aequis locis aequos deos. Hosti facile excidium et paucos ac semermos cogitanti sonus tubarum, fulgor armorum, quanto inopina, tanto maiora offunduntur, cadebantque, ut rebus secundis avidi, ita adversis incauti. Arminius integer, Inguiomerus post grave vulnus pugnam deseruere: vulgus trucidatum est, donec ira et dies permansit. Nocte demum reversae legiones, quamvis plus vulnerum, eadem ciborum egestas fatigaret, vim, sanitatem, copias, cuncta in victoria habuere.

1. *Haud minus inquies — agebat:* nam *agere* sc. res s. se s. vitam pro vivere, habitare et esse, ut *agitare* et ἄγειν 1, 50. 4, 46. 11, 21. 13, 32 extr. H. 2, 39. 63. 3, 35. 36. 4, 12. 68. G. 7. 17. 19. 29. 35. 42. 43. — *Germanus*, cf. Ind. III. v. *Numerus Sing. pro Plur.* et ad G. 6. n. 5. — *Inguiomero*, v. 1, 60. 2, 17. 45. — *armis ambirent*, cum armatis. — *incorruptam praedam*, integram, non in paludibus aut alio modo vitiatam; *Ern.* — *proruunt Germani fossas, iniiciunt crates*, textas ex viminibus, Faschinen. „Duplex ratio transeundi fossas tangitur, ut aut proruta a labris terra eas complerent, aut *iniectis cratibus* velut ponte transirent. Sic 4, 51. *fossas complere*, ap. Caes. b. G. 7, 79. *fossam cratibus integunt atque aggere* (v. ad c. 65. n. 3.) *explent*, et c. 86. *aggere et cratibus fossas explent.*" *Lips. fossos* MS. *orta die proruunt, fossis iniiciunt crates* emend. Turn. Freinsh. Ryck. Wopk. Nusquam vero memini me legisse *proruere* pro impetum facere, incurrere, sed ubivis sensu activo; *Gron.* „Sane nusquam, opinor, legitur *fossam proruere:* tum hoc verbo neutraliter accepto facilior prodit contextus: denique ipsa obstat difficultas rei, in conspectu hostium. Ad postremum nihil admodum habeo quod respondeam, nisi quod Germano hodie nefas est exquirere, quid Germanis olim arduum fuerit aut inusitatum. Altera ratio minus valet in scriptore, qui duriores transitiones vel maxime amat. Locutio ipsa, etsi insolens et nova nobis, (nam *vallum* s. egesta, effossa terra, *prorui in fossam* dicitur, *fossa expleri*) tamen, si significationem verbi praegnantem cogites, neque ab analogia, nec a more Taciti abhorret. (Cf. Ind. III. v. *Oratio praegnans.*) Sed quod mihi quidem gravissimum videri solet, hoc est: saepissime illa neutrali potestate in his libris legitur *prorumpere*, nusquam *proruere*; hoc autem non aliter quam active et proprie." *Wolf.* Sic 2, 17. 12, 43. 14, 61. 15, 40. H. 3, 22. 23. de quo usu verbi v. Oudend. ad Caes. B. C. 3, 68. Gron. ad h. l. et ad Liv. 4, 29. Dicitur quidem 15, 22. *oppidum proruit*, sed neutral. et intrans. pro *proruit* se, h. e. prorutum, eversum est, ut *foras proruunt se* ap. Terent. Eun. 3, 5, 51. *corruere*, *ruere* ipsumque *proruere* ap. Val. Fl. 7, 600. et Lucil. in Aetna v. 306. ubi cf. Wernsdorf. in poet. lat. min. T. IV. p. 152. Gronovius ad Ann. 15, 22. istis locis emend. *procidit* et *procidere*, et 15, 22. *motus terrae oppidum proruit.* Ita vero

15, 22. etiam scrib. *Pompeios* pro *Pompeii*, quod iam animadvertit Oberl. Praegnantem orationem (pro vulg. terram s. humum proruunt in fossas et has ita explent) h. l. agnoscunt etiam Walther et Boett. in Lex. Tac. p. LXXVI. nec non Kiessl. qui haec ita exponit: fossas factas explent terram egestam seu vallum in eas coniicientes, ut *fossa* sit terra effossa. His vero explicationibus non congruunt verba seq. *summa valli prensant*, si vallum in fossas coniectum est; postrema etiam alias ob rationes repudianda. Cf. ad 1, 61, 2. — *raro super* vallo *milite*, cf. Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant. in Partic.* — *quasi ob metum defixo*, attonito, obmutescente ac torpente. Nam homines metu, tristitia et stupore *figi* et *defigi* dicuntur, qui iis tam graviter percelluntur, ut sine motu et intermissione statuarum instar attoniti obmutescant torpeantque, oculis in eadem loca, res et humum *fixis* sive *defixis*, ut Iason ap. Apollon. 3, 422. ὁ δὲ σῖγα ποδῶν πάρος ὄμματα πήξας Ἧσθ' αὔτως ἄφθογγος, ἀμηχανέων κακότητι, et Medea ap. Eurip. Med. v. 27. οὔτ' ὄμμ' ἐπαίρουσ' οὔτ' ἀπαλλάσσουσα γῆς πρόσωπον, quae verba animo Virg. Aen. 6, 469. obversata censebat Valken. ad Hippol. p. 197. Cf. 3, 1. 6, 50. (*Caesar in silentium fixus*) 13, 5. 6. 14, 10. Agr. 34. Liv. 1, 29 pr. 3, 47. 6, 40 pr. 7, 10. 8, 7. 21, 33. 22, 53. et Duk. ad Flor. 2, 6, 59. — *haesere munimentis* inter vallos. *haesere* pro inhaesere s. adhaesere. Alterutrum legendum putabat Heins. Sed v. ad Agr. 36. n. 4. — *cornuaque ac tubae concinuere*, v. ad 2, 81, 1. — *exprobrantes*, ut al. *increpantes*, *acclamantes*, contumeliae causa; *Ern.* — *non hic silvas, nec paludes* esse, quae olim Varo nocuissent. — *sed aequis locis aequos deos*, in neutram partem pronos; *Pich.* Fortasse: et loca et deos Romanis favere. Cf. ad 2, 80 extr.

2. *Hosti facile excidium* Romanorum esse *cogitanti*, — *quanto inopina, tanto maiora* (v. ad 1, 57, 1. 3, 46. 12, 11.) *offunduntur*, animis oculisque eius. *offunduntur* edd. Lips. et rec. ex emend. Rhen. *offenduntur* MS. et edd. vet. — *ut rebus secundis avidi*, earum cupidi, *ita adversis incauti*, ad eas non praeparati. Sic *servorum manus subitis avidae*, ad auferenda subito sibi oblata, H. 1, 7. et *ut insidiis incautum, ita irae properum* inf. 11, 26. Similiter sup. c. 50. *iter hostibus incautum*, a quo hostes sibi non caverant. Cf. Ind. III. v. *Adiectiva Dativis iuncta.* — *donec ira et dies permansit*; Heinsius: *donec iratis dies permansit.* Vulgatum elegantius puto; *Ern.* Recte id tuetur Wopkens. exemplis 13, 15. H. 3, 68. 4, 14. Agr. 37. et aliis; *Wolf.* — *vim*, vires novas, *sanitatem*, integritatem et valetudinem corporis; *Ern.* — *copias*, v. ad 3, 54. — *cuncta in victoria habuere*, ei debuere, per eam recepere. Similiter ap. Cic. ad Att. 3, 20. *in universa salute inerunt omnia*; *Freinsh.*

CAPUT LXIX.

Pervaserat interim circumventi exercitus fama et infesto Germanorum agmine Gallias peti, ac ni Agrippina impositum Rheno pontem solvi prohibuisset, erant, qui id flagitium formidine auderent. Sed femina ingens animi munia ducis per eos dies induit militibusque, ut quis inops aut saucius, vestem et fomenta dilargita est. Tradit C. Plinius, Germanicorum bellorum scriptor, stetisse apud principium pontis laudes et grates reversis legionibus habentem. Id Tiberii animum altius penetravit: *non enim simplices eas curas, nec adversus externos militem quaeri. Nihil relictum imperatoribus, ubi femina mani-*

pulos intervisat, signa adeat, largitionem tentet, tanquam parum ambitiose filium ducis gregali habitu circumferat Caesaremque Caligulam *appellari velit. Potiorem iam apud exercitus Agrippinam quam legatos, quam duces: compressam a muliere seditionem, cui nomen Principis obsistere non quiverit.* Accendebat haec onerabatque Seianus, peritia morum Tiberii odia in longum iaciens, quae reconderet auctaque promeret.

1. *Pervaserat — fama*, pervenerat ad castra hiberna. Cf. 15, 39. — *circumventi exercitus* Caecinae. Cf. c. 63. et 65. — *infesto agmine*, v. ad Agr. 25. pr. — *impositum Rheno pontem:* „apud Treveros, in quos iit Agrippina discedens a marito. v. cap. 41. 44. et Strab. IV. p. 194." *Lips.* Sed Agrippinam mariti amantissimam et partui vicinam, quum ab eo discederet, tam diu post puerperium in Treveris haesisse, nullo modo probabile est, narrationisque series repugnat; *Wolf.* „Haec Germanici expeditio in Cheruscos contigit aestate a. 768. post aliam in Chattos initio veris. v. cap. 55. Agrippina autem abierat in Treveros ante hiemem a. 767. Caecina circumventus ad Luppiam apud pontes longos, (c. 63.) quibus vicinior nullus Rheni pons, quam qui apud Vetera. Praeterea militibus Caecinae recens in hiberna redeuntibus *vestem et fomenta dilargita est* Agrippina, adeoque non fuit tunc in Treveris. Denique IV legiones, quas ducebat Caecina, distributae erant per duo castra hiberna Germaniae inf., et apud Vetera tendebant V. et XXI. (c. 45.) apud Aram Ubiorum I. et XX. (c. 39.) In Treveris et Moguntiaci aliae legiones hiberna habebant. Ergo *pons* fuit aut apud Vetera, aut apud aram Ubiorum; sed haud dubie apud Vetera s. Novesium in Ubiis, ubi castra hiberna V. et XXI. legg. quae in Caecinae erant exercitu. v. cap. 45. „*Ryck.* Huic suffragantur Wolf., Mannert. G. A. III. p. 101. (433.) Wilhelm. German. p. 113. et alii. Pontem vero Rheno impositum a Caesare ad Moguntiacum, (v. Caes. B. G. 4, 17. 6, 9. et c. 49. fluvium *ponte iuncto* e navibus traiectum a Germanico intell. v. Wersebe über die Völker u. Völkerb. d. alten Teutschl. p. 29—34. — *munia ducis induit*, exsequitur persona eius induta; *Kiessl.* Cf. Ind. I. v. *induere.* — *vestem et fomenta dilargita est* sauciis, ut c. 65. extr. „Solent hoc Imperatores conciliandis militibus. Cf. Suid. v. λαμπάδιον et Plin. pan. 13." *Lips.*

2. *C. Plinius* maior, qui scripsit XX libros de Germanicis bellis et XXXI libros historiarum sui temporis a fine (historiarum) Aufidii Bassi. v. Plin. Ep. 3, 5. Utriusque operis aliquoties mentionem facit Tacitus. v. Ind. I. — *pontis* edd. Ald. et rec. *ponti* MS. edd. Ber. et Rhen. *Id Tiberii animum altius penetravit*, de re invisa et suspecta; *Ern.* — *non simplices eas curas* esse sinceras, candidas. Germ. ehrlich, in quibus nulla fraus, nullus dolus; *Walth.* Nam ad favorem militum captandum spectabant et ad summi imperii cupiditatem. Cf. ad G. 22. n. 7. — *militem:* in MS. *militum.* — *signa adeat*, v. ad Agr. 18. n. 3. — *parum ambitiose*, non satis ad captandam militum gratiam; *Ern.* — *filium ducis gregali — velit*, v. ad 1, 41, 3. *habitu gregali*, gregarii militis, ut *gregali sagulo* ap. Liv. 7, 34. — *compressam a muliere seditionem*, ex c. 40 sq. patet, haec, ut ante *largitionem*, invidiosius dici; *Ern.* Agrippina non compressit seditionem, sed causa tamen fuit comprimendae: nam abscessu eius in Treveros tacti pudore ac miseratione milites invidiaque in Treveros ad sanitatem rediere; *Pich.* — *Principis*, qui miserat legatos ab senatu ad legiones seditiosas. v. cap. 39.

3. *Accendebat haec onerabatque Seianus*, v. ad c. 23. n. 1. *onerabat*,

augebat ea verbis, ut graviora viderentur; *Ern.* Cf. Ind. II. Sic et *aggravare* et contr. *levare, elevare,* quae proprie dicuntur de onere. De *Seiano* v. 1, 24. et 4, 1. — *peritia morum T.* v. ad 1, 59, 3. — *odia in longum iacienś,* struens, ut Gr. *βάλλειν τί,* multo tempore ante quam promerentur; *Walth.* „Odii materiam praeparans et semina invidiae spargens in animum Tiberii, quae longo tempore post se exsereret. Sequentia *quae reconderet* cet. de Tiberio intelligenda sunt et explicant *in longum i.*" *Ern.* Cf. Ind. II. v. *In.* Eruditus quidam coni. *iacientis,* eleganter, non vere; *Wolf.*

CAPUT LXX.

At Germanicus legionum, quas navibus vexerat, secundam et quartam decimam itinere terrestri P. Vitellio ducendas tradit, quo levior classis vadoso mari innaret vel reciproco sideret. Vitellius primum iter sicca humo aut modice allabente aestu quietum habuit: mox impulsu aquilonis, simul sidere aequinoctii, quo maxime tumescit Oceanus, rapi agique agmen. Et opplebantur terrae: eadem freto, litori, campis facies; neque discerni poterant incerta ab solidis, brevia a profundis. Sternuntur fluctibus, hauriuntur gurgitibus: iumenta, sarcinae, corpora exanima interfluunt, occursant. Permiscentur inter se manipuli, modo pectore, modo ore tenus exstantes, aliquando subtracto solo disiecti aut obruti. Non vox et mutui hortatus iuvabant adversante unda: nihil strenuus ab ignavo, sapiens ab rudi, consilia a casu differre: cuncta pari violentia involvebantur. Tandem Vitellius in editiora enisus eodem agmen subduxit. Pernoctavere sine utensilibus, sine igni, magna pars nudo aut mulcato corpore, haud minus miserabiles quam quos hostis circumsidet: quippe illis etiam honestae mortis usus, his inglorium exitium. Lux reddidit terram; penetratumque ad amnem Visurgim, quo Caesar classe contenderat. Impositae dein legiones, vagante fama, submersas: nec fides salutis ante quam Caesarem exercitumque reducem videre.

1. *P. Vitellio,* de quo v. Ind. I. et Suet. Vit. 2. — *vadoso mari,* ubi Flevum (Zuydersee) et Wymertz fl. mari illabitur. v. Reichard. German. p. 188. — *mari reciproco,* refluo (Ebbe) *sideret,* v. ad 2, 47, 1. Est hoc in litore Chaucorum et Frisiorum, ubi mare a terris longissime recedit et in sicco naves destituit: quod ipse expertus sum; *Lips.* — *sidere aequinoctii* h. l. auctumnalis; *Wolf.* Cf. Caes. B. G. 4, 28. et Strab. III. extr. ubi Posidonius haud iuste refellitur; *Lips.* — *rapi* primum a fluctibus, *tum agi,* portari, ferri, ab undis; *Walth.* — *eadem freto, litori, campis facies:* „ex hoc pluribusque locis clarum, non fuisse loco litoris olim arenarias illas moles verius quam montes, quae Oceanum hodie arcent: succrevitque maiorum aevo illa arenarum vis satione caricis, non sine monitore deo." *Lips.* — *incerta* opponuntur *solidis,* quia, ubi solida non sunt, ibi lubricus, instabilis et incertus gradus; *Ern.* Cf. ad 14, 29. fin. et H. 5, 6, 5. — *brevia, τὰ βραχέα,* loca, quibus aqua non *profunda* est.

2. „*Sternuntur* hinc sc. homines, quorum notio latet in voce *agmen,* — *occursant* sc. hominibus. A Wolfio aliisque revocata distinctio editt. vet. *Sternuntur fluctibus, hauriuntur gurgitibus iumenta, sarcinae:*

corpora cet. Sed *sterni* in tali relatione non nisi de animantibus et rebus stantibus, non de *sarcinis* dici videtur. Tum etiam nego, Tacitum de iumentis sarcinisque cum tali emphasi locuturum fuisse, dum taceret de hominibus aut obiter tantum, quid illis acciderit, narraret." *Walth.* — *subtracto solo*, crescentibus ita aquis, ut attingere solum pedibus non possent; *Ern.* — *disiecti*, v. ad 1, 32, 2. — *Non vox et mutui hortatus*, cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin. aut mutui* frustra coni. *Wolf. Nox, vox* edd. Ber. et Rhen. *Nec vox* Ald. e coni. Rhen. *Non vox* edd. Lips. et rec. — *sapiens ab rudi:* in MS. et edd. vet. *sapiens a prudenti* vitiose. Hinc *sapiens ab imprudente* emend. Lips. *insciens a prudenti* Pich. *sapiens ab furente* Steuber in Seebodii N. Archiv. f. Philol. a. 1829. p. 28. *sapiens ab rude, nil consilia* Freher. et Freinsh. Mihi unice placet *ab rudi:* nam ex bonorum scriptorum observatione et ex regula Plinii maioris ap. Charis. I. p. 114. ac Priscian. VII. p. 767. *rudi* non *rude* in Ablat. dicendum; *Wolf.* „Recepi cum Bekk. Nam *rudis* de imperito dicitur 1, 29. 4, 8. 13, 16. H. 1, 86. Intelligit iuniores, qui etiam H. 4, 69. sapientibus opponuntur, ut *strenui ignavis*. *Sapiens* latiori sensu valet, ut Gr. σοφός. Per errorem facile *ab rudi* potuit abire in *a prudi*, unde emendandi studio factum *a prudenti*." *Walth.* „*Sapiens* est peritus, ut Agr. 27. et *prudens* inf. 2, 23. v. Cort. ad Sall. Iug. c. 49." *Ern.*

3. *Vitellius in editiora loca enisus* (v. ad H. 3, 29, 5.) *eodem agmen subduxit*, ad australe litus Lauvii lacus. v. Reichard. German. p. 187. — *sine utensilibus*, sine supellectile; *Freinsh.* „Immo non nisi de victu dicitur et h. l. de cibariis, quae aut amissa aut corrupta erant." *Gron.* ad h. l. et de pec. vet. 2, 7. *Utensilia* universe dicta videntur quaevis res, quae usui esse possent, (ut *res utiles* ap. Liv. 9, 43.) Gr. τὰ χρεῖα s. χρειώδη, tam ad victum quam ad cultum necessaria: unde h. l. vel penus, cibaria, vel supellex, vasa, quibus cibaria pararentur, ut *sine igne*, quo possent coqui. Sic *utensilia* dicuntur vasa Liv. 26, 33. et al. Vasa quoque aurea et argentea annulo obsignata fuisse tradit Plin. 33, 1. s. 4. ut Tac. inf. 2, 2. *utensilia*. Cibaria tamen intell. 2, 60. 3, 52. 15, 39. — *igni* MS. et edd. vet. *igne* quaedam edd. med. Cf. ad 3, 21, 1. et G. 45. n. 8. — *nudo corpore*, v. ad G. 6. n. 7. Aliquid saltem vestium ex undis retulerint, at corruptum, pannosum et amissis sarcinis irreparabile; *Walth.* — *mulcato corpore*, v. ad G. 12. n. 7. — *illis — his* pro *his — illis*. v. Ind. III. v. *Constructio verborum insolentior* N. 5. *illic* MS.

4. *Lux reddidit terram*, aspectum terrae, non amplius inundatae et submersae. — *penetratumque ad amnem Visurgim; quo Caesar classe contenderat:* in MS. *Visurgia, quo C. classem c.* in edd. vet. *Visurgim*, quam lectionem defendit v. Wersebe über die Völker u. Völkerbündn. des alten Teutschl. Hann. 1826. p. 35. qui etiam de prima Germanici expeditione c. 60 sq. disputat p. 31—35. Sed omnes paene Taciti interpretes putant, eum confudisse Amisiam cum Visurgi, aut nomen fluvii esse corruptum, quia Germanicus ad Amisiam conscenderit classem, (v. cap. 63 sq.) Rhenum et Galliam, non Germaniam petiturus, et Vitellius ab Amisiae ostio ad Flevum versus terra progressus sit, adeoque non contenderint, neque convenerint ad Visurgim, sed longius longiusque remeaverint ab hoc fluvio. Mercerus delendum censebat *Visurgim*, et *amnem* esse Rhenum. Menso Altingius Notit. Germ. inf. ant. p. 130. emend. *Unsingin s. Unsingim*, et Lips. *Vidrum*. Illud probarunt intpp. rec. Tac. nec non Mannert. G. A. Vol. III. p. 444. Wilhelm. German. p. 74. aliique, qui putant, Unsingin hodie dici *Unse, Hunse, Hunsing, Groeninger Diepe*, (fluvium, qui Groeningam alluit et defertur in aestuarium, quod Ptol. Μαναρμανὶς λίμην, Marciano in Geogr. min. T. I.

p. 51. *Μαναρμανὸς* et etiam nunc Marna vocatur) nec satis gravem (haec sunt verba Wolf.) iniectam dubitationem de modico fluvii alveo, ut in terra olim maximis mutationibus obnoxia. Sed Reichard. German. p. 186—189. docet, hanc coniecturam non modo incertam esse, sed etiam prorsus alienam a narratione Taciti, et veram omnino emendat. Lipsii, *Vidrum* autem (*Οὐΐδρου ποταμοῦ ἐκβολὰς* Ptol. 2, 11.) non Vechtam, (qui amnis per Isalam super. influit in Flevum, Zuyder See) sed amnem, qui hod. *Wymerz* vocetur. — *dein* MS. et ed. Bekk. *deinde* edd. rec. — *vagante fama, eas submersas* esse: *nec fides salutis* fuit, neque creditum, eas esse salvas.

CAPUT LXXI.

Iam Stertinius, ad accipiendum in deditionem Segimerum fratrem Segestis praemissus, ipsum et filium eius in civitatem Ubiorum perduxerat. Data utrique venia, facile Segimero, cunctantius filio, quia Quinctilii Vari corpus illusisse dicebatur. Ceterum ad supplenda exercitus damna certavere Galliae, Hispaniae, Italia, quod cuique promptum, arma, equos, aurum offerentes. Quorum laudato studio Germanicus, armis modo et equis ad bellum sumptis, propria pecunia militem iuvit: utque cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire saucios, facta singulorum extollere; vulnera intuens alium spe, alium gloria, cunctos alloquio et cura sibique et proelio firmabat.

1. *Stertinius*, v. Ind. I. — *Segimerum, fratrem Segestis*, ut *Σηγίμερος* ap. Dion. 56, 18. *Αἰγιμήρος* dicitur Strab. 7, 1, 5. p. 292. ubi correctum *Σιγιμήρου* et *Σαιγιμήρου*. Cf. ad 1, 55, 2. — *filium eius, Σεσίθακον* ap. Strab. l. l. — *in civitatem Ubiorum*, de qua v. ad c. 31. n. 2. — *cunctantius* MS. edd. Pich. et sqq. *cunctatius* edd. vet. — *Quinctilii Vari corpus i.* v. ad 1, 3, 8.

2. *circumire saucios*, in tentoriis cubantes: nam tunc temporis neque medici, neque valetudinaria s. nosocomia militaria erant, quorum primam mentionem facit Hyginus de castrametat. pr. (Graev. thes. antiq. Rom. T. X. p. 1014 seq.) sed sauciorum aegrotorumque militum cura ducibus, legatis, tribunis et praefectis, ut Romae senatoribus, demandabatur, et motis castris illi in vicos oppidave vicina deferri solebant. Cf. 4, 63. Xenoph. Anab. 3, 4. 26. et Cyrop. 1, 6, 15. 5, 4, 17. Liv. 2, 47. 8, 36. 21, 43. Iustin. 28, 4. Lucan. 7, 287 seq. Sil. 9, 245 seq. Lamprid. Alex. Sev. c. 47. Car. Gottl. Kühn de medicinae milit. ap. Graecos et Rom. conditione progr. I—XI. Lips. 1824—7. De medicis Rom. v. ad 6, 50, 1.

CAPUT LXXII.

Decreta eo anno triumphalia insignia A. Caecinae, L. Apronio, C. Silio, ob res cum Germanico gestas. Nomen *Patris patriae* Tiberius a populo saepius ingestum repudiavit, neque in acta sua iurari, quanquam censente senatu, permisit, *cuncta mortalium incerta quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico*, dictans. Non tamen ideo faciebat fidem civilis animi: nam legem maiestatis reduxerat, cui nomen apud veteres idem, sed alia in iudicium veniebant. Si quis proditione exercitum aut plebem seditionibus, denique male gesta re publica

maiestatem populi Romani minuisset; facta arguebantur, dicta impune erant. Primus Augustus cognitionem de famosis libellis specie legis eius tractavit, commotus Cassii Severi libidine, qua viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat. Mox Tiberius, consultante Pompeio Macro praetore, *an iudicia maiestatis redderentur? exercendas leges esse*, respondit. Hunc quoque asperavere carmina, incertis auctoribus vulgata in saevitiam superbiamque eius et discordem cum matre animum.

1. *triumphalia insignia*, vel *ornamenta*, ut al. *consularia*, *praetoria*, *quaestoria*, v. Ind. I. *Triumphalia* sunt sella curulis, sceptrum eburneum, honoratior sedes in ludis, ius gestandae laureae, togae pictae, tunicae palmatae, *statuae honor et quicquid pro triumpho datur* Agr. 40 pr. Triumphalia post Augusti tempora multis concessa, (v. Ind. I.) ut et ovatio, (2, 64. 3, 11. 19. al.) paucissimis triumphus. Cf. ad 1, 4, 6. 1, 55, 1. 4, 23. Suet. in Aug. 38. in Tib. 9. 17. (ad quae loca v. Ern.) in Claud. 24. Dio 54, 11. 24. 27. 66, 20. — *C. Silio*, cf. 4, 18. — *nomen patris patriae ingestum* per exclamationem; *Ern.* Cf. ad 4, 42, 1. et 11, 25, 3. — *in acta sua iurari*, v. ad 1, 7, 3. 13, 11. Dio 57, 8. Suet. Tib. 26. 67. Lips. Exc. I. ad Tac. Ann. XVI. — *in lubrico* esse. v. ad 1, 36, 1. — *dictitans* edd. Pich. et rec. *dictans* MS. et edd. vet. „*Dictitare* saepe legitur in his libris, nusquam *dictare*, forma alius potestatis propria. In illa vi nihilo certior est quam *scriptare* et *lectare*, de quibus v. Bentl. ad Hor. Serm. 1, 6, 123.“ *Wolf.* „*Dictare* est verba praeire, quae alius calamo excipiat. Ut vero hic, ita 2, 65. et Suet. Caes. 30. libri variant inter utrumque verbum.“ *Walth.* Cf. Drak. ad Liv. 3, 20. — *civilis animi*, v. ad 1, 33, 1.

2. *legem maiestatis*, de qua loca class. caput hoc et seqq. Prima de maiestate lex fuit Cornelia Sullae: quam exceperunt duae leges Iuliae, argumenti diversi; altera a Caesare Dict. lata, altera ab Augusto. Illa cautum, ut de vi et maiestate damnatis aqua et igni interdiceretur. v. Cic. Phil. 1, 9. Haec singulari in Digestis titulo tractatur et rogata est adversus eos, qui improbis *factis* maiestatem *populi Romani* imminuissent vel violassent. Illa ab Antonio post mortem Caesaris fere abrogata: haec non modo diu valuit, sed etiam Tiberii iussu exemploque ampliata et ad eos potissimum translata est, qui non *factis* tantum, sed *verbis* etiam et *dictis* dignitatem maiestatemque non tam populi, quam *Imperatoris* laesissent. Eadem maiestas vel potius maiestatis crimen etiam *impietas in Principem* dicitur 6, 47. Ἀσέβειάν τε γὰρ ἤδη καὶ τὸ τοιοῦτον ὠνόμαζον καὶ δίκας ἐπ' αὐτῷ πολλὰς ἐσῆγον Dio 57, 9. *Maiestas* igitur proprie dicta dignitas maior et sanctitas, quae temporibus rei publicae populo senatuique, postea Caesaribus tributa; deinde, ut olim fere *perduellio*, (hostilitas, declaratio hostilis in rem publicam animi, propr. parricidium et caedes hominis liberi) maiestas (primum populi, deinde Imperatoris) laesa s. minuta, (et quidem primum factis, deinde factis dictisque) deminutio maiestatis, (Cic. ep. ad div. 12, 15.) crimen maiestatis, (Tac. Ann. 3, 38.) Germ. Hochverrath. Hoc crimen inde a Tiberii temporibus, quibus et fides et praemia delatoribus data, (v. ad 4, 20.) recte dici potuit *omnium accusatorum complementum*, ut inf. 3, 38. (h. e. quo omnia alia crimina redibant vel quod vim et invidiam reliquis criminibus addebat; *Ern.*) et *unicum crimen eorum, qui crimine vacabant*, ut Plin. pan. 42. Cf. Cic. de or. 2, 39. de inv. 2, 18. ep. ad fam. 3, 11. Suet. Tib. 58. 59. Dio 56, 27. 57, 9. Plin. pan. 11, 42. Sen. de ben. 3, 26. Schulting. ad Paul. Sent. 5, 29, 6. Balduini comm. de legibus, Gundling. de lege Iul. mai., Bach. Traian. p. 27 sq. Grünebusch.

de crimine perduellionis et maiestatis Cell. 1802. — *sed alia in iudicium veniebant:* „Intell. sic: sed alia erant crimina, de quibus tum quaestio habebatur. Haud paulo melius in hac iunctura *res in iudicium venit,* quam *persona.* Sic saepe etiam Quinctil." *Wolf.* — *denique,* v. ad 1, 28, 4. et 2, 69, 1. Paulo ante *Facta arguebantur; dicta impune erant,* sine poena, non puniebantur, ut 3, 28. 12, 54. et *conatus frustra* (irriti) *fuissent,* facti essent, Agr. 13. Cf. Ind. III. v. *Adverbia pro Adi.* Ramshorn. Gram. p. 152.

3. *Primus Augustus,* „discipulus Sullae, qui legem Corneliam de maiestate tulit. Cic. ad div. 3, 11. *Est maiestas, ut Sulla voluit, ne in quemvis impune declamare liceret.*" *Gron.* — *specie legis eius,* „ex formula legis illius, quae olim ad alium usum lata erat. Cf. tamen Dio 56, 27. et intpp. Cic. l. l." *Wolf.* — *Cassius Severus,* orator et historicus. *Et ingenii plurimum est in eo, et acerbitas mira et urbanitas et vis summa; sed plus stomacho quam consilio dedit;* Quintil. 10, 1, 116. Cf. inf. 4, 21. O. 19. 26. Quintil. 6, 1, 43. 10, 1, 22. 11, 1, 57. Suet. Aug. 55. 56. Cal. 16. Vit. 2. et de Gram. c. 22. Sen. controv. 3. pr. Plut. de discrim. adulat. p. 104. Wolf. praef. ad Cic. p. Marcello p. 19. 35. et Euseb. Chron. ad a. IV Olymp. CCII. cuius verba sunt: *Cassius Severus orator egregius, qui Quintianum illud proverbium luserat, XXV exsilii sui anno summa inopia moritur vix panno verenda contectus.* „Diversus est a Cassio Severo tragoediarum scriptore, de quo v. Lange in vindic. trag. Rom. p. 10. Mai et Osann. ad Apul. fragm. 28." *Dronke* ad O. 19. — „*libidine,* studio immoderato et lascivo, ut 4, 35. 5, 4. Plin. ep. 8, 6. Est id. qd. *licentia, ὕβρις,* Frevel." *Walth.* *Cassii S. libidine, qua* cet. Nihil deperiret orationis nitori, si *qui* pro *qua* scriberetur; *Gron.* „Sed *qua* usui longe est convenientius, non solum huius aetatis, sed etiam Ciceronianae, et omnis Latinitatis. Exempla attulit Wopk." *Wolf.* — *an iudicia maiestatis redderentur,* exerceri liceret, ut fere *ius reddere; Ern.* Cf. intpp. Suet. Tib. 58. et Plin. ep. 6, 15. Proprie praetor dat iudices potestatemque agendi, et hinc *iudicia reddere* vel *dare* dicitur; *Stromb.* — *Pompeio Macro,* v. ad 6, 18. — *carmina incertis auctoribus vulgata,* quae Suet. Tib. 59. exstant; *Lips.*

CAPUT LXXIII.

Haud pigebit referre in Falanio et Rubrio, modicis Equitibus Romanis, praetentata crimina, ut, quibus initiis, quanta Tiberii arte gravissimum exitium irrepserit, dein repressum sit, postremo arserit cunctaque corripuerit, noscatur. Falanio obiiciebat accusator, quod inter cultores Augusti, qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur, Cassium quendam, mimum corpore infamem, ascivisset, quodque venditis hortis statuam Augusti simul mancipasset. Rubrio crimini dabatur violatum periurio nomen Augusti. Quae ubi Tiberio notuere, scripsit consulibus: *Non ideo decretum patri suo coelum, ut in perniciem civium is honor verteretur. Cassium histrionem solitum inter alios eiusdem artis interesse ludis, quos mater sua in memoriam Augusti sacrasset. Nec contra religiones fieri, quod effigies eius, ut alia numinum simulacra, venditionibus hortorum et domuum accedant. Ius iurandum perinde aestimandum, quam si Iovem fefellisset: deorum iniurias diis curae.*

1. *Haud pigebit referre* cet. cf. Dio 57, 9. 19. — *modici Equites*

Rom. ut *m. senatores* 11, 7. et e contrario *Equites splendidi, insignes* (11, 5. 22. Plin. ep. 6, 15. 25.) *laticlavii et illustres*. v. Ind. II. „*Equites illustres* liberae reip. temporibus dicti clari, nobiles, sive genere, sive opibus, sive virtute et factis fortibus, sive quacunque alia re, ut Liv. 30, 18 extr. (ubi v. Duk.) et Cic. Verr. 3, 24. ubi *obscuris* opponuntur; sed sub Imperatoribus, qui censum senatorium haberent et spem senatoriae dignitatis, nec re vera senatores essent, sed opibus ac splendore cuivis senatorum pares, quique lato clavo permissu Imperatorum uterentur: quod institutum ab Augusto. v. 2, 59. 16, 17. inpr. Ryck. ad 2, 59. qui tamen Livii *equites illustres* male huc trahit cum Pich." *Lips*. et *Ern*. ad 11, 4. et 16, 17. Ab his non omnia recte doceri monet Walch. ad Agr. 4. p. 135. sed bene laudari loca class. Dionis 54, 30. et 59, 9. de iis, quae Augustus a. U. 742. et Caligula a. 791. instituerit, scil. ille, ut, paucis tribunatum pl. ambientibus, ex Equitibus, qui non minus decies HS. possiderent, eligerentur a magistratibus tribuni pl. et hi gesto tribunatu aut retinerent ordinem senatorium, si vellent, aut redirent ad equestrem; hic, ut, valde imminutis Equitum numero ac dignitate, qui e civibus totius imperii prae ceteris conspicui essent genere opibusque, Equites fierent, et quibusdam ex his tum ius lati clavi gestandi, tum spes dignitatis senatoriae esset, quanquam nondum gessissent magistratum, quo via ad illam aperiri posset. Hinc *Equites Rom. dignitate senatoria* 16, 17. et *nobilitas equestris Procuratorum Caesaris* Agr. 4. ubi v. nota 1. Hi vero plerumque Equites erant. v. ad 4, 15. „Equites *illustres* erant *laticlavii*, et ad illos pertinebant filii senatorum, antequam honores capesserent, et quibus censum senatorium possidentibus gradus ad honores patebat. Cf. 13, 25. 16, 17. Suet. Ner. 26. Equites *angusticlavii* sunt, qui neque e familiis senatoriis oriundi, neque supra censum equestrem possidentes adipisci honores nequibant. Utrosque accurate distinguit Dio 55, 2. Cf. Ryck. ad 2, 59. qui egregie de ea re disputat Lipsiique opinionem corrigit. Iuvat etiam conferre Dion. 54, 30. 56, 27. 59, 9." *Walth*. — *ut noscatur, quibus initiis*, lata sc. lege Papia Poppaea et praemiis delatorum definitis, (v. ad 2, 32, 1.) *quanta Tiberii arte*, (v. 4, 30.) *gravissimum exitium*, accusationes delationesque, inpr. reorum maiestatis, reip. exitiosae, (v. Sen. de ben. 3, 26.) *irrepserit*, (cf. 4, 28 sq. 4, 69. 6, 7. Agr. 2. n. 4. Iuvenal. 4, 46 sq.) ut et arte Caligulae, Claudii et Neronis, *dein repressum sit*, a Vespasiano ac Tito, (H. 4, 30. 44. Suet. Tib. 8.) ut postea a Traiano, (Plin. pan. 34.) *postremo arserit cunctaque corripuerit*, sub Domitiano. (Agr. 2. 45. Suet. Dom. 10. 11.) „Ex h. l. non *noscitur*, *quomodo repressum sit* cet. Tironibus notandum est hoc genus brachylogiae, ex docta negligentia ortum tritumque optimis scriptoribus. Ceterum eo quodammodo promittitur crebrior mentio rei gravissimae in libris reliquis." *Wolf*. Omnia haec ad Tiberium, et quidem *repressum sit* ad bona eius initia a Ryck. relata coll. Dione 57, 9. 13. „Recte: nam diserte Noster dicit *ut noscatur*, et *quanta Tiberii arte*. Cf. 3, 56. et 6, 51." *Walth*.

2. *Falanio obiiciebat accusator* cet. cf. Suet. Tib. 58. — *cultores Augusti per omnes domos in modum collegiorum habebantur*: circuibant domesticatim collegae et sacrum alibi atque alibi faciebant, sparsi per omnes domos, sed statis temporibus conveniebant; *Lips*. Immo proprium collegium cultorum habuit Falanius et similiter ceteri: unde modico Equiti ius et potestas legendi collegae; *Ern*. *domos* principum. — *mimum corpore infamem*, v. ad G. 12. n. 4. — *statuam mancipasset*, v. ad 2, 30, 2. „*Non videri contra maiestatem fieri ob imagines Caesaris nondum consecratas, venditas* l. 5. et 6. D. ad leg. Iul. mai. Rideamus, et eo magis, quod ICtis etiam discrimen aliquod repertum hac in re. Rem iure exagitat Tertull. Apol. p. 15. A." *Lips*. — *nomen Augusti* pro *Au-*

gustum. Ita saepius *nomen* et *ὄνομα* dicitur. v. ad H. 1, 55, 6. 2, 57, 1. intpp. Sil. 4, 729. 5, 161. 14, 70. Burm. ad Petron. c. 80. et 125. Casaub. ad Athen. 1, 40. Schleusneri Lex. N. T. Probabilis tamen est emend. Freinsh. *numen A.* Eam recepere Bekk. Lün. Kiessl. Walth. exemplo *Wolfii*, qui haec annotavit: „Me audentiorem fecit Bentl. ad Hor. epist. 2, 1, 16. *Violari* potest *numen*, non *nomen*. Cf. Suet. Cal. 24. Alius generis est sacramentum in *nomen*.“ v. ad 1, 7, 3. 1, 10. 3, 66. 14, 14. H. 4, 57. *violatum periurio nomen Augusti:* „sanctissimum iusiurandum *per Augustum*, et formulae iurandi erant *per Genium, per Fortunam, per Salutem Principis.* v. Suet. Claud. 11. Hor. epist. 2, 1, 16. Tertull. Apol. p. 29. C. Minut. Felix c. 29.“ *Lips.*

3. *Quae ubi Tiberio notuere, scripsit consulibus:* Errat ergo Dio 57, 24. ubi dicit, Tiberium voluisse damnari eum, qui statuam cum hortis vendidisset, sed obstitisse pudorem, quia primus a consule sententiam rogatus esset: nam Tiberius, ut ex h. l. patet, non interfuit; *Lips.* Sed Dio narrat diversam ab hac historiam, quae anno X Tiberii contigerit, non, ut haec, secundo: praeterea non hortos ait venditos cum statua Augusti, sed domum; *Ryck.* Licuit tamen Dioni in tali re negligentiorem esse; *Wolf.* — *decretum patri suo coelum,* locum inter deos. — *ludis, quos mater sua in memoriam Augusti sacrasset,* v. ad 3, 63, 3. „Credo eos esse, qui *palatini* postea a loco dicti, alii ab Augustalibus; videnturque non equestres aut curules fuisse, ut illi, sed scenici. v. Dio 56, 46. et Suet. Cal. 56.“ *Lips.* Cf. Ioseph. A. I. 19, 1. ubi accurate eos descripsit; *Ern.* ad Suet. l. l. — *quod effigies eius venditionibus h. et d. accedant,* simul cum his vendantur, proprie: *quod venditio effigiei* cet. — *perinde,* v. Ind. II. — *deorum iniurias diis curae* sc. *esse* vel *fore,* quae verbi omissio h. l. dura mihi videtur; *Ern.* Sed v. Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant.* Expressit eam sententiam et Imperator l. 2. de reb. cred. *Iurisiurandi contempta religio satis deum ultorem habet; Lips.* Suas quidem iniurias ulciscuntur dii: ne tamen omnes impunitas sinant Principes, sed gravissimas quasque, religioni et imperio perniciosas, ulciscantur, ut populis, ut sibi consulant; *Brot.*

CAPUT LXXIV.

Nec multo post Granium Marcellum praetorem Bithyniae Quaestor ipsius Caepio Crispinus maiestatis postulavit subscribente Romano Hispone, qui formam vitae iniit, quam postea celebrem miseriae temporum et audaciae hominum fecerunt: nam egens, ignotus, inquies, dum occultis libellis saevitiae Principis arrepit, mox clarissimo cuique periculum facessit, potentiam apud unum, odium apud omnes adeptus, dedit exemplum, quod secuti, ex pauperibus divites, ex contemptis metuendi, perniciem aliis ac postremum sibi invenere. Sed Marcellum insimulabat, sinistros de Tiberio sermones habuisse: inevitabile crimen, quum ex moribus Principis foedissima quaeque deligeret accusator obiectaretque reo; nam quia vera erant, etiam dicta credebantur. Addidit Hispo, statuam Marcelli altius quam Caesarum sitam et alia in statua, amputato capite Augusti, effigiem Tiberii inditam. Ad quod exarsit adeo, ut rupta taciturnitate proclamaret, *se quoque in ea causa laturum sententiam palam et iuratum;* quo ceteris eadem necessitas fieret. Manebant etiam tum vestigia morientis libertatis. Igitur

Cn. Piso, *Quo, inquit, loco censebis, Caesar? Si primus, habebo quod sequar; si post omnes, vereor, ne imprudens dissentiam.* Permotus his quantoque incautius efferverat, poenitentia patiens tulit, absolvi reum criminibus maiestatis. De pecuniis repetundis ad reciperatores itum est.

1. *praetorem Bithyniae:* Potius *proconsulem:* nam Bithynia in divisione Augusti inter eas provincias, quae senatui et populo relictae, i. e. proconsulares, nisi quid post Augustum in ea re mutatum. v. Dio 53, 12. sqq. et Strab. XVII. extr.“ *Lips.* „Sed Lipsio non venit in mentem, quod 2, 56. et al. animadverterat. *Praetor* proprie dicitur, qui vel exercitui vel provinciae *praeest*, et hinc quilibet provinciae praeses, sive sit Legatus, Caesaris, sive proconsul et propraetor. Unde *ius* et *vis praetoris* pro iure et vi cuiuscunque magistratus provincialis 2, 56. 77. 4, 15. al. Sic *praetoris* nomen etiam vetere rep. dictum. v. Clav. Cic. et Periz. de praetorio p. 23. 27. 28. Salmasius Capitolin. in M. Antonino c. 22. Spanhem. de usu et pr. N. diss. XIII. p. 565. 594. et Noris. cen. Pis. V. p. 207. 290. putant, *praetorem* dici Granium, quia Bithynia provincia praetoria, non consularis, in eamque mitterentur viri praetorii, non consulares, sive quia Granius praetorius, non consularis. Nam Strabo l. l. auctor est, provinciarum populi duo genera fuisse et alias consulares, alias praetorias dictas, quod etiam obtinuit in Caesareis, in quas modo consulares, modo praetorii missi. Nomina quoque *praetoris, propraetoris* et *proconsulis* saepe a librariis permutata; (v. Duk. ad Liv. 35, 29.) sed tale quid h. l. accidisse, nullo modo concedi potest.“ *Ern.* „Vera falsaque miscuit Ernestius. Primum e locis Dionis 53, 12. et Strab. XVII. p. 840. de illa provinciarum divisione patet, Bithyniam non fuisse provinciam proconsularem, sed praetoriam; deinde e Dione 53, 14., Caesarem promiscue et consulatu et praetura functos in suas provincias misisse, a senatu autem viros consulares missos in provincias consulares, praetorios in praetorias. Hinc provinciae generis ratione habita rectissime h. l. Tacitus dixit *praetorem Bithyniae.* At *proconsul Bithyniae* invenitur Ann. 16, 18. et Plinius in epp. 10, 65. 109. 113. aliisque saepissime Bithyniae praesides, antecessores, suos, *proconsules* dicit, nunquam *propraetores* vel *praetores.* Nimirum Augustus secundum Dion. 53, 13. praesides provinciarum a senatu missos, vel consulares vel praetorios, *proconsules* dici iussit, praesides autem a se missos *legatos* et *propraetores*, etiamsi consulares essent; nam *propraetoris* vocabulum magis convenire exercituum ducibus, (*praetoribus*, quasi *praeitoribus*) quales essent Caesaris legati, *proconsules* aptius dici praesides pacatarum provinciarum, quae pertinerent ad senatum. Quod Ernestius affirmavit, *praetorem* dici quemcunque provinciae praesidem, Tacito quidem incognitum est, qui accurate distinguit *proconsules*, h. e. praesides a senatu missos, (1, 53. 2, 52. 13, 1. 33. 14, 46, 16, 10. 18. H. 1, 76. 3, 46. 4, 48. 50.) et *propraetores*, h. e. Caesaris legatos, (4, 73. 12, 40. 13, 51.) nec unquam *praetorem* dicit nisi magistratum urbanum. Locis vero Ann. 2, 56. 77. 4, 15., ad quae Ern. provocat, *ius* et *vis praetoris* non est ius et vis magistratus provincialis, neque proconsulum, sed legatorum Caesaris, propraetorum. Quae quum ita sint, censeo, aut sciolum quendam librarium h. l. *proconsulem Bithyniae* mutasse in *praetorem B.*, quia comperisset, Bithyniam esse provinciam praetoriam, aut peculiari quadam de causa nobis incognita hic *praetorem Bithyniae* dici. Quid? si Marcellus fuit legatus Caesaris extra ordinem et nomine *praetoris* missus cum exercitu, ut regeret Bithyniam? Augustus enim omnium provinciarum, etiam populi, maximam habuit curam. Ita in Bithynia ipse affuit a. U. c. 734. ibique omnia constituit. Cf. Dio 54, 7.“ *Walth.*

Haec probabiliora sunt, quam quae disputarunt Ern. in Clav. Cic., Periz. de praetorio p. 23. 27. 28. Spanhem. de U. et Pr. N. diss. 13. T. II. p. 565. 593. 594. Noris. cen. Pis. diss. IV. p. 207. 290. Salmas. ad M. Anton. Capitol. c. 22. — *maiestatis postulavit:* „Id factum actione, quae in speciem instituta de repetundis. Itaque priore crimine absolutus, posteriore damnatus est; quod deinde cap. extr. traditur et obscurius a Suet. Tib. 58. Hunc enim de eodem loqui prope certum arbitror propter insignem rei similitudinem et eundem tractum temporis.“ *Wolf.* „Eandem rem et causam a Suet. tradi cum Wolfio censeo, etsi Suet. pro *Tiberii* posuit *alterius* et *damnatum* dicit reum tanquam maiestatis lege. De eiusmodi dissensu v. ad cap. 6. n. 1.“ *Walth.* De *maiestate* v. ad 1, 72, 2. *maiestatis postulavit*, ut 3, 10. 66. 70. 4, 42. 6, 9. al.“ *Postulare* saepe et proprie dicitur in sensu forensi et in causis tam privatis quam publicis. In illis est praetorem rogare, ut liceat actionem alicui intendere, in his, eum rogare, ut liceat nomen deferre: unde per metonymiam antecedentis pro consequente est id. qd. *accusare.* Sed in universum *postulare* de omni desiderio apud praetorem exposito dicitur. v. inpr. Sigon. de iudic. 1, 20. 2, 9.“ *Ern.* in clave Cic. Hoc sensu *postulare* Ablativo iungitur 3, 38. (*post.* de *repetundis*) sed aliis locis Genitivo, ut synonyma et cognata *accusare, deferre,* (quod proprie dicitur de accusatore, a quo nomen alicuius *defertur* ad praetorem, qui illud *recipit,* inter reos scribit, et dat. actionem; v. 2, 27. 74. 4, 21. 42. 6, 19. 29. 47. 11, 35. 12, 42. 13, 33. 14, 41. 48.) *arcessere,* (pro insimulare, 2, 50. 4, 79.) *arguere,* (6, 10. H. 1, 48.) *coarguere, agere, absolvere,* (4, 13.) *damnare,* (2, 55. 3, 70.) *condemnare, interrogare,* (13, 14. 16, 21.) *teneri,* (11, 7.) *urgeri* (6, 29. H. 4, 43.) et alia, ad quae intell. *crimine, nomine, lege, causa, reus,* quae saepius (ut 3, 67. 4, 13. H. 4, 43. ubi dicitur *crimine — Epirum urgebat*) adduntur; unde et Germ. Einen des Diebstahls (wegen) anklagen. Cf. Ruddim. inst. gram. T. II. p. 164-168. ed. Stallb. et Ramshorn. Gram. p. 187—189. — *Quaestor ipsius,* ut ap. Cic. in divinat. nam Quaestoribus notissima Praetorum furta; *Mur.* — *subscribente Romano Hispone,* accusationem adiuvante. *Subscribere* et *subscriptor* dicebatur accusator, et quidem tam primarius, (h. l. *Quaestor*) quam secundarius, (*Romanus Hispo*) quoniam et ille et hic, postquam reus in ius ad praetorem lege Iulia aliave de crimine quaerentem ductus et ab eo postulatum erat, ut lege reciperet nomen ad illum delatum, tradebat libellum accusatorium sua manu subscriptum sive inscriptum: quae quidem subscriptio requirebatur, ut vinciret accusatorem falsum et temerarium, calumniatorem et quadruplatorem, si convinceretur calumniae, h. e. litis alicui sine causa intentae, ut ei molestiam periculumque crearet. Cf. Virdung. ad Tac. Agr. 45. Ern. clav. Cic. Hotom. ad Cic. in Caecil. 15. Lips. ad Sen. de ben. 3, 26. Sigon. de iudic. 2, 10. Salmas. de usur. c. 3. p. 108. *Romano Hispone,* cuius Electa declamationum in Sen. Controv. non uno loco; *Lips.* — *qui formam vitae iniit,* scil. Crispinus, non Hispo, quod e seqq. et loco sim. 15, 19 pr. intelligitur; *Pich. Ryck. Ern.* Cf. Ind. III. v. *Constructio verborum insolentior.* Ablativus absolutus *subscribente Hispone* quasi in parenthesi intercurrit, et c. 69 extr. aliud exemplum erat tam subitae mutationis relationum; *Wolf.* Cf. ad 2, 77, 1. et 15, 19 pr. — *celebrem,* multis usitatam; *Ern.* — *miseriae temporum et audaciae hominum,* v. ad 12, 49, 1. — *saevitiae Principis arrepit,* ut 3, 50. et ap. Cic. Verr. 3, 28. se in saevi Principis gratiam sensim insinuat, vel saevitiae materiam subministrando gratiam eius colligit; quae mox *potentia* dicitur, ut saepe; *Ern.* *saevitiae Principis* pro *saevo Principi.* v. Ind. III. v. *Abstracta pro concr.* — *clarissimo cuique periculum facessit;* v. ad H. 4, 43, 1. — *ex pauperibus divites* sc. facti. Cf. ad Agr. 19. n. 3. Videri possit a Demosth. Phil. IV. p. 149. *Καὶ γὰρ τούτων μὲν ἐκ πτωχῶν ἔνιοι ταχὺ πλούσιοι γεγόνασι*

καὶ ἐξ ἀδόξων ἔνδοξοι καὶ γνώριμοι. Lips. — *postremum* adverb. ut 11, 2. Gr. ὕστατον. Vulgo *ad postremum*, ut 13, 46. H. 1, 39. al.

2. *Statuam Marcelli altius — inditam*, impositam. „Quod nunc crimini datur, id receptum fuisse suo aevo Plin. 35, 2. indicat his verbis: *Surdo figurarum discrimine capita permutantur.* Cf. et Suet. Calig. 22.“ *Lips.* Cf. Suet. Tib. 58. — *ad quod exarsit adeo* Tiberius, *ut* cet. „Cur tamen? Quia solebant tyranni ea ignominia affici, videbaturque occulte quasi talem Marcellus damnasse Augustum.“ *Lips.* Videtur asserendo statuarum integritatem prospexisse memoriae suae bonorumque Principum; *Freinsh.* Immo amputatum Augusti caput et indita Tiberii effigies arcana domus videbatur revelare; *Walth.* „Aliqua etiam ratio habenda eius, quod Lipsius ad 3, 65, 2. docuit, ipsas Principum statuas consecratas diis fuisse. Sed cur sola aut praecipua in hoc negotio *amputatio*, quum per plumbum aut glutinum affigerentur, unde varios per modos poterant *capita demi?* quo verbo Suet. Cal. 22. magis concinne rem exprimere videtur.“ *Gron.* — *rupta taciturnitate*, ut *rumpere silentium.* — *se laturum sententiam palam*, non dissimulanter; *Ern.* Non itione in partes; *Walth.* — *iuratum*, v. ad 4, 21, 3. — *quo ceteris eadem necessitas fieret:* „Vix opinor haec inter verba Tiberii fuisse. Nimis hoc superbum aut saevum. Sed interpretatione sua et vera addit Noster. (Hinc *fieret*, non *fiat*; *Walth.*) Et sequentia Pisonis argutius ad priora referuntur.“ *Lips.* Non quidem *necessitas* eiusdem sententiae dicendae, quod foret tyrannicum, et quomodo tamen videtur intellexisse Lipsius, sed ut eadem necessitas pariter iurandi ceteris fieret, id e republica esse, prout Ferrarius in Electis 1, 10. explanavit; *J. Gron.* „De arte Tiberii in regendo sententiis suis senatu v. Diss. in Mem. Acad. Inscr. T. 47. p. 193 sq.“ *Wolf.* — *quo, inquit, loco censebis?* Cf. Dio 57, 7.

3. *quantoque incautius efferverat:* „ita MS. Vulgatum *efferbuerat* est a Ber. cuius aetas in talibus haerebat.“ *Wolf.* „Suspicor Tacitum scripsisse *quandoque*, i. e. et quoniam. v. ad 1, 57, 1. Ita sensus planus et oratio mollior: his de causis atque insuper quia animadvertebat, se non bene dissimulasse iram, sed incautius effervisse, poenituit eum facti reumque absolvi passus est.“ *Ern. poenitentiae patiens* et *patens* coni. Heins. *quantoque incautius efferverat, tanto patientius tulit* cet. Faern. Mur. et Acid. Idem vero sensus veteris scripturae: *quantoque i. e.*, tanto, ut *poenitentiam* commotioris animi approbaret, magis *patiens* s. patientius *tulit*; *Gron.* „Equidem nihil melius vidi lectione vulgo recepta. *Poenitentia* est Ablat. pro participio, *patiens* pro adv. *patienter:* quare post hoc virgulam abieci. Sensit tempestive Tiberius, aliquid imperiosum et superbum sibi excidisse: igitur colligit se et revocat; non tamen ut poenitentiam approbet, sed quia callidum commotioris animi cito poenitebat.“ *Wolf.* „Immo *poenitentia patiens* ponitur pro *tanto poenitentia patientior*, et nil opus est emendationibus. v. ad 1, 57, 1.“ *Walth.* Idem in Addendis haec dixit: „Kritzius commendat (in Allg. Schulzeit. 1830. Abth. II. n. 16.) coniecturam Ernestii *quandoque* et hoc pro *quoniam* dictum, ad *patiens* vero *magis* supplendum putat. Sed v. ad 1, 57, 1. (et Ind. III. v. *Comparationis usus.*) Quare h. l. ne credas a Tacito dici, quae vult vir doctus; immo scribit, Tiberium *poenitentia patientem tulisse* cet. eo magis, quod *incautius efferverat.* Idem Kritzius vulgatam scripturam damnat ob copulam *que*, quam nescit quid sibi velit. At coniungit illa vocabula *permotus* et *patiens*, quemadmodum coniungi solent duo epitheta ad idem Subiectum spectantia.“ — *de pecuniis repetundis ad reciperatores itum est:* „scil. re iam acta apud Patres et reo damnato, cui tum iudices, quos petierat, dati a senatu ve

praetore, non qui rem ut integram audirent, sed qui lites iniuriasque aestimarent. Cf. 3, 66. 67. 4, 22. Plin. ep. 2, 11. 4, 9. 6, 29. Gell. 20, 1." *Gron.* Quaeret quispiam, cur causa de repetundis in senatu, nec coram praetore, uti olim solebat, sit acta. Scilicet Maecenas Augusto id suppeditaverat, ut senatores eorumque liberos et uxores, si quod crimen gravius perpetraverint, in curiam adduceret cognitionemque senatui permitteret. v. Dio 52, 31." *Walth.* ***Recuperatores*** dicti, quia de rebus privatis ***recuperandis*** reddendisque cognoscebant ita ut quisque suum *recuperaret*." *Brot.* Cf. Sigon. de iudiciis I, 22. 24. Manutius et Wolf. ad Cic. or. de harusp. resp. 25, 54. ***Reciperatores*** et ***reciperare*** scriptura antiquior in inscriptt. et MSS. vetustiss. optimisque, nec non in Mon. Ancyr. et edd. vett. h. l. 2, 45. al. et ***reciperare*** a ***recipere*** formatum. v. Gron. et Drak. ad Liv. 7, 18. 26, 48. 43, 2. Pecuniae vero, quas magistratus in provinciis et Romae contra leges ceperant, (nam omnis rei publicae administratio erat gratuita et ne munera quidem, nedum pecunias accipi licebat) ab iis ***repeti*** poterant in iudiciis et senatu, eamque ob causam latae ***leges repetundarum*** sc. pecuniarum vel ***de repetundis*** sc. pecuniis, primum Calpurnia a L. Calpurnio Pisone trib. pl. a. U. 604. (qua constituta est prima quaestio perpetua, v. Cic. Verr. 4, 25. de off. 2, 21. p. Font. 13. Brut. 27.) ***Acilia*** a M'. Acilio Glabrione trib. pl. (Cic. Verr. 1, 17.) ***Iunia, Servilia, Cornelia, Iulia.*** Acerba fuit ***Servilia***, lata a C. Servilio Glaucia praetore a. U. 653, de qua v. Cic. Verr. 1, 9. p. Rab. P. 1. 4. Sigon. de iud. 2, 27. et inpr. Fragmenta legis Serviliae repetundarum, quae ex tab. aereis restituit Klenze Berol. 1825. Sed acerrima et amplissima Iulia, de qua v. ad 14, 28. Cf. ad 11, 6, 2.

CAPUT LXXV.

Nec Patrum cognitionibus satiatus iudiciis assidebat in cornu tribunalis, ne praetorem curuli depelleret, multaque eo coram adversus ambitum et potentium preces constituta. Sed dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur. Inter quae Pius Aurelius senator questus, mole publicae viae ductuque aquarum labefactas aedis suas, auxilium Patrum invocabat. Resistentibus aerarii praetoribus subvenit Caesar pretiumque aedium Aurelio tribuit, erogandae per honesta pecuniae cupiens: quam virtutem diu retinuit, quum ceteras exueret. Propertio Celeri praetorio, veniam ordinis ob paupertatem petenti, decies sestertium largitus est, satis comperto, paternas ei angustias esse. Tentantis eadem alios probare causam senatui iussit, cupidine severitatis in iis etiam, quae rite faceret, acerbus: unde ceteri silentium et paupertatem confessioni et beneficio praeposuere.

1. ***Nec Patrum cognitionibus satiatus iudiciis assidebat in cornu tribunalis***, cf. Dio 57, 7. et Suet. Tib. 33. ubi Ern. haec annotavit: „*Cornu* id. qd. apud Suet. ***pars primoris***, h. e. angulus alter quicunque in parte tribunalis quadrilateri anteriori. Magistratus sedent in medio tribunali, iudices infra tribunal." Cf. 2, 57. 4, 36. Suet. Claud. 12. Vitruv. 5, 1. — ***curuli*** sc. sella, ut H. 2, 59. De ea v. ad 2, 83. — ***eo coram***, v. ad 5, 9. extr. — ***adversus ambitum et potentium preces c.***, cf. ad 1, 2, 7. Solebant advocati aut deprecatores adduci potentissimi civitatis: quod repressit Tiberius, quia iustitiam corrumpebat; *Lips.* — ***Sed dum veritati consulitur*** praesentia Principis, ***libertas corrumpebatur***. „Gravissima sententia. Iudicum decreta oportet esse libera nec inter-

ventu Principis ullo modo sollicitari. Nocet is libertati publicae, dum *veritati* h. e. integritati iudiciorum consulit praesentia sua. Cf. Suet. Tib. 33. Dio 57, 7. et ineptulus Vell. 2, 129.“ *Wolf*. „Neque legendum h. l. *dum severitati consulitur*, neque *veritas* est aequitas s. ἐπιείκεια, sed simpl. iustitia, sanctitas et integritas iudiciorum, ut 3, 16. 4, 43. (*ex vero statuere*) Cic. p. Coel. c. 9. et Verr. 1, 1, 5 extr. Ergo *consulere veritati* est operam dare, ut *integrum iudicium* sit. Sic 3, 8. 56. Cf. quae dixi ad Sen. de ira 2, 29.“ *Gron*. *Veritas* moralis, ut Gr. ἀλήθεια. *Walth*.

2. *Pius Aurelius* fortasse inter maiores optimi Principis Antonini, etsi nulla mentio Capitolino; *Lips*. — *senator*, v. ad 3, 36, 2. — *mole publicae viae*, ut Mur. putat, ingentibus silicibus, quibus tum stratae omnes viae publicae; ut alii, molitione h. e. reparatione et aggeratione viae; *Ern*. „Transvectionem immanium saxorum, domus Urbis quatientem, intell. Freinsh. coll. Plin. H. N. 36, 2. Plin. pan. 51, 1. et Sen. ep. 90. n. 1. ab init. Nec video, quid contra dici possit, nisi malis viam iam stratam talibus saxis in vicinia domus illius.“ *Wolf*. *Moles* Gr. ἄχθος, Beschwerde, quaecunque molestia publicae viae, inpr. transvectio immanium onerum; *Walth*. Cf. Iuvenal. 3, 254 sq. — *ductu aquarum publicarum*, v. ad 11, 13. — *auxilium Patrum invocabat*, precatus restitutionem damni ex aerario. — *aerarii praetoribus*: „Nova locutio, et suspicarer, vel delendum esse *aerarii*, vel in libris fuisse *PR*. aut *PRAEF*. et has voces permutatas, (v. Drak. ad Liv. 25, 12. 32, 31. et intpp. Suet. Aug. 33.) nisi omnes etiam libri haberent *praetores aerarii* H. 4, 9. et ap. Frontin. de aquaed. in SCto de curatoribus aquarum p. 179. ed. Poleni. Similiter quaestores aerarii 13, 28. Ibi quoque redundat *aerarii*: sed tum sic mos loqui. Ut enim non omnes Praetores curam aerarii habent nec omni tempore habuerunt, ita nec Quaestores. Itaque discriminis causa sic dicti.“ *Ern*. „Nulla est suspicio vitii, et satis erat observare novatum sermonem, quippe nova in re. Primus Augustus curam aerarii a quaestoribus urbanis ad praetorios praetoresque transtulerat. Dio 53, 2. et 32. Suet. Oct. c. 36. Idque mansit sub Tib. et Caio, unde *praetor aerarii* in Grut. inscr. p. 360, 3. Dio vertit Graeco more στρατηγὸν ἐπὶ τῆς διοικήσεως.“ *Wolf*. Claudius aerarii curam restituit Quaestoribus, sed Nero iterum praetura functis tradidit. Cf. 13, 28. 29. H. 4, 9. Suet. Claud. 9. et 24. Lips. Exc. II. ad Ann. XIII. — *pretiumque aedium Aurelio tribuit*, dedit vel attribuit, ut ex aerario solveretur; *Ern*. — *erogandae* — *cupiens*, cf. Dio 57, 10. — *veniam*, ius et facultatem, *ordinis* senatorii relinquendi; *Ern*. — *decies sestertium*, v. ad 2, 37, 1. — *satis comperto*, v. ad 1, 46, 1. — *paternas et angustias* rei familiaris adeoque eum pauperem *esse* haud culpa sua; *Pich*. — *Tentantes eadem* cet. „v. Sen. de ben. 2, 7. et Suet. Tib. 47.“ *Lips*. et *Ern*. Cf. 2, 37 sq. — *cupidine severitatis*, v. ad 2, 37, 1. — *in iis* MS. et ed. Bekk. *in his* rel. edd.

CAPUT LXXVI.

Eodem anno continuis imbribus auctus Tiberis plana Urbis stagnaverat. Relabentem secuta est aedificiorum et hominum strages. Igitur censuit Asinius Gallus, ut libri Sibyllini adirentur. Renuit Tiberius perinde divina humanaque obtegens. Sed remedium coercendi fluminis Ateio Capitoni et L. Arruntio mandatum. Achaiam ac Macedoniam onera deprecantis levari in praesens proconsulari imperio tradique Caesari placuit. Edendis gladiatoribus, quos Germanici fratris ac suo

nomine obtulerat, Drusus praesedit, quanquam vili sanguine nimis gaudens: quod vulgus formidolosum et pater arguisse dicebatur. Cur abstinuerit spectaculo ipse, varie trahebant: alii taedio coetus, quidam tristitia ingenii et metu comparationis, quia Augustus comiter interfuisset. Non crediderim, ad ostentandam saevitiam movendasque populi offensiones concessam filio materiem, quanquam id quoque dictum est.

1. *Tiberis auctus* saepe *continuis imbribus* et multitudine influentium aquarum. Cf. c. 79. pr. Dio 57, 14. Plin. ep. 8, 17. Nihilo secius inundationes eius mali semper ominis erant. v. Plin. 3, 5. et Plut. Oth. p. 1068. Cf. 15, 42. et H. 1, 86. ubi *Brot.* haec annotavit: „Ut subitae inundationes inhiberentur, Augustus amnis alveum dilatavit. Traianus fossam a ponte Mulvio per vallem Urbi vicinam, *Valle dell' Inferno*, duxit, qua exoneraretur. v. Plin. ep. 8, 17. Aurelianus ab Urbe Ostiam usque Tiberinum alveum validissimis muris munivit. At omnium consilia vicit Iul. Caesar, qui siccare Pomptinas paludes et Tiberim, lata profundaque fossa ab Urbe Terracinam perductum, mari immittere decreverat. Egregium consilium, annonae, commerciis, navigationi arcendisque inundationibus utilissimum, mors oppressit. v. Suet. Caes. 44. Plut. in Iul. p. 735. Id quoque animo agitavit Nero; sed vagam mentem alio traxere libidinum curae.“ — *relabentem*, intra ripas redeuntem. — *ut libri Sibyllini adirentur*, ex prisca superstitione in tali re. Cf. ad 6, 12. et 11, 11. — *Renuit*, ut ap. Suet. Caes. 87. Plin. ep. 1, 7. et Gr. *ἀνανεύειν*, nutu recusare; *Walth.* Contr. *annuere*. De re cf. Dio 57, 14. — *perinde divina humanaque*, *ἴσως*, non minus illa quam haec. cf. ad 3, 17, 1. G. 5. n. 8. Agr. 10. n. 6. et Ramshorn. Gram. p. 522. — *obtegens:* „dissimulans, velans. Graeci *ἀποκρύπτειν*, nos verdunkeln, facere, ut non amplius quid valeat, honori alicuius derogare. De re cf. Suet. Tib. 63. 69.“ *Walth.* Cf. ad 4, 1, 3. — *Sed remedium coercendi — mandatum*, non curatoribus alvei Tiberini, (v. Suet. Aug. 37.) quibus cura tantum purgandi alvei commissa videtur. Cf. cap. 79 pr. et Dio 57, 14. qui tamen hoc quinque viris mandatum dicit.

2. *Achaiam* „tunc Romani appellabant Graeciam totam. v. Suid. v. *Ἀχαΐα* et Pausan. 7, 16. extr.“ *Lips.* *Achaiam ac Macedoniam onera deprecantes levari in praesens* (v. ad 1, 1, 2.) *proconsulari imperio tradique Caesari placuit:* nam meliori conditione erant provinciae Caesarum quam senatus et populi; *Ern.* „Primum proconsulare imperium erat annuum (Dio 53, 13.) et quotannis provincialibus afferebat molestias cum accessu novi rectoris coniunctas; Caesaris autem provinciarum praesidibus procuratio in plures annos delegabatur. Quare Iosephus A. J. 18, 8. Tiberium continuandis legatorum imperiis parcere sociis et provincialibus dicit. Tum proconsulum comitatus frequentior, ornatior, splendidior, et *onera* inde redundantia in provincias graviora. Nec tacendum, quod proconsules sorte ibant in provincias, Caesar legatos deligebat. Cf. 2, 43. Inde fortuiti boni praesides; hinc res pendebant e Caesaris cura. Quare Augustus quum Asiae provinciae terrae motibus afflictae succurrere vellet, misit praesidem suffragio, non sorte lectum ad biennium. Dio 54, 30. Denique, quod potissimum est, Caesar plures provincias per unum legatum regebat, quibus singulis ante proconsules fuerant ferendi. Eaque ratione tum *levabantur Achaia ac Macedonia*. Cf. cap. 80. et 5, 10.“ *Walth.* „Facilior etiam iniuriarum ultio in legatis Caesarum quam in proconsulibus. In his ulciscendis iudicium requirebatur e legibus de repetundis, quae facile perfringebantur gratia, largitione cet. In legato erat unius Caesaris notio, qui facilius doceri, ad misericordiam

vocari poterat et ad poenam improborum; cuius generis exempla sunt in Philonis legat. ad Caium et alibi.“ *Ern.* „Praeterea Tiberius miram provinciarum curam prae se ferebat. v. 4, 15. Suet. Tib. 32, Ioseph. A. J. 18, 8. *Neque parcit populis regnum breve,* quod apud Statium ait Eteocles.“ *Gron.* Alias causas afferunt Lips. Exc XII. ad Ann. I. et Spanhem. de usu et pr. num. Diss. IX. p. 805. His Taciti verbis utitur Montesq. 'esprit des loix 13, 19. p. 358. ut probet, in imperio damnosam esse publicanorum societatem (*la Ferme*), tributa vero (*la Regie*) populorum felicitati maxime conducere; *Brot.* „Quae viri docti monent de avaritia proconsulum, de invalido in eos legum auxilio et de aliis proconsularis imperii incommodis vera quidem sunt, huc tamen non pertinent. Parum enim honorificum senatui fuisset censere, provincias *proconsulari imperio levandas* esse ob malos mores praesidum a senatu missorum.“ *Walth.* Cf. ad c. 80. n. 1. *Onera deprecari* pro precari, ut leventur vel tollantur, quum iam sustineantur, quippe dudum imposita; *Ern.* — *tradique Caesari placuit:* „quod etiam factum. v. 1, 80 pr. Hinc Strabo, qui vixit medio Tiberii principatu, l. XVII p. 840. Achaiam et Macedoniam Caesarianis provinciis accensuit, sed populi Dio 53, 12. Claudius tamen eas populo restituit. v. Suet. Claud. 25. et Dio 60, 24.“ *Lips.* Notissimum autem e Dione 53, 12 sq. Strab. XVII. p. 840. et Suet. Aug. 47. provincias ab Augusto divisas cum senatu populoque; ut ex h. I. 1, 80. 5, 10. Dione 58, 25. et al. easdem saepius fuisse permutatas. Qui provinciis senatus populique praeerant, dicebantur *proconsules,* qui Caesareis, *propraetores, legati, legati Caesarum pro consule* et *pro praetore, consulares, consulares legati* et *provinciarum, procuratores* et *praefecti Aegypti.* Cf. ad 1, 74, 1. et 4, 15.

3. *Edendis gladiatoribus* cet. cf. Dio 57, 14. *gladiatoribus,* muneri gladiatorio, ut H. 2, 95. pr. — *Germanici fratris,* v. ad 1, 3, 7. — *praesedit:* in MS. *praesidit.* — *nimis gaudens sanguine, quanquam vili,* gladiatorum ut servulorum: quod levem excusationem occultat; *Wolf.* Cf. ad 1, 33, 2. — *quod vulgus formidolosum et pater arguisse dicebatur:* ita MSS. et edd. vet. Sed *in vulgus* MS. in marg. et hoc vel *vulgo* scribendum putant viri docti, ut sensus sit: *quod vulgo* sive *in vulgus formidolosum,* formidabile, timendum, sc. erat, *et pater* (in secreto) *arguisse dicebatur;* nam ita *formidolosum* passive dicitur 11, 19. 13, 53. H. 1, 6. 3, 26. Agr. 7. 39. et *in vulgus formidolosum,* ut *in vulgus gratum* 1, 28. 2, 59. *in v. acceptius* 6, 45. *in v. adverso rumore* H. 2, 26. *in v. cedebant spolia* H. 3, 83. *laetum in remp.* et *in publicum* 11, 25. 12, 8. *in reliquos data venia* 12, 32. *pulchrum ac decorum in frontem* Agr. 33. ubi Walch. comparavit *magnifica in populum largitio* 2, 48. et *forma haud dissimili in dominum* 2, 39. ut ὅμοιος ἐς φύσιν ap. Hom. Batrachom. v. 32. Cf. ad 3, 24, 2. Ind. II. v. *In,* Tursell. de partic. c. 91. §. 21. Ruddim. inst. Gr. T. II. p. 90.“ At non video, cur vulgo prae aliis formidolosa fuerint saevitiae indicia in Druso conspicua, nec potius civitati universae et nobilioribus potissimum: nam vulgus omnium minime obnoxium fuit irae Caesarum. Solebat autem vulgus pro concessa sibi libertate nec vocis continens liberius loqui de principum moribus, quum ceteri sapienter tacerent, idque hic dicit Noster: *quod vulgus* ut *formidolosum* sc. *arguebat,* dicebat, sermonibus iactabat, *et,* etiam, (ut c. 49. 2, 36. G. 31.) *pater arguisse dicebatur.*“ *Walth.* Sed Drusus, regni heres, *nimis gaudebat vili sanguine* gladiatorum, idque metum incutiebat vulgo, quod vilitate et humilitate par erat gladiatoribus. Hinc non inepta videbitur sententia haec: quod ut indicium saevitiae, quae in vilem sanguinem exerceretur, *vulgus formidolosum,* timidum, meticulosum, eadem veritum, (active, ut c. 62.) scil. *arguebat,* h. e. culpabat,

vituperabat; nam eo sensu h. l. *arguisse* dictum crediderim, et *arguebat* ex proximis verbis supplendum. Cf. Ind. III. v. *Ellipsis* et *Syllepsis*. Nonnulli haec verba ita exponunt: *quod vulgus formidolosum*, timidum, (palam) *et pater* (in secreto) *arguisse dicebatur*. „Sed huic interpretationi obstat vox *dicebatur*, quod est *quidam dicebant*, ut de re non nimis certa, quale quod Tiberius cum filio in secreto egerat. Id vero non convenit populo, cuius affectio publice nota fuit.“ *Gron.* — *Cur abstinuerit spectaculo ipse*, Tiberius. Rem, non causam tradit Dio 57, 14. — *ipse*, pater, vel Imperator, v. ad 4, 6, 1. — *varie trahebant*, ad varias causas referebant. Cf. ad 1, 62, 2. — *taedio coetus*, fastidio vulgi et cum eo congrediendi; *Ern.* — *tristitia ingenii*, v. ad Agr. 9. n. 4. — *quia Augustus comiter* spectaculis *interfuisset*, ut al. *civiliter* et *populariter*. v. ad 1, 33, 1. et cf. Suet. Aug. 45. ubi *Casaub.* haec annotavit: „Hic locus declarat, quam parum vulgo probaretur, si Princeps alium substitueret, qui suam vicem ludis praeesset. Iulianus quoque Misopogone parum se vulgo gratum fuisse indicat, quod ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις διημερεύειν non soleret modo priorum Principum. Ideo Impp. assiduitatem in spectandis ludis nominant *popularitatem* lege 2 Cod. Theodos. de off. rect. prov. Eodem spectant verba Taciti Ann. 1, 54. *Augustus civile rebatur misceri voluptatibus vulgi*, et, quam vocat *civilitatem*, Graeci συμπεριφοράν, ut, quum Simplicius in Epictetum inter causas, quae possunt sapientem impellere, ut ludos aliquando spectatum veniat, refert τὴν πρὸς τοὺς πολλοὺς συμπεριφοράν. Βαρεῖς γάρ, inquit, φαίνονται αὐτοῖς οἱ τὴν συνήθη διαγωγὴν ὑπερτρέχειν δοκοῦντες, *tristes et severi* aut *graves et odiosi vulgo habentur, qui vitae communis consuetudinem subterfugere videntur*.“ — *quanquam id quoque dictum est* edd. rec. ex emend. Lips. *quanquam id quod d. est. At theatri* cet. MS. *materiem*. *quanquam id quod d. est, a theatri* cet. ed. Ber. *quanquam, id quod d. est, theatri* edd. Rhen. et cet. „*materiem*, occasionem, opportunitatem, ut ap. Suet. Oct. 16. 32. Claud. 4. et al.“ *Walth.*

CAPUT LXXVII.

At theatri licentia proximo priore anno coepta gravius tum erupit, occisis non modo e plebe, sed militibus et centurione, vulnerato tribuno praetoriae cohortis, dum probra in magistratus et dissensionem vulgi prohibent. Actum de ea seditione apud Patres dicebanturque sententiae, ut praetoribus ius virgarum in histriones esset. Intercessit Haterius Agrippa tribunus plebei, increpitusque est Asinii Galli oratione, silente Tiberio, qui ea simulacra libertatis senatui praebebat. Valuit tamen intercessio, quia divus Augustus immunes verberum histriones quondam responderat neque fas Tiberio, infringere dicta eius. De modo lucaris et adversus lasciviam fautorum multa decernuntur, ex quis maxime insignia: ne domos pantomimorum senator introiret; ne egredientis in publicum equites Romani cingerent, aut alibi quam in theatro spectarentur; et spectantium immodestiam exsilio mulctandi potestas praetoribus fieret.

1. *At theatri licentia* (ut 13, 24.) *proximo priore anno coepta*, v. ad 1, 16, 1. et 1, 54, 1. et cf. Dio 56, 47. „*Proximus* et *proxime* non inepte additur verbis *prior*, *superior* et *inferior annus* et *orbis*, quia omnes praecedentes anni et orbes sunt priores, superiores. v. Cic. or.

off. I, 16. *ad illum Ennii finem*, i. e. quem Ennius facit vel statuit." *Gron.* Haec nihil explicant; *Walth.* *sedecim* MS. non *sexdecim*, ex qua scriptura commentum suum Freinsh. ducebat; *Wolf.*

CAPUT LXXIX.

Actum deinde in senatu ab Arruntio et Ateio, an ob moderandas Tiberis exundationes verterentur flumina et lacus, per quos augescit: auditaeque municipiorum et coloniarum legationes, orantibus Florentinis, ne Clanis solito alveo demotus in amnem Arnum transferretur idque ipsis perniciem afferret. Congruentia his Interamnates disseruere: pessum ituros fecundissimos Italiae campos, si amnis Nar (id enim parabatur) in rivos diductus superstagnavisset. Nec Reatini silebant, Velinum lacum, qua in Narem effunditur, obstrui recusantes, quippe in adiacentia erupturum: optume rebus mortalium consuluisse naturam, quae sua ora fluminibus, suos cursus, utque originem ita fines dederit: spectandas etiam religiones sociorum, qui sacra et lucos et aras patriis amnibus dicaverint: quin ipsum Tiberim nolle prorsus accolis fluviis orbatum minore gloria fluere. Seu preces coloniarum seu difficultas operum sive superstitio valuit, ut in sententiam Pisonis concederetur, qui nil mutandum censuerat.

1. *Actum d. in s. ab Arruntio et Ateio, an ob moderandas* cet. v. ad 1, 76, 1. et Ind. II. v. *ob.* — *verterentur,* recte, non *averterentur,* quod coni. Heins. — *flumina,* Clanis, Arnus, Nar, Tinia, Fabaris, Allia, Cremera, Anio, *et lacus* Velinus al. — *augescit,* non *augesceret.* Cf. Ind. III, v. *Verborum Modus Ind.* N. 2. — *orantibus Florentinis:* „Eorum colonia et nobilis, memorata a Plin. 14, 3. Frontino de colon. et Ptol. Ergo non audiendi, qui, Fesula s. Faesula a Gothis diruta, cives concessisse fabulantur in proximam planitiem et urbem habuisse, quae a *flore*, Caroli M. munificentia sibi pro insigniis donato, nomen *Florentiae* sumpserit." *Alciat.* — *Clanis* s. *Glanis,* nunc *la Chiana,* et *Arnus* hod. *Arno.* — *idque ipsis perniciem afferret* pro *quum, quandoquidem id i. p. a.* quam negligentiam inpr. post partic. *ne* Romanus sermo amat; *Wolf.* Negligentia non est, sed usus loquendi, quo prius membrum trahit alterum; *Walth.* Cf. ad 2, 58, 2. et 11, 2, 2. — *Interamnates* edd. vet. et MS. in marg. *Antemanates* MS. Hinc *Antemnates* corr. Pich. Audacius primi editores et vere, puto; *Wolf.* Superstagnatio non erat timenda Interamnatibus iuxta ipsum amnem sitis, sed inferioribus eius regionis partibus; *Walth.* *Antemna* s. *Antemnae* cis Anienem (*ante amnem*) in Sabinis, *Interamna* s. *Interamnae* (nunc Terni) in Umbria, *inter amnem,* h. e. inter duo brachia *Naris* fl., hod. *Nera.* — *fecundissimos Italiae campos,* in Campania. Cf. H. 1, 2. 3, 60. 66. — *diductus:* in MS. *deductus.*

2. *Reatini* in Sabinis, quorum oppidum *Reate,* hod. *Rieti,* ad Velinum *lacum,* nunc *Lago di Rieti.* — *obstrui recusantes,* ut πόλεμον ἐγεῖραι παρῃτήσατο ap. Herodian. 3, 5, 6. *Walth.* — *sua ora,* ostia, (*fines*) vel scaturiginem ipsam; *Freinsh.* — *qui sacra et lucos et aras patriis amnibus dicaverint:* nam fluvii et fontes sacri olim deorumque sedes esse credebantur. Cf. ad 6, 37, 1. et Spanh. ad Callim. H. in Apoll. v. 112. „Hinc et fluvii illi mox *accolae* Tiberis vocantur, et *amnes patrii,* a maioribus culti, quorum cultus a maioribus traditus est." *Ern.*

„Immo *patrius* in eiusmodi locis est nostrum vaterländisch, ut 15, 29. Ovid. Met. 4, 292. Virg. Aen. 9, 672.“ *Walth.* — *Seu preces* — *seu* — *sive*, v. ad 6, 9, 1. et G. 34. n. 8. — *ut in sententiam Pisonis concederetur:* „Ita omissa nunc res, Nerva tamen postea sive Traianus ad arcendos fatales huius fluvii et non sine omine auctus fossam duxit. v. Plin. ep. 8, 17.“ *Lips.* *concederet* (sc. Tiberius s. senatus) MS. et ed. Ber. non improb. *J. Gron.*

CAPUT LXXX.

Prorogatur Poppaeo Sabino provincia Moesia, additis Achaia ac Macedonia. Id quoque morum Tiberii fuit, continuare imperia ac plerosque ad finem vitae in iisdem exercitibus aut iuris dictionibus habere. Causae variae traduntur: alii taedio novae curae semel placita pro aeternis servavisse; quidam invidia, ne plures fruerentur. Sunt qui existiment, ut callidum eius ingenium, ita anxium iudicium. Neque enim eminentis virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat: ex optimis periculum sibi, a pessimis dedecus publicum metuebat. Qua haesitatione postremo eo provectus est, ut mandaverit quibusdam provincias, quos egredi Urbe non erat passurus.

1. *Prorogatur Poppaeo Sabino* (v. Ind. II. et ad 6, 39.) *Moesia additis Achaia ac Maced.*, v. ad 1, 76, 2. ubi etiam *ac*, ut h. l. in MS. unde illud revocavit Wolf. pro *et*. — *Id quoque morum T. fuit*, cf. Ind. III. v. *Adiectiva* et *Pron. neutra.* — *continuare imperia* cet. cf. Suet. Tib. 41. et Ioseph. A. J. 18, 8; *Ern.* „Id illi moris quoque fuit in privatis rebus. v. ad 4, 6.“ *Pich.* Legati plerumque per tres vel quinque annos provinciis Caesareis praeerant; nonnunquam tamen ab Imperatoribus prorogatum iis imperium, ut et a peritis et assuetis socii continerentur. v. Dio 52, 23. et Suet. Aug. 23. — *plerosque ad finem vitae in iisdem exercitibus aut iurisdictionibus habere,*“ h. e. in iisdem provinciis, tam a Legatis per *exercitus*, quam a Proconsulibus per *iurisdictionem* administrandis. In veteri rep. *cum imperio* erant proconsules fere, h. e. cum exercitu et potestate belli gerendi in provinciis vel maioribus vel infestioribus a finitimis hostibus: *cum potestate* fere propraetores in provinciis minoribus aut pacatis et ab hoste tutis. Potestas vero sola paene erat in *iurisdictione*. v. Cic. ad Q. Fr. 1, 1, 7. Commutata rep. et divisis ab Augusto provinciis cum senatu populoque (v. ad 1, 76, 2.) minores provinciae et pacatae populi administrabantur a Proconsulibus et Propraetoribus, maiores et ubi exercitus a Legatis Caesarum.“ *Ern.* „At de provinciis Caesaris tantum sermo est, quod indicatur verbo *habere*. Provincias senatus etiam tum sortiebantur consulatu et praetura functi. Quare vocem *iurisdictionibus* refero ad eiusmodi provincias Caesaris, quae erant sine exercitu et a procuratoribus cohibebantur. Cf. H. 1, 11.“ *Walth.* Cf. ad 1, 74, 1.

2. *Causae variae traduntur:* „Alii alias tradunt; Suet. Tib. 41. ignaviam et negligentiam rei publicae (quia omnem rei publ. curam abiecerit, sed regressus demum Capreas) Iosephus A. J. 18, 8. honestiorem longe, studium parcendi sociis et provincialibus. Historici imitantur populum fere: pro suo quisque ingenio, studiis, moribus interpretatur quidque“ *Ern.* „Dio 58, 23. ἀπορίᾳ τῶν διαδεξαμένων αὐτούς id esse factum tradit. Suetonius id tribuit incuriae eius rerum publicarum. Sed hoc valet de posteriori Tiberii aetate.“ *Walth.* — *anxium iudicium* sc. fuisse. v. ad 1, 73, 3. — *eminentes virtutes sectabatur*, requirebat

homines illis instructos; *Ern.* — *rursum* s. *rursus*, contra, ex altera parte, ut Gr. ἔμπαλιν, Germ. wieder, wiederum. Sic 4, 41. 11, 28. 13, 13. 14. H. 1, 1. 2, 43. 3, 52. 4, 14. A. 28. O. 18. — *sibi:* in MS. et ed. Ber. *sibi: sibi.* — *ut mandaverit quibusdam provinciae, quos egredi Urbe non erat passurus*, quos, sive metu seu aliqua alia causa, Romae retinere ante statuerat; *Wolf.* Mera igitur imago fuit mandationis; *Walth.* Cf. 6, 27. (*Aelius Lamia administrandae Syriae imagine exsolutus* et *Arruntium, ne in Hispaniam pergeret, decimum iam annum attineri*) 13, 22. H. 2, 65. Agr. 42. Suet. Tib. 63. Dio 58, 19. 20. ἔργῳ μὲν μηδενὸς αὐτῶν δεόμενος, λόγῳ δὲ δὴ τιμᾶν αὐτοὺς προςποιούμενος.

CAPUT LXXXI.

De comitiis consularibus, quae tum primum illo Principe ac deinceps fuere, vix quicquam firmare ausim: adeo diversa non modo apud auctores, sed in ipsius orationibus reperiuntur. Modo subtractis candidatorum nominibus originem cuiusque et vitam et stipendia descripsit, ut, qui forent, intelligeretur: aliquando ea quoque significatione subtracta candidatos hortatus, ne ambitu comitia turbarent, suam ad id curam pollicitus est: plerumque *eos tantum apud se professos* disseruit, *quorum nomina consulibus edidisset: posse et alios profiteri, si gratiae aut meritis confiderent.* Speciosa verbis, re inania aut subdola, quantoque maiore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infensius servitium.

1. *quae tum primum — fuere:* „secundo anno Tiberii, quo primum designavit consules: nam proximo priori destinarat Augustus. *Deinceps* intell. de reliquis annis eiusdem Tiberii, non de successoribus eius. Cf. Dio 58, 20.“ *Ryck.* et *Wolf.* Cf. ad 2, 36, 1. — *Subtrahere nomina*, reticere, omittere; *Ern.* — *originem cuiusque et vitam et stipendia descripsit:* „Hoc est verbum proprium, quo utuntur, quum de aliquo non nominatim dicitur, sed tamen ita, ut, qui sit, intelligatur. Sed boni auctores, velut Cicero, fere iungunt accusativo personae: *describere aliquem:* (v. Clav. Cic.) ex qua ratione dicendum erat *origine quemque et vita et stipendiis descripsit*, h. e. commemorandis origine, moribus et stipendiis. Sed vulg. a Tacito esse puto.“ *Ern* Nec unquam quisquam dubitabit; *Wolf.*

2. *ea quoque significatione* cet. „Tacitus haec refert e Tiberii *orationibus* inter acta senatus positis. Praefatus de comitiis consularibus eorumque diversitate triplicem constituit rationem, qua usum Tiberium repererat in illis orationibus. Prima est, subtracta candidatorum nomina, origo vero cuiusque et vita et stipendia descripta, ut, qui forent, intelligeretur; secunda, *ea quoque significatio*, scil. originis, vitae et stipendiorum, simul cum nominibus subtracta, ut in universum de candidatis loqueretur eosque hortaretur tantum, ne ambitu comitia turbarent, et suam ad id curam polliceretur, quod arroganter dictum; tertia eaque frequentissima, quod *eos tantum* cet.“ *Walth.* Cf. ad 1, 15, 2. et Dio 58, 20. Wolfius suspicabatur, Tiberium *aliquando* candidatos suos privatim commendasse, in senatu autem ignarum egisse, ut simulacrum praeberet liberae electionis. — *apud se professos* nomina sua.

ANNALIUM

LIBER II.

BREVIARIUM LIBRI II.

Cap. 1. 2. *Motus in oriente et belli Parthici initia. Vonones, Phraatae filius, obses Augusto datus et in regnum accitus, invisus popularibus.* 3. 4. *Pulsus ab Artabano et profugus ad Armenios. Rex ab his creatus, sed regno elicitus a Silano.*

5. *Germanicus a Tiberio revocatus debellare prius in Germania decernit; bellum in Germania conficere meditatur.* 6. *Classis eius.* 7. *Irruptio Silii in Chattos. Ara Drusi patris a Germanico restituta et cuncta inter Alisonem ac Rhenum capta.* 8. *Classis parata et per fossam Drusianam et lacus ad Amisiam fl. vecta. Angrivariorum defectio et poena.* 9. *Arminii cum Flavio fratre, Romanorum socio, colloquium in utraque Visurgis ripa.* 10. *Iurgia eorum et ira.* 11. *Visurgim transeunt Romani cum Batavis sociis. Cariovalda, horum dux, cum multis suorum caesus.* 12. *Perfugae indicium de conventu hostium in silva Herculi sacra.* 13. *Militum animi a Germanico explorati. Praemia a Germanis promissa transfugis et noctu castris Rom. assultatum.* 14. 15. *Germanici somnium. Eiusdem et Arminii orationes ad suos.* 16. *Locus pugnae Idistavisus campus, et acierum instructio.* 17. *Faustum augurium, octo aquilae. Germanorum clades et fuga.* 18. *Tiberius salutatus Imperator tropaeumque positum.* 19. *Arma resumpta a Germanis.* 20. *Acerrime pugnatum.* 21. *Nova Romanorum victoria, sed ambigua equitum pugna.* 22. *Monumentum titulusque rerum magnificus. Angrivariorum deditio.* 23. *Romani partim terra remissi in hibernacula, partim classe reducti. Hi per Amisiam fl. invecti Oceano et procella rapti in scopulos insulasque.* 24. *Sedata tempestas et plerique naufragorum recollecti.* 25. *Chattorum terra a Silio, Marsorum a Germanico vastata, et recepta legionis Varianae aquila.* 26. *Germanicus a Tiberio revocatus.*

27. *Romae Libo Drusus ab amico delatus moliri res novas.* 28. 29. 30. *Honoratus a Tiberio, et accusatus in senatu a Fulcinio Trione et C. Vibio, nec tam sceleris quam vecordiae convictus. Patroni non reperti et servi Libonis iussu Tiberii mancipati publico actori, ut de iis in dominum tormentis quaereretur. Princeps non exoratus.* 31. *Mors voluntaria Libonis properata.* 32. *Praemia accusatorum et sententiae Patrum. SCta de Mathematicis magisque ex Italia pellendis.* 33. *Civitatis luxus leviter coercitus et defensus ab Asinio Gallo.* 34. *Libertas L. Pisonis. Rea Urgulania, Augustae amica.* 35. *Certamen in senatu de rebus absente Principe in senatu agendis.* 36. *Asinii Galli sententia de comitiis et candidatis praeturae a Tiberio refutata.* 37. *Census senatorum a Principe suppletus. Preces et oratio Hortali levamentum inopiae poscentis.* 38. *Asperum Principis responsum et promissa.*

39. 40. *Clemens, Agrippae Postumi servus, mentitus personam domini occisi, sed captus Sallustii Crispi dolo et interemptus.* 41. *Arcus et templa Romae Bovillisque dedicata.*

42. *Triumphus Germanici et consulatus. Archelaus, Cappadocum rex, Romam accitus, accusatus et mortuus. Cappadocia in formam provinciae redacta. Ducentesima rerum venalium.* 43. *Oriens turbatus Germanico*

commissus, Cn. Pisoni Syria. 44. *Drusus in Illyricum missus.* 45. *Bellum in Germania motum ab Arminio et Maroboduo, illique se iungit Inguiomerus, huius patruus.* 46. *Atrox proelium. Drusus pacis firmator.*

47. *XII urbes Asiae terrae motu afflictae et a Tiberio sublevatae.* 48. *Inopia innocentium levata a Principe, prodigorum punita.* 49. *Templa dedicata.* 50. *Apuleia Varilia, Octaviae neptis, accusata adulterii et cognatis permissa.* 51. *Contentio de praetore subrogando.* 52. *Tacfarinatis et Mazippae motus latrociniaque in Africa. Victoria Camilli et triumphalia ei decreta.* 53. 54. *Varia Germanici itinera.* 55. *Legiones in Syria a Pisone eiusque uxore Munatia Plancina corruptae.* 56. *Rex a Germanico Armeniae datus legatique praefecti Cappadocibus et Commagenis.* 57. *Pisonis superbia odiumque in Germanicum, et ira huius dissimulata.* 58. *Legati ad Germanicum missi ab Artabano, et Vonones Syria amotus.* 59. *Germanici profectio in Aegyptum, incusata a Tiberio.* 60. 61. *Lustrantur ab illo Canopus, Nilus, veterum Thebarum vestigia, obelisci, statua Memnonis, Pyramides, Elephantine et Syene.*

62. 63. *Germani a Druso ad discordiam illecti. Maroboduus a Catualda, et hic ab Hermunduris pulsus. Profugi ad Romanos et custodibus traditi. Vannius rex datus barbaris utrumque comitatis.* 64. 65. *Rhescuporis Thracia potitur capto per fraudem Cotye fratris filio.* 66. 67. *Mors utriusque. Thracia in Rhoemetalcen, filium Rhescuporidis, et liberos Cotyis divisa.* 68. *Vonones fugam tentat, sed deprehensus confoditur.*

69. 70. *Germanici morbus et persuasio veneni dati a Pisone, cui amicitiam veteri more renuntiat.* 71. 72. *Mandata familiaribus ultione monitisque coniugi datis moritur Antiochiae.* 73. *Comparatus Alexandro M. et in foro Antiochensium sepultus sine pompa.* 74. *Sentius Syriae praefectus et Martina venefica Romam missa.* 75. *Agrippina Romam properat. Immoderata Pisonis et Plancinae laetitia.* 76. 77. *Pisoni reditum in Syriam dissuadet filius, suadet vero persuadetque Domitius Celer.* 78 — 81. *Piso obvius Agrippinae vim parat provinciae repetendae causa, sed repellitur a Sentio.* 82. *Romae magna ob mortem Germanici ira et luctus.* 83. *Honores ei decreti.* 84. *Gemelli a Livia, Germanici sorore, Druso parti.*

85. *SCta de libidine mulierum sacrisque Aegyptiis et Iudaicis. Vistilia apud Aediles stuprum professa neque accusata a marito.* 86. *Vestalis capta.* 87. *Annona a Tiberio levata et spreti ab eo tituli.* 88. *Arminii caedes et praeconium.*

Haec quadriennio gesta a. U. 769 — 772.

T. STATILIO SISENNA TAURO L. SCRIBONIO LIBONE
C. CAECILIO RUFO L. POMPONIO FLACCO
TIBERIO CAES. AUG. III. GERMANICO CAESARE II.
M. IUNIO SILANO C. NORBANO FLACCO COSS.

CAPUT I.

Sisenna Statilio Tauro, L. Libone Coss. mota Orientis regna provinciaeque Romanae, initio apud Parthos orto, qui petitum Roma acceptumque regem, quamvis gentis Arsacidarum, ut externum aspernabantur. Is fuit Vonones obses Augusto datus a Phrahate. Nam Phrahates, quanquam depulisset exercitus ducesque Romanos, cuncta venerantium officia ad Augustum verterat partemque prolis firmandae amicitiae miserat, haud perinde nostri metu, quam fidei popularium diffisus.

1. *T. Statilio Sisenna Tauro:* „Fuit olim T. Statilius Taurus cos. a. U. 728. deinde cos. suff. et triumphalis. Huius filius T. Stat. Taurus cos. a. 764. nepos T. Stat. Sisenna Taurus cos. a. 769. (qui h. l. designatur) pronepos T. Stat. Taurus cos. a. 797. proc. Africae, cuius opibus et hortis inhiabat Agrippina, cuiusque filia erat Statilia Messalina, per Neronem abducta marito, Attico Vestino. Cf. ad 6, 11, 2. 12, 59. 15, 68. Suet. Ner. 35. Dio 54, 19.“ *Ryck.* — *L.* Scribonio *Libone,* v. ad 2, 27. — *provinciaeque Rom.* regnis Orientis conterminae; *Brot.* — *petitum Roma acceptumque regem,* v. ad cap. 3. n. 2. et Suet. Oct. 21. — *gentis Arsacidarum:* „Ἀρσακίδης, ut Priamides, Tydides, πατρωνυμικὸν, gentis nota: sed ipsi salutabantur et se scribebant quisque Ἀρσάκαι, *Arsaces.*“ *Gron.* Reges Parthorum, Arsaces et Arsacidae, fuisse videntur hi: I. *Arsaces I.* rex inde ab a. U. 498. a. Chr. n. 256. (v. Strab. XI. p. 415. XV. p. 702. Appianus et Arianus de bellis Parth. Iustin. 41, 4. 5.) II. *Arsaces II.* (Iustin. 41, 5. Arrian. ap. Syncell. p. 284.) III. *Arsaces III.* (Dio 36, 28.) IV. *Phrahates I.* (*Prahates* MS. *Phrahates* edd. vet. ante Ern. et omnes 6, 31. 32. 42. 43. 12, 10. *Phraates* h. l. scripsere Ern. et alii. *Phrates* in Mon. Ancyr.) V. *Mithridates I.* VI. *Phrahates II.* (Iustin. 42, 1.) VII. *Artabanus I.* (Iustin. 42, 2.) VIII. *Mithridates II.* et M. IX. *Mnascires* et *Sanatruces* s. *Sanatroces,* (Appian. l. l.) Σανατροίκης, (ap. Pellerin. recueil de médailles tab. 15. et Eckhel. Doctr. NN. T. 3. p. 528.) *Sintruces,* (Appian. in Mithrid. et Lucian. Macrob. 15. 16.) nisi hic est *Arsaces III.* et aliorum *Priapatius.* X. *Phrahates III.* Sanatrucis f. cognom. *Deus.* (Phot. cod. 97. et Appian. in Mithrid.) XI. *Mithridates III.* regno pulsus et a fratre interfectus. (Iustin. 42, 4. Appian. in Parth.) XII. *Orodes I.* Mithridatis M. frater, (*Herodes* Iustin. 42, 4. Ἡρώδης ap. Plut. in Crasso c. 33. et M. Anton. c. 37.) a quo victus Crassus a. U. 701. ut *Pacorus,* filius eius, a P. Ventidio. (Dio 40, 27. 49, 19 sq. Iustin. 42, 4. Plut. ll. ll.) XIII. *Phrahates IV. Phraortes* ap. Plut. l. l. interfector patris et XXX fratrum, victor M. Antonii aliorumque ducum Rom. a. U. 718. bis fugatus ac restitutus; a quo quatuor filii, Seraspades, Cerospades, (al. *Rhodaspes*) Phrahates et Vonones Augusto obsides dati, una cum eorum uxoribus duabus et quatuor filiis. (Tac. Ann. 2, 1. 6, 31. 32. Dio 49, 23 sq. 51, 8. 18. 53, 33. 54, 8. 55, 23. Vell. 2, 91. 94. Plut. in M. Anton. p. 933 sq. Iustin. 42, 5. Ioseph. A. J. 18, 2. 3. 4. Strab. VI. p. 288. XVI. 1. 28. p. 748. Appian. in Parth. et Grut. inscr. 288, 2.) XIV. *Phraataces,* filius Phrahatis IV. spurius, interfector patris, matris maritus, brevi fugatus et mortuus. (Ioseph. l. l.) XV. *Orodes II.* incerti generis, occisus a popularibus. (Ioseph. ibid.) XVI. *Vonones I.* obses Augusto datus a Phrahate IV. patre sed huic redditus a. 734. postquam restituta erant signa Rom. et captivi. (Tac. Ann. 2, 1 sq. 56. 58. 68. Dio, Plut. Vell. Ioseph. ll. ll.) Idem *Meherdaten* filium misit ad Gotarzen, qui eum retinuit captivum. (Tac. Ann. 11, 10. 12, 10. 11. 14.) XVII. *Artabanus II.* cuius adversarii *Phrahates,* Phrahatis IV filius, et *Tiridates,* filiique *Orodes* et *Darius.* (Tac. Ann. 2, 3. 4. 58. 6, 31 — 37. 42 sq. Suet. Cal. 19. Ioseph. A. J. 18, 3. sq. 8. 20, 2. 3. ubi etiam Cinnamum et Artabanum III. regnasse dicit.) XVIII. *Gotarzes,* Artabani II. frater et interfector. (Tac. Ann. 11, 8. 10.) XIX. *Vardanes* s. *Bardanes,* a quo pulsus Gotarzes frater. (Tac. Ann. 13, 7. Philostr. 1, 21.) XX. *Gotarzes,* a quo reciperatum est imperium et victus *Meherdates* Vononis I. filius. (Tac. Ann. 11, 8 sq. 12, 10 — 14. Ioseph. ll. cc.) XXI. *Vonones II.* cuius filii *Tiridates* et XXII. *Vologeses I.* s. *Vologaesus,* de quibus v. Ind. II. XXIII. *Vardanes* s. *Bardanes* Vologesis f. (Tac. Ann. 13, 7.) XXIV. *Pacorus II.* (Plin. ep. 10, 16. Vaillant. imp. Arsacid. p. 302.) XXV. *Osroes,* qui Traiano bellum paranti dona misit. (Dio 68, 17 — 21. Vaillant. l. l. p. 321.)

Parthamaspates rex datus Parthis a Traiano, sed non receptus. (Dio 68, 31. 33.) XXVI. *Vologeses II.* regnante Hadriano. (Dio 69, 15.) XXVII. *Monnæses*, huius aemulus a. U. 919 sq. (Vaillant. p. 339. Scipio Maffei Gall. ant. ep. 22.) XXVIII. *Vologeses II.* iterum rex. (Oros. 7, 15. Froelich not. elem. num. p. 179. Pellerin recueil de médailles p. 151.) XXIX. *Vologeses III.* cuius filii discordes. (Dio 75, 9. 77, 12.) XXX. *Artabanus III.* ultimus Arsacidarum et Parthorum rex, victus ab Artaxerxe, qui regnum Persicum instauravit a. U. 986. p. Chr. 233. (Dio 78, 1 sq. 25—27. 80, 3. 4.) Cf. Lips. et Brot. ad Tac. Ann. II. Vaillant. de imp. Arsacid., Sainte-Croix de imp. Parth. (in ed. Oberl. T. II. p. 867 sq. Richter hist. krit. Versuch über die Arsaciden Leipz. 1804.

2. *Nam Phrahates IV. quanquam depulisset — diffisus*, v. nota 1. et 2, 54. 3, 73. 12, 41. *depulisset*, vicisset, ut 3, 73. et al., *Ern.* — *venerantium officia*, pro off. venerationis, vel quae a venerantibus praestari solent. „Locutio huic aetati propria, ut *ambitio salutantium* 0. 29. et *illecebrae peccantium* Agr. 4. *Officia* illa restitutio signorum et alia quaedam.“ *Wolf.* Sic et *supplicia civium* 6, 40. Cf. nota 1. Nr. XIII. et XVI. — *partem prolis*, v. nota 1. N. XIII. — *firmandae amicitiae*, cf. Ind. III. v. *Dativi* et *Genitivi*. „Haec nil nisi praetextum significant. Quum infestos sibi optimates propter assidua scelera videret, ne esset Arsacides, qui rex nominari posset, IV filios amandavit filiumque adultum interfici iussit. Quod vero Iosephus A. I. 18, 2. narrat, etiam verum censeo. Diffidebat Phrahates liberis suis, ne suo exemplo patrem tollerent, eumque metum intendebat Thermusa concubina, ut illis absentibus Phraataci filio locum ad successionem pararet.“ *Gron.* „*Amicitiam* ne accipe de animi sensu, sed de rebus pacatis et foedere inter Parthos Romanosque, ut saepissime. Talem vero amicitiam re vera voluit, et quidem ob ambiguam *fidem popularium*, ut Romani sibi faverent, nec sustentarent adversarios; non autem ob *metum nostri*, tanquam vires Parthorum Romanis impares crederet. Cf. Dio 55, 11. et Strab. 16, 1. 28. Quare nihili est, quod interpretes crepant de amicitia obtentui sumpta.“ *Walth.* *perinde*, v. ad 3, 17, 1. G. 5. n. 6. et Agr. 10. n. 6. — *nostri metu*, cf. Ind. III. v. *Pronomina person.* — *nostri metu, quam — diffisus*, v. Ind. III. v. *Constructio verborum variata.*

CAPUT II.

Post finem Phrahatis et sequentium regum ob internas caedes venere in Urbem legati a primoribus Parthis, qui Vononen vetustissimum liberorum eius accirent. Magnificum id sibi credidit Caesar auxitque opibus. Et accepere barbari laetantes, ut ferme ad nova imperia. Mox subiit pudor, degeneravisse Parthos: petitum alio ex orbe regem hostium artibus infectum: iam inter provincias Romanas solium Arsacidarum haberi darique. Ubi illam gloriam trucidantium Crassum, exturbantium Antonium, si mancipium Caesaris tot per annos servitutem perpessum Parthis imperitet? Accendebat dedignantes et ipse, diversus a maiorum institutis, raro venatu, segni equorum cura; quotiens per urbes incederet, lecticae gestamine fastuque erga patrias epulas. Irridebantur et Graeci comites ac vilissima utensilium annulo clausa: sed prompti aditus, obvia comitas, ignotae Parthis virtutes, nova vitia, et quia ipsorum maioribus aliena, perinde odium pravis et honestis.

1. *Post finem*, v. ad 2, 71, 1. — *Phrahatis* IV. *et sequentium regum*, v. ad 2, 1, 1. N. XIII. XIV. XV. — *venere in Urbem legati* (missi) *a primoribus Parthis*, v. ad 15, 2, 1. et cf. Iustin. 42, 4. Suet. Tib. 16. Missae legationis annus ab U. c. 756. ponitur a Ryckio, sed a. 758. vel 759. a Vaillantio et aliis, a quibus cur dissentiamus aut annum finiamus 752, nullum argumentum video; *Wolf.* — *Vononem vetustissimum liberorum eius:* atqui a Strab. XVI. p. 748. (cf. ad 2, 1, 1. N. XIII.) quartus ordine minimusque ponitur; *Lips.* An aetate, nemo dixerit, nec sciebat ipse fortasse; *Wolf.* „Si posuit secundum aetatem, sumendum erit, Seraspadem, Rhodaspem, Phrahatem interim periisse et Vononem post finem patris solum fuisse superstitem ex his cum minoribus aetate eiusdem liberis nepotibusve. At quum 6, 31. Phrahates, regis Phrahatis filius, Roma poscatur, verisimilius est, neglecto aetatis discrimine Straboni constitutum nominum ordinem.“ *Walth.* — Caesar, „Augustus, ut c. 3. v. 12, 11.“ *Wolf.* — *auxitque opibus*, ut *ornat Phraaten accingitque paternum ad fastigium* 6, 32. pr. pecunia, comitatu aliaque pompa instruxit regium in morem; *Lips.* Cf. ad 1, 3, 2. — *accepere:* in MS. *accipere.* — *laetantes, ut ferme ad nova imperia* sc. laetari solent; *Ern.* — *subiit* MS. et ed. Bekk. *Subit* edd. rel. — *petitum alio ex orbe regem*, v. ad 2, 3, 2. Universus terrarum orbis tum in Romanos et in Parthos divisus videbatur; *Mur.* Cf. G. 2. et Iustin. 41. — *Ubi illam gloriam* sc. esse. Formula desiderantis et exprobrantis bonum amissum; *Freinsh.* Cf. ad 3, 5. intpp. Hom. Il. 5, 171. Virg. Aen. 5, 391. Sil. 7, 106. Ovid. Her. 4, 150. Accusativus cum Infinit. ponitur post partic. interr. ut 3, 5. 13, 43. 14, 1. Cf. Ind. III. v. *Accusat. cum Infinit. in interrog. et orat. obl.* Krüger über den Accusat. c. Infinit. nach Fragwörtern Braunschw. 1820. Ephem. lit. Hal. a. 1827. Suppl. p. 940 sq. — *trucidantium Crassum, e. A.* cf. ad c. 1. n. 1. de Orode I. et Phrahate IV.

2. *Accendebat dedignantes et ipse* Vonones. Cf. ad 1, 23, 1. — *raro venatu* cet. v. Ind. III. v. *Ablativi qualitatis.* „Haec tamen unica studia procerum régisque. v. Xenoph. Cyrop. 1, 2 sq. 8, 1, 34. Suet. Cal. 5. Dio 40, 15. et Iustin. 41, 3.“ *Lips.* et alii. — *lecticae gestamine*, quod ipsis molle et muliebre, ut est, videbatur; *Mur.* Cf. ad 11, 33, 1. — *fastuque erga patrias epulas*, v. ad 3, 2, 1. „*Fastus* h. l. est fastidium, quod proprie in cibis dicitur et interdum est e superbia; unde *superbus dens* de fastidio ap. Hor. Serm. 2, 6, 87. Simplicem victum Persarum fastidiebat assuetus Romae delicatioribus.“ *Ern.* „Simplicem victum Parthis non tribuerim. In epulis cogita totum morem convivandi cum megistanibus. *Fastus* invidiose dicitur cum contemptu de aliis quoque rebus quam cibis.“ *Wolf.* Utriusque sententiae conciliari possunt; *Walth.* Cf. Suet. Cal. 5. et Iustin. 4, 3. — *Graeci comites*, v. ad 1, 29, 1. 4, 58, 1. Suet. Tib. 56. ubi v. Ern. Exc. XV. — *vilissima utensilium*, v. ad 1, 70, 3. — *annulo clausa:* nam olim non, ut nunc, cistae resque magni pretii claustris, sed primum nodis magna arte nexis, deinde annulis signatoriis s. sigillariciis muniri solebant a furto. Cf. intpp. Iuvenal. 14, 132. Hard. ad Plin. 33, 1. s. 6. Cort. ad Cic. ep. ad div. 16, 26. Lips. exc. II. ad Tac. Ann. II. Boettiger Griech. Vasengemälde 1, 2. p. 101—105. et id. in N. Teutsch. Merkur a. 1795. m. Apr. p. 355. — *obvia comitas*, in obvios, vel potius Germ. entgegenkommende, ut *obvia voluntas* ap. Quintil. 8, 4, 23. et sim. — *ignotae Parthis virtutes, nova vitia:* „Vultne, ipsas virtutes ignotas habitas pro vitiis? Possit sic accipi; ut comitas illa pro vilitate fuerit. Sed potius est duo dici, ut et ignotas quasdam virtutes intulerit, et nova etiam vitia, sc. luxum, delicias aliaque Romana.“ *Lips.* „Prior interpretatio probanda. Sensus est: virtutes illae Vononis, quia ignotae ante Parthis in regibus, (quorum in Oriente maxima erat maiestas, magnificentia, po-

tentia et veneratio) pro novis vitiis habebantur, omninoque et prava et honesta eius instituta odio erant, propterea quod a moribus ipsorum aliena erant." *Ern.* Cf. 15, 21. — *et quia ipsorum moribus* cet. In his verbis latet explicatio quaedam prioris sententiae, Tacito non infrequens mos; *Wolf.* — *maioribus* MS. et edd. vet. quod revocarunt Walth. et Kiessl. *moribus* edd. Bern. et aliae e coni. Mur. Lips. Gron. „Hoc elegantius esse et dignius, neque in verbis video neque in re. Parthi, ut Orientis gentes solent, in omnibus rebus obstinate retinebant patrios mores; *maioribus aliena,* sive virtutes sive vitia, aspernabantur. Quare et regem *a maiorum institutis diversum* dedignabantur. Hinc sine dubio Parthorum *moribus aliena* eadem sunt *aliena maioribus* eorum." *Walth.* Cf. 6, 32. — *perinde,* v. Ind. II.

CAPUT III.

Igitur Artabanus, Arsacidarum e sanguine, apud Dahas adultus, excitur primoque congressu fusus reparat vires regnoque potitur. Victo Vononi perfugium Armenia fuit, vacua tunc interque Parthorum et Romanas opes infida ob scelus Antonii, qui Artavasden regem Armeniorum specie amicitiae illectum, dein catenis oneratum, postremo interfecerat. Eius filius Artaxias, memoria patris nobis infensus, Arsacidarum vi seque regnumque tutatus est. Occiso Artaxia per dolum propinquorum, datus a Caesare Armeniis Tigranes deductusque in regnum a Tiberio Nerone. Nec Tigrani diuturnum imperium fuit neque liberis eius, quanquam sociatis more externo in matrimonium regnumque. Dein iussu Augusti impositus Artavasdes et non sine clade nostra deiectus.

1. *Artabanus* II. v. ad c. 1. n. 1. N. XVII. *Arthabanus* ed. Ber. — *Arsacidarum e sanguine,* materna origine, *apud Dahas adultus*; v. ad 6, 42, 2. *Dahae* populus Scythiae Oxo fl. vicinus et Caspii maris accola, ubi nunc Dahistan; *Brot.* Cf. 11, 10. Strab. XI. p. 352. Plin. 6, 17. — *reparat vires,* fuga capta ad montes Mediae, ut Ioseph. A. I. 18, 3. tradit; *Lips.* — *Victo Vononi perfugium Armenia* maior *fuit,* primo Seleucia, de quo Ioseph. l. c.; *Lips.* — *vacua,* v. ad 1, 3, 2. et 2, 46, 1. — *inter Parthorum et Romanas opes,* Romanorum. v. ad 1, 7, 8. *infida* cur Parthis fuerit, pro noto omittit, statim ad *scelus Antonii* properans; *Wolf.* „Vere *scelus.* Artavasdes enim II. Antonium in expeditione Parthica deseruisse visus, fallacibus ab eo literis excitus, in vincla habitus et in triumpho Alexandriam ductus est. v. Dio 49, 25. 31. 33. 39. 40. Plut. in Anton. p. 939. Strab. XI. p. 524. 530. Vell. 2, 82." *Lips.* „*Artavasdes* dicitur Plut. et Strab. ll. ll. sed *Artabazes* Ioseph. B. I. 13 extr. 15, 4. 5. Dioni 54, 9. et al. Plut. in Crasso p. 554." *Ern.* — *catenis oneratum,* „argenteis primum in castris et aureis in triumpho. v. Dio 49, 39. 40. Vell. 2, 82. — *postremo interfecerat,* non statim post triumphum. Post pugnam demum Actiacam Cleopatra, ut auxilia ab Medorum rege impetraret, caput Artavasdis ad illum misit. v. Dio 50, 1. 27. 51, 5. Filios Augustus retinebat propter iniurias per Artaxem Romanis illatas. Dio 51, 16. *Eius filius* natu maximus *Artaxias,* qui apud Ioseph. Arch. 15, 5. Ἀρταξίας, apud Dion. 49, 39. Ἀρτάξης audit. *Arsacidarum vi* cet. Partem Armeniae ab Antonio Mediae rex et idem Artavasdes nomine acceperat; Polemon, rex Ponti, Armeniam minorem. Antonio autem contra Caesarem profecto cum exercitu Medus a Parthis et

Artaxia superatus Armeniam simul cum Media amisit. Dio 49, 44." *Walth.*

2. *Occiso Artaxia* cet. „Iosephus hunc Artaxiam filium facit Artabazis s. Artavasdae, neque occisum eum a propinquis dicit, sed a Tiberio et Archelao pulsum. Horatius utriusque rei gloriam Tiberio tribuere videtur ep. 1, 12, 26. Dio historiam confundit et Artabazem nominat pro Artaxia, Tigranem facit eius fratrem 54, 9. Res autem ita habet. Artavasdes s. Artabazus duum filiorum pater, Artaxiae et Tigranis. v. Ioseph. A. I. 15, 5." *Lips.* De Horatii loco v. Ruhnk. ad Vell. 2, 94. p. 384. quam causam tamen ampliandam duco; *Wolf.* — *datus*, „proprie ut in numis ab Augusto cusis. v. Noris. cen. Pis. II, 9. p. 151. *deductus*, ut ap. Ioseph. κατaχθεὶς. Sed *regnum Armeniae Tigrani restitutum* dicit Suet. Tib. c. 9. ubi cf. Oudend. Id si proprie capias, falsum est: sed *restituit* ibi capio pro *dedit*, et sic verbum hoc postea saepe usurpatum etiam in constitutt. Principum. v. Glossar. Nomic. cod. Theodos. h. v. et intpp. Vell. 2, 32." *Ern.* „Quomodo in isto genere confundi possint *restituere* et *dare*, verba per se diversa satis nec optimis scriptoribus commutata, facillime apparet. Etiam Dio 54, 9. habet ἀποκαταστῆσαι." *Wolf.* Cf. Ruhnk. l. l. Fabric. et Reimar. ad Dion. 54, 9. De morte Tigranis v. 6, 40. Ioseph. A. I. 18, 5. de alio Tigrane 14, 26. 15, 1. Notissima autem ars et consuetudo Romanorum, vel reges a se creatos gentibus dandi, vel a suis pulsos in regnum reducendi et adversus factiones nobilium populariumque adiuvandi, vel maiora regna in minora dispertiendi, vel exteris denique regibus civitates donandi, ut his beneficiis capti inservirent Romanis et instrumenta servitutis fierent, quorum ope aliae civitates imperio Rom. subiicerentur. Cf. 4, 58. 6, 31. 32. 11, 10. 12, 11 seq. 13, 7. 14, 26. 15, 1. H. 2, 81. Agr. 14. (*vetere ac iam pridem recepta pop. Rom. consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis et*, etiam, ipsos, *reges*) ubi Vird. et Walch. iam contulerunt Liv. 44, 24. (*Populum Rom. regum viribus reges oppugnare. Attalo adiutore patrem suum oppressum. Eumene adiuvante — Antiochum superatum.*) et Sall. hist. 4. in epist. Mithridatis ad Arsacem: *Eumenem, cuius amicitiam gloriose ostentant, initio prodidere Antiocho, pacis mercedem. Post Attalum, custodem agri captivi, sumptibus et contumeliis ex rege miserrimum servorum effecere, simulatoque impio testamento filium eius Aristonicum, qui patrium regnum petiverat, hostium more per triumphum duxere.* Nec *dati* tantum tales reges, quos Romanis fidos fore beneficiorumque memores sperari poterat, sed etiam, ubi dubia erat regum creatio et in certamen adducta, *petiti Roma* (v. ad 12, 14, 1.) *acceptique.* v. 2, 1. 2. 44. 45. 62. 63 extr. 64. 65. 6, 31. 32. 11, 10. 16 pr. 12, 10. 14. 13, 7. 14, 26. 15, 1. H. 2, 81. G. 33. n. 7. cap. 42. n. 9. Agr. 14. n. 2. Plin. ep. 2, 7. Dio 67, 3. Capitol. in M. Aurel. 14. Hegesipp. in oratione Agrippae regis 2, 9 med. Spanh. de pr. NN. T. II. p. 582. (ubi in numo Antonini Pii leguntur verba *rex Quadis datus*) Möser Osnabrück. Gesch. T. I. p. 156. et inpr. Heyne opusc. Acad. T. IV. p. 286 — 301. Regum quoque liberi Romanis obsides dati, ut 2, 1. 11, 10. 12, 10. — *Nec Tigrani* cet. cf. ad 6, 40, 2. — *liberis sociatis more externo*, „Aegyptiorum aliorumque Orientalium, apud quos saepe frater sororque tori et regni consortes, ut Ptolemaeus et Cleopatra ap. Liv. 27, 4. Caes. b. civ. 3, 108. et b. Alex. c. 33. Strab. 17. et Dion. 40. Ptolemaeus iun. et Arsinoe apud Dion. l. l. Darius et soror ap. Arrian. 2, 2. et Oros. 3, 16. Mausolus et Artemisia reges Cariae ap. Strab." *Freinsh.* — *iussu Augusti impositus Artavasdes*, cf. Zonar. p. 539. et Dio 55, 11. qui tamen mutilus est; *Walth.* — *deiectus*, v. ad 11, 29, 2.

CAPUT IV.

Tum C. Caesar componendae Armeniae deligitur. Is Ariobarzanem origine Medum ob insignem corporis formam et praeclarum animum volentibus Armeniis praefecit. Ariobarzane morte fortuita absumpto, stirpem eius haud toleravere, tentatoque feminae imperio, cui nomen Erato, eaque brevi pulsa, incerti solutique et magis sine domino quam in libertate profugum Vononen in regnum accipiunt. Sed ubi minitari Artabanus et parum subsidii in Armeniis vel, si nostra vi defenderetur, bellum adversus Parthos sumendum erat; rector Syriae Creticus Silanus excitum custodia circumdat, manente luxu et regio nomine. Quod ludibrium ut effugere agitaverit Vonones, in loco reddemus.

1. *C. Caesar* Agrippae f. *deligitur* a. U. 752. sed. a. 756. in reditu ex illa provincia mortuus; Wolf. cf. 1, 3. 2, 42. 3, 48. 56 Vell. 2, 99. 101. 102. *componendae Armeniae deligitur,* v. Ind. III. *Dativus* nr. 1. *componendae,* ordinandae, dato rege; *Ern.* Cf. 4, 1. 12, 40. H. 3, 53. 4, 3. O. 36. n. 1. — *ob insignem corporis formam,* „quam Aethiopes, Medi aliique Orientis populi in regibus eligendis sequi solebant. v. Aristot. polit. I. et IV. Lucret. V. et Strab.“ *Mur.* — *volentibus Armeniis,* v. ad 1, 59, 1. — *soluti,* v. ad 1, 50, 3. — *magis sine domino, quam in libertate;* nam libertas legibus et magistratibus suis constat et imperii certa forma, ideoque sine domino esse possunt, nec tamen liberi proprie dicendi; *Lips.* Gallofranci nuper exemplum dederunt; *Wolf.* — *Vononen,* ut c. 2., MS. et ex eo I. Gron. pro *Vononem.* Cf. Ind. III. v. *Orthographia.*

2. *Sed ubi minitari Artabanus,* v. ad c. 40. „Hic Orodem s. Herodem filium suum regem iis dedit. Iosephus A. I. 18, 4. hanc rem fusius exsequitur, sed paulum a Tacito diversus.“ *Lips.* — *nostra vi*: in MS. *nos avi.* — *defenderetur* sc. Vonones. — *bellum a. P. sumendum erat,* v. ad 2, 45, 1. — *in loco* suo *reddemus:* reddidit c. 68; *Lips. Reddere,* tradere, narrare, ut H. 4, 67, 3. De *Cretico Silano* v. ad 2, 43. de *Vonone* II. Ind. II. et ad c. 1. n. 1. de scriptura nominis *Silanus* ad 12, 3, 2.

CAPUT V.

Ceterum Tiberio haud ingratum accidit, turbari res Orientis, ut ea specie Germanicum suetis legionibus abstraheret novisque provinciis impositum dolo simul et casibus obiectaret. At ille, quanto acriora in eum studia militum et aversa patrui voluntas, celerandae victoriae intentior, tractare proeliorum vias et quae sibi tertium iam annum belligeranti saeva vel prospera evenissent: fundi Germanos acie et iustis locis: iuvari silvis, paludibus, brevi aestate et praematura hieme; suum militem haud perinde vulneribus quam spatiis itinerum, damno armorum affici: fessas Gallias ministrandis equis: longum impedimentorum agmen opportunum ad insidias, defensantibus iniquum: at, si mare intretur, promptam ipsis possessionem et hostibus ignotam: simul bellum maturius incipi legionesque

et commeatus pariter vehi: integrum equitem equosque per ora et alveos fluminum media in Germania fore.

1. *ea specie*, eo s. sub eo praetextu, ut *specie* et *per speciem* 1, 44. 4, 3. 44. 5, 8. 12, 3. — *suetis legionibus*, Germanicis. v. 1, 3. et 31. — *novis provinciis:* „omnibus, quae in Oriente sive, ut c. 43 dicit, quae mari dividuntur, *impositum* cum imperio proconsulari, *dolo* — *obiectaret*, quem ipse meditabatur, ut in longinquis locis eum veneno tolleret, obscuriore sic fama.“ *Lips. Obiectare casibus* aliquem imitatione Virg. Aen. 2, 751. dixit; *Ern.* — *quanto acriora in eum studia militum et* quanto magis *aversa patrui voluntas*, tanto *celerandae victoriae intentior*, ut ὅσῳ γὰρ ὑμεῖς ἐκείνους ἀποθανεῖν εὔχεσθε, τοσούτῳ ἅπασιν ἡδὺ προαποθανεῖν ὑμᾶς αὐτῶν Lucian. D. de M. 6, 4. et Δημοκρατίαν ἐγιγνώσκομεν οἱ φρονοῦντές τι, καὶ αὐτὸς οὐδενὸς ἂν χεῖρον, ὅσῳ καὶ λοιδορήσαιμι Thucyd. 6, 89. quos comparavit Ramshorn. Gram. p. 315. Cf. ad 1, 57, 1. — *tractare proeliorum vias* cet. „secum eas pensitabat mente, consultabat de modo belli cum Germanis gerendi, et quidem comparandis et *prosperis* et *adversis*, quae sibi antea illo in bello *evenissent*; unde colligebat, optimum fore, si per mare ingrederetur. Sic *via* modus rei gerendae, tractandae, consequendae, ap. Cic. ep. 4, 13. ad Q. fr. 1, 1. or. 1, 19. λύρης μύθων οἶμοι ap. Callim. H. in Dian. ubi v. quae dixi, ὁδοὶ τοῦ πολέμου ap. Thucyd. 1, 122.“ *Ern.* Cf. ad 1, 54, 3. „Sed ap. Thucyd. ὁδοὶ est id. qd. ἀφορμαὶ, et h. l. *vias* proprie intelligo, non modum belli gerendi, etsi *viam* sic usurpat Tac. Ann. 1, 54. et Iustin. 31, 5. Optime Allemandus: cogitare, quibus *viis* hostem ad pugnam eliceret.“ *Wolf.* „Utrique explicationi obstant sequentia ad idem verbum *tractare* referenda: *quae sibi — evenissent.* Hinc *tractare proeliorum vias* est in animum revocare et reputare vias, quas hucusque erat secutus in expeditionibus contra Germanos.“ *Walth.* — *tertium iam annum:* immo plures et continuos a clade Vari, excepto consulatus anno: sed Tacitus a postrema eius missione annos numerat, quae fuit exacto consulatu eius a. U. 765. sub Augusti mortem; *Lips.* „A. U. c. 764. cum imperio profectus est contra Germanos, a. 765. bello Germ. dux destinatus, et a. 766. ad hoc bellum profectus est. Inde vero computandi sunt tres anni: nam ante consulatum a. 765. non solus, sed Tiberii auspiciis belligeravit nec quicquam memoratu dignum fecit. Cf. Dio 56, 25. 26. *saeva*, ut ap. Xenoph. Cyrop. 4, 1, 8. τὰ χαλεπά, adversa.“ *Walth.* Verius esset *scaeva* i. e. sinistra; *Lips.* „Fuit quum lascivirent in hoc vocabulo passim inculcando ingenia: sed raris processit. *Saevum* est interdum grave, durum, asperum, crucians et hinc adversum, v. c. *negotium, dolor, tempestas, paupertas, catenae, necessitas.*“ *Gron.* — *acie et iustis locis* pro *acie in iustis locis. Iustis* pro aequis nove dictum; *Lips.* Immo idoneis ad pugnandum, qualia sunt aequa, plana; *Wolf. Iustum* dicitur quod est, quale esse in suo genere debet; *Walth.* — *praematura hieme*, v. ad G. 22 pr. — *damno armorum affici*; cf. 1, 71. extr. quo satis defenditur vulgatum; *Ryck.* et *Gron.* — *fessas Gallias ministrandis equis*, cf. 1, 71.

2. *si mare intretur* cet. Nam Romani triremes et classem in Rheno et Oceano ordinariam, Germani non nisi navigia quaedam habebant eorumque rudes erant illo aevo; *Lips.* — *promptam*, facilem, *ipsis possessionem*, h. e. occupationem sc. maris: nam *possidere* est interdum occupare; *Gron. Possido*, non *possideo*, est id. qd. occupo, et *possessio* hinc occupatio. Cf. 14, 21. H. 3, 8. 59. Agr. 18. Sall. Iug. 18. Liv. 24, 45. 31, 31. 38, 60. 42, 23. Cic. Agr. 1, 2. ad Heren. 1, 11. et Verr. 3, 68. „*Possessio* vel actio est τοῦ κτᾶσθαι i. e. *occupandi*, vel status et conditio τοῦ κεκτῆσθαι, *habendi*: si prius, a verbo *possido*; si posterius, a *possideo*. Locus autem, quem proelio delectum occupavimus hostique eri-

puimus, noster habetur, utpote in potestate nostra. Iam de agro, de loco proelii, non de mari, intell. sunt verba, sic quidem: Cursu maritimo Romanis facile fore occupare hostilem agrum, aequa loca ad Visurgim seu *media in Germania*, ipsis insciis Germanis. Scrupulus ita nullus restat, nisi forte in verbis *hostibus ignotam*. Verum quum *possessionem* de actione dixerit, aliter non potuit loqui. Si quid durum residet, in brevitate est, sed aptum rei et stylo huius scriptoris." *Wolf.* „*Possessio*, ut *κτῆσις*, quod triplici modo usurpatur. *Possidēre* locum sensu militari est occupare ad usus militares, non ad incolendum. *Ignotam hostibus*, nondum expertam ideoque inopinam. Nam quanquam Drusus eadem ausus (v. cap. 8.) iam prius via maritima Germaniam aggressus erat, hic tamen non contra Cheruscos, sed contra Frisios tum ivit." *Walth.* „Mihi valde blanditur emend. Acid. et Boxh. *profectionem:* nam ex antecedd. clarum est, non hic de occupatione sermonem esse, sed de itinere, per quod ingredi Romanus possit fines hostium. Id erat infestum terra et grave, per mare facile et tutum *et hostibus ignotum*, improvisum, nescientibus, Romanos ita venturos." *Ern.* Suffragatur Wachsmuth. (v. ad 1, 38, 1.) qui etiam malebat *et hostibus incautam*, quam praecavere non possent, ut Heins. *ut h. ignotam.* — *bellum maturius incipi:* „Quare? nam et triremibus aestas exspectanda erat. Sed causam credo in *commeatibus*, de quibus adiungit. Quia enim tarda aestas et messis in Germania, haec exspectanda erat ob frumenta et pabula; aut magna mole et mora identidem ista subvehenda." *Lips.* Aliquod etiam momentum fuisse credo in celeriori et maturiori itinere, quod dabatur per mare; *Walth.*

CAPUT VI.

Igitur huc intendit. Missis ad census Galliarum P. Vitellio et C. Antio, Silius et Anteius et Caecina fabricandae classi praeponuntur. Mille naves sufficere visae properataeque: aliae breves, angusta puppi proraque et lato utero, quo facilius fluctus tolerarent: quaedam planae carinis, ut sine noxa siderent: plures appositis utrinque gubernaculis, converso ut repente remigio hinc vel illinc appellerent: multae pontibus stratae, super quas tormenta veherentur, simul aptae ferendis equis aut commeatui. Velis habiles, citae remis augebantur alacritate militum in speciem ac terrorem. Insula Batavorum, in quam convenirent, praedicta, ob faciles appulsus accipiendisque copiis et transmittendum ad bellum opportuna. Nam Rhenus, uno alveo continuus aut modicas insulas circumveniens, apud principium agri Batavi velut in duos amnes dividitur servatque nomen et violentiam cursus, qua Germaniam praevehitur, donec Oceano misceatur; ad Gallicam ripam latior et placidior affluens. Verso cognomento *Vahalem* accolae dicunt: mox id quoque vocabulum mutat *Mosa* flumine eiusque immenso ore eundem in Oceanum effunditur.

1. *Igitur huc*, ad haec, *intendit* sc. animum, ut 2, 61 pr. 3, 37. H. 4, 79. et *huc inclinavit* H. 3, 27. Cf. etiam 11, 32. H. 1, 48. 2, 12. 22. — *ad census Galliarum* agendos. Cf. ad 1, 31, 1. — *P. Vitellio*, v. Ind. I. — C. *Antio* ex emend. Ursini et Ryck. receptum a Brot. Wolf. aliisque. Notum nomen ex Liv. 4, 17. Gell. 2, 24. Cic. Brut. 25. Gruteri inscr. L. n. 9. Vaillant. fam. Rom. T. I. p. 77. *Cantio* MS. et edd.

vet. quae gens etiam nota ex Grut. inscr. p. 70. 322. 385: 1088. Liv. 10, 46. al. *P. Cantio* corr. Gordon; *Sentio* Freinsh. *Canutio*, *Calventio* et *Calvisio* Aurel. *Scantio* Lips. Mox *Caecinna* ed. Ald. — *Mille naves* — *properatae*, v. ad 1, 28, 2. et G. 20. n. 7. — *aliae breves*, ut contra *longae*, triremes. — *lato utero*, alveo. — *quo facilius fluctus tolerarent* naves firmae et apte fabricatae; *Ern.* — *planae carinis* cet. Cf. Caes. b. G. 3, 13. et ad G. 44. n. 3. — *ut sine noxa siderent*, v. ad 2, 47, 1. et 6, 4, 2. — *appositis utrinque gubernaculis* cet. v. ad H. 3, 47, 7. et 8. ad G. 44. n. 2. et 3. — *multae pontibus*, tabulatis, (καταστρώμασι Thucyd. 7, 40. Germ. Verdecke) *stratae*, constratae, *super quas tormenta veherentur*, quae tegerent propugnatores; unde naves istae *constratae*, κατάστρωτοι, tectae, *cataphractae*, κατάφρακτοι, ut aliae ἄφρακτοι et *apertae*. Cf. intpp. Liv. 30, 10. Schweigh. ad Polyb. T. V. p. 40. Scheffer. de re nav. 2, 2. et 5. *super quos* (pontes) coni. Ern. Sed ratio potius redditur, cur naves pontibus stratae sint; *Walth.* „*Pontibus stratae* est pro simpl. adiectivo: repugnat etiam reliqua constructio. Est: *et vehendis tormentis aptae, et ferendis equis aut c.*" *Wolf.* — *Velis habiles*, sc. omnes hae naves. *Habilis* et *facilis* dicitur, qui *haberi*, (ut 2, 14.) h. e. facile et commode regi, tractari potest, εὐμεταχείριστος; *Ern.* ad 2, 14. Cf. ad 4, 53, 1. 11, 18. H. 1, 79. 2, 87. 3, 59. — *citae remis*, ut 15, 38. — *augebantur alacritate mil. in sp. ac t.* pro *augebatur species ac terror classis alacritate militum*, quae maxime intelligitur e clamore; *Ern.* Cf. ad 15, 9, 1. et ad G. 38. n. 6. „*augebantur in speciem ac terrorem* per ἓν διὰ δυοῖν dicta pro *in speciem terrificam*, ut G. 38. *in altitudinem quandam et terrorem ornantur*; *Roth.* de synon. Tac. p. 25. 27. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin* „Immo *species* est dignitas formae, ornamentum, (ut 15, 9. et Agr. 35.) *terror* forma, quae metum iniicit hosti eumque terret. Erat igitur classis illa iucunda simul et terribilis aspectu. *Naves augebantur alacr. mil.*, ex ea incrementum illis accessit, et quidem *in speciem ac terrorem*, ut *acies in speciem simul ac terrorem constiterat* Agr. 35. et *in altitudinem quandam et terrorem compti* G. 38. Gr. εἴς τι. De verbo *augeri* v. ad 1, 3, 2." *Walth.*

2. *Insula Batavorum*, de qua v. H. 4, 12. et G. 29. Caes. b. G. 4, 10. Plin. 4, 15. *Batuorum* MS. et ed. Ber. Id probabat I. Gron. motus inpr. auctoritate Cluverii, qui dicit, superiorem insulae partem etiam nunc incolis vocari *Betauw*, *Betouw*, *Bettuve*. Sed v. Mannert. et ad H. 4, 12, 4. Paulo post etiam *Batavi* legitur in MS. — *praedicta*, constituta, ut *dicta* et *prodicta*; *Ern.* Sic c. 79. *diem praedixisset*, ubi Acid. et alii coni. *prodixisset*, quod verbum usitatius est et significat vel simpl. dicere, definire, ut Liv. 3, 58. 25, 13. vel proferre, prorogare, ampliare, in alium diem differre, ut 6, 20. Sic προείπειν, προαγορεύειν. Sed *praedicere* est etiam id, qd. dicere, constituere, edicere, iubere, ut 2, 79. 11, 27. 13, 36. 16, 33. Cf. Drak. et Duk. ad Liv. 2, 61. et 3, 57. *dicta* corr. Heins. Ceterum de altera hac Germanici expeditione v. cap. 6—26. et v. Wersebe über die Völker d. a. Teutschl. p. 35 sq. — *accipiendisque copiis* cet. pro: *et ad accipiendas copias et ad transmittendum bellum opportuna. Copiis*, cibariis, Mundvorräthe, (cf. Ind. II.) *accipiendis* sc. ex Britannia. v. Ammian. Marc. 18, 2. „*Transmittere bellum*, διαπέμπειν, alium in locum transferre. Sed *tramittendum* dedimus e consuetudine Tac." *Walth.* — *Nam Rhenus uno alveo continuus* — *velut in duos amnes dividitur*, quorum alter Rhenus, alter *verso cognomento*, mutato nomine, vocabulo, (ut 2, 60. 4, 65.) *Vahalis* (al. *Walis*, *Valis*, *Valus*, *Vachalis*, *Vaculus*, *Vacalus*, Βάκαλος, hod. Waal, Wael, Wahl) vocatur: sed rectius tria Rheni ostia nominant Plin. 4, 29. et Ptol. 2, 9. Cf. ad 2, 8, 1. 11, 20. 13, 53. H. 5, 19. Wilhelmi German. p. 60 sq. Mannerti G. A. III. p. 543. Rühs ad Tac. G. p. 71 sq. Barth. Teutschl. Urgesch. §. 421. v. Hoff Gesch. der

nat. Veränd. der Erdoberfläche Goth. 1822. p. 355 sq. v. Wersebe über d. Völker d. a. Teutschl. p. 99—101. — *qua parte Germaniam praevehitur*, praetervehitur, i. e. praeterfluit, ut *praefluere*, *praegredi*, *praelegere*, *praeferri*, *praelabi*, quae v. in Ind. II. *quam Germania pr.* ed. Ald. — *donec Oceano misceatur*, v. Ind. II. v. *Donec*, ad G. 1. n. 6. et inpr. Ind. III. v. *Verborum Indicativus et Coniunctivus* β, 1. — „*latior et placidior* (pro Adv.) *affluens*, ut ap. Virg. Ge. 4, 373. *quo non alius* — *violentior effluit amnis*. Expunxi cum antiquioribus et Bekk. *et* ante *affluens*, quod forsitan inserendum ante *latior*." *Kiessl.* Abest *et* ab edd. vet. ante Ern. Copulam tamen retinendam et maiorem vim esse in Adiect. quam in Partic. putat Boett. in Lex. Tac. p. 31. — *Vahalem:* in MS. *Vahalaem*. Ceterum hic est anacoluthon, cui signa parentheseos parum medeantur, quum Nominativi quodammodo pendeant a verbo *mutat; Wolf.* „Anacoluthon vero nullum est, si ad verba *ad Gallicam* — *affluens* intellexeris verbum substant. et totum locum melius distinxeris, quod fecimus. *Vocabulum mutat Mosa flumine*, ut Germ. wechselt. Additur Ablativus, ut apud Graecos Genitivus. Cf. 16, 12. et Matthiae Gram. Gr. §. 342." *Walth.* — *eiusque immenso ore* cet. cf. H. 5, 23.

CAPUT VII.

Sed Caesar, dum adiguntur naves, Silium legatum cum expedita manu irruptionem in Chattos facere iubet: ipse audito, castellum Luppiae flumini appositum obsideri, sex legiones eo duxit. Neque Silio ob subitos imbres aliud actum, quam ut modicam praedam et Arpi principis Chattorum coniugem filiamque raperet: neque Caesari copiam pugnae obsessores fecere ad famam adventus eius dilapsi. Tumulum tamen, nuper Varianis legionibus structum, et veterem aram Druso sitam disiecerant. Restituit aram honorique patris princeps ipse cum legionibus decucurrit. Tumulum iterare haud visum, et cuncta inter castellum Alisonem ac Rhenum novis limitibus aggeribusque permunita.

1. *dum adiguntur naves*, ἐπάγονται, ut 11, 18. H. 2, 83. 3, 47. 4, 22; *Ern.* — *Chattos:* in MS. *Chatos* et mox *chatorum*. v. ad G. 29. n. 1. — *audito*, v. ad 1, 46, 1. — *castellum Luppiae flumini* (Lippe) *appositum* a Druso, *Aliso* c. 7. extr. et Vell. 2, 120. non Vesalia, sed hod. Elsen s. Alsen, ubi ὅ τε Λουπίας καὶ ὁ Ἐλίσων (Luppia et Alma, non Lise) συμμίγνυνται Dio 54, 33. haud longe a Paderborna; Ἄλεισον vero Ptol. 2, 11. ad Rhenum fortasse Alsum. v. Ferd. a Fürstenberg monum. Paderb. p. 2—11. 62 sq. Cluver. Germ. ant. 3, 9. Wilhelm. German. p. 71. 72. 310. Reichard. German. p. 204—206. 284—287. v. Wersebe über d. Völker d. a. Teutschl. p. 14. 15. 27. 28. Mannert. G. A. III. p. 103. (422. 459.) *Aliso* etiam fluvius est, non tamen Mosellae, sed Luppiae, qui et ipse longe infra confluentes Rheni et Mosellae in Rhenum exit, sese miscens: propter quem situm eiusdem nominis castellum; *Gron.* De alio Drusi castello v. ad 1, 56. et de quatuor eius expeditionibus in Germaniam ad G. 1. n. 3. — *sex legiones eo duxit:* „Tacitus scripsit *ducit*, ut *iubet* et c. 25 pr. *imperat* — *erumpit*." *Ern.* Satis vero simile c. 20 pr. *tradit* — *instruxit*, c. 39. *imperat* — *recepitque* et sic locis pluribus; *Wolf.* „Sunt qui negligentiae scriptoris talia tribuant. At egregius ut artifex et consulto haec ita concinnasse mihi videtur Tacitus atque sapienter satisque erudito sensu distinxisse, quae verba alacriori, quae tranquilliori cursu deberent fluere." *Walth.* Cf. ad 14, 4. 15, 5. 7.

et alia loca, inpr. Ind. III. v. *Verborum Tempora.* — *Neque Silio aliud actum,* cf. Ind. III. v. *Dativus* nr. 1. Mox *opsessores facere* MS.

2. *Tumulum nuper Varianis legionibus structum,* v. 1, 62 pr. „Tumulus hic fuit inanis et honorarius, κενοτάφιον, constitutum militibus defunctis, quorum reliquiae non faciles repertu. Cf. Suet. Claud. 1. Xenoph. Anab. 6, 4, 9. et Virg. Aen. 3, 303 sq.“ *Lips.* v. et Virg. Aen. 6, 380. 506. Suet. Claud. I. Sil. 3, 86. 9, 118. 15, 803. al. Sed non inanis hic tumulus fuit: nam ossa medio campi albentia legerant et humo texerant; *Walth.* — *veterem aram Druso sitam,* h. e. in memoriam Drusi, ut *Varianis legionibus structum,* 4, 55. H. 4, 22; *Walth.* „Cenotaphium Druso mortuo decretum ad Rhenum ipsum. v. Dio 55, 2. et Suet. Claud. 1. Nescio an *ara* huic tumulo adiuncta: apparet, quia Suet. ait *supplicarent.* Volunt, id cenotaphium ad Moguntiacum fuisse. Repugnat hic locus, qui constituit inter Luppiam et Rhenum. Aliud fuit Ravennae, cuius memoria in lap. prisco.“ *Lips.* „Huius tumuli vestigia hodie quoque superesse creduntur in nomine loci, qui vocatur *Drusiloch,* h. e. Drusi locus. *Tumulus* vero ab *ara* diversus: nam haec est in finibus hostium, ubi annua illa caerimonia fieri non potuit, quae a Tac. et Suet. memoratur. Oudend. ad Suet. *aram* eandem facit cum *tumulo* et distinctam putat a monum. Mogunt.“ Ern. ad h. l. et ad Suet. Wolfius assentiebatur Oudendorpio. „At diversam a tumulo illo honorario aram nostram facile cognosces. Nam Dio 55, 2. κενοτάφιον illud disertis verbis ponit πρὸς αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ, quod accipiendum est de ripa Gallica. Hinc Suet. Claud. 1. refert, circa tumulum illum stato die quotannis militem decucurrisse Galliarumque civitates publice supplicasse. Quod fieri non potuit apud aram sitam inter Luppiam et Visurgim, nisi si putes Galliarum civitates in finibus hostium quotannis supplicasse. *Aram* vero hanc suspicor fuisse sitam in eo loco, ubi Drusus vita decessit, πρὶν ἐπὶ τὸν Ῥῆνον ἐλθεῖν, Dio 55, 1. Et mirum sane esset, si hunc locum nullo monumento in memoriam tam gravis casus constituto reliquissent. Tali demum arae eximie convenit decursio legionum.“ *Walth.* „Ceterum alii *sitam,* exstructam, non in honorem Drusi, sed a *Druso* ipso explicant, locis usi dicam an abusi 3, 38. et 6, 41. Prior satis docet, talem graecismi ambiguitatem de industria vitari, posterior facilem medelam habebit, si ex voc. *QUAE* literam *A* repetas. Quanquam ibi nulla ambiguitas est prae illa nostri loci. Denique monumenti alieno iussu exstructi maior religio, restitutionisque et decursus ratio probabilior est.“ *Wolf.* Cf. ad G. 3. n. 7. Eutrop. 7, 8. Barth. Teutschl. Urgesch. §. 346. — *honori* (in honorem) *patris princeps,* primus, *cum legionibus decucurrit:* „haec est decursio funebris, περιδρομή, in funere et circa rogum seu tumulum illustrium virorum. v. Hom. Il. 23, 13. Virg. Aen. 11, 188 sq. Liv. 25, 17. Herodian. 4, 2. Lucan. 8, 735. Stat. Theb. 6, 213 sq.“ *Lips.* Cf. Dio 56, 42. Herodian. 4, 2, 19. Appian. B. C. 1, 106. Kirchman. de fun. 3, 3. Gori Museum Etrusc. T. II. p. 376.“ Basis columnae Antonini Pii, quam descripsit Vignolius Rom. 1705., exemplum decursus huius exhibet.“ *Oberl.* „Alia est *decursio* campestris s. decursus cohortium, campicursio, Waffenübungen, manoeuvres: nam haec exercitii fuit, solita usurpari ter quot mensibus ex institutione Augusti. v. 2, 55. 3, 33. Veget. 1, 9. 27. 3, 4. Suet. in Ner. 7. in Galba 6. Liv. 23, 35. 24, 48. al.“ *Lips.* ad 2, 55. — *tumulum iterare,* restituere, *haud visum,* placuit. „Cur ita? an quod Tiberius id non probasset? an quia tumuli non reparandi absque pontificum et Principis (qui tum pontifex max.) permissu, de quo v. leg. praet. §. *Non perpetuae* de sepulcr. viol. et *L. Ossa* de reliq. et sumpt. fun. D. Sed vera ratio est, quod Tiberius laudi Germanici invideret, quam reparatione tumuli, mortuis legionibus dati, apud viventes esset consecutus.“ *Aurel.* Eadem a Gu-

ther. iur. pont. 2, 9. traduntur; *I. Gron.* — *castellum Alisonem;* post *castellum* distinguendum putabant Vertr. et Lips. „Recte, opinor. *Castellum* intelligit, quod paulo ante dixerat *castellum Luppiae flumini appositum*, et *Alisonem* fluvium, non eiusdem nominis castellum, quod an detur satis dubium est. Ita quoque posuisset *Alisonem castellum*, non *castellum Alisonem.*" *Walth.* Sed utraque dictio Romanis in usu fuit et de Alisone castello v. nota 1. — *novis limitibus aggeribusque* (v. ad 1, 50, 1.) *permunita*, ut 4, 24. H. 3, 9. v. ad 4, 12, 3. et 4, 34, 2.

CAPUT VIII.

Iamque classis advenerat, quum, praemisso commeatu et distributis in legiones ac socios navibus, fossam, cui *Drusianae* nomen, ingressus precatusque Drusum patrem, ut se eadem ausum libens placatusque exemplo ac memoria consiliorum atque operum iuvaret, lacus inde et Oceanum usque ad Amisiam flumen secunda navigatione pervehitur. Classis Amisiae relicta laevo amne, erratumque in eo, quod non subvexit. Transposuit militem dexteras in terras iturum. Ita plures dies efficiendis pontibus absumpti. Et eques quidem ac legiones prima aestuaria, nondum accrescente unda, intrepidi transiere; postremum auxiliorum agmen Batavique in parte ea, dum insultant aquis artemque nandi ostentant, turbati et quidam hausti sunt. Metanti castra Caesari Angrivariorum defectio a tergo nuntiatur. Missus illico Stertinius cum equite et armatura levi igne et caedibus perfidiam ultus est.

1. *distributis in legiones* cet., inter leg. ut 2, 67. 3, 38. H. 3, 58. al. Cf. Ind. II. v. *In.* — *fossam Drusianam:* nam tria sunt Rheni ostia, medium et orientale, maximum fluvii, per fossam Corbulonis (v. 11, 20.) cum Mosa iuncti, helium, occidentale et sinistrum, cui Vahalis illabitur, ducta a Claudio Civili fossa, Lico, (Lecca) dextrum s. Flevus, (Flie s. Vlie) cui infunditur Sala s. Isala, Rheno per *fossam Drusi* (Drusische Canal, Neue Yssel) et Flevum (Zuydersee) in septentr. effuso et exhausto sic veteri alveo, qui medius postea dictus. v. ad 2, 6, 2. Wilhelmi German. p. 64. 65. Alting. descr. agr. Bat. et Fris. p. 115. Barth. Urgesch. Teutschl. §. 338. v. Wersebe über die Völker u. Völkerbündn. d. a. Teutschl. p. 13. 14. *Fossas Drusinas* dixit Suet. Claud. 1. ubi v. intpp. Sic alii (ut Mela 2, 5.) *fossam* in Gallia *Marianam*, alii (Plin. 3, 4.) *fossas Marianas* appellant, non ut augeant rem, sed ex solo usu Latinitatis, ut in opera paulo maiore; *Wolf.* — *precatus Drusum patrem:* „cf. Curt. 3, 10, 7. et Sil. 15, 203 sq." *Gron.* — *eadem ausum*, v. Strab. 7. p. 290. et versus in arcu triumphali a Petrarcha lectos; *Lips.* Cf. ad G. 34. Dio 54, 32. Suet. Claud. 1. *ausurum* coni. Ern. Sed v. Ind. III. v. *Participia depon. praet.* et *Verba ἀορίστως posita.* Audere iam coepit, qui viam ingressus est; *Wolf.* — *libens placatusque*, ut *volens propitius* in formulis precum. Cf. Burm. ad Val. Fl. 2, 324. et Heyne ad Virg. Ge. 2, 41. — „*lacus* nominat semper plures, ut 1, 60. At hodie unus, quod mare meridionale appellant, *unus ingens* ap. Mel. 3, 2. Apparet autem clare, gentes ibi terrasque fuisse pluribus lacubus interstinctas." *Lips.* Cf. ad 1, 60, 1. — *Amisiam flumen*, v. ad 1, 60, 1. In MS. *amissiam* et a m. sec. *amissiae.*

2. *Classis Amisiae relicta laevo amne* cet. verba varie explicata. „Classis relicta in ulteriore ripa fluminis, uti debuit, sed in ima et mari

proxima, quod non debuit. Ita illi *laevus amnis*, sc. ex positura navium, quas verisimile est quiescentes eas et in statione habuisse." *Lips.* „Immo *Amisia* locus aut castellum in ore amnis Amisiae (Ems) situm, quod nobili urbi, quae nunc *Embda* s. *Emda* dicitur, originem dedit. Nec refert, quod urbs in dextro Amisiae latere hodie sita sit, quum Tacitus non dicat, Amisiam suam fuisse in sinistro, sed *classem* a Germanico *Amisiae relictam laevo amne*, i. e. ex adverso Amisiae castelli in laeva amnis parte, quum castellum esset in dextra." *Ryck.* Ἀμάσεια opp. Ptol. 2, 11. Ἄμισσα Steph. quod multis esse videtur hod. Embda, Mannerto G. A. III. p. 104. (556.) locus prope opp. Soest, Wilhelmo German. p. 153. portus ad laevam Amisiae ripam, non longe a Delfzyl, ex adverso Emdae, Reichardo German. p. 64. Emsbüren. „*Amisia* est locus, non fluvius, *laevus amnis* ripa laeva s. quae laeva esset ex Oceano advenientibus. Non in dextra ripa expositus exercitus, quod iter ibi impeditius esse constaret. Sed ei incommodo occurrere debebat Germanicus, non itinere in laeva parte faciendo, sed longius adverso flumine progrediendo, *subvehendo exercitu.* Locus tamen hic scaber est. Si tollas *transposuit*, omnia plana sint. *Erratum* s. peccatum *in eo*, quod militem non longius *subvexit* in flumine, ut eum statim in dextris exponere posset nec opus haberet pontibus." *Ern.* „Ripa amnis non classi, sed Tacito *laeva*, ad sinistram, fuit: nam mos est historicis, ut dextram sinistramque non ab hostium parte, sed a sua designent; unde ap. Liv. 21, 31. *ad laevam*, 27, 48, *dextra acies* et *sinistrum latus hostium*, 21, 5. *ultra Iberum*." *Stroth.* ad Liv. 21, 31. — *erratumque in eo, quod non subvexit:* „Haec quasi quandam παρενθήκην putans nihil scabrum video, nisi quod elegantior fortasse auctor scripsisset: *classe A. relicta — transposuit militem.* Alii male putant, dupliciter erratum, primum quod non subvexerit, tum quod non transposuerit exercitum. Pertinet hoc ipsum verbum *transposuit* ad sinistram ripam, ut recte viderunt Cluver. et Freinsh." *Wolf.* „*Transposuit* aptissimum h. l. quem optime Bucher. Belg. Rom. 3, 6. ita explicat: *Erratum in eo, quod* classis militem *non subvexit* in superiora et sicciora, sed in demissis humidisque reliquit, *iturumque in dextras terras* Chaucorum minorum *transposuit* in laevos Frisiorum agros." *Brot.* „*Laevus amnis* est laevum eius latus, ut *dextrae terrae* in dextra Amisiae ripa obviae inter Amisiam et Visurgim, in quas itum esse e seqq. constat. *Erratum in eo quod non subvexit* sc. intra fluminis ora usque ad eum locum, ubi militem e navibus in dextram amnis ripam exponeret. *Subvehere* est ἀνάγειν, aufwärts fahren, adverso flumine vehere, ut c. 80. et Suet. Cal. 15. *Transposuit* militem, debuisset subvehere." *Walth.* — *efficiendis pontibus:* „sc. super aestuaria et paludes, ut placuit Cluverio. Sed *pontibus* per enallagen potius dictum, ut *fossae Drusinae* ap. Suet. (v. nota 1.) et inf. c. 11. pr. *pontibus*, ut *pontes in Isara* ap. Cic. ep. 10, 23. qui unus fuit. v. ep. 18, 15." *Ern.* „Ex lege sermonis iudicari hoc non potest. Dicuntur interdum *pontes*, ut *horti*, ut *fossae* cet. Sed hic locorum situs favet propriae significationi." *Wolf.* Sic et 1, 61 pr. — *prima aestuaria*, ut ap. Liv. 10, 2. *stagna irrigua aestibus maritimis.* — *Batavique* cet. „cf. Caes. b. G. 1, 13. et Liv. 38, 25." *Gron.* — *in parte ea*, in iis aestuariis; *Brot.* Immo *in parte ea* exercitus, qui inter has copias auxiliares erant; *Wolf.* „In postremo auxiliorum agmine. Cf. Sall. Iug. 60. et Caes. b. G. 1, 12." *Walth.* — *dum insultant*, v. ad 1, 54, 3. — *hausti sunt*, ut 1, 70. — *Angrivarii*, Ἀγγριουάριοι Ptol. 2, 11. fidi Chaucorum socii et finitimi Chamavis, Tencteris et Cheruscis inter Visurgim et Amisiam, serius appellati *Angarii*, in Angaria, hod. Enger. v. Ind. II. et ad G. 33. n. 2. *Angrivoriorum* MS. „Illos haud multo ante in Rom. societatem perductos puta a Germanico eorum sedes peragrante. Id

Tac. ex hac narratione suspicari nos volebat: quae non admodum insolens ratio est.“ *Wolf.* Aliis obscurior videtur ac manca haec narratio et silentio praetermissa omnis Germanici expeditio ab ostio Amisiae ad Visurgim. v. Wilhelmi German. p. 163 sq. Ricklefs. ad h. l. et Mannerti Geogr. T. III. p. 104 sq. „At quis tandem affirmabit, plurium dierum spatio memoratu dignum aliquid accidisse? Germanicus agmen duxit per nationes pacatas aut nil contra ipsum molientes; hinc factum est, ut illacessitus ad Visurgim perveniret, ubi hostes erant, quos petebat. Ibi *castra metatus est* sc. stativa et rite permunita. Id primum tunc memoratu dignum accidit post superatam Amisiam. Nam in itinere, ubi nimia necessitas non premeret, Romani caespitibus circumdatis velut murum struebant, neque metabantur castra, sed secundum locorum rationem nunc rotunda, nunc triangula, nunc quadrata faciebant. v. ad Agr. 22. n. 3. Veget. 1, 24. 5, 8. Sall. Iug. c. 45. Iam *Angrivariorum defectio* nos iubet suspicari, eam gentem prius fuisse pacatam, non vero in hoc demum itinere, (id enim non tacuisset Tacitus propter subitam defectionem deinde secutam) sed priori potius anno. Chauci saltem, contermina gens, tum in commilitium asciti sunt. v. 1, 60. Quare et idem *Stertinius* nunc mittitur, qui priori anno inter easdem gentes rem gesserat. Quanquam *defectio* dici solet quicunque Germanorum conatus, quo libertatem suam contra Romanos tuerentur. Sic c. 13. Cherusci etiam dicuntur *perfidi et ruptores pacis.*“ *Walth.* — *armatura levi*, v. ad 1, 51, 2. et Ind. III. v. *Abstracta pro Concretis.*

CAPUT IX.

Flumen Visurgis Romanos Cheruscosque interfluebat. Eius in ripa cum ceteris primoribus Arminius adstitit quaesitoque, *an Caesar venisset*? postquam *adesse* responsum est, *ut liceret cum fratre colloqui*, oravit. Erat is in exercitu, cognomento Flavius, insignis fide et amisso per vulnus oculo paucis ante annis duce Tiberio. Tum permissum, progressusque salutatur ab Arminio, qui amotis stipatoribus, ut sagittarii nostra pro ripa dispositi abscederent, postulat et postquam digressi, *unde ea deformitas oris*? interrogat fratrem. Illo locum et proelium referente, *quodnam praemium recepisset*? exquirit. Flavius aucta stipendia, torquem et coronam aliaque militaria dona memorat, irridente Arminio vilia servitii pretia.

1. *Visurgis* fluvius, qui hoc nomen accipit ad Fuldae et Werrae confluentes temporibusque potissimum Germanici Romanis innotuit. *Ὁ Βίσουργις* Strab. VII, 1, 3. ὁ *Οὐΐσουργις* et *Οὐϊσούριγις* Ptol. 2, 11. ὁ *Οὐϊσούργος* et *Οὐϊσούργις* Dion. 54, 23. 55, 1. 28. 56, 18. *Wisuraha*, *Wisuracha*, *Wirtana*, *Werra* in medio aevo. v. Barth Teutschl. Urgesch. §. 428. Wilhelmi German. p. 75. Reichardi German. p. 190. — *Flavius:* ius civitatis Rom. acceperit necesse, qui *cognomentum*, h. e. nomen Rom. asciverit; *Ern.* In MS. quater *Flavus* et c. 11. *Chariovalda.* Utrumque plane verum puto; *Wolf.* *Flavius* libri rel., ut omnes 11, 16. — *amisso per vulnus oculo*, v. ad H. 4, 13, 2. — *duce Tiberio*, sub eo militans; *Ern.*

2. *Tum permissum*: „Muretus *tum* delet. Heinsius coni. *Tum, ut permissum*, Vir doctus ap. Ryck. *Id tum permissum.*“ *Ern.* „*Tum* transitioni servit, ut *τότε μὲν, τότε μὲν οὖν*. Sic 4, 10. 11, 31.“ *Wolf.* et *Walth.* Sed *Walch.* ad Agr. 10. et emend. Liv. p. 138. 139. *tum* et *tunc* dici docet de tempore tam praeterito, (damals) quam praesenti et futuro; pro

nunc, si scriptori placeat narrationis oblito aliqua e sua persona proferre, ut Tac. Ann. 2, 9. (*tum permissum*, quasi dixisset: ei petenti nunc permissum) Liv. 1, 25. 9, 41. 21, 35. 22, 3. 25, 34. 28, 19, 32, 19. 39, 47. 42, 8. Sall. Iug. 98. Ter. Eun. 2, 2, 50. eandem vero vim esse Gr. τότε ap. Xenoph. Ἀναβάσ. 1, 1, 6. et Memorab. 3, 6, 4. Lucian Philopseust. 7. Herod. 1, 126. Plat. Phaed. fin. Cf. ad Tac. Ann. 2, 26, 5. 2, 51, 1. 12, 36, 2. *permissu* MS. Verba *erat is in exercitu* — *Tiberio* παρενθήκης loco adiecta. — *nostra pro ripa*, v. ad 2, 81, 1. — *torquem et coronam aliaque militaria dona*, v. ad 1, 44, 2. — *irridente Arminio*, cum irrisu respondente, *vilia servitii pretia*, quae Arminii verba sunt, non Taciti; *Doederlein* in Seebodii Archiv für Philol. und Paedag. a. 1826. 1, 4. p. 79. Retinenda potius vulgaris verborum interpretatio. *pretia* h. l. praemia, ut 3, 40. 6, 3. 11, 7. 35. 13, 56. H. 1, 11. 18. 3, 20. Agr. 1. et G. 24. Cf. Duk. ad Flor. 1, 1. Gron. ad Liv. 26, 40. Gernhard. ad Cic. de sen. 4.

CAPUT X.

Exin diversi ordiuntur: hic magnitudinem Romanam, opes Caesaris et victis graves poenas, in deditionem venienti paratam clementiam, neque coniugem et filium eius hostiliter haberi: ille fas patriae, libertatem avitam, penetrales Germaniae deos, matrem precum sociam; ne propinquorum et affinium, denique gentis suae desertor et proditor quam imperator esse mallet. Paulatim inde ad iurgia prolapsi, quo minus pugnam consererent, ne flumine quidem interiecto cohibebantur, ni Stertinius accurrens plenum irae armaque et equum poscentem Flavium attinuisset. Cernebatur contra minitabundus Arminius proeliumque denuntians: nam pleraque Latino sermone interiaciebat, ut qui Romanis in castris ductor popularium meruisset.

1. *diversi ordiuntur*, v. ad 1, 34, 2. Uterque causas suas et consilia proferre coepit diversa inter se et contraria; *Wolf.* Cf. ad 2, 60, 1. „Immo *diversi*, ἐναντίοι, gegen einander stehend, ut 13, 57. 14, 38. 15, 15. 16, 30. Agr. 11.“ *Walth.* Non existimamus, quenquam, cui aliquid Germanici sanguinis in corde salit, haec absque interiore quodam animi sensu legere posse; *Gebauer* vest. iur. Germ. p. 636. — *clementiam*, v. ad 12, 49, 1. — *coniugem et filium eius* cet. v. 1, 57—59.

2. *Penetrales dii*: „iidem qui *penates* et *dii patrii* a maioribus traditi. Hi sunt vel publici et gentis, ut h. l., vel privati et familiae, in impluviis aedium culti, qui *eiusdem familiae dii* dicuntur 2, 65. et *familiares* Cic. p. domo 41.“ *Ern.* ad h. l. ad 2, 65. et clav. Cic. *Dii penates* 11, 16. per quos *penitus* spiramus, vel qui *penitus* insident, ut Cicero dicit N. D. 2, 28. Gr. θεοὶ πατρῷοι, μύχιοι, κτήσιοι, πλουτοδόται, Κάβιροι, *Lares* 12, 24. scil. publici, non familiares et domestici. *Penetrale* et *penus* propr. dicitur pars media et intima aedium privatarum, templorum Prytaneorumque, in qua Vestae ignis aeternus, arae ac simulacra erant sacrata, deinde et urbium; nec non locus interior et occultus, ubi res sacrae magnique pretii reconduntur. Cf. G. 40. Agr. 30. n. 3. Liv. 1, 20. 6, 41. 41, 20. 45, 5. intpp. Ovid. Trist. 4, 4, 83. Spanhem. ad Callim. H. in Del. 325. in Cer. 129. Heyne Exc. IX. ad Virg. Aen. II. et Hermanni mythol. T. II. p. 71. et 75. Ottfr. Müller die Etrusker II. p. 87. Creuzer Symbolik T. II. p. 306. 441. IV. p. 222. ed. I. T. II. p. 624. 639. 673. 877. ed. II. — *penetralis* h. l. edd. vet. ἀρχαϊκῶς. — *matrem precum sociam*, quae idem precetur obtesteturque quasi Flavium filium

idem cum filio petentem; *Ern.* — *cohibebantur, ni — attinuisset,* v. ad 1, 35, 3. — *proelium,* non certamen singulare; *Freinsh.* — *ut qui,* v. Ind. II.

CAPUT XI.

Postero die Germanorum acies trans Visurgim stetit. Caesar, nisi pontibus praesidiisque impositis dare in discrimen legiones haud imperatorium ratus, equitem vado tramittit. Praefuere Stertinius et e numero primipilarium Aemilius, distantibus locis invecti, ut hostem diducerent. Qua celerrimus amnis, Chariovalda dux Batavorum erupit. Eum Cherusci, fugam simulantes, in planitiem saltibus circumiectam traxere: dein coorti et undique effusi trudunt adversos, instant cedentibus collectosque in orbem pars congressi, quidam eminus proturbant. Chariovalda, diu sustentata hostium saevitia, hortatus suos, ut ingruentes catervas globo frangerent, atque ipse in densissimos irrumpens congestis telis et suffosso equo labitur ac multi nobilium circa: ceteros vis sua aut equites cum Stertinio Aemilioque subvenientes periculo exemere.

1. *Germanorum acies trans Visurgim stetit,* ad dextram eius ripam, ut Romanorum ad sinistram et occidentalem. — *Caesar nisi pontibus* (v. ad cap. 8. n. 2.), factis in flumine *praesidiisque* (v. Ind. II.)' *impositis* sc. his pontibus. Cf. ad 2, 20, 2. — *haud imperatorium ratus,* imperatori conveniens; *Ern.* ἡγεμονικόν, στρατηγικόν. *Walth.* Sic *oratorium* ap. Cic. de leg. 1, 2. — *vado tramittit,* ut ap. Sall. fragm. hist. 2. — *e numero primipilarium* sc. centurionum. *primilliarium* MS. *Primipilaris* s. *primopilaris, primipilarius, primipilus* (πριμοπίλος ap. Dionys. IX. p. 567. et Suid.) et *primus pilus,* h. e. primi pili s. ordinis centurio, (ut 1, 29.) *primus centurio, quem nunc primi pili* centurionem *appellant* Liv. 7, 41. ductor primi pili s. ordinis pilanorum, triariorum, *insignis centurio* 4, 73. nam eius munus non modo quaestuosum erat, sed etiam honorificum et gradus equestris: unde ambitiose petitum, vel ab ipsis tribunis militum, quod lege vetitum. Cf. ad 12, 7, 1. 13, 36. H. 1, 87. 4, 15. Liv. 7, 41. Iuvenal. 14, 197. Obtinebatur autem per gradus et ordines: nam in quavis legione erant LX ordines s. centuriae, (XX hastatorum, XX principum, XX triariorum) totidemque centuriones, quorum infimus erat *decimus hastatus* h. e. hastatorum, medius fere *princeps primus* s. *prior centurio,* (Liv. 25, 14. Caes. B. C. 3, 64.) summus *primipilaris.* Ab hoc etiam aquila gestari solebat, saltem custodiri. Cf. H. 3, 22. Veget. 2, 8. Iuvenal. 14, 197. Plin. 14, 1. Suet. Cal. 44. Dio 54, 25. 55, 23. Lips. de mil. Rom. 2, 8. Cort. ad Sall. Iug. 38. Fabretti Synt. ad col. Trai. c. 7. p. 188 sq. — *ut hostem diducerent,* v. ad 1, 32, 2. Male *deducerent* MS. et edd. vet. ante Lips. — *Qua* parte erat. — *Chariovalda* scripsi pro *Cariovalda.* v. ad 2, 9, 1. — *Batavorum,* auxiliarium, sociorum. v. cap. 8. — *erupit* sc. ex amne, quem vado transierat; *Ern.*

2. *planitiem saltibus circumiectam* nove dictum, non quae ambiebat saltus, sed quam saltus cingebant; *Ern.* — *collectos in orbem,* ut ap. Liv. 2, 50. 4, 28. 39. 21, 56. 22, 29. 28, 22. *colligere* et *volvere orbem, in orbem pugnare* et *se tutari,* facto orbe et fronte in omnes partes hostibus obversa. Cf. ad G. 6. n. 10. — *pars congressi,* cf. ad H. 2, 22, 5. — *hostium saevitia,* v. ad 1, 67, 1. — *frangerent* edd. Lips. Pich. et rec. *fringerent* MS. et edd. vet. *fringerent atque ipsis densissimos* MS. *catervas globo frangerent,* cum densa et conserta militum multitudine perfringerent.

perrumperent, ut 12, 43. Cf. 3, 74. 4, 50. 12, 14. 54. 13, 25. 14, 61. 15, 60. 16, 27. H. 3, 22. G. 13. Liv. 4, 29.

CAPUT XII.

Caesar transgressus Visurgim indicio perfugae cognoscit, delectum ab Arminio locum pugnae; convenisse et alias nationes in silvam Herculi sacram ausurosque nocturnam castrorum oppugnationem. Habita indici fides et cernebantur ignes, suggressique propius speculatores, audiri fremitum equorum immensique et inconditi agminis murmur, attulere. Igitur propinquo summae rei discrimine explorandos militum animos ratus, quonam id modo incorruptum foret, secum agitabat: *Tribunos et centuriones laeta saepius quam comperta nuntiare; libertorum servilia ingenia; amicis inesse adulationem. Si concio vocetur, illic quoque, quae pauci incipiant, reliquos adstrepere. Penitus noscendas mentes, quum secreti et incustoditi inter militaris cibos spem aut metum proferrent.*

1. *silvam Herculi sacram*, v. ad G. 3, 1. ad G. 9. n. 4. et 7. Intelligunt saltum montemque hod. Bückeberg aut Süntelgebirge prope Hamelam, in cuius cacumine (Hohenstein) repertae veteris arae reliquiae, (Trudenstein) quia Süntel s. Suntel sit id. qd. Sühnthal et *heark* s. *härk* in ling. Sax. dicatur lucus sacer, unde Härkling non longe ab Helmstadio et *silva Herculi sacra.* v. Barthii Teutschl. Urgesch. T. II. p. 23. Wilhelmi German. p. 48. et Reichardi German. p. 231. — *summae rei discrimine*, v. ad 2, 45. H. 3, 56. 4, 85. — *id incorruptum*, haec exploratio incorrupta. „Sic *iudicium incorruptum* et alia. Secus Wopk.“ *Wolf.*

2. *reliquos adstrepere*, cum strepitu approbare, ut H. 4, 49. — „*Penitus* Germ. bis ins Innerste, wirklich, gründlich, ut 1, 52. et al.“ *Roth.* ad Tac. Agr. 40.

CAPUT XIII.

Nocte coepta egressus augurali per occulta et vigilibus ignara, comite uno, contectus humeros ferina pelle, adit castrorum vias, assistit tabernaculis fruiturque fama sui, quum hic nobilitatem ducis, decorem alius, plurimi patientiam, comitatem, per seria, per iocos eundem animum laudibus ferrent reddendamque gratiam in acie faterentur, simul perfidos et ruptores pacis ultioni et gloriae mactandos. Inter quae unus hostium, Latinae linguae sciens, acto ad vallum equo, voce magna coniuges et agros et stipendii in dies, donec bellaretur, sestertios centenos, si quis transfugisset, Arminii nomine pollicetur. Incendit ea contumelia legionum iras: *veniret dies, daretur pugna; sumpturum militem Germanorum agros, tracturum coniuges: accipere omen et matrimonia ac pecunias hostium praedae destinare.* Tertia ferme vigilia assultatum est castris sine coniectu teli, postquam crebras pro munimentis cohortes et nihil remissum sensere.

1. *Nocte coepta* (v. ad 1, 65, 1.) *egressus augurali* cet. *Augurale* s. *auguraculum* et *auguratorium* ap. Hygin. 2, 13. et in lap. ap. Gruter. p. 128, 4. Gr. *οἰωνιστήριον*, sc. aedificium, ad dextram praetorii fuit, ubi duces auspi-

carentur et ex pullis auguria captarent; *Lips.* „Tacitus ostendit, augurale ita tabernaculo imperatoris adiunctum et continuatum fuisse, ut ignaris vigilibus e praetorio egredi potuerit. Nisi verius est, a parte hac sanctiore et auspiciis, quae unius imperatoris erant, totum praetorium *augurale* appellatum, ut ap. Quintil. 8, 2, 8. *tabernaculum ducis augurale;* nam ita ibi pro *augustale* legendum videtur. Iosephus B. Iud. 3, 5. constitutum inter media principum tabernacula praetorium ναῷ παραπλήσιον fuisse ait.“ *Schel.* ad Hygin. de castram. p. 52. Haud dubie prior ratio praestat et est, quasi dixisset: *egressus augurali via occulta et vigilibus ignota; Wolf.* „*egressus* non praetorio, sed *augurali,* ubi certius latebat; *Brot.* „Immo *egressus* est praetorio, non vero qua solebat egredi, sed *augurali,* h. e. per augurale, unde egredi insolitum. (v. ad H. 4, 68, 10.) Deinde *per occulta — adit castrorum vias,* ad eas pervenit: nam haec iungenda.“ *Walth.* Cf. ad 15, 30. Lips. de mil. Rom. 5, 2. et Ottfr. Müller: die Etrusker III, 6, 10. p. 150. *per occulta* loca *et vigilibus ignara,* ignota. v. ad 1, 5, 3. — *contectus humeros ferina pelle:* „ut habitum mentiretur Germani. Multi enim Germani non in castris solum, sed, ut opinor, inter eius custodes. Germani autem plerumque pelliti.“ *Lips.* Cf. ad G. 17. et Ind. III. v. *Accusativi iuncti Verbis, Participiis et Adiect.* cet. — *adit castrorum vices,* i. e. vigilias, coni. Heins., ita vero scribendum non approbat; *Wolf.* — *fruitur fama sui,* *quum hic nobilitatem* cet. quod a Xenoph. Cyrop. 3, 1, 41. sumpsit; *Gron. fama sui,* v. ad 4, 24. *Frui* pro mire delectari, de re, quae magnam nobis affert voluptatem, (Germ. angenehmen Genuſs) ut 3, 5. 11, 23. H. 4, 62. O. 12. 26. Iuvenal. 1, 49. 11, 171. Cf. Drak. ad Sil. 12, 566. intpp. Claudian. in Ruf. 1, 235. *Gron.* ad Liv. 22, 14. et Sen. Herc. fur. 34. Schwarz et Gierig ad Plin. pan. 34, 4. — *patientiam* laborum. — *reddendam gratiam in acie,* ut ap. Hom. Il. 16, 270. et Diodor. Exc. l. 35. p. 608. ed. Wess. de Mario; *Gròn. perfidos* et ruptores pacis, v. ad 2, 8. extr. — *ultioni et gloriae mactandos,* ut ap. Petron. c. 81. *noxio sanguine parentabo iniuriae meae; Ern.* Cf. ad I, 61, 3. — *linguae sciens,* v. ad 1, 64. — *in dies sestertios centenos:* „aureum Romanum. v. ad H. 1, 24. et Suet. Oth. 4. Genera autem ista numorum et copiam quin ab ipsis habuerint Romanis, dubitare nefas. Nam ut integrae cohortes aut manipuli transirent, qui numero suo difficilem solutionem facere possent, ne Arminius quidem speravit.“ *Gron. in dies,* v. ad 1, 1, 2.

2. *Incendit ea c. l. iras,* (v. ad 1, 23, 1.) si *veniret dies* et *daretur pugna,* copia pugnandi; *Ern.* Cf. ad 1, 13, 2. 4, 40 extr. 13, 40, 1. — *sumpturum m. G. agros,* rapturum, vi occupaturum; *I. Gron.* — *tracturum coniuges,* ut ap. Virg. Aen. 2, 402. efficacius quam c. 7. *rapere; Ern.* — *accipere* se *omen.* v. ad 1, 28, 2. — *matrimonium* id. qd. *coniuges,* uxores. Sic *remigium* 3, 1. *clientelae* 3, 55. *regna* 3, 55. *senectus* 1, 4. 6, 31. et alia. Cf. ad 12, 49, 1. Ind. III. v. *Abstracta pro concretis,* intpp. Sil. 5, 495. Liv. 3, 15. Iuvenal. 4, 39. 81. Burm. ad Suet. Caes. 51. Drak. ad Liv. 10, 23. Duk. ad Flor. 1, 1. Graev. ad Iustin. 41, 2. et Ern. ad h. l. Tac. Zumpt. Gram. §. 675. Poppo proleg. in Thucyd. 1. p. 259.

3. *Tertia vigilia,* v. ad 1, 28. — *assultatum est castris,* ut 12, 35. 13, 40. H. 1, 79. Agr. 26. — *nihil remissum* esse a sollerti cura custodiaque, nihil otiose et segniter agi. „*Nihil remissum,* Gr. οὐδὲν ἀνειμένον, ut *nih. occultum.* Sic quoque participiis utuntur Graeci. v. Matthiae Gram. Gr. §. 570.“ *Walth.* Cf. 1, 65. ubi contraria rerum facies.

CAPUT XIV.

Nox eadem laetam Germanico quietem tulit, viditque se operatum et, sanguine sacro respersa praetexta, pulchriorem

aliam manibus aviae Augustae accepisse. Auctus omine, addicentibus auspiciis, vocat concionem et quae sapientia praevisa aptaque imminenti pugnae disserit: *Non campos modo militi Romano ad proelium bonos, sed, si ratio adsit, silvas et saltus. Nec enim immensa barbarorum scuta, enormis hastas, inter truncos arborum et enata humo virgulta perinde haberi quam pila et gladios et haerentia corpori tegmina. Denserent ictus, ora mucronibus quaererent. Non loricam Germano, non galeam, ne scuta quidem ferro nervove firmata, sed viminum textus vel tenuis, fucatas colore tabulas. Primam utcunque aciem hastatam; ceteris praeusta aut brevia tela. Iam corpus, ut visu torvum et ad brevem impetum validum, sic nulla vulnerum patientia. Sine pudore flagitii, sine cura ducum abire, fugere, pavidos adversis, inter secunda non divini, non humani iuris memores. Si taedio viarum ac maris finem cupiant, hac acie parari. Propiorem iam Albim, quam Rhenum, neque bellum ultra, modo se patris patruique vestigia prementem iisdem in terris victorem sisterent.*

1. *laetam quietem*, v. ad 1, 65, 1. et 12, 49, 1. — *viditque*, vidit enim, ut c. 59. 14, 51 pr. Cf. ad G. 17. n. 5. *que* deleri volebat Mur. et *quippe* legi Acid. et Heins. — *se operatum* esse sc. sacris, ut ἔρδειν, ῥέζειν, propr. operam dare. Cf. Ind. II. intpp. Liv. 1, 31. 10, 39. Tibull. 2, 5, 95. 3, 36. Virg. Ge. 1, 339. *Rebus divinis operam dare* ap. Cic. de leg. 2, 11, 26. — *sanguine sacro respersa praetexta*: „nam pontifices, immo sacerdotes omnes, quum diis sacra facerent capite velato, praetexta usi; Germanicus autem augur et sodalis Augustalis. v. 1, 54. 62. et cf. Appian. B. C. 1, 54. Lamprid. in Alex. 40. Quintil. decl. 340. Spart. Hadr. 26. Liv. 27, 37. 33, 42. Plin. 9, 60. Zosim. 4, 36. „*Lips. sacri*, i. e. hostiae MS. teste I. Gron. quod non spernam; *Ern.* Hoc recepit Walth. coll. Suet. Cal. 57. ut sit sanguis, qui inter sacrificandum fluit. Scripturam vulg. certissimam habeo; *Wolf.* Teste Furia *restersa* MS. — *Auctus omine* fausto. v. ad 1, 3, 2. — *addicentibus auspiciis:* proprie *aves* (pulli) *addicere* et *admittere* dicuntur, ut ap. Liv. 1, 36. et saepe; *Ern.* — *quae sapientia praevisa* essent: immo *provisa*, commoda, opportunitates ad futuram pugnam providentia sua comparatae; Freinsh. Gron. al. „Nullum in tota concione Germ. verbum est, quo commoda a se parata aut quicquam providentia sua curatum memoret. Ut potius sese parent futurae necessitati, milites suos hortatur, ea disserens, quae sapienter praeviderat et animadverterat ex usu futura.“ *Wopkens.* Neque proprie providet sapientia, sed praevidet.“ *Wolf.* Cf. ad 4, 58, 2. et 11. 7, 1. Praeviderat Germ., *immensa barbarorum scuta* male tractari, itaque densandos ictus, ora mucronibus quaerenda, *Brot.* Aliter se res habet 4, 25. 11, 7. H. 5, 17.; *Walth.* — *ratio*, ut A. 18. — *immensa barbarorum scuta et enormes hastas*, cf. 1, 64. 2, 21. H. 2, 88. 5, 18. et ad G. 6. n. 4. — *perinde*, v. Ind. II. — *haberi*, v. ad 2, 6, 1. — *haerentia*, adhaerentia, *corpori tegmina*, scuta. Germanicum scutum erat incurvum, corpori adhaerens et circumfusum, Romanum *pectori appressum*, (c. 21.) planum, quod non sic tegebat; *Lips.* Aliis tegmina h. l. sunt lorica, galea, ocreae. — *denserent* forma ant. et e MS. restituta a Wolf. *densarent* edd. ante eum vulg. Cf. Gifan. ind. Lucret., intpp. Hor. od. 1, 28, 19. Virg. Ge. 1, 248. 419. Sil. 4, 159. Ovid. Fast. 3, 820. — *ora mucronibus quaererent*, peterent. Notum illud Caesaris: *miles faciem feri*; *Oberl. denserent — quaererent*, Cf. ad 11, 6, 1.

2. *Non loricam Germano*, Germanis, *non galeam*, v. ad G. 6. n. 9. —

ne scuta quidem ferro nervove firmata cet. v. ad G. 6. n. 5. „nervo, corio, ut ap. Sil. 4, 291. Scuta Rom. corio et aere inducta." *Ern.* — *viminum textus*, „ex iis texta, nexa. Cf. Sall. fragm. hist. 4. et Serv. ad Virg. Aen. 7, 632." *Gron.* — *vel tenuis* edd. vet. *sed tenuis* edd. Gron. et aliae. — *primam utcunque* — *tela*, cf. ad G. 6. — *corpus ad brevem impetum validum*, ut G. 4. Sic et ap. Liv. 5, 44. 10, 28. 38, 17. Polyb. 2, 33. de Gallis; *Ern.* — *nulla vulnerum patientia*, propr. vulnerum impatiens. Cf. ad G. 4. et Ind. III. v. *Ablativi qualitatis*. Haec e Thucyd. 4, 126. adumbrata videntur; *Lips.* — *sine pudore flagitii, sine* (v. ad 1, 10, 2.) *cura d. a. f.* Cf. G. 13. 14. 15. et Moeseri hist. Osnabr. T. I. p. 154. — *pavidos adversis*, in adv., ut *firmus adversis* (in iis constans) Agr. 35. nisi utrumque dictum, ut *firmus adversus pecuniam* et *largitionem* et *fortuita* 3, 18. H. 2, 82. 4, 5. „Similiter *arrogans minoribus*, adversus minores, 11, 21. *delictis hostium novus*, eorum ignarus, Agr. 16. *novus dolori* Sil. 6, 254. *huic varium* Hor. Sat. 2, 3, 53. Dubium tamen hoc videri potest coll. Vell. 2, 63. *firmus proposito.*" *Walch.* ad Agr. 16. — *patris patruique*, Drusi et Tiberii; *Lips.* — *iisdem in terris victorem sisterent se*, e Virg. Aen. 2, 620. 3, 117. sumptum; *Ern.* Cf. ad H. 2, 9, 2.

CAPUT XV.

Orationem ducis secutus militum ardor; signumque pugnae datum. Nec Arminius aut ceteri Germanorum proceres omittebant suos quisque testari: *Hos esse Romanos Variani exercitus fugacissimos, qui, ne bellum tolerarent, seditionem induerint: quorum pars onusta vulneribus tergum, pars fluctibus et procellis fractos artus infensis rursum hostibus, adversis diis obiiciant, nulla boni spe. Classem quippe et avia Oceani quaesita, ne quis venientibus occurreret, ne pulsos premeret: sed ubi miscuerint manus, inane victis ventorum remorumve subsidium. Meminissent modo avaritiae, crudelitatis, superbiae. Aliud sibi reliquum quam tenere libertatem aut mori ante servitium.*

1. *Orationem ducis secutus militum ardor*, „clamor, ardoris index. Mox *testari* ut c. 46. pro obtestari, cohortari." *Ern.* — *seditionem induerint*, cf. Ind. II. et ad rem 1, 16 sq. — *onusta vulneribus tergum*, v. ad 2, 17, 2. et 12, 30, 1. *tergum* MS. et edd. omnes ante Wolf. qui vel *onustum v. tergum* vel *onusta v. terga* legendum putabat, quia *pars* bis positum et in eadem forma orationis unum sibi verbum postulet et *obiiciant* aeque bene ad *terga* referatur quam ad *artus*. Sed recte monet Walther, *tergum* ne a fugientibus quidem, nedum a propinquantibus hostibus, de quibus h. l. sermo sit, *obiici* posse. Hinc ille, ut Ern., ad *pars onusta v. t.* intelligit *sit* vel *sint*. Cf. Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant.* Altera eius ratio impeditior est. Idem annotavit, *tergum* in Sing. dictum pro Plur. ut H. 5, 16. — *pars* — *obiiciant*, v. ad H. 2, 22, 5. — *infensis hostibus*, v. ad Agr. 32. n. 2. — *adversis diis* recte MS. et edd. vet. *a. odiis* male ed. Gryph. — *nulla boni spe*, felicis eventus. *nulla bona spe* coni. Ern. Sed v. Wolf. ad Cic. p. red. in sen. c. 5. p. 27. — *avia Oceani*, ut c. 68. *avia saltuum*; Ern. Cf. Ind. III. v. Adiectiva neutra p. 805.

2. *ne pulsos premeret*, persequeretur. *neu p. p.* malebat Ern. Sed v. ad 1, 10, 2. — *ubi miscuerint manus*, ut *manus conferre s. conserere*, et hinc, *miscere ictus* Agr. 36. *m. pugnas*, *bella*, *confundere proelia*, *μιγνύναι ὑσμίνην*, *συνάπτειν μάχην*, *ξυνάγειν Ἄρηα*. „Similiter *miscere vulnera* et *arma* dixit Lucan. 3, 354. 6, 80. *Μέλαινα δ' αὖ μεμίξεται οἶμοι*

στονόεσσα πλαγὰ Aeschyl. Pers. 1039. *Τί προςέμιξεν ἔπος* (nam verba feriunt, ut vulnera) Soph." *Walch.* ad Agr. p. 366. — *Aliud sibi reliquum — servitium?* „Volunt legi *quid* pro *aliud*, aut ante *aliud* addi *nihil-non-haud-an-nec-quid.* Sed h. l. est interrogatio ironica, cuius tamen signum melius omittitur, quoniam re vera nihil quaeritur, sed potius ut certissimum aliquid ponitur: Es bleibe ihnen wohl etwas übrig als cet. Sic 4, 70. 12, 37. 13, 21." *Walth.* — *tenere libertatem* cet. Cf. ad 4, 50, 1.

CAPUT XVI.

Sic accensos et proelium poscentes in campum, cui *Idistaviso* nomen, deducunt. Is medius inter Visurgim et colles: ut ripae fluminis cedunt aut prominentia montium resistunt, inaequaliter sinuatur. Pone tergum insurgebat silva editis in altum ramis et pura humo inter arborum truncos. Campum et prima silvarum barbara acies tenuit: soli Cherusci iuga insedere, ut proeliantibus Romanis desuper incurrerent. Noster exercitus sic incessit: auxiliares Galli Germanique in fronte: post quos pedites sagittarii: dein quatuor legiones et cum duabus praetoriis cohortibus ac delecto equite Caesar: exin totidem aliae legiones et levis armatura cum equite sagittario ceteraeque sociorum cohortes. Intentus paratusque miles, ut ordo agminis in aciem assisteret.

1. *campum, cui nomen Idistaviso* Dat. et Adiect. Cf. ad 4, 28, 1. Campus hic fuit infra Bremam circa pagum, qui Vegesaccus dicitur, mare versus, ubi pulchre lateque se pandit inter flumen et colles saltusque circumiectos; *Lips.* Videtur longius distasse Brema, quippe austro propior; *Wolf.* Non longe ab Hamela trans Visurgim, ubi veteris nominis memoria in arce Eisdorp et monte Deister, a quo pratum Deisterwiese dictum; *Cluver.* Germ. ant. 3, 14. *Eccard.* de orig. Germ. p. 291. *Brot.* et *Strombec.* Prope eadem loca, ubi etiam nunc *Staue* pagus et olim *Idistavisus* campus, ein eidstabisches Feld, sic dictus a Germ. *Idis-stawa,* quo significatur iudicium a foederatis in campo aperto, fortasse iuxta lucos sacros et communes trium populorum fines habitum (Eidgericht); *Grotef.* laud. in Hessii comm. II. in Tac. Germ. p. 2. Inter oppida Minden et Vlotho; *Mannert.* G. A. III. p. 85 sq. 109. Ad Hastenbeck, quod victoria Gallorum a. 1757. celebre reddidit; *d'Anville* géogr. anc. T. I. p. 125. Inter pagos Oldendorf et Stemern, (ubi secunda potius pugna fuit) W. *Strack* et *Münchhausen* in libello, cui titulus Wegweiser durch die Gegend um Eilsen, Lemg. 1817. Inter oppidula duc. Mindensis, quae nunc Hausberge, Wittekenhausen, Vennebeck et Holtrup vocantur, ad dextram Visurgis ripam, a vico Reme, ubi Germanicus fluvium hunc transiisse videtur, usque ad Rinteliam; *Grupen.* orig. Germ. 1, 4, 5. p. 182 sq. *Wilhelm.* German. p. 163. 164. v. Wersebe über die Völker d. a. Teutschl. p. 110 sq. Inter Visurgim, Bückeburgam, Stadthagen et Wiedensahl, (ubi Heesen, Evesen, Hevesen, Hövesen aliique pagi, quorum nomina in *esen* terminantur) *Reichard.* German. p. 228 sq. *Idista Wista* Germ. dici pulcherrimum pratum docet Grimm: teutsche Gram. Einl. p. XLII. Alii suspicantur, hoc nomine exprimi verba Germani alicuius *it ist a Wis* vel *et is da'ne Wisse* vel *hie sta wi,* hic consistimus. In MS. Flor. *id i sta uiso* scriptum vidit Pertz ital. Reise, p. 44. v. Seebod. bibl. crit. a. 1824. p. 1419. Cf. Gatterer Einl. in d. synchron. Univ. Hist. p. 730 sq.

Pfister Gesch. d. T. I. p. 97. Moeseri hist. Osnabr. 1. p. 159. Barth. Teutschl. Urgesch. §. 401. — *ut ripae* (Dat.) *fluminis cedunt colles, aut* (aliis partibus et locis) *prominentia montium resistunt: unde inaequaliter sinuatur* campus, modo latiores, modo angustiores sinus efficit. „Eleganter utrumque verbum dicitur in tali descriptione, ut *occurrere* et *refugere* ap. Plin. H. N. 5, 24. Plin. ep. 2, 17. 5, 6, 38. et al.“ *Ern.* Haec bene monuit: sed male expressit sensum, ut et Oberl. qui *colles* ad utrumque verbum retulit. Utrumque refutavit Walther, qui recte monuit, non *ripas cedere* posse, sed fluvium, et de una tantum fluminis ripa h. l. sermonem esse, alteram non pertinere ad campum citra positum. *prominentia collium* μέρη, ut mox *prima silvarum*. Cf. ad 2, 80. 4, 41. H. 2, 69. Ind. III. v. *Adiectiva neutra pro Substant.* et *Genitivi partitivi*, Ruddim. inst. gram. T. II. p. 64. 65. — *pura humo*, cf. Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant. in partic. Pura humus*, ut *campus purus*, sine silvis, virgultis collibusque, Liv. 24, 14. al. apertus, patens, planus, ἐν καθαρῷ Hom. Jl. 8, 491. ἐμφανῶς Polyb. 3, 50, 8.

2. *cum duabus praetoriis cohortibus*, lectis peditibus equitibusque, qui praesidium imperatoris erant. v. ad 1, 74, 1. et Lips. mil. Rom. 1, 4. — *Intentus paratusque* iunguntur a Sall. in Cat. 27. in Iug. 49. (ubi v. Cort.) saepiusque a Livio; *Ern.* „*Intentus p.* miles pro se quisque ita ut, sicunde apparuisset hostis aut signum dux daret, omne agmen presso pede staret, acie structa vel ad excipiendum vel ad invadendum hostem; ut esset stabilis aut firma acies. Ita *hic pedes adstitit* cap. 19 extr. nam *assistere in aciem* est incessum sistere et inhibere formata acie vel ita, ut stent in gradu milites ad proeliandum. De tali incessu locus est insignis Sall. Iug. 49. quem explicavimus in omissis Obss. 4, 10. „*Gron.* Cf. Ind. II. v. *In* et Ind. III. v. *Constructio praegnans.*

CAPUT XVII.

Visis Cheruscorum catervis, quae per ferociam proruperant, validissimos equitum incurrere latus, Stertinium cum ceteris turmis circumgredi tergaque invadere iubet, ipse in tempore affuturus. Interea pulcherrimum augurium octo aquilae petere silvas et intrare visae imperatorem advertere. Exclamat, *Irent, sequerentur Romanas aves, propria legionum numina.* Simul pedestris acies infertur et praemissus eques postremos ac latera impulit; mirumque dictu, duo hostium agmina diversa fuga, qui silvam tenuerant, in aperta, qui campis adstiterant, in silvam ruebant. Medii inter hos Cherusci collibus detrudebantur: inter quos insignis Arminius manu, voce, vulnere sustentabat pugnam, incubueratque sagittariis illa rupturus, ni Raetorum Vindelicorumque et Gallicae cohortes signa obiecissent. Nisu tamen corporis et impetu equi pervasit, oblitus faciem suo cruore, ne nosceretur. Quidam agnitum a Chaucis inter auxilia Romana agentibus emissumque tradiderunt. Virtus seu fraus eadem Inguiomero effugium dedit. Ceteri passim trucidati, et plerosque tranare Visurgim conantes iniecta tela aut vis fluminis, postremo moles ruentium et incidentes ripae operuere. Quidam turpi fuga in summa arborum nisi ramisque se occultantes admotis sagittariis per ludibrium figebantur: alios prorutae arbores afflixere.

1. *tergaque invadere* edd. Lips. et rec. *tergave* i. edd. vet. — *pulcherrimum augurium*, (cf. Ind. III. v. *Appositio*.) ut H. 1, 62. et saepius apud poetas, *octo aquilae*, quot legiones apud Rhenum Germanico parebant. v. 1, 3. 31. Aquilae vero *Romanae aves*, *propria legionum numina*, v. ad 1, 37, 2. 1, 39, 3. Plin. 10, 3, 4. et Lips. Exc. III. ad Ann. II. Subvereor, ut falsa species obiecta Germanico aliaeque alites fuerint: nam aquilae nostris terris haud temere visae; *Lips.* Nedum *octo* simul. Pygargos fuisse, *aren*, credibile est, quas etiam Plin. 10, 3. in aquilis numerat et in istis regionibus non raras esse Aurel. ad h. l. tradit; *Ern.* „Pygargus, Gall. *Jean le blanc*, quem vulturem albicillam vocat Linnaeus, in iis terris utique reperitur; gregatim vero evolare haud solet. Militari fraude suis imposuit Germanicus, ut saepe factum. Idem dicendum de loco Stat. Theb. 3, 531.“ *Oberl.* „Sed ex illo tempore ad hunc diem multa in hac re immutata et illud miraculum fuit,“ *Walth.* — *imperatorem advertere*, v. ad 1, 41, 1. Germanicus augur erat, et augur interpres auspiciorum. — *pedestris acies infertur*, in hostes immittitur. — *postremos ac latera impulit*, tanta vi in eos irruit, ut loco moverentur, et hinc repulit, propulit, ἐώσατο ap. Plut. Oth. p. 1072. Germ. zurück drücken, ut 1, 63. H. 2, 43. 3, 16. 4, 34. 78. Agr. 36. Liv. 1, 14. 2, 20. 6, 13. 9, 27. 40.

2. *Arminius manu, voce, vulnere sustentabat pugnam*, cf. 1, 66. *vulnere* sc. suo ostentando, cuius aspectu ad imitationem incenderentur; *Ern.* Sententia potius est: *manu* retinendo fugientes, *voce*, vociferando et cohortando, *vulnere*, instrumento vulneris, ferro et vulnerando, vel suos pertinaciter fugientes vel hostes; *Doederl.* in Seebodii Archiv für Philol. u. Paedag. a. 1826. I, 4. p. 79. „Immo Ablativi pendent e voc. *insignis*, non e verbo *sustentabat*: *insignis* fuit *Arminius* (h. e. noscebatur Romanis et suis) *manu*, qua signa dabat, *voce*, qua ceteris imperitabat, *vulnere*, quod inter pugnam tum acceperat. Simillimus locus est H. 3, 17. ubi Antonius dicitur *consilio, manu, voce insignis hosti, conspicuus suis.* Ibid. c. 29. *conspicuus manu ac voce.* Sall. Iug. c. 60. *siculi audiri aut cerni possent, monere alii, alii hortari aut manu significare.*“ *Walth.* Similiter *conspicui* 2, 20. 6, 35. (de ducibus, qui regiis insignibus imperiisque insignes sunt) G. 7. *conspiciendus* 12, 49. *conspectus* H. 1, 88. ubi cf. nota 2. *insignis et monstratus* G. 31. — *incubueratque sagittariis*, v. ad 4, 24, 1. — *illa* parte (v. ad H. 3, 8, 4.) *rupturus* „sc. aciem Romanam vel se, i. e. erupturus. Cf. intpp. Virg. Ge. 1, 446. 3, 428. 4, 368.“ *Ern.* „*Rumpere* hic est id. qd. *scindere* 1, 65. et *perrumpere* H. 3, 29. 4, 71. sensu intrans., ita tamen ut facile intelligatur, quid sit, quod rumpant aut perrumpant, ut hic *aciem Rom.* Nam hi Germanos tum undique circumsepserant. Igitur *rumpere* est rupturam, ut ita dicam, facere. *erupturus* ed. Ald. quod volebat Mur. Sed id dicitur de iis, qui cum vi surgunt e castris vel alia sede ad impetum faciendum, ut 1, 36. 67. Mox *nisu tamen* ed. Ald. et deinde *quidam adgnitum* edd. Ber. Rhen. Ald.“ *Walth.* Cf. ad 6, 8, 1. — *Gallicae cohortes signa obiecissent*, v. ad Agr. 18. n. 3. — *oblitus faciem suo cruore:* nam sic saepissime Accusativis, ut vulgo Ablativis, iunguntur tum Verba intransitiva et passiva, tum praecipue Participia et Adiectiva more Graecorum et inpr. poetarum, intell. *secundum, ad, quod attinet ad*, Gr. κατὰ, Germ. an sive in Ansehung. Cf. Ind. III. v. *Accusativi Adiectivis more poetarum et Graecorum iuncti*, Ruddim. inst. Gram. T. II. p. 62. 63. 180. Ramshorn. Gram. p. 230—235. Heins. ad Val. Fl. 1, 491. Graecorum more verba transitiva *celare, docere, rogare, orare, poscere, reposcere, flagitare, interrogare, exquirere, consulere, percontari aliquem aliquid*, dici putant ut κρύπτειν, διδάσκειν, αἰτεῖν, ἐρωτᾶν, ἔρεσθαι, ἐξετάζειν τινά τι. Cf. Zumpt. Gramm. lat. p. 313 sq. et graecas gramm. Buttmanni §. 121. 7. et Matthiae

§. 420 sq. Sed Krebs. Gram. §. 296. n. 1. et Doeleke in obss. gram. Schleus. 1823. arbitrantur, *docere aliquid* dici aeque ac *docere aliquem*, et sic eodem modo *doceo te et doceor grammaticam*, *truncatus membra*, (nam cui membra truncantur, ipse truncatus est) *ruber capillos*, cui capilli rubri facti sunt, *peruncti faecibus ora*, cui ora faecibus sunt peruncta, et sim. — *emissumque*: nam *emittere* est exitum dare, elabi sinere; *Ern.* — *Virtus seu fraus*, v. ad 1, 6, 6. — *moles* multitudo, *ruentium* eodem oppressit priores; *Ern.* — *incidentes* in et super eos *ripae*, earum fragmina. — *in summa arborum nisi* cet. cf. Sil. 5, 475 sq. 7, 667 sq. Dio 37, 2. — *prorutae arbores*, „succisae securibus, quae militi Rom. in promptu in hunc quoque usum et prostratae. v. 3, 46. (12, 43. 15, 40 pr.) Sil. 5, 480. 7, 669. Dio 37, 2." *Gron.* Cf. ad 1, 68, 1. *alios prorutae arbores* — *affixere* sc. terrae s. humo, allisere ei cum vi, Gr. προσουδίζειν et οὔδει ἐρείδειν, ut *affigere* terrae, solo, lecto, annectere ferro, clavo, morbo, fibula aliove vinculo, προςπερονᾷν, προςηλοῦν." Haec dicta pro: alii prorutis arboribus afflicti sunt, ut οὗτοι ὑποτμηθέντων τῶν δένδρων ἐφθάρησαν ap. Dion. 37, 2." *Walth.*

CAPUT XVIII.

Magna ea victoria neque cruenta nobis fuit. Quinta ab hora diei ad noctem caesi hostes decem millia passuum cadaveribus atque armis opplevere, repertis inter spolia eorum catenis, quas in Romanos ut non dubio eventu portaverant. Miles in loco proelii Tiberium imperatorem salutavit struxitque aggerem et in modum tropaeorum arma subscriptis victarum gentium nominibus imposuit.

1. *repertis inter spolia eorum catenis* cet. cf. Flor. 3, 7 pr. et Polyb. 3, 82; *Lips.* — *in Romanos*, Gr. εἰς τοὺς Ῥωμαίους, ut ὁ πλοῦτος εἰς τοὺς φίλους ἤρκησεν ap. Plut., für die Römer, ut 5, 7. *in Blaesum*, quod attinet ad eum; *Walth.*

2. *Tiberium imperatorem salutavit*, v. ad 1, 3, 2. 1, 72, 1. 2, 41, 1. — *struxit* (exstruxit) *aggerem et in modum tropaeorum — imposuit*: „Noli igitur credere Floro 3, 2. et Dukero ad h. l., qui contendunt, a Romanis nulla tropaea proprie sic dicta, sed alia potius victoriae monumenta fuisse posita et ita vocata. Exempla eorum v. ap. Suet. Caes. 11. Tac. Ann. 2, 18. Plin. 3, 3. Strab. 3. p. 156. Dion. 42, 48. *Nostra sunt tropaea* Cic. p. Arch. c. 9. v. et Periz. hist. anim. p. 213." *Ern.* ad Suet. l. l. Cf. c. 22. 15, 18. Cic. p. Pis. 38 pr. Serv. ad Virg. Aen. 11, 6. (ubi tropaeum luculenter describitur) Wessel. ad Diodor. 13, 24. Τροπαῖον eo loco ubi fuga, τροπή, hostium fuit, exstructum. Hinc repudianda scriptura MS. *tropheorum* et edd. vet. ante Gron. *trophaeorum*, ut Gall. *trophée*, Angl. *trophy* et Germ. *Trophee*. — *subscriptis victarum gentium nominibus*, cf. c. 22. Plin. 3, 20. s. 24. Grut. inscr. p. 226, 7. Maffei app. Musei Veron. ad p. 234. Brisson. de form. p. 335. ed. Bach.

CAPUT XIX.

Haud perinde Germanos vulnera, luctus, excidia quam ea species dolore et ira affecit. Qui modo abire sedibus, trans Albim concedere parabant, pugnam volunt, arma rapiunt. Plebes, primores, iuventus, senes agmen Romanum repente incursant, turbant. Postremo deligunt locum flumine et silvis

clausum, arcta intus planitie et humida. Silvas quoque profunda palus ambibat, nisi quod latus unum Angrivarii lato aggere extulerant, quo a Cheruscis dirimerentur. Hic pedes adstitit: equitem propinquis lucis texere, ut ingressis silvam legionibus a tergo foret.

1. *Haud perinde* (cf. Ind. II.) *Germanos* cet. exemplum simillimum habes ap. Sen. suas. V.; *Boxh.* — *luctus* sc. de morte propinquorum; *Walth.* — *quam ea species*, εἶδος, aspectus tropaeorum et superbae inscriptionis. — *arma rapiunt*, corripiunt, (v. ad 3, 35.) vel potius raptim capiunt: nam *rapere* et *corripere*, ut ἁρπάζειν, est *raptim* vel *capere*, ut 1, 49. 2, 7. 19. 4, 1. 14, 31. H. 1, 38. 63. 80. 2, 17. 4, 21. vel *ducere*, ut 1, 35. 50. 4, 25. 15, 8. H. 1, 26. 27. 29. 3, 6. 4, 67. (unde *rapidum agmen*, raptim, festinanter ductum H. 2, 30. et *citas cohortes rapere* 12, 31.) vel *facere*, v. c. gradum, viam, iter cet., vel *frui*, ut H. 3, 41. Cf. Gron. ad Liv. 5, 43. et Günther in Athenaeo II, 2. p. 266. 267.

2. *locum flumine et silvis clausum*, ad dextram Visurgis ripam et *profundam paludem*, Steinhuderium lacum, intra Rehburgum et abbatiam Loccensem. Ita Mannert. Geogr. III. p. 88. 89. (113.) Barth. Teutschl. Urgesch. §. 402. et v. Wersebe über die Völker u. Völker-Bündn. d. a. Teutschl. p. 112 sq. Sed *locum* hunc fuisse potius ad pagum hod. Kohlenstädt, situm inter duos alios, Engern et Landwehr, non longe ab Oldendorfa, et sic dictum a bustis Romanorum ibi olim caesorum, suspicantur Wilhelm German. p. 163—166. et Reichard. German. p. 64. 65. 229. Cf. Luden Gesch. d. deutsch. Volks. T. I. p. 680. — *nisi quod*, v. ad Agr. 6. n. 2. — *latus unum lato aggere* et limite, (v. ad c. 50. n. 1.) *extulerant* pro *in latere aggerem ext.*, nam proprie agger *effertur*, exstruitur, alte assurgens. v. ad G. 27. n. 5. *Angrivarii*: sed hi *a tergo* Germanici, quum ille in sinistra Visurgis ripa esset, fuisse dicuntur c. 8. Hinc iis in dextra huius fluvii ripa sedes assignantur a Mannerto et Krusio in tabulis geogr., ab aliis in utraque ripa. v. ad G. 33. n. 2. Per errorem vero Angrivarios h. l. memoratos pro Chaucis et ab his *aggerem* adversus Cheruscorum incursiones exstructum censet Wersebe l. l. — *hic pedes adstitit*, v. ad 2, 16, 2.

CAPUT XX.

Nihil ex iis Caesari incognitum. Consilia, locos, prompta, occulta noverat astusque hostium in perniciem ipsis vertebat. Seio Tuberoni legato tradit equitem campumque; peditum aciem ita instruxit, ut pars aequo in silvam aditu incederet, pars obiectum aggerem eniteretur: quod arduum sibi, cetera legatis permisit. Quibus plana evenerant, facile irrupere: quis impugnandus agger, ut si murum succederent, gravibus superne ictibus conflictabantur. Sensit dux imparem cominus pugnam remotisque paulum legionibus funditores libratoresque excutere tela et proturbare hostem iubet. Missae e tormentis hastae, quantoque conspicui magis propugnatores, tanto pluribus vulneribus deiecti. Primus Caesar cum praetoriis cohortibus capto vallo dedit impetum in silvas. Collato illic gradu certatum. Hostem a tergo palus, Romanos flumen aut montes claudebant. Utrisque necessitas in loco, spes in virtute, salus ex victoria.

1. *Nihil ex iis* edd. omnes ante Oberl. *Nihil ex his* edd. rec. — „*prompta* (Gr. πρόχειρα) respicit ad peditem, qui in planitie adstitit, *occulta* ad equitem propinquis lucis tectum; *Walth.* — *legato tradit campum*, pugnam liberam ibi conserendam; *Ern.* *Seio Tuberoni*, cf. 4, 29.

2. *quod arduum* erat, *sibi* sc. sumpsit s. delegit, *cetera legatis permisit*: nam Graeci et Romani saepissime plura praedicata eodem iungunt verbo, quod proprie uni tantum ex illis et postremo potissimum congruit et in quo latet vel eadem vel similis notio ceteris accommodanda: quae figura multis Syllepsis, aliis Zeugma, sed rectius Synezeugmenon dicitur. Multa eius exempla congesta in Ind. III. v. *Syllepsis* N. 2. a Stroth. ad Liv. 3, 48. 55. 67. Periz. ad Sanctii Min. 4, 8. p. 713. (T. II. p. 347. ed. Baueri) Gron. obss. 4, 2. Duk. ad Flor. 3, 21, 26. 4, 12, 37. Ruddim. inst. gram. T. II. p. 362. ed. Stallb. Ramshorn. Gram. p. 712. 713. *arduum* et difficile et molestum. v. Gell. 4, 15. — *quibus plana loca evenerant* sc. occupanda, idque imperio ducis; *Ern.* *plane venerunt* MS. — *ut si murum succederent*: Mur. coni. *muro*. Sed *murum succedere* est subire, scandere, *muro succ.* accedere; *Ryck.* et *Wolf.* „Vereor, ut sat certum sit discrimen. Promiscue uterque casus ponitur. v. Liv. 23, 44. 31, 45. Caes. B. Gall. 2, 6. Sall. hist. VI. p. 1008. Immo Servius ad Virg. Ecl. 5, 6. dicit, *succedere* cum Accus. esse prope accedere, cum Dat. subire, intrare." *Oberl.* „*Succedere alicui* est id. qd. successorem esse alicuius; *succedere alicui rei*, quae talis est ut feratur, toleretur, e. g. *oneri* et *pugnae* Virg. Aen. 2, 723. 11, 826. vel quae talis est, ut intus aut sub illa esse possis, ut *antro*, *tecto*, *urbi* Virg. Ecl. 5, 6. Aen. 2, 478. 3, 76. Praeterea *succedere* iungitur cum praepos. *ad*, *in* et *sub*. In formula *sub* simpliciter indicat, *cedi* s. *iri* in s. ad aliquem locum, ut ὑπὸ Ἴλιον ἦλθον, ὑπὸ δικαστήριον ἄγειν τινά, ita tamen ut is, qui successit, plerumque cogitetur esse sub illo loco. Iam Graeci haud raro verba composita cum Accus. coniungunt sine praepositione, quoniam haec verbis adhaerens eum casum requirit. Sic (ἐς) τεῖχος ἐσάξαντο Herod. 5, 34. et *succedere muros*, *portas* Liv. 31, 45. (ubi etiam synon. dicitur *ad urbem subire*) Caes. B. G. 2, 6. pro *succedere sub* vel *ad muros*, *portas*. Similiter Tac. H. 3, 29. *quos inciderat* pro *in quos ceciderat*. Frustra igitur emend. *muro*, quanquam eius quoque structurae exemplum est ap. Liv. 23, 44." *Walth.* Cf. Ind. III. v. *Ellipsis Praepos.*, Oudend. ad Caes. B. G. 2, 6. Heyne ad Virg. Aen. 3, 541. 7, 161. Periz. ad Sanct. Min. p. 381. Ruddim. inst. II. p. 148. Ramshorn. Gram. p. 219. *ut si* — *succederent*, v. Ramsh. Gram. p. 589. — *conflictabantur*, v. ad 6, 48. — *libratores*, qui tormentis hastas aut lapides concutiunt, quia *librant* et iactus arte expendunt, unde H. 3, 23. *vincla ac libramenta tormentorum*; *Lips.* „*libratoresque* omnes edd. praeter illam J. Gron. qui *libritoresque* h. l. et 13, 39. e MS. in textum recepit fretus etiam analogia, quum et dicatur *librile*, *libripens*, *librilla*. Sed *libratores* a *librando* dicuntur, non a *libra*, ut ap. Plin. ep. 10, 50. *Libratores* etiam sunt Cod. Theod. 13, 4, 2. et cod. Inst. 10, 64, 1. v. Schwarz. ad Plin. pan. 13." *Ern.* Cf. ad 13, 39. H. 3, 23, 4. G. 6. n. 6. — *conspicui*, v. ad c. 17. n. 2. — *praetoriis cohortibus*, v. ad 2, 16, 2. — *capto vallo*, aggere. — *collato illic gradu certatum*, ut ap. Liv. *acies collato pede et gradu* 6, 12. *pes cum pede collatus* 28, 2. *conferre gradum cum aliquo* 7, 33. *conferre manus* et sim. de pugna stataria eorum, qui cominus pugnant collato pede seu acie conferta. Ita συστάδην μάχεσθαι, ut contra σποράδην μ. ap. Polyb. 3, 72, 10. 3, 73, 8. 11, 32, 7. 13, 3, 7.

CAPUT XXI.

Nec minor Germanis animus: sed genere pugnae et armorum superabantur, quum ingens multitudo arctis locis praelon-

gas hastas non protenderet, non colligeret, neque assultibus et velocitate corporum uteretur coacta stabile ad proelium; contra miles, cui scutum pectori appressum et insidens capulo manus, latos barbarorum artus, nuda ora foderet viamque strage hostium aperiret, imprompto iam Arminio ob continua pericula, sive illum recens acceptum vulnus tardaverat. Quin et Inguiomerum tota volitantem acie fortuna magis quam virtus deserebat. Et Germanicus, quo magis agnosceretur, detraxerat tegimen capiti orabatque, *insisterent caedibus: nil opus captivis; solam internecionem gentis finem bello fore.* Iamque sero diei subducit ex acie legionem faciendis castris: ceterae ad noctem cruore hostium satiatae sunt. Equites ambigue certavere.

1. *genere pugnae et armorum*, cf. cap. 14. *genere pugnae*, ut ap. Liv. 31, 35. et 32, 10; *Gron.* — *praelongas hastas*, v. ad c. 14. n. 1. — *non protenderet, non colligeret*, cf. Ind. III. v. *Verba eadem repetita. Protendere hastam*, ut hostem ferias, *colligere*, reducere hastam, quam ante protenderas; *Ern.* Sic *protendere* 14, 37. et Gr. *προτείνειν*, *colligere*, reducere, adducere, *gradum*, *gressum*, *sese*. „*Protenderet* pro *protendere posset*, ut *προβαλλόμενοι* ap. Xenoph. Anab. 1, 2, 17. de quo loco disputat Blume in: Lit. Bl. 1826. Sect. II. n. 36.“ *Kiessl.* — *scutum pectori appressum*, v. ad 2, 14, 1. et 16, 15. — *insidens capulo manus*: „pulchre et significanter dictum in minoribus gladiis. In oblongis, quibus ritu Gallorum Germani utebantur, non eadem manus habitudo; neque firmiter aut tenet gladios aut regit.“ *Lips.* Intellige capulum ad tegendam manum munimento quodam instructum; *Walth.* — *nuda ora foderet*: nam vix uni alterive cassis aut galea; *Lips.* v. ad G. 6. et ad Agr. 36. n. 3. — *imprompto iam Arminio* ad arma, ad imperia; *Brot.* *imprompto*, quum iam nihil auderet, et ambiguus esset consilii. *Arminio* in MS. non legitur nisi in marg. et abest etiam ab ed. Ber. qui tamen illud addendum putavit.

2. *detraxerat tegimen capiti*, ut Cyrus minor in pugna illa sibi extrema, cuius causam tamen Xenoph. Anab. 1, 8, 4. ambigue refert ad morem Persarum, qui nudis capitibus pugnam inibant; *Lips.* *Tegimen* h. l. galea, sed c. 14 scutum; *Ern.* — *insisterent caedibus*, in caedibus faciendis persisterent. Cf. Ind. II. et H. 3, 77. Sic et *instare coeptis* H. 3, 52. *famae* Agr. 18. — *Equites ambigue certavere*, vulgo interpretantur: dubio Marte, ut H. 4, 66. 5, 11. „Quod ab h. l. alienum videtur: nam nil in ea victoria anceps fuit. Immo c. 20. scripsit: *quibus plana evenerant, facile irrupere*, et hi sunt equites. Satis vero credibile, eos ambiguo animo, ambigua fide certavisse: nam equites plerique sumebantur e sociis, Gallis Germanisque. Igitur *equitum ambiguum certamen* opponitur saevitiae legionum, *quae ad noctem cruore hostium satiatae sunt*. Sic *ambigua fides* 13, 34. et *ambigue agere* H. 3, 35.“ *Walth.*

CAPUT XXII.

Laudatis pro concione victoribus Caesar congeriem armorum struxit superbo cum titulo: DEBELLATIS INTER RHENUM ALBIMQUE NATIONIBUS EXERCITUM TIBERII CAESARIS EA MONIMENTA MARTI ET IOVI ET AUGUSTO SACRAVISSE. De se nihil addidit, metu invidiae, an ratus, conscientiam facti satis esse. Mox bellum in Angrivarios Stertinio mandat, ni deditionem properavissent. Atque illi supplices nihil abnuendo veniam omnium accepere.

1. *pro concione*, v. Ind. II. v. *Pro*. — *congeriem armorum*, tropaeum, *struxit* cet. cf. ad c. 18. n. 2. *marmorum* ed. Ber. prob. Ryck. quia Iani arcus marmorei ad memoriam rei servandam iis positi. — *exercitum Tiberii* cet. v. ad 1, 3, 2. 1, 72, 1. 2, 41, 1. — *monumenta*: in MS. et edd. vet. *munimenta*, in edd. Lips. 1574 sq. et rec. *monumenta*. Cf. ad 3, 23, 1. et G. 3. n. 7. — *addidit* edd. vet. *addit* edd. Oberl. et rec. praeter Walth. — *De se nihil addidit metu invidiae, an ratus, satis esse conscientiam facti*, huius rei factum esse. „Sufficere vel sapienti vel sibi. *Satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat* Cic. Phil. 2, 44. Merito autem ambiguum relinquit, utra causa Germanicum moverit. Prior et modestiam et prudentiam eius decet; posterior literas et magnitudinem animi. Sic Agr. 8." *Gron.* Cf. ad 12, 26 extr. *facti* edd. Ald. et rec. *factis* MS. et edd. vet. Recte: nam generalis sententia et h. l. est aptior et Germanici ingenio dignior; *Kiessl.* Suffragatur ei Walth. qui haec annotavit: „De *factis* hic agitur, non de *facto*: his conscientiam satis esse putat, h. e. facta sua non alio indigere monimento, ut sibi satis fiat. Similis sententia est ap. Plin. ep. 7, 33. *honeste factis veritas sufficit*. Germanice: das Bewufstseyn genüge seinen Thaten." Sed *veritas* factis sufficere potest, *conscientia* non nisi auctori factorum. *factis* e seq. *satis* ortum.

2. *Mox bellum in Angrivarios Stertinio mandat, ni deditionem properavissent*, v. ad 1, 35, 3. *mandabat* coni. Ern. et sic 1, 35. *deferebat*, 1, 23. 13, 15. *parabat*, H. 4, 30. et *abscedebat* 6, 36. Sed *mandat* est Praesens historicum. Cf. Ind. III. v. *Verborum tempora* et Ramshorn. Gram. p. 585. De *Angrivariis* v. ad G. 33. n. 2. de *Stertinio* ad 1, 60. *agrivarios* MS. — *veniam*, remissionem, *omnium*, quae fecissent vel meruissent. v. ad 12, 8, 2. et ad Agr. 2. n. 1.

CAPUT XXIII.

Sed aestate iam adulta legionum aliae itinere terrestri in hibernacula remissae: plures Caesar classi impositas per flumen Amisiam Oceano invexit. Ac primo placidum aequor mille navium remis strepere aut velis impelli: mox atro nubium globo effusa grando, simul variis undique procellis incerti fluctus prospectum adimere, regimen impedire; milesque pavidus et casuum maris ignarus, dum turbat nautas vel intempestive iuvat, officia prudentium corrumpebat. Omne dehinc coelum et mare omne in austrum cessit, qui tumidis Germaniae terris, profundis amnibus, immenso nubium tractu validus et rigore vicini septentrionis horridior rapuit disiecitque naves in aperta Oceani aut insulas saxis abruptis vel per occulta vada infestas. Quibus paulum aegreque vitatis, postquam mutabat aestus eodemque quo ventus ferebat, non adhaerere ancoris, non exhaurire irrumpentis undas poterant. Equi, iumenta, sarcinae, etiam arma praecipitantur, quo levarentur alvei manantes per latera et fluctu superurgente.

1. *aestate adulta*, ut similia 11, 31. 13, 36. H. 3, 23. et *provecta* 13, 20. 15, 69. „Servius ad Virg. Ecl. 10, 74. et Ge. 1, 43. *Veteres*, inquit, *per singula tempora anni, quae in tres menses dividuntur, observant, ut sic dicant: primum mensem* (Martium) *novum ver: secundum adultum: tertium praeceps. Ita de hieme, aestate, auctumno. Sic semper Sallustius.* Ita et Graeci: ἱσταμένου τοῦ ἔτους, μεσοῦντος, λήγοντος." *Lips.* Immo apud Thucyd. 2, 19. τοῦ θέρους καὶ τοῦ σίτου ἀκμάζοντος, *Oberl.* Cf. Pol-

lux in Onomast. 1, 7, 4. *περὶ τῶν τεττάρων ὡρῶν*, ubi *θέρους ἀκμή* aestas adulta est; *Walth. aegestate* MS. teste Furia. — *Oceano invexit*, v. ad G. 40. n. 5. — *placidum aequor remis strepere aut velis impelli*: „cf. Ovid. Met. 3, 657. Virg. Ge. 1, 254. et Aen. 8, 96. 10, 103. *Velis* quidem navis impellitur, non mare, ut ap. Ovid. Met. 7, 491. 15, 697. Sed impulsa nave *impellitur* mare.“ *Impelli* id. qd. moveri, in Bewegung gesetzt werden. *Walth.* Cf. ad Agr. 25. n. 2. — *effusa grando*, sub quam occulta causa semper, ut aiunt, Oceanus intumescit; *Lips.* Ipso aequinoctio, aut saltem appropinquante; *Brot.* — *incerti fluctus*, ut al. *dubii*, diversis ventis modo huc modo illuc acti. — *miles turbat nautas*, ut ap. Curt. 7, 9. *vacillantes milites et ne excuterentur solliciti nautarum ministeria turbant*; *Gron.* — *prudentium* (v. ad 1, 70, 2.) *officia corrumpebat*, impediebat, irrita faciebat, ut 15, 71. H. 2, 92. 4, 35.

2. *Omne dehinc coelum* nubibus atrum *et mare*, fluctus, *in austrum cessit*, v. ad 1, 1, 2. „Scriptura sanissima. Antea variae undique procellae saevierant; nunc reliquis ventis positis solus auster per pelagus flat atque dominatur.“ *Kiessl.* „Bene *auster*, non *notus*. Hic naves impegisset litori; ille eas a terra rapuit in mare interius, *in aperta Oceani* et *in insulas longius sitas*, fortasse Orcades aut potius eas, quae haud procul litore Frisico hodieque exstant. Nam quod longinquas facit, fama et redeuntes haec auxerunt ac timidis insolitisque maris ita visae.“ *Lips.* Cf. c. 24. et de austro in mari, inpr. Hadriatico, regnante intpp. Hor. od. 3, 3, 4. „Schütz. in progr. Jen. 1781. et J. Sev. Vater in animadv. in locos quosdam ex Mid. Demosth. orat. Jen. 1796. conii. *in aestum cessit*, ut sensus sit: consederunt procellae visque aestus s. fluxus dominata est et naves humidis paludosisque terris, profundis amnibus, qui illic in mare effunduntur, Vidro s. Unsingi, Amisia, Visurgi, Albi, rigore vicini septentrionis vel propr. thrasciae horridior *disiecit naves in aperta Oceani*. Favent huic expositioni verba *postquam mutabat aestus*, ubi de refluxu sermo.“ *Oberl.* Non vero *vicini septentrionis* et alia. — *tumidis Germaniae terris*, montosis; *Pich.* „Sic et c. 24. *apud scopulos et prominentes oras*. Quantum vero ego vidi vel audivi, non sunt in eo tractu scopuli aut montes.“ *Lips.* *tumidis* pro praealtis, siquidem nulli intrant fluvii, exeunt vero plurimi ac maximi; *Brot.* „Immo *tumidis* humore. Ceterum admodum probabilis coni. Faerni et al. *humidis*. Ita H. 5, 14. *latitudo camporum suopte ingenio humentium* et c. 17. *campi madentes*.“ *Kiessl.* „*Tumere*, *ὀργᾶν*, dicuntur terrae, quae multa humiditate, ubertate, pinguedine turgent, ut ap. Virg. Ge. 2, 324. Igitur *terrae tumidae*, quae Gr. *ὀργάδες* dicuntur, nobis fetter, grasreicher Boden. Cf. Pollux in Onomast. 5, 2, 14. Opponuntur terris levi aridoque solo utentibus, quae humiditatem non retinent neque tumere solent. Iam constat, nebulas nubesque potissimum gigni talibus campis vastisque et profundis amnibus. Quare Noster austrum *immenso nubium tractu validum*, huiusque causam esse dicit tumidas Germaniae terras et profundos amnes. (Cf. ad G. 5. pr. et c. 35. n. 2.) Ablativi *tumidis terris* et *profundis amnibus* non cum *validus* coniungendi, sed positi, ut c. 24. *nullo illic hominum cultu*. (cf. ibi nota 1.) *disiecitque naves* aut *in aperta Oceani* septentr., *aut in insulas*, quae inter Amisiae et Visurgis ostia litori praetenduntur; nam naves conflictabantur iuxta litus Frisiorum. Possis etiam cogitare de insulis Daniae iuxta chersonesum Cimbricam occidentem versus sitis; non de Britanniae insulis. Hae enim sunt trans Oceanum illum et *insulae longius sitae* c. 24. quae diserte distinguuntur ab his, de quibus nunc sermo est.“ *Walth.* *aperta Oceani*, ut *apertum mare* Agr. 10. et *oceanus apertissimus* Caes. B. G. 3, 10. Germ. das offene Meer, ubi nec insulae sunt nec scopuli. — *saxis abruptis* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. Pich. et rec. *saxis abruptas* edd. Lips. 1574 sqq. — *postquam mutabat* se, muta-

batur, aestus, Oceano refluente; *eodemque, quo ventus, ferebat se, ferebatur*, tendebat. v. ad O. 10. n. 5. *ferebat* sc. fluctus s. naves; *Gron.* Quae ratio durior est. Cf. Liv. 26, 45. *eodemque* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. Gryph. Pich. et rec. *eodem* edd. Lips. — *praecipitantur* Praes. hist. et *levarentur* Optativus. Cf. Ind. III. v. *Verborum Modi* et *Verborum Tempora*. — *quo levarentur alvei* navium, imae eius partes, *manantes per latera* aquis. „Tacitus significat, quum depressae oneribus naves profundius mare secarent, eorum summa labra propius abfuisse ab eius superficie atque eo plus aquae a superurgente fluctu accepisse; levatas igitur oneribus, ut labra laterum exstarent altius aquis. Paulo quidem insolentius *alvei manare* dicuntur, quum proprie manent ipsa liquida: sed manant etiam, in quibus liquidum fluit. Sic ap. Liv. 1, 59. Ovid. Met. 6, 312. Sen. Herc. fur. 391. Plin. 14, 20. Sunt ergo *alvei manantes per latera* irrumpentem aquam magna copia recipientes.“ *Gron.* „*Manare* dicuntur et liquida ipsa et ea, quae liquidis manant. *Alvei* autem duplici ratione manasse hic leguntur, et *per latera* sc. corrupta, et *fluctu superurgente*.“ *Walth.*

CAPUT XXIV.

Quanto violentior cetero mari Oceanus et truculentia coeli praestat Germania, tantum illa clades novitate et magnitudine excessit, hostilibus circum litoribus aut ita vasto et profundo, ut credatur novissimum ac sine terris mare. Pars navium haustae sunt: plures apud insulas longius sitas eiectae, milesque, nullo illic hominum cultu, fame absumptus, nisi quos corpora equorum eodem elisa toleraverant. Sola Germanici triremis Chaucorum terram appulit, quem per omnes illos dies noctesque apud scopulos et prominentis oras, quum se tanti exitii reum clamitaret, vix cohibuere amici, quo minus eodem mari oppeteret. Tandem relabente aestu et secundante vento claudae naves raro remigio aut intentis vestibus et quaedam a validioribus tractae revertere: quas raptim refectas misit, ut scrutarentur insulas. Collecti ea cura plerique: multos Angrivarii nuper in fidem accepti redemptos ab interioribus reddidere: quidam in Britanniam rapti et remissi a regulis. Ut quis ex longinquo revenerat, miracula narrabant, vim turbinum et inauditas volucres, monstra maris, ambiguas hominum et beluarum formas, visa sive ex metu credita.

1. *tantum illa clades novitate et m. excessit*, quod verbum absolute dictum. v. ad Agr. 42. n. 5. — *hostilibus circum litoribus aut ita vasto mari*, cf. Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant. in Partic.* *mari* edd. rec. ex coni. Gron. „Sed *mare* MS. et edd. omnes ante Oberl. et *mari* tam nude in fine positum displicet. Utraque vero scriptura bona est.“ *Walth.* — *ut credatur novissimum*, extremum, *ac sine terris*, v. ad G. 45. n. 2. et 4. — *insulas longius sitas*, Orcades, Shetlandicas et quae Norvegiae oras cingunt; *Walth.* — *eiectae*, ut *eiecti* dicuntur naufragi vel tempestate ablati eo, ubi nondum fuerant quove haud tetenderant; et *deiecti*, vi ventorum a cursu marique medio depulsi, ut 2, 60. 4, 25. O. 26. Cf. Gron. et Drak. ad Liv. 21, 49. 23, 34. 40. 33, 41. 44, 19. 28. — *nullo illic hominum cultu*, quum ibi essent homines feri, sine cultu. Cf. Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant. in Partic.* — *nisi quos*, quorum vitam *corpora equorum toleraverant*, aegre sustentaverant; proprie *qui vitam cor-*

poribus equorum toleraverant, ut 15, 45. et Caes. B. G. 2, 77. — *eodem elisa*, cum vi eiecta. Male *enisa* coni. Heins. ut *allisa* et *illisa* Wopk. — *apud scopulos et prominentes oras*, quales tamen in hoc tractu non esse iam monuit Lipsius. „Hinc *scopuli* non saxa rupesque, sed, ut σκόπελος, loca editiora, h. e. insulae iuxta litus sitae, (cf. H. 1, 2.) unde prospectus patet: quanquam satis credo, Tacito accuratiorem eius orae notitiam defuisse.“ *Walth.* — *oppeteret* mortem et quidem quaesitam; *Ern.* Sic 4, 50.

2. *claudae naves*, remis ab altero latere amissis fractisve, *et quaedam a validioribus tractae*, ut locis a Gron. et Ern. iam laudatis Virg. Aen. 5, 271. *amissis remis atque ordine debilis uno*, et Liv. 37, 24. *claudas mutilasque naves apertis navibus*, (v. ad 2, 6, 1.) *remulco*, funibus, ῥύμασι, *trahere*, Germ. bogsiren s. buxiren, Gr. ῥυμουλκεῖν, ῥύμασιν ἕλκειν, ut ap. Diodor. 20, 74. et Strab. V. p. 161. Cf. Gesneri Lex. v. *remulcus* et Scheffer. de mil. nav. 2, 5. — *intentis vestibus*, extentis, expansis velorum loco. „Ita H. 5, 23. et ap. Iuvenal. 12, 68.“ *Aurel.* et *Ern.* — *Angrivarii nuper in f. a.*, v. cap. 22. — *interioribus*, v. ad G. 5. n. 10. — *inauditas volucres*, anatem, larum aliasque. Aves quae Romanis quidem militibus inauditae videntur fuisse; *Walth.* — *monstra maris*, balaenas, phocas, carcharos aliasque belluas marinas, quae procella instante in summo aequore conspiciuntur et e quibus effícti iuvenes marini, Tritones, Nereides, Sirenes, *ambiguae hominum et belluarum formae*. Cf. ad G. 46. n. 16 et intpp. Hor. od. 1, 3, 18. Iuvenal. 14, 283. Plin. 9, 5. — *visa*, sive visa, *sive ex metu credita*: immo nec visa, nec credita, sed vanitate effícta; *Lips.* Cf. ad 4, 23, 2. et Agr. 25. n. 4. Alterum *sive* supplendum, ut 3, 31. et al. Cf. Ind. III. v. *Ellipses*.

CAPUT XXV.

Sed fama classis amissae ut Germanos ad spem belli, ita Caesarem ad coercendum erexit. C. Silio cum triginta peditum, tribus equitum millibus ire in Chattos imperat: ipse maioribus copiis Marsos irrumpit, quorum dux Mallovendus nuper in deditionem acceptus propinquo luco defossam Varianae legionis aquilam modico praesidio servari indicat. Missa extemplo manus, quae hostem a fronte eliceret; alii, qui terga circumgressi recluderent humum: et utrisque affuit fortuna. Eo promptior Caesar pergit introrsus, populatur, exscindit non ausum congredi hostem aut, sicubi restiterat, statim pulsum nec unquam magis, ut ex captivis cognitum est, paventem. Quippe invictos et nullis casibus superabiles Romanos praedicabant, qui perdita classe, amissis armis, post constrata equorum virorumque corporibus litora eadem virtute, pari ferocia et veluti aucti numero irrupissent.

1. *ad coercendum* sc. animum, ferociam superbiamque Germanorum. Ad rem cf. Caes. B. G. 6, 1. — *ire in Chattos imperat C. Silio*, v. ad 11, 1, 2. — *maioribus copiis*, cum parte maiore copiarum; *Ern.* — *Mallovendus* MS. edd. Bekk. et Walth. *Malovendus* edd. cet. — *propinquo luco*, saltu Teutoburgiensi, *defossam Varianae legionis aquilam*: „Tres amissae erant et prima iam recepta, (v. 1, 60.) altera nunc, tertia abscondita ad tempus et dein a scrutantibus Germanis inventa temporibus Claudii. v. Dio 60, 8. Contraria tradit Florus 4, 12, 38. *signa et aquilas duas adhuc barbari possident; tertiam signifer, priusquam in manus hostium veniret, evulsam mersamque intra baltei sui latebras gerens in cruenta palude*

sic latuit. Lipsius putabat, eum non ex sua, sed ex Livii persona et aetate loqui." *Ryck.* „Florus est falsus aut sua hausit e scriptore aetatis Augusteae, neglectis rebus postmodo gestis. Tacitus tacet de tertiae aquilae reciperatione, quoniam res cadit in eos annos, quorum Annales deflemus perditos. De alia expeditione sermo est 12, 27. erratque Reimarus ad Dion. 60, 8. putans eandem ibi agi rem." *Walth.* Cf. Barth. Teutschl. Urgesch. §. 374. *luco* edd. rec. ex emend. Lips. *loco* MS. et edd. vet. In eodem MS. mox *exemplo* pro *extemplo.*

2. *populatur - hostem,* eius oppida et ditionem, ut *populari Intemelios* Agr. 7. et *vastare nationes* 14, 38. 15, 1. H. 4, 28. Agr. 22. pr. Sen. ep. 113. Frontin. Strat. 1, 6, 2. ubi v. Oudend. Cf. Ind. III. v. *Metonymia.* Similiter *exscindit hostem,* ut *exsc. gentem ferro* ap. Virg. Aen. 9, 137. Cf. ad H. 5, 16, 2. et Agr. 19. n. 1. „*hostem* pro eius locis et rebus, ut ap. Virg. Aen. 2, 311. *iam proximus ardet Ucalegon,* possessoris nomen pro re possessa. Cf. Obss. 4, 24." *Gron.* — *Quippe invictos — Romanos* cet. cf. Hor. od. 4, 4, 61 sq. et Flor. 1. 18. — *amissis armis, post constrata — litora,* et constratis litoribus. Cf. ad 1, 7, 8. — *corporibus* exanimis, cadaveribus, ut 1, 7. 2, 40. 3, 5. 12, 51.

CAPUT XXVI.

Reductus inde in hiberna miles, laetus animi, quod adversa maris expeditione prospera pensavisset. Addidit munificentiam Caesar, quantum quis damni professus erat, exsolvendo. Nec dubium habebatur, labare hostes petendaeque pacis consilia sumere et, si proxima aestas adiiceretur, posse bellum patrari. Sed crebris epistolis Tiberius monebat, *rediret ad decretum triumphum: satis iam eventuum, satis casuum: prospera illi et magna proelia: eorum quoque meminisset, quae venti et fluctus nulla ducis culpa, gravia tamen et saeva damna intulissent. Se novies a divo Augusto in Germaniam missum plura consilio quam vi perfecisse. Sic Sugambros in deditionem acceptos: sic Suevos regemque Maroboduum pace obstrictum. Posse et Cheruscos ceterasque rebellium gentes, quando Romanae ultioni consultum est, internis discordiis relinqui.* Precante Germanico annum efficiendis coeptis, acrius modestiam eius aggreditur alterum consulatum offerendo, cuius munia praesens obiret. Simul annectebat, *si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris gloriae, qui, nullo tum alio hoste, non nisi apud Germanias assequi nomen imperatorium et deportare lauream posset.* Haud cunctatus est ultra Germanicus, quanquam fingi ea seque per invidiam parto iam decori abstrahi intelligeret.

1. *Reductus inde in hiberna miles:* legio V et XX hibernabat Veteribus, (1, 45.) I ac XX apud Ubios (1, 37.) XIII Petovione; (H. 3, 1.) *Freinsh.* „Inferior exercitus, quem constituebant IV legg. primum memoratae, apud Vetera et Ubios tum hiemabat, superior apud Moguntiacum, ubi Germanicus Rhenum transiit, quoties in Chattos hunc exercitum duxit. Hinc legio XIII, pars exercitus sup., sub Tiberio ibidem hiberna habuit et Flavianis demum temporibus translata est Petovionem in Pannonia superiore." *Ryck.* *in hiberna* recte edd. rec. ex emend. Ber. *in Hiona* MS. et ed. Ber. *Iuhiona* coni. Rhen. coll. 13, 57. — *labare hostes,* nutare, propensiores ad pacem quam ad bellum. *Labare* et *desi-*

dere et *labi* proprie dicuntur terra et aedes, quae primum *labant, desidunt* s. *subsidunt*, (sinken) tum magis magisque *labuntur*, iam ruinam minantur et tandem *praecipites eunt*, prolabuntur, corruunt; quod deinde ad mores transfertur, (ut 2, 33. et in praef. Liv.) et ad ea quae ad finem vergunt, ut 6, 50. *labi spiritum* et 16, 11. *precantes labenti animae celerem exitum.* — *posse bellum patrari*, perpetrari, confici, ut 3, 47. H. 3, 64.

2. *sed crebris epistolis Tiberius monere*, ut *rediret ad decretum triumphum* cet. „Eadem arte et specie honoris legionibus suetis abstractus Virginius H. 1, 8. Agricola Agr. 40. Corbulo ap. Dion. 63, 17. Constantius ap. Ammian. Marcell. I. 18. Bardas Sclerus ap. Zonaram." *Virdung.* ad Agr. 40. — *satis iam eventuum, satis casuum*, v. ad H. 5, 10, 4. et Ind. III. v. *Synonyma.*

3. *se novies a D. Augusto in G. m.* si una sumuntur missiones in Pannoniam et Illyricum; *Lips.* „Immo *novies* praeter has missiones, scil. a. U. c. 738. (v. Dio 54, 20.) 745. (Dio 55, 2.) 746. (Dio 55, 6.) 747. (Dio 55, 8.) 757. (Dio 55, 13.) 759. (Dio 55, 28.) 763. (Dio 56, 23.) 764. (Dio 56, 25.)" *Walth.* Ita unus deerit annus. Cf. ad G. 1. n. 3. *toties* coni. Boxh. — *Sugambros* edd. Lips. 1574 sqq. et rec. ut ap. Strab. IV. p. 194. et VII, 1—4. p. 290. *Sicambros* edd. Ber. Rhen. Ald. ut lap. ant. ap. Dausq. Aliis dicti *Sygambri*, rectius *Sigambri* a *Siga* fl. maiores Francorum, olim trans Rhenum, inter Luppiam, Loganam, Sigam Rhenumque late colentes, deinde a. U. 740. a Tiberio et praecipue a Druso una cum Suevis et Cheruscis victi et in Galliam traducti sunt, ubi nunc pars Cliviae et Geldriae. v. Ind. I. ad 1, 36, 1. Strab. ll. ll.: Dio 54, 20. 32. 33. 55, 6. Suet. Aug. 21. et Tib. 9. Hor. od. 4, 2. Wilhelmi Germ. p. 142 sq. Reichardi Germ. p. 29. 30. Petersen der Kirchsprengel Weitmar, Essen 1823. p. 170 sq. v. Wersebe über die Völker des a. Teutschl. p. 78 sq. De *Cheruscis* et *Suevis* v. ad G. 36. et 38. de *Maroboduo* Marcomanorum rege Ind. I. ad 2, 62, 1. Vell. 2, 108—110. Strab. VII. p. 290. I. D. Koeleri diss. de Maroboduo Suob. 1742. Barth. Teutschl. Urgesch. §. 350—361. 407—410. Fr. Roth: Hermann und Marbod Stuttg. 1817. Luden Gesch. d. deutsch. Volks T. I. p. 212. 654. Grotef. laud. in Hessii lectt. crit. et obss. in Tac. Germ. I. p. 5. De bello, quod Maroboduus cum Tiberio gessit a. 759. v. 2, 46. Vell. 2, 108 sq. Dio 55, 28. 30. Quidam distinguunt *acceptos sic Suevos; regemque* cet.

4. *quando Romanae ultioni consultum est*, v. Ind. III. v. *Verborum Modus Indicativus n.* 2. Male Ern. et alii dederunt *esset.*

5. *nullo tum alio hoste*, v. ad 1, 3, 2. et 1, 46, 1. *Tum* s. *tunc* illo tempore, ut 3, 61. 6, 21. 12, 24. 14, 35. 16, 3. v. Grotef. Com. zu d. lat. Styläb. Exc. XII. p. 306 sq. *dum* dederunt Ob. Bekk. Lün. „Sed *nullus dum* h. e. *nullus adhuc*, noch Keiner, (ut ap. Liv. 3, 50. 7, 33. 9, 12. 20, 11.) hic locum non habet. Tiberii quidem dicta h. l. referuntur, sed obliqua oratione, in qua satis scriptori licet, ut suae personae quodammodo accommodet verba. Cf. loca Tac. iam laudata." *Kiessl.* et *Walth.* „Latinum *tum* in dictionibus huius generis respondet nostro jetzt, nec tamen est plane id. qd. Lat. *nunc* vel *iam.* Id egregie docuit Zumpt. Gram. §. 63. p. 239. ed. IV." *Kritz.* in Ephem. schol. Darmst. a. 1830. p. 129. Cf. ad 2, 9, 2. — *assequi nomen imperatorium*, v. ad 1, 3, 2. 1, 72, 1. 2, 41, 1. — *deportare lauream*, h. e. triumphum obtinere. v. Lips. Exc. IV. ad Ann. II. Lucerna sepulcralis ap. Passerium T. I. tab. 27. rem egregie illustrat; *Oberl.*

CAPUT XXVII.

Sub idem tempus e familia Scriboniorum Libo Drusus defertur moliri res novas. Eius negotii initium, ordinem, finem

curatius disseram, quia tum primum reperta sunt, quae per tot annos rem publicam exedere. Firmius Catus senator, ex intima Libonis amicitia, iuvenem improvidum et facilem inanibus ad Chaldaeorum promissa, Magorum sacra, somniorum etiam interpretes impulit, dum proavum Pompeium, amitam Scriboniam, quae quondam Augusti coniunx fuerat, consobrinos Caesares, plenam imaginibus domum ostentat hortaturque ad luxum et aes alienum, socius libidinum et necessitatum, quo pluribus indiciis illigaret.

1. *Libo*, L. Scribonius Libo, de quo v. Dio 57, 15. et Suet. Tib. 25. — *defertur moliri res novas*, v. ad 1, 14, 1. 2, 78. et Ind. III. v. *Infinitivi*. — *finem curatius disseram*, ut ap. Liv. 41, 6. et *edisserere* ap. Liv. 22, 54. 27, 7. Cf. Gron. Duk. et Drak. ad Liv. 41, 6. et Cort. ad Sall. Cat. 5. *curatius*, maiori cura. Cf. ad 1, 13. 14, 21. 16, 22. et Cort. ad Sall. Iug. 16. (19.) — *tum primum reperta sunt* ea, scil. iudicia maiestatis et delationes, *quae remp. exedere*, confecere, perdidere, ut *edere*, *exedere*, *mordere*, inpr. de dolore et curis animi, *κατέδειν*, *δακνεῖν θυμὸν*, *φρένας*, unde *γυιοβόροι μελεδῶνες* ap. Hesiod. *ἔργα* 66. — *Firmius Catus senator*, v. ad 3, 36. — *ex intima amicitia*, ex intimis amicis, ut cap. 77. Cf. ad 2, 13, 2. et 4, 40. — *facilem inanibus* credendis. Cf. ad 5, 10, 2. et Agr. 21. n. 1. — *ad Chaldaeorum promissa* — *impulit*, inclinavit ad fidem iis habendam. *Chaldaei* homines astrologiam profitentes et ubivis vagantes, qui etiam *Babylonii*, *astrologi*, *Mathematici*, *astronomi*, *genethliaci*, *planetarii*, *ἀποτελεσματικοὶ*, (Germ. Nativitätsteller) vocabantur, ut ars eorum *mathesis*, *ἀστρολογία πινακικὴ*, *γενεθλιαλογία*, *μετεωρολογία*, *ἀποτελεσματικὴ*. Hanc artem peperit superstitio, quae magnam vim in res humanas tribuebat planetis et sideribus, praecipue iis, quae in zodiaco sunt quaeque eo momento, quo quis nasceretur, et surgebant et his tam vicina quam ab iis remota illisque opposita erant. Ex his sideribus quaedam credebantur esse felicia ac benigna, (*ἀγαθοποιοὶ ἀστέρες*) ut Venus, Iupiter, Luna, Virgo, Libra, Taurus; alia infausta, tristia ac malefica, (*κακοποιοὶ ἀστέρες*) ut Saturnus, Mars, Scorpio, Capricornus; alia communia, (*ἐπίκοινοι ἀστέρες*) ut Mercurius. Prosperorum tamen salutariumque siderum et coniunctione et oppositione, quae *συνδρομὴ* et proprie *constellatio* dicebatur, noxiorum vis infringi et felicissima saepe *γένεσις* effici putabatur. Hinc Astrologi illi e genesi s. genitura et sidere natalitio eiusque inspectione vel observatione ac comparatione, (quae *ὡροσκόπος* et *θέμα* vocabatur) fata cuivis imminentia augurari et diem horamve, qua aliquid agendum esset, ut prospere succederet, definire solebant. Eo consilio utebantur libris s. tabellis, ephemeridibus et diariis, quae Graecis *ἐφημερίδες* et *πίνακες*, (unde astrologia *πινακικὴ*, astronomia vero *κανονικὴ*) nobis Calender, Journale, Almanache, Tagebücher appellantur et in quibus designaverant planetarum siderumque ortus, motus, (4, 58. H. 2, 78.) *positus ac spatia* (6, 21.), coniunctiones, distantias et oppositiones, ad quemcunque diem notatas, adeoque indicia *τῶν καταρχῶν*, inceptorum, et dierum horarumque, ad quaelibet vitae negotia eligendarum aut vitandarum, *τῶν ἐμπράκτων* s. *εὐχρήστων* et *ἀπράκτων*. His ephemeridibus consultis et *hora* inde *genitali* (6, 21.) explorata, omnis Astrologorum ars in illis diebus horisve constituendis continebatur calculationibus et supputatione, quae fiebat per numeros, h. e. calculos computatorios, et tabulam calculatoriam: unde *numeri Babylonii* et *Thrasylli* dicuntur Hor. Od. 1, 11, 2. Iuvenal. 6, 576. *Chaldaicae rationes* Cic. div. 2, 47. et *ψηφίδες*, ut omnis illa exploratio *αἱ Χαλδαίων μέθοδοι* Luciano in Hermot. c. 6. Frustra Chaldaeorum ars

SCtis coercita ipsique saepius Urbe et Italia pulsi. v. inf. 2, 28. 32. 69. 3, 22, 2. 4, 58. 6, 21. 29. 12, 22. 32. 52. 59. 65. 68. 16, 14. 30. inpr. H. 1, 22. 2, 62. Suet. Tib. 36. et Vit. 14. Gell. 1, 9. 14, 1. Iuvenal. 3, 43 sq. 7, 194 sq. 14, 248 sq. et praecipue 6, 553—581. Cic. div. 2, 42 sq. Hard. ad Plin. 7, 49. Dorvil. ad Charit. p. 773 sq. Burm. ad Lotich. El. 1, 1, 44 sq. 2, 8, 55. intpp. Hor. Od. 2, 17, 17—24. et Pers. 5, 46 sq. Herman. Mythol. T. III. Salmas. de ann. clim. p. 52 sq. 818 sq. et potissimum Wachsmuth. in Athenaeo T. II. fasc. 2. p. 209—258. — *Magi* sacerdotes et philosophi Persarum; deinde incantatores et venefici, qui, ut Magae et sagae, utebantur potissimum φαρμακοῖς, venenis, quibus medicamen et vis magica inesse credebatur. v. Ind. I. intpp. Horat. Od. 1, 27, 21. 22. et Epod. V. Tiedemann de artium magicarum origine, Marb. 1787. Heeren Ideen über Politik d. a. Völker. T. II. 400 sq. — *sacra*, artes arcanas.

2. *proavum Pompeium* M., *amitam Scriboniam* cet. Cf. Sen. ep. 70. Dio 48, 16. Appian. B. C. 5, 139. Lips. Exc. V. ad Ann. II. „Fortasse L. Scribonius Libo cos. a. 719 fuit pater L. Scrib. Libonis et Scriboniae, avus Libonis cos. a. 769. Scriboniae autem filia Pompeia et nepotes Libo Drusus praetor et Scrib. Libo, neptis Scribonia, M. Licinio Crasso Frugi nupta. Nam *amita, patruus, matertera, avunculus* saepius ponuntur pro iis, qui proprie magni s. maiores dicendi. Similiter h. l. *consobrini* eorum liberi, Libo Drusus et Caesares ex Iulia sobrini. Cf. 2, 43. 53. 4, 3. 75." *Ryck.* Contra *gener* pro progenero 5, 6. *nurus* pro pronuru 3, 23. „Sed Lipsius et Ryck. meris ludunt coniecturis. Si *proavus Pompeius*, Libo Drusus Pompeia, Pompeii M. nepte, genitus." *Brot.* Is tamen *amitam* et *consobrinos* eodem sensu accipit. „Videntur Sex. Pompeius Cn. Magni filius et L. Scribonius Libo a. U. c. 719 consul fuisse consoceri: et Pompeiam illius filiam duxit huius filius L. Scribonius Libo; ex quo coniugio nati L. Scribonius Libo Drusus cum fratre cos. a. 769. qui a Dione L. F. appellatur, et Scribonia Crasso Frugi nupta: unde Drusus Magni pronepos." *Rupert.* ep. ad Reines. 48. „Prope temerarium est, in his aliquid audere. Video tamen, Scriboniam Augusti etiam Senecae appellari huius Drusi *amitam.* Video et Dioni et Appiano ll. cc. Scribonium Libonem cos. a. U. 719. dici socerum Sex. Pompeii. Huius igitur Scribonii filius, si Pompeiam duxit, sororis suae filiam duxit, quae Romanis non erant iustae nuptiae. Nec vero Pompeiam Sex. F. possum putare, quam cum Fausti liberis conservatam Hirtius B. Afr. 95. et Florus 4, 2, 90. haud dubie falso interfectam cum patruelibus e Sulla scribunt; quod vult Rupertus, etsi alibi Hirtianam Magni, Flori Pompeiam Sexti filiam faciat. Utrobique profecto eadem designatur et Magni filia, Cn. et Sexti soror. Relinquitur, ut suspicemur, si possimus, Sexto aliam fuisse uxorem, ex qua genuerit Pompeiam, Libonis Drusi matrem, ante quam Scriboniam duceret." *Gron.* Mox MS. *consobrinus caesaris.* — „*socius libidinum et necessitatum* dicitur, qui omnium rerum nostrarum particeps est, non solum earum, quas ex libidine agimus, sed earum quoque, quae ad necessarium vitae ordinem pertinent, et iucundarum et seriarum. *Libidines* et *necessitates* aperte hic invicem sibi opponuntur, et *libidines* sunt deliciae, quas non necessitate coactus aliquis, sed voluptatis causa et lascive concupiscit; *necessitates,* ut ap. Plin. ep. 3, 4. 5, 19. 8, 21, quae necessario fiunt, ἀνάγκαι, negotia necessaria, Berufsgeschäfte, Pflichten, et omnino quae iubentur ex iusto et necessario vitae ordine." *Walther.* *Necessitates* aliis sunt necessitudines, sodalitates, (*et libidines,* libidinosae) aliis prodigentia, sumptus et impensa. „Enimvero *necessitates* de impensis dici scio, sed de necessariis, non, quae fiunt luxuriae causa; (v. ad 1, 11, 3.) neque impensarum, qua sunt impensae et quoad sunt necessariae, aliquis socius esse potest, nisi fortasse hoc sensu, ut partem

conferat. Manifeste h. l. *libidines* referuntur ad *luxum:* ergo et *necessitates* ad *aes alienum* et angustias. Et sic acoepere Lips. ad 1, 11. et Freinsh. Cf. ad Suet. Tib. 47. et Caes. 68.“ *Ern.*

CAPUT XXVIII.

Ut satis testium et, qui servi eadem noscerent, reperit, aditum ad Principem postulat, demonstrato crimine et reo per Flaccum Vescularium Equitem Romanum, cui propior cum Tiberio usus erat. Caesar indicium haud aspernatus congressus abnuit: posse enim eodem Flacco internuntio sermones commeare. Atque interim Libonem ornat praetura, convictibus adhibet, non vultu alienatus, non verbis commotior, (adeo iram condiderat) cunctaque eius dicta factaque, quum prohibere posset, scire malebat; donec Iunius quidam tentatus, ut infernas umbras carminibus eliceret, ad Fulcinium Trionem indicium detulit. Celebre inter accusatores Trionis ingenium erat avidumque famae malae. Statim corripit reum, adit consules, cognitionem senatus poscit; et vocantur Patres addito, consultandum super re magna et atroci.

1. *qui servi eadem noscerent, reperit:* „possis *reperti* coniicere cum aliis, coll. 2, 62. 6, 33 al. Sed vulgatum quoque commodum est. Sic Livius 1, 1. dixit *in quem primum egressi sunt locum, Troia vocatur,* et Cic. ad Att. 6, 1. *quos pueros miseram, epistolam mihi attulerunt.*“ *Ern.* „Conf. inf. cap. 41. (*de Angrivariis, quaeque aliae nationes - colunt*) 6, 31. 15, 59.“ *Wopk.* Ceterum servorum adversus dominos testimonium etsi non in alia re, tamen in crimine maiestatis et incestus valebat. Cf. ad 2, 30. Iuvenal. 10, 87. lex *Famosi* D. ad L. Iul. maiest. et l. 6, 7. *Vix certis* D. de iudiciis. Olim servis, qui dominum res novas molientem detulissent, libertas praemii loco dabatur: ad eam vero consequendam sola criminis confictio sufficiebat regnante Tiberio aliove tyranno; unde Nerva edicto servos crimen in dominos deferre vetuit. v. Dio 68, 1. et Bach. Traianus p. 73 sq. — *per Flaccum Vescularium,* v. ad 6, 10. — *cui propior cum Tiberio usus erat,* v. ad Agr. 6. n. 7. et cf. 6, 10.

2. *Caesar indicium haud aspernatus,* v. Ind. III. v. *Participia Perf. deponentia pro Part. Praes.* — *sermones:* in MS. *sermone.* — *verbis commotior,* v. ad 1, 33, 2. — *Iunius quidam tentatus,* rogatus; *Ern.* — *ut infernas umbras carminibus eliceret,* de qua Magorum ψυχαγωγίᾳ v. Hom. Odyss. X. Eurip. Alc. 1128. Virg. in Ecl. 8, 98. in Aen. 4, 490. Tibull. 1, 2, 45. Plaut. Amph. 4, 3, 9. Wachsmuth. in Athenaeo II, 2. p. 217. — *Fulcinium Trionem* cet. v. Ind. I. — *avidum famae malae,* v. ad 11, 26. — *Statim corripit Trio reum* Libonem. v. ad 4, 3, 1. — *cognitionem senatus,* vel legitimi et exspectati, vel potius hic pro rei atrocitate extra ordinem indicendi; *Freinsh.* Posterius intelligitur ex verbis seq. *et vocantur Patres* et ex praec. *statim corripit reum.* In MS. *cognitionem senatus,* quem verborum ordinem revocarunt I. Gron. et Walth. *senatus cognitionem* edd. rel. — *et vocantur Patres:* „Faernus legebat *advocantur Patres.* Frustra. *Vocari* in tali re dicitur senatus, non *advocari.* Tum hic transitus per *et* frequens Tacito et aliis.“ *Ern.* Cf. ad Agr. 16. n. 3.

CAPUT XXIX.

Libo interim veste mutata cum primoribus feminis circumire domos, orare affines, vocem adversum pericula poscere,

abnuentibus cunctis, quum diversa praetenderent, eadem formidine. Die senatus metu et aegritudine fessus sive, ut tradidere quidam, simulato morbo, lectica delatus ad fores curiae innisusque fratri et manus ac supplices voces ad Tiberium tendens immoto eius vultu excipitur. Mox libellos et auctores recitat Caesar, ita moderans, ne lenire neve asperare crimina videretur.

1. *veste mutata* more reorum, qui sordidati erant et squalidi: nam *sordes* et *squalorem tam reorum*, quam supplicantium lugentiumque ad miserationem movendam spectare, nota res est. Cf. 4, 28. 52. 12, 59. 0. 12. Gell. 2, 6. Praeterea propinqui et amici reorum, quin et magna nonnunquam plebis senatusque pars *vestes mutare* solebant et atras pullasve induere, unde *atrata plebs* 2, 2. et *pullati proceres* ap. Iuvenal. 3, 213. Cf. 2, 75. 82. 4, 52. 6, 44. Schweigh. ad Appian. Syr. 40. — *vocem* affinium *poscere*, ut ap. Plin. ep. 2, 1. *vocem praeparare*; *Walth.* Sic et ap. Cic. p. Sext. c. 19. *conciones haberi quotidie contra me, vocem pro me ac pro rep. neminem mittere*; *Freinsh.* Cf. ibid. cap. 11. 12. et Tac. Ann. 3, 11. H. 4, 72. „Hinc Cicero ap. Vell. 2, 66. *vox publica* et ap. Cic. c. Catil. 23. *quas non adiit senatorum voces?*" *Woph.* — *eadem formidine,* omnes enim timebant Principis offensam; *Lips.* — *die senatus* „ad actionem constituto: qui in quibusdam iudiciis decimus erat, in aliis trigesimus; in gravissimis causis extra ordinem accipiebatur." *Brot.* Cf. Sigon. de iud. 2, 10. — *simulato morbo,* verum et letalem fuisse tradit Dio 57, 15. *Ryck.* — *lectica delatus ad fores curiae:* „quod receptum in solis aegris: nam lecticae, quanquam iam vulgatae, tamen spernebantur adhuc a curiae aditu. v. Suet. Tib. 30." *Lips.* Cf. ad 11, 33. et H. 1, 27, 4. — *innisus fratri,* puto consuli huius anni; *Lips.* Sed id non siluisset Tacitus; *Brot.* Neque id probabile propter alias rationes; *Ryck.* v. ad c. 27. n. 2.

2. *manus ac supplices voces ad Tiberium tendens,* ut H. 1, 63. pro *offerens*; *Walth.* Sed v. ad G. 7. n. 9. — *libellos,* qui continerent crimina, *et auctores,* qui indicia fecissent; *Ern.* — *ne lenire — videretur,* v. ad 12, 32, 2. — *asperare crimina,* v. ad 1, 23, 1.

CAPUT XXX.

Accesserant praeter Trionem et Catum accusatores Fonteius Agrippa et C. Vibius certabantque, cui ius perorandi in reum daretur, donec Vibius, quia nec ipsi inter se concederent et Libo sine patrono introisset, singillatim se crimina obiecturum professus, protulit libellos vecordes adeo, ut consultaverit Libo, an habiturus foret opes, quis viam Appiam Brundisium usque pecunia operiret. Inerant et alia huiusce modi stolida, vana; si mollius acciperes, miseranda. Uno tamen libello manu Libonis nominibus Caesarum aut senatorum additas atroces vel occultas notas accusator arguebat. Negante reo, agnoscentes servos per tormenta interrogari placuit. Et quia vetere senatus consulto quaestio in caput domini prohibebatur, callidus et novi iuris repertor Tiberius mancipari singulos actori publico iubet, scilicet ut in Libonem ex servis salvo senatus consulto quaereretur. Ob quae posterum diem reus petivit, domumque digressus extremas preces P. Quirino propinquo suo ad Principem mandavit. Responsum est, *ut senatum rogaret.*

1. *Fonteius Agrippa*, cf. cap. 86. — *C. Vibius Serenus*, de quo v. 4, 13. 28. 29. 36. *C. Vibius* edd. rec. ex emend. Ryck. quia *Vibii* partes in causa Libonis memorantur 4, 28. 29. *Caius Livius* MS. *C. Livius* edd. vet. *Cluvius* coni. Lips. sed *Q. Vibius* Grot. et hoc firmatur auctoritate vett. codd. 4, 28. nisi ibi leg. *C.*, quia h. l. in MS. *Caius*. — *certabant, cui ius perorandi in reum daretur*, ut quondam in causa Verrina Cicero et Caecilius: quod genus causae *divinationem* vocabant, quia non de facto quaerebatur, sed de futuro, de accusatore constituendo; *Ern.* v. Gell. 2, 4. et Ascon. in argum. orat. Cic. in Q. Caecilium, quae et ipsa *divinatio* inscribitur. *perorandi*, dicendi, ut 3, 17. 4, 28. al. — *singillatim se crimina obiecturum:* „Id fecit Cicero in Verrem actione prima et fieri voluit Nero, qui teste Suet. c. 15. *cognoscendi morem eum tenuit, ut, continuis actionibus omissis, singillatim quaeque per vices ageret*. Patronorum sunt *continuae actiones* s. *perpetuae orationes* ap. Cic. Act. I. in Verr. 2, 18. qualis est actio altera in Verrem libris V. comprehensa. Ei opponitur actio ea, quae testibus producendis interrogandisque, literis et tabulis proferendis constat. Olim utraque actio coniungebatur et causa agebatur primum actione perpetua, deinde testibus in singula causae capita et literis proferendis; quod Cicero acturus causam Verris hactenus mutavit, ut primam actionem faceret eam, quae testimoniis et literis constaret, deinde perpetuam additurus. Nero autem continuas actiones plane omitti voluit, ea de causa, quod his magis ingenium oratoris cernitur, cui ne quidem satis attendebant iudices, causa vero maxime conficitur testibus et literis. Quum praeterea mos esset, dicta causa testes in omnia deinceps dare; (v. Cic. l. l. c. 18.) Nero iussit capita causae seiungere et in quodque separatim et breviter explicatum testes producere, et quidem ab utraque parte. Hoc est *singillatim quaeque per vices*. Prius illud, ut causa per partes explicaretur testibusque confirmaretur, est inventum Ciceronis; alterum a Nerone additum. Cf. Noordkerk. obss. p. 59.“ *Ern.* ad Suet. Ner. 15. — *protulit libellos*, scripta Libonis, *vecordes adeo* cet. „Speciem stultitiae obtendi agnosco: sed sub ea rem atrocem velatam diffiteri nequeo, et vereor, ne Tacito hic exciderit quale Floro 1, 7., quum τέχνασμα Tarquinii eminentia papaverum capita demetentis *superbiam* vocavit. Nec tam stolida quam perplexantis oratio eius videtur, qui rogare aperte non auderet, an maiores habiturus esset opes quam quispiam privatorum; ad quantas accederet forsan nemo, propinquius tamen nemo accederet Principe; denique an principatu potiturus esset. Omnis superlatio, quam vocant rhetores, exprimit, quod fieri non quit, ut, quod summum veri est, intelligamus. Darius pecuniam deferebat Alexandro, *quantam tota Macedonia caperet*. Et solent in consultationibus istis perplexim loqui, dum vanum e re in dubios veniae exitus patrocinium praeparant, qui spei vetitae indulgent.“ *Gron.* Libo *adolescens tam stolidus quam nobilis, maiora sperans, quam aut illo saeculo quisquam sperare poterat, aut ipse ullo*; Sen. ep. 70. — *ut consultaverit*, „pro *ut consultavisse diceretur*. Cf. Krüger Untersuch. aus d. Geb. d. lat. Sprache. T. II. p. 186.“ *Kiessl.* *consultaverit* sc. Chaldaeos, Magos et somniorum interpretes. Cf. cap. 27. — *an habiturus foret*: nam *ero, erit, fuero, forem, fore* saepius cum Partic. Fut. iunguntur, v. c. Liv. 10, 14. 35, 13. 37, 10. 15, 51. Cic. ad Att. 5, 21. 12, 35. v. Ruddim. inst. Gram. T. I. p. 305. Ramshorn. Gram. p. 395. — *viam Appiam:* „quam Appius ipse non ultra Capuam perduxit, *Brundisium usque* C. Gracchus tribunus, sive C. Caesar curator viae Appiae, sive Augustus. v. Liv. 9, 29. Strab. V. p. 233. 237. VI. p. 283. Frontin. de aquaed. 5. Aurel. Vict. V. I. c. 34. et de orig. gent. Rom. c. 8. Via erat omnium longissima CCCLX mille pass. *regina viarum* ap. Stat. Silv. 2, 2, 12.“ *Lips.* On. Panvin. in descr. U. R. ap. Graev. A. R. T. III. p. 252. plura dat; *Ern.* — *Brundusium*

h. l. edd. vet. sed *Brundisium* 3, 1. 4, 27. — *si mollius acciperes*: „Optativus Gr. ut 4, 6. 3, 75. Cf. Ramshorn. Gram. p. 386 sq.“ *Walth.* — *Uno tamen libello* scripsi pro *Uni t. l.* nam *additas* non ad *libello*, sed ad *nominibus* referendum esse, bene monet Kritz. in Ephem. schol. Darmst. a. 1830. II, 17. 18. p. 129 sq. neque probanda videtur ratio Waltheri, qui in Addendis p. 462. verba h. l. ita coniungenda dicit: *accusator arguebat uni libello atroces vel occultas notas* scil. inesse. — *additas atroces vel* (an *sed?*) *occultas notas* ad mortem eorum aut caedem pertinentes; *Lips.* Ad defixiones magicas referunt Ryck. et Ob. De his v. ad c. 69. „Ne ipsi quidem accusatores satis certo notas illas intellexisse videntur. *Caesarum aut senatorum* pro *cum Caesarum tum Senatorum.*“ *Walth.* Cf. ad 1, 16, 1. 2. *agnoscentes servos*, v. ad 4, 44 extr. — *interrogari* edd. Lips. Pich. et rec. *interrogare* MS. et edd. vet. — *vetere SCto*: „Quod quando et a quo latum sit ignoramus. *More maiorum* id non licuisse dicit Cic. p. Deiot. 1. et p. Mil. 22. nisi de incesto. ICti excipiunt etiam crimen adulterii, fraudati census et maiestatis, l. 1. C. de quaestion. l. 9. c. 41.“ *Lips.* Cf. 3, 22. 67. et sup. ad 2, 28, 1. Ante Caesares SCta non habebant nomina; *Walth.* — *novi iuris repertor* (v. Ind. III. p. 839 extr.) *Tiberius*, immo Augustus, si Dio 55, 5. non errat; *Lips.* „Ius illud amplificavit Tiberius, qui non servos tantum, sed et liberos civesque tormentis subdidit. v. Dio 57, 19. et Noodt probabil. 3, 12.“ *Brot.* — *mancipari*, vendi, πιπράσκεσθαι ap. Dion., ut *mancupio s. mancipio dare* et tradere, et e contr. *mancipio accipere* 3, 67. Hinc *res mancipi* h. e. *mancipii* sunt, quae venduntur per aes et libram praesentibus V testibus: quo ritu venditor obligatur ad evictionem praestandam; *Ern.* clav. Cic. ubi plura de hac re disputantur. *Mancipari* — *iubet*, ut publici fierent e privatis et tum in Libonem ex iis quaeri posset. *De actore publico* et rebus ei mancipatis, ut iam essent reip., v. Lips. Exc. VI. ad Ann. II. Gesner. ad Plin. ep. 7, 18. Brissonii Lex. „Verba *scilicet ut in Libonem* — *quaereretur*, utpote interpolata, expuncta cupiebat Mendoza. v. Burmanni Syll. epist. T. II. p. 59.“ *Oberl.* — *posterum diem*, causae in eum dilationem, comperendinationem, quam ii fere tantum petebant, quorum defensio non satis munita erat, quique exsilio aut morte voluntaria praevenire condemnationem volebant; *Mur.* Cf. ad O. 38. n. 1. — *P.* Sulpicio *Quirino propinquo suo*: „nam uxorem habuit Aemiliam Lepidam, haec vero eundem cum Libone proavum Cn. Pompeium M. Ipse ignobilis fuit.“ *Ryck. Quirino* edd. Ber. Rhen. Ald. Ryck. et rec. ut in numis, inscr. et fastis. v. Ryck. ad h. l. Vaillant. num. fam. tab. 135. Murator. Thes. nov. p. 671. Duk. ad Flor. 4, 12, 41. *Quirinio* MS. edd. cet. et Brot. h. l. et 3, 22. 23. 48. ut Κυρήνιος in N T. Luc. 2, 2. et Κυρίνιος ap. Strab. XII. p. 569. Ioseph. A. I. 18, 1 sq. et Dion. Sed Graeci in terminatione nominum et cognom. Rom. pro US substituere solent ΙΟΣ. v. Ryck. ad h. l. et Deyling. obss. sacr. P. 2. p. 326. De eo v. 3, 48. et de Lepida ab illo dimissa e matrimonio 3, 22. 48. Suet. Tib. 49.

CAPUT XXXI.

Cingebatur interim milite domus, strepebant etiam in vestibulo, ut audiri, ut aspici possent, quum Libo ipsis, quas in novissimam voluptatem adhibuerat, epulis excruciatus vocare percussorem, prensare servorum dextras, inserere gladium. Atque illis, dum trepidant, dum refugiunt, evertentibus appositum mensa lumen, feralibus iam sibi tenebris duos ictus in viscera direxit. Ad gemitum collabentis accurrere liberti; et caede visa miles abstitit. Accusatio tamen apud Patres asse-

veratione eadem peracta, iuravitque Tiberius, petiturum se vitam quamvis nocenti, nisi voluntariam mortem properavisset.

1. *Cingebatur interim milite domus,* qui necessitatem ostenderent, aut sponte aut vi pereundum; *Lips.* — *strepebant etiam* MS. et edd. vet. omnes ut rec. post Pich. *strepebantque etiam* edd. Lips. et Grut. Non modo cingebant domum milites, sed *strepebant etiam in vest.* — *in vestibulo*; „*Vestibulum* est spatium ante ianuam domus vacuum inter viam publicam atque ipsas aedes. Iam *ante fores* esse dicuntur, qui proximi sunt foribus: at *in vestibulo* esse potest, qui a foribus satis longe remotus est; et hoc sensu hic accipienda sunt verba." *Freinsh.* — *quum Libo vocare,* v. ad 3, 40, 1. *vocare percussorem,* cuius manu periret; *Lips.* Cf. Suet. Ner. 47 extr. ibique Ern. — *ipsis* — *epulis* (ablat. temporis) *excruciatus* sc. aspectu et auditu militis in perniciem suam missi; *Walth.* — *quas in novissimam v. a., epulis,* ut 11, 3. et al. — *prensare servorum dextras,* v. ad 14, 10. — *inserere gladium* dextris eorum, ut 1, 34. — *appositum mensa lumen:* „Groslotius coni. *mensae* et *in mensa.* Hoc melius: sed *in* potest intelligi, ut alibi." *Ern.* Cf. Ind. III. v. *Ellipses* nr. 17.

2. *iam sibi feralibus tenebris,* per quas mortem sibi illaturus sit; *Ern.* Cf. ad 1, 65. extr. Mox *derexit* MS. — *miles abstitit* a caede, vel potius discessit. Cf. ad c. 34. n. 2. „*adstitit* MS. et edd. Ber. Rhen. Ald. quasi, quum ante vivo adhuc Libone urgeret ac propius afferre illi vim ac necessitatem pergeret, nunc post caedem propria manu illatam quietus maneret loco, donec ab praefecto abduceretur. „*I. Gron.* — *eadem asseveratione,* aeque serio et constanter; *Ern.* v. ad 4, 19, 2. — *petiturum se vitam quamvis nocenti,* v. ad 3, 37, 1. — *properavisset:* „scil. sibi. Cf. Brouckh. ad Tibull. 4, 1, 205." *Ern.* et *Oberl.* Sed *properare aliquid* etiam sine hac ellipsi dici solet, ut *maturare.* v. Ind. II.

CAPUT XXXII.

Bona inter accusatores dividuntur, et praeturae extra ordinem datae his, qui senatorii ordinis erant. Tunc Cotta Messallinus, ne imago Libonis exsequias posterorum comitaretur, censuit: Cn. Lentulus, ne quis Scribonius cognomentum Drusi assumeret: supplicationum dies Pomponii Flacci sententia constituti; et dona Iovi, Marti, Concordiae, utque iduum Septembrium dies, quo se Libo interfecerat, dies festus haberetur, L. P.... et Gallus Asinius et Papius Mutilus et L. Apronius decrevere: quorum auctoritates adulationesque retuli, ut sciretur, vetus id in re publica malum. Facta et de mathematicis magisque Italia pellendis senatus consulta: quorum e numero L. Pituanius saxo deiectus est; in P. Marcium consules extra portam Exquilinam, quum classicum canere iussissent, more prisco advertere.

1. *Bona inter accusatores dividuntur et praeturae extra ordinem datae,* non supra numerum, etsi unius tantum praetura vacabat, sed potius in annum proximum destinatae *extra* comitiorum *ordinem,* sortem aleamque, arbitrio Principis; *Lips.* v. ad 1, 14, 4. „Talia delatorum praemia memorantur etiam 3, 19. 28. 4, 20. 30. 11, 4. 38. 15, 72. H. 1, 2. 4, 41. 42. (Cf. ad 4, 20, 2.) Pro scelera, nec nostro saeculo ignota!" *Oberl.* — L. s. C. Aurelius *Cotta Messalinus* Maximus Volusus, M. Valerii Messalae Corvini, summi oratoris et cos. a. U. 723., optimi patris degener filius, ut Plin. 10, 22. s. 27., et *lippa propago,* ut Pers. 2, 72. ait; *Lips.* v.

Ind. II. v. *Aurelius, Cotta* et *Messala.* Eius frater *M. Valerius Messala* s. *Messalinus* orator et cos. a. 750. huiusque filius eiusdem nominis cos. a. 773. fuit et nepos cos. a. 812. v. 3, 2. 18. 34. Vell. 2, 112. intpp. Tibulli 1, 3. 1, 7. 2, 5. „*Messalini* ὑποκοριστικῶς dicti pro *Messalae.* Diminutiva Rom. non modo *Aviolae, Barbulae, Caligulae, Capellae, Catulli, Columellae, Corniculae, Dolabellae,* sed etiam *Albini, Balbilli, Aquilini, Censorini, Drusilli, Faustini, Marcellini, Messalini,* ut Ital. *Gasparino, Tomasino, Vittorino,* nomina pueris per suorum et populi blanditias indita." *Ryck.* ad 3, 18. Cf. id. de Messalis ad 3, 2. et 17. Cognomen *Messalae* primum a M'. Valerio Maximo Corvino cos. a. 490. ascitum expugnata *Messana,* rectiorque videtur scriptura *Messala* et *Messalinus* quam *Messalla* et *Messallinus.* Illa firmatur auctoritate utriusque MS. Flor. in omnibus Taciti locis et editionum vet., haec tamen frequentior est in aliis MSS. et in inscriptt. cf. Marini gli Atti e Mon. de Frat. Arv. T. I. p. 28. 59. et Grotef. Gram. T. II. §. 186. 190. ed. IV. — *ne imago Libonis exsequias posterorum comitaretur,* in iis praeferretur, lecto imposita vel perticae affixa, sed aboleretur frangereturve. Cf. 3, 5. 14. 17. 76. 4, 9. 11, 35. 38. 14, 61. H. 3, 7. 4, 37. 62. O. 13. n. 5. Lips. Exc. ad Ann. VI. et Elect. 1, 29. Schweigh. ad Polyb. 6, 53. — *Cn. Lentulus,* v. ad 4, 44, 1. — *ne quis Scribonius cognomentum Drusi assumeret,* nam filius Tiberii *Drusus* appellabatur; *Brot.* „Idem olim factitatum in praenominibus. v. Liv. 6, 20. et Suet. Tib. 1." *Ern.* Cf. ad 3, 17. 48. 6, 10. et G. 37. n. 14. — *supplicationum dies,* v. ad 14, 12, 1. — *Pomponii Flacci,* v. ad 2, 66, 1.

2. *et dona Iovi, Marti, Concordiae — decrevere, utque* cet. *et* substitui pro vulg. *ut,* quod nonnulli expunxere. *marti cordiae* MS. Cf. ad 2, 63, 2. — *L. P.* Divinabant *L. Paetus, Gallus As.* et *L. P. et Gallus Asinii* Lipsius, *L. Piso et G. As.* Gron., *L. Publius* et *L. Paulus* et *L. Plancus* et *L. Publicius* alii. Sed divinatio in talibus est, non iudicium: nam una litera initialis pluribus nominibus est communis; *Ern.* Lacunam induxit Bekk. quem secutus sum. — *Gallus Asinius,* v. ad 1, 12. *galius* MS. — *L. Apronius,* v. ad 1, 29. — *quorum auctoritates adulationesque retuli,* sententias adulatorias. (v. Ernest. clav. Cic.) „*Adulationes* eo sensu, quo Liv. 30, 16. *vox adulantium* ex Polyb. 15, 1. interpretanda est. Ἓν διὰ δυοῖν esse apparet. Nec enim *auctoritates* ad id, quod vult, demonstrandum Tacitus referre potuit, nisi foedas adulatione; quam ad rem una voce significandam adiectivum deerat." *Roth.* de synon. Tac. p. 25. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin.*

3. *Facta et de mathematicis magisque Italia pellendis SCta,* vel potius *SCtum.* v. ad 2, 27, 1. Dio 57, 15. Suet. Tib. c. 36. et Lips. Exc. VII. ad Ann. II. — *saxo deiectus est* scil. Tarpeio, ut plene dicitur 6, 19. et *Tarpeia rupes* H. 3, 71. sed *saxum* inf. 4, 29. ut ap. Liv. 24, 20. et 25, 7. „*Saxum* s. *rupes Tarpeia* occidentalis montis Capitol. pars et Tiberim spectans, ex qua rei deiiciebantur. Adhuc alta palmos Romanos LXXX visitur. v. Ficorini Roma antica 1, 10." *Brot.* Cf. de hac rupe et de Tarpeia Liv. 1, 11. 55. 6, 20. 7, 10. Dionys. Hal. 2, 30. 40. Niebuhrii hist. Rom. T. I. p. 254. 255. 263. ed. 2. et Sachse Gesch. d. a. Stadt Rom. *delectus* MS. — *portam Esquilinam* s. *Exquilinam,* sic vocatam ab Esquiliis et monte, colle Esquilino. Non eadem fuisse videtur, quae Plauto *Maecia* s. *Metia,* et nunc *Porta Maggiore* dicitur, sed sita ad australes valli Tarquiniensis terminos, inter aedes di S. Antonio Abbate et di S. Vito. v. Strab. V. Horat. Epod. V. Liv. 2, 11. 3, 66—68. Cic. p. Cluent. 13. in Pis. 23. Fea n. descr. R. p. 341. Sachse Gesch. d. alt. St. Rom. T. I. p. 194 sq. „*Extra portam Esquilinam* cruces, patibula defixa, cadavera abiecta, puticuli aliaque quae ad supplicia plebis; qui locus dictus *sestertius,* quia semitertio ab Urbe milliari. Ita *Septimum* palatium sub Urbe Iustiniani l. 34. C. de donat. *Decimum* suburbanum Car-

thaginis Procopio. *Septimum* Hostiense Symmachi villa, ep. 6, 8. *Quartum* Latinae ibid. 9, 64. *Quartum* Pollionis ap. Martial. 3, 20. De hoc *Sestertio* v. Plut. Galb. 28. p. 1066. Cruq. (et Porphyr.) ad Horat. epod. 5, 100." *Lips.* ad 15, 60. Cf. ei. Exc. VIII. ad Tac. Ann. II. *Exquilinam* h. l. edd. vet. et rec. praeter Bekk. et Walth. in quibus scriptum *Esquilinam,* ut *Esquilias* 15, 40. — „*Classicum canere* solebant in celeberrimis Urbis locis et postremo ante ianuam damnati, quum rei capitalis dies civi dicta esset. v. Plut. Gracch. p. 836. Sen. de ira 1, 16. controv. 25. et ep. 17. Varr. L. L. 5, 9. Idem mos servatus in provinciis, nisi fallunt me declamatores ap. Sen. controv. 25." *Lips.* — *more prisco advertere,* ut *more maiorum punire* et *necare* 4, 30. 14, 48. 16, 11. quod explicatur ap. Suet. Ner. 49. his verbis: *nudi hominis cervicem inserere furcae et corpus virgis ad necem caedere.*" Cf. Suet. Claud. 34. et Dom. 11. Caesi vero ad mortem securi solebant percuti aut deiici de saxo Tarpeio. Cf. Liv. 7, 19. et Eutrop. 7, 15. ubi cf. Tzschucke." *Walth.* *Advertere* primum est advertere sc. animum (ut 13, 49.) s. oculos aliquo s. ad aliquid, id. qd. animadvertere aliquid, ut 4, 54. 12, 51. 13, 54. 14, 30. (Gr. προςέχειν sc. νοῦν) deinde vertere, convertere ad s. in se, (v. ad 1, 41, 1.) tum id. qd. animadvertere in aliquem h. e. punire, ut h. l. et 3, 52. 4, 35. 5, 9. 6, 40. 12, 51.

CAPUT XXXIII.

Proximo senatus die multa in luxum civitatis dicta a Q. Haterio consulari, Octavio Frontone praetura functo, decretumque, ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent: ne vestis serica viros foedaret. Excessit Fronto ac postulavit modum argento, supellectili, familiae. Erat quippe adhuc frequens senatoribus, si quid e re publica crederent, loco sententiae promere. Contra Gallus Asinius disseruit: *Auctu imperii adolevisse etiam privatas opes, idque non novum, sed e vetustissimis moribus. Aliam apud Fabricios, aliam apud Scipiones pecuniam, et cuncta ad rem publicam referri. Qua tenui, angustas civium domos: postquam eo magnificentiae venerit, gliscere singulos. Neque in familia et argento, quaeque ad usum parentur, nimium aliquid aut modicum, nisi ex fortuna possidentis. Distinctos senatus et Equitum census, non, quia diversi natura, sed, ut locis, ordinibus, dignationibus antistent, talesque ad requiem animi aut salubritatem corporum parentur; nisi forte clarissimo cuique plures curas, maiora pericula subeunda, delenimentis curarum et periculorum carendum esse.* Facilem assensum Gallo sub nominibus honestis confessio vitiorum et similitudo audientium dedit. Adiecerat et Tiberius, *non id tempus censurae, nec, si quid in moribus labaret, defuturum corrigendi auctorem.*

1. *multa in luxum civitatis dicta* cet. cf. Suet. Tib. 34. De *Q. Haterio* v. ad 4, 61, 1. — *praetura functo,* ut alibi *consulatu f.* v. c. 1, 39. 2, 67. 3, 31. 4, 58. 5, 8. 6, 7. 38. 13, 45. Designatur is, qui ipsum munus gesserat: nam alii tum erant *praetorii, quaestorii, consulares,* nomine tenus, insignia praetoria cet. adepti; *Freinsh.* — *vasa auro solida,* ex auro solido confecta, ut 13, 10. et Virg. Aen. 2, 765. Paulo communius id concipit Dio 57, 15. quasi interdicta omnia vasa auri nisi quae ad sacra; *Lips.* — *ne vestis serica viros foedaret,* ne viri uterentur veste serica,

quae eos foedaret. cf. 3, 53 extr. Plin. 11, 27. Sen. ep. 114. et 122. Iuvenal. 2, 65 sq. Lips. Exc. IX. ad Ann. II. Voss. ad Virg. Ge. 2, 121. Serica vero vestis eadem quae bombycina, et sericum non factum videtur ex arborum lana, (Baumwolle) sed e bombycum filis; *Walth. sirica* MS.

2. *Excessit Fronto* sc. relationem, ut *egredi rel.* c. 38. 4, 74. 5, 4. 6, 12. 13, 26. 49. 15, 22. Cf. ad 1, 64, 2. Nam licebat cuivis senatori, quum censendi locus ad eum venisset seu sententiam rogatus esset, non tantum ad id, de quo relatum esset a consule et ipse interrogatus, respondere deque illo sententiam dicere, sed etiam de alia re, de qua relatum a coss. non esset, vel, *si quid e rep.* esse *crederet*, etiam citra relationem *loco sententiae promere*, (cf. cap. 37. 38.) exprómere et proponere ac, si tanti esse videretur, postulare, ut de ea re referretur; *Gron.* obs. 1, 22. Illud est *suadere* et *dissuadere relationem*, hoc *egredi relationem*, id de quo relatum esset augendum censere, longius progredi, addere aliquid. De utroque v. 13, 49. „Ius relationis fuit solis consulibus, nec sine relatione perfici potuit ullum SCtum. Ideo Vespasiano sequentibusque Principibus honoris causa datum ius tertiae, quartae, quintae relationis, i. e. ut, quoties consules ipsi non essent, tot relationes facere possent qua de re cunque iis visum. Sollennia relationum verba v. ap. Suet. Cal. 15.“ *Lips.* ad 15, 22. „Quae vero per egressionem relationis dicta erant a senatoribus, de iis a coss. ad senatum ex integro erat referendum, si SCtum fieri deberet. Hoc est *relationem incipere* 5, 4. et 13, 26. Quod postulatum nonnunquam a Coss., sed declinatum. Sic 13, 26. et 15, 22. pr. ubi Lipsius recte, opinor, *relatum* substantive cepit pro *relatione*, ut H. 1, 30. et G. 3. Hinc et 4, 74. *diversis super rebus consulerentur* Patres, aliis quam de quibus facta relatio.“ *Ern.* — *postulavit modum argento, s. f.* i. e. certum pondus numerumque definiri voluit; *Lips.* Cf. Ind. III. v. *Dativus* et ad rem Dio 57, 15. — *familiae*, servorum. v. ad 3, 14. — *si quid e rep.* esse *crederent*, in eius salutem et commodum, ei utile, ut 3, 53. 4, 31. et *e re mea, nostra, publica, eius* vel *in rem* 4, 33. H. 3, 8. et *non ab re esse.* — *C. Asinius Gallus* egregius luxuriae patronus. v. Ind. II. et ad 1, 12, 2. — *pecuniam* pro omni re familiari; *Ern.* Larga significatione dixit, ut lex decemviralis et ICti; *Lips.* De divitiis 13, 30. — *cuncta ad remp. referri*, omnia esse talia, qualis resp. eiusque conditio: quae aliter dicta quam vetere latinitate; *Ern.* — „*Referri* Gr. ἀναφέρεσθαι. Alles stehe im Verhältnifs zum Staate.“ *Walth.* — *Qua tenui*, quum et quamdiu ea tenuis, parva et inops fuerit. Cf. Ind. III. v. *Ellipses* nr. 1. γ. — *angustas civium domos* fuisse, tenuiter instructas atque exornatas; *Ern.* — *gliscere singulos*, crescere, augeri opibus, paratu, nitore et magnificentia instrumenti rerumque necessariarum ad victum et cultum; *Gron.* Cf. Ind. II. — *distinctos senatus et Equitum census* a censu plebis, (v. ad 2, 37. et 4, 63.) *non, quia diversi natura* sint a plebe, *sed quia, ut*, quemadmodum, *locis, ordinibus, d. antistent, talesque*, tales quoque sc. census, (v. ad 2, 37, 1.) *ad requiem — parentur.* Ita edd. vet. et MS. in quo *talisque* legit Pich. sed *talis quae* Furia; unde *ita iis, quae* cet. scribendum videtur. *taliaque* (sc. argentum, supellex, familia, vestes) corr. Hill. Ob. Bekk. Lün. *aliisque quae* et *ita aliis quae* Lips. Pich. Ern. Bip. *ita et aliis quae* Kiessl. *sed quia, ut* (quemadmodum) *locis, o., dignationibus* sc. antistant, sic *antistent et aliis, quae ad requiem — parentur* Grot. Ryck. Gron. *sed ut* et *locis, o. d. antistent, et aliis, quae — parentur* Walth. In explicatione vulgatae lect. mecum fere consentiunt Roth. (in Seebodii N. Archiv. f. Philol. a. 1829. N. 22. et ad Tac. Agr. p. 252.) et Selling. in obss. crit., sed *ut* h. l. duplicem habere vim arbitrantur, ὅπως et καθώς. — *nisi forte* (sed fortasse) *clarissimo cuique — pericula subeunda — esse*, Accus. c. Infinit. post *nisi forte.* Cf. ad 1, 12, 1. Agr. 32. n. 2. Krüger Untersuch. aus d.

Gebiete d. lat. Sprachl. Braunschw. 1829. fasc. I. p. 76 sq. et Ephem. lit. Hal. a 1827. Suppl. p. 950. — *delenimentis* MS. ed. Ber. Rhen. Ald. et rec. *delinimentis* edd. Lips. Grut. Bern. Boxh. Gron. Cf. ad 11, 37. 13, 44. 15, 63. H. 1, 77. et inpr. ad Agr. 21. n. 3.

3. *confessio vitiorum:* Lipsius coni. *consensio vitiorum.* „Sed vulgatum pulcherrime dictum. Impudentia plurium, qui *sub nominibus honestis*, praetextu et vocabulis *commodorum* et *necessariorum* luxuriam suam tantum non prodebant et palam confitebantur, quodque haec istis similes audiebant. *Confessio* est illorum, qui post Gallum sententias dixere, *similitudo audientium* est eorum, qui non sunt locuti, sed verbo aut manu promissa assensere aut denique pedibus in eam sententiam iere. Defendere turpia instar *confessionis* est *vitiorum* insitorum. Pari suavitate luditur 14, 11. *adverso rumore Seneca erat, quod oratione tali confessionem scripsisset.*" *Gron.* „Apte laudatur 14, 11. Sententia h. l. est: *facilem assensum* Gallo audientes dederunt, qui assensus nihil aliud fuit quam *confessio vitiorum* et documentum, *similes esse*, qui audiverant, quanquam non vitia illa, sed nominibus honestis *delenimenta curarum et periculorum* dicebantur." *Walth.* — *Adiecerat et Tiberius* haec verba, ut 4, 21. — *si quid in moribus labaret*, v. ad 2, 26, 1. — *auctorem* sc. Principem.

CAPUT XXXIV.

Inter quae L. Piso ambitum fori, corrupta iudicia, saevitiam oratorum, accusationes minitantium increpans, *abire se et cedere Urbe, victurum in aliquo abdito et longinquo rure*, testabatur; simul curiam relinquebat. Commotus est Tiberius et, quanquam mitibus verbis Pisonem permulsisset, propinquos quoque eius impulit, ut abeuntem auctoritate vel precibus tenerent. Haud minus liberi doloris documentum idem Piso mox dedit, vocata in ius Urgulania, quam supra leges amicitia Augustae extulerat. Nec aut Urgulania obtemperavit, in domum Caesaris spreto Pisone vecta, aut ille abstitit, quanquam Augusta se violari et imminui quereretur. Tiberius hactenus indulgere matri civile ratus, ut *se iturum ad praetoris tribunal, affuturum Urgulaniae* diceret, processit palatio, procul sequi iussis militibus. Spectabatur occursante populo compositus ore et sermonibus variis tempus atque iter ducens, donec, propinquis Pisonem frustra coercentibus, deferri Augusta pecuniam, quae petebatur, iuberet. Isque finis rei, ex qua neque Piso inglorius, et Caesar maiore fama fuit. Ceterum Urgulaniae potentia adeo nimia civitati erat, ut testis in causa quadam, quae apud senatum tractabatur, venire dedignaretur. Missus est praetor, qui domi interrogaret, quum virgines Vestales in foro et iudicio audiri, quotiens testimonium dicerent, vetus mos fuerit.

1. *L.* (Calpurnius) *Piso*, quem fratrem Cn. Pisonis fuisse suspicabatur Mur. De utroque v. Ind. I. *L. ipso ambitum fore* MS. — *abire se et cedere* synon. nisi malis *abire se* ex senatu *et cedere Urbe*; Roth. p. 17. Cf. Ind. III. v. *Synonyma* et *Infinitivi Praes.* pro *Infinit. Futuri.* — *simul curiam relinquebat*, relinquere parabat: actus pro conatu. v. ad 2, 85, 1. „Alii interpretantur, quasi re vera excesserit curia testatione illa peracta: quod sane indignum et viro et senatu fuisset. Immo er vermied

die Curie, post illum diem senatum non amplius frequentabat. Ceterum cf. 4, 21.“ *Walth.* — *precibus tenerent,* retinerent, ut Agr. 16. Liv. 2, 63. 3, 29. 5, 54. 7, 25. 22, 19. 23, 15. 19. Cf. Ind. III. v. *Verba simpl. pro comp.* — *liberi doloris* eleganter, quum ea dicas, facias, quae dolor suadet, nihil timens cuiusquam odium aut iram; *Ern.* Cf. 3, 11. 68. 4, 21, 1. intpp. Horat. Epod. 4, 10. Quintil. decl. 11 pr. 18, 2. Sic ap. Xenoph. Cyrop. 8, 1. *ἐλευθέριοι πόνοι, μελετήματα* libero homine digna; *Walth.* — *Urgulania,* v. ad 4, 22, 2. „*vocata in ius,* h. e. ante tribunal praetoris. Totum locum intellige sic: Piso in loco publico, uti lex iubebat, inventam Urgulaniam adit et veni, inquit, mecum in ius. Illa neque obtemperat, neque cautionem de iudicio sistit, uti debebat. Immo *spreto Pisone,* h. e. admonitione et vocatione eius neglecta, *vehitur in domum Caesaris.* Piso non *abstitit,* h. e. secutus est Urgulaniam in domum Caesaris abeuntem, ut, si ita res poscerent, rite antestatus vi eam traheret ad tribunal. (cf. 4, 21.) Tiberio tamen interveniente Urgulania Pisonis vocationi dein obtemperavit, affuitque Caesar mulieri ante praetoris tribunal. Haec uno eodemque die acta.“ *Walth.* — *quam supra leges amicitia Augustae extulerat,* potentiorem legibus fecerat. „Hinc et *spreto Pisone.* Nam *spernere* accusatores, leges, iudices dicuntur, qui se impune peccare posse putant fiducia potentiae, opum cet. Sic *contempto Othone* Hor. epod. 4, 16. v. ibi Bentl. et intpp. Iuvenal. 10, 123. Similiter *καταγελᾶν νόμου* dixit Lucian. in Toxari c. 2. Cf. clav. Cic. v. *contemnere.*“ *Ern.* — *aut ille abstitit* „sc. ab accusatione. Sed *illi abscissit* in MS. unde coniicere licet *ille abscessit,* ut ap. Xenoph. Mem. Socr. 2, 9. *ὁ δὲ οὐκ ἀπηλλάττετο,* non abscessit, non omisit aut deposuit accusationem.“ *J. Gron.* et *Ern.* *absistit* edd. Ber. et Rhen. *abstitit* Ald.

2. *Tiberius* — *civile ratus,* v. ad 1, 33, 1. *hactenus* — *ut,* v. ad 12, 42 extr. — *sermonibus variis tempus atque iter ducens,* v. ad 12, 29. extr. „*Tempus atque iter* per *ἓν διὰ δυοῖν* dicta pro *tempus itineris.* Nam via recta in forum a palatio descendebatur, et populus, ut in re tali, quum ipse Princeps affuturus reae exspectaretur, tribunali circumfusus et morae impatiens in eam partem fori atque in vicum congregabatur, unde Tiberius et progrediens ex palatio et descendens inter curiam atque aedem Cast. et Poll. conspiciebatur. Iter vero ipsum deflectendo a via recta duci debebat, non sermonibus.“ *Roth* p. 32. v. Ind. III. v. *Hendiadyoin.* — *propinquis Pisonem frustra coercentibus,* a proposito avocantibus; *Ern.* — *Urgulaniae potentia adeo nimia civitati erat,* ut *nimius iam Antonius* H. 3, 52. et Flor. 3, 15. *legio legatis quoque consularibus nimia ac formidulosa erat* Agr. 7. *soles nimios pecori* Sil. 15, 708. *Pompeium nimium iam liberae reip.* Vell. 2, 32. ubi cf. Ruhnk. Similiter *nimius verbis, sermonis* et *secundis rebus* H. 1, 35. 3, 75. 4, 23. *nimius imperii* et *animi* Liv. 3, 26. 4, 11. *consulare imperium nimium* Liv. 3, 9. — *Missus est praetor,* quod Paulus Dig. 12, 2. l. 15. de iureiur. in personis egregiis iisque, qui valetudine impediantur, observari iubet; *Lips.* — *in foro et iudicio* id. qd. in iudicio, quod palam fiebat in foro; *Roth.* p. 49. 50. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin.* Similiter *in comitio ac foro* Agr. 2. ubi v. nota 2.

CAPUT XXXV.

Res eo anno prolatas haud referrem, ni pretium foret, Cn. Pisonis et Asinii Galli super eo negotio diversas sententias noscere. Piso, quanquam afuturum se dixerat Caesar, ob id magis agendas censebat et, absente Principe senatum et Equites posse sua munia sustinere, decorum rei publicae fore. Gallus, quia speciem libertatis Piso praeceperat, nihil satis illustre

aut ex dignitate populi Romani, nisi coram et sub oculis Caesaris; eoque conventum Italiae et affluentis provincias praesentiae eius servanda dicebat. Audiente haec Tiberio ac silente magnis utrimque contentionibus acta; sed res dilatae.

1. *Res eo anno prolatas*, ut 3, 11. 4, 57. pro *dilatas*. Cf. verba extr. huius cap. Dilatae ob ferias messium et vindemiarum tempore indici solitas; *Pith*. Adv. 2. ult. Immo quod *afuturum se dixerat Caesar*; *Bip*. — *ni pretium foret*, v. ad 1, 57, 2. — *Cn*. (in edd. vet. *Gn*. v. ad 12, 61.) *Pisonis et Asinii Galli*, de quibus v. ad I, 12, 2. et 3, 16. extr.

2. *quanquam afuturum se dixerat Caesar:* non abfuit Caesar, ut e seqq. colligas, sed *dixerat*, ut saepe, et haec talia ex usu aut causa simulabat; *Lips*. Cf. 4, 4. et Suet. Tib. 38. Ceterum haec non Pisonis verba, ut vulgo putant, sed a Tacito inserta. *afuturum* MS. et edd. rec. *abfuturum* edd. Lips. et al. Cf. Gebh. et Drak. ad Liv. 4, 2. 26, 41.; *Ern*. *adfuturum* edd. Ber. Rhen. et Ald. — *ob id magis* (um desto mehr, ut *ob id maxime* 2, 66. extr.) *agendas* esse, sc. *res eo anno prolatas*, quae nunc actae in senatu. *agendas c. ut a. P. senatum et E. posse — foret* MS. *agendum c., ut a. P. senatus et E. possent* edd. Ber. Rhen. Ald. et al. Nostra lectio est in edd. J. Gron. et plerisque rec. nisi quod in nonnullis *agendum — senatum et Equites posse sua munia sustinere:* nam iudicia tum exercebantur a Patribus Equitibusque. Hinc *decuriae Equitum* 14, 20. quae etiam ap. Suet. Tib. 41. ad iudicia referuntur ab Ern. in Exc. et Ruhnk. sed ad rem militarem ab Oudend. et Wolf. Cf. ad 3, 30, 1. — *speciem libertatis*, *παῤῥησίας*, *praeceperat*, v. ad 1, 55, 1. et H. 3, 15, 2. — *eoque* (v. ad 1, 16, 1.) *conventum Italiae*, concursum Italorum *et affluentes provincias*, provinciales. Cf. ad 2, 76, 1. et Agr. 12. n. 3. *et ei affl. pr.* MS. et ed. Walth. qui *ei* ad Tiberium refert, ut respondeat sequenti *eius* et sic magna vis insit voculae. — *servanda*, immo *servandas*; *Gron*. Sed v. ad H. 3, 70, 6.

CAPUT XXXVI.

Et certamen Gallo adversus Caesarem exortum est: nam censuit, in quinquennium magistratuum comitia habenda, utque legionum legati, qui ante praeturam ea militia fungebantur, iam tum praetores destinarentur; Princeps duodecim candidatos in annos singulos nominaret. Haud dubium erat, eam sententiam altius penetrare et arcana imperii tentari. Tiberius tamen, quasi augeretur potestas eius, disseruit: *Grave moderationi suae, tot eligere, tot differre. Vix per singulos annos offensiones vitari, quamvis repulsam propinqua spes soletur: quantum odii fore ab iis, qui ultra quinquennium proiiciantur. Unde prospici posse, quae cuique tam longo temporis spatio mens, domus, fortuna? Superbire homines etiam annua designatione. Quid, si honorum per quinquennium agitent? Quinquiplicari prorsus magistratus, subverti leges, quae sua spatia exercendae candidatorum industriae quaerendisque aut potiundis honoribus statuerint.*

1. *in quinquennium magistratuum comitia habenda*, et sic habita iam a Caesare, ut in decem annos a Vitellio. v. Suet. Caes. 76. Vit. 11. et Appian. B. C. 2, 128. „Gallus remedium quaerebat adversus ambitum fori, qui displicuerat Pisoni. v. cap. 34. Addit vero: *ut legionum legati, qui ea*

militia, legatione, *ante praeturam fungebantur* et in ea Urbe aberant, *iam tum* (quum adhuc in legationis officio abessent) *praetores destinarentur*, ut hi, qui post exactam demum eam militiam futuri erant praeturae candidati et domum redire debebant, ut honores ambirent, sub finem redirent eius anni, quo exacto praeturam suam capessituri essent, ne destinatis in quinquennium magistratibus laederentur, in quinquennium praerepta honorum spe. Recte *fungebantur*, non *fungerentur*; nam hoc significaret: si quando essent, qui ante praeturam legatorum officium obtinerent. At omnino potius legionum legati praesumendi sunt viri praetura nondum functi. Idem Gallus censuit, ut *Princeps XII candidatos in annos singulos nominaret*, ergo LX in quinquennium. Cuius rei *candidatos?* Nescio, quid dubitaverint Lipsius et Ern. Non legationis aut consulatus, sed praeturae: quod docet et contextus, (nam de praetura iam sermo est) et numerus *duodecim*. cf. 1, 14. Principi autem ille tradit omnium praetorum denominationem, ut ita aliorum gratia plane aboleatur. Miraberis, nil hic legi de consulatus petitoribus. Verum de consulatu res non erat difficilis. Iam dudum illud honorum fastigium extra ambitum fori positum fuisse videtur, ut e Caesaris arbitrio consulum denominatio penderet, licet imago quaedam consularium comitiorum superfuerit. v. 1, 81." *Walth. iam tum destinarentur*, v. ad 1, 3, 3. *iam tum* omnes edd. *iam dum* MS. teste Iac. Gron.

2. *Haud dubium erat, eam sententiam altius penetrare*, in ipsa *imperii arcana*, et sic *tentari* ea. Cf. ad 3, 28, 4. „Cave, ne hic interpretum ambages in tenebras te abducant. *Arcana imperii* sunt Geheimnisse der kaiserlichen Politik. Quorum arcanorum cardo apud Caesares in eo vertebatur, ut res Romanae, licet e solo imperitantium arbitrio penderent, veteris tamen libertatis speciem retinerent, utque ipsis formulis antiquis Principes uterentur in suam potentiam muniendam. Ita comitia magistratuum dabantur, quanquam certum erat, neminem honores capessiturum esse nisi ex voluntate Principis, cuius tamen potentia imagine prioris rei publicae tegebatur Nec frustra annua illa comitia servabantur; nam uti olim praecipuum libertatis munimentum et nimiae singulorum potentiae impedimentum fuerant, ita et nunc cavebant, ne quis potestatis diuturnitate abuteretur ad comparandas vires Caesarum imperio perniciosas." *Walth.* Cf. ad 1, 2, 6. — *quasi augeretur potestas eius* ex persona Taciti dicta. *augeretur*, quum in eius manum comitia tot annorum praetorumque nova ratione darentur; *Lips. augeretur* edd. Ald. et deinceps omnes ex emend. Rhen. *auretur* MS. edd. Ber. et Rhen. *auferretur* in marg. MSti. — *tot eligere:* verba haec desunt in ed. Ald. Paulo post *ab iis* edd. Ald. et Walth. pro vulg. *ab his*. v. ad 2, 43, 1. — *qui ultra quinquennium proiiciantur*, quorum vota, spes et electio in tantum differantur. Sic et paulo ante *tot differre*. — „*quae cuique tam l. t. sp. mens* foret, utrum bona an mala et rei publ. infensa; (cf. 4, 70. 6, 24.) *domus*, familia, gens, cognatio et necessitudines; (nam et horum peccata poterant efficere, ut aliquis in suspicionem veniret et potestas ei male credi videretur) *fortuna*, res familiaris, integra an attenuata, utrum ei census sit senatorius nec ne. *Quid, si honorum per quinquennium agitent!* Sermo ad invidiam rem augens. Designati a gerentibus magistratum potestate, non dignatione neque gratia differunt, immo maiorem saepe gratiam habent, ut a quibus plerumque speratur: unde non mirum, si et ipsi sumerent superbiam quasi meritis quaesitam, et vires colligerent ad invadendum imperium. Cf. Liv. 33, 46. et Cic. Verr. 1, 7." *Gron. si per quinquennium honorum agitent*, v. ad 1, 68, 1. *honorum* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. al. quod revocavi. *honorem* edd. rec. e coni. Lips. — *quinquiplicari prorsus magistratus*, non iam unius anni, sed quinque annorum esse: ut quis enim designatus, statim honor, reverentia, super-

bia; *Brot. quintuplicari* edd. Lips. Sed *quinquiplicari* MS. et edd. rel. — *sua*, iusta, *spatia*, mensium dierumque, *exercendae candidatorum industriae*, petendis honoribus, olim legibus definita.

CAPUT XXXVII.

Favorabili in speciem oratione vim imperii tenuit: censusque quorundam senatorum iuvit. Quo magis mirum fuit, quod preces M. Hortali nobilis iuvenis in paupertate manifesta superbius accepisset. Nepos erat oratoris Hortensii, illectus a divo Augusto liberalitate decies sestertii, ducere uxorem, suscipere liberos, ne clarissima familia exstingueretur. Igitur quatuor filiis ante limen curiae adstantibus, loco sententiae, quum in palatio senatus haberetur, modo Hortensii inter oratores sitam imaginem, modo Augusti intuens ad hunc modum coepit: *Patres conscripti, hos, quorum numerum et pueritiam videtis, non sponte sustuli, sed quia Princeps monebat: simul maiores mei meruerant, ut posteros haberent. Nam ego, qui non pecuniam, non studia populi neque eloquentiam, gentile domus nostrae bonum, varietate temporum accipere vel parare potuissem, satis habebam, si tenues res meae nec mihi pudori nec cuiquam oneri forent. Iussus ab Imperatore uxorem duxi. En stirps et progenies tot consulum, tot dictatorum! Nec ad invidiam ista, sed conciliandae misericordiae refero. Assequentur florente te, Caesar, quos dederis, honores: interim Q. Hortensii pronepotes, divi Augusti alumnos ab inopia defende.*

1. *Censusque quorundam senatorum iuvit,* supplevit, explevit, ita auxit, ut ad sumptus necessarios sufficeret. Cf. Dio 57, 10. Vell. 2, 129. et Suet. Tib. 47. ubi v. Ern. *Censusque* pro *census quoque* s. *etiam*, ut saepius *que, atque* et Gr. enclitica τέ. v. 1, 28. 65. 2, 33. 52. 57. 69. 4, 74. 6, 19. 33. 12, 11. 24. 58. 13, 2. 37. 14, 14. 28. H. 1, 51. 3, 48. G. 3. 7. 17. Ita quoque *ac* 11, 33. et saepissime, *et* 4, 34. 6, 34. 14, 32. A. 17. 35 pr. *hodieque* pro *hodie quoque* G. 3. O. 34. Cf. ad 6, 19, 1. Walth. ad 1, 28. Ern. ad Suet. Ner. 38. Drak. ad Liv. 5, 26. Burm. ad Suet. Claud. 19. Ramshorn. Gram. p. 523. 524. Roth in Seebodii N. Archiv f. Philol. a. 1829. p. 85 sq. De differentia copularum *et* ac *que* v. ad 12, 12, 1. — *M.* Hortensii *Hortali,* — qui *nepos erat* Q. *Hortensii oratoris* summi, de cuius eloquentia, vita et morte v. Cic. Brut. 1. et 88. Oratoris filius et nostri M. Hortensii pater fuit praetor Maced. et cecidit in bello civili. v. Vell. 2, 71. Cic. Phil. 10, 5. 6. ad Att. 7, 2. Plut. M. Brut. p. 995. „Dubitant interpretes, an idem ille *Hortensii nepos* sit, quem Valerius Max. 3, 5, 4. mala fama notavit. Ego nil dubitem. Quod autem Valerius quaecunque turpia invidiose in eum cumulat, quis non videt, ab eo scriptore quaeri gratiam Tiberii et excusari huius adversus hominem rigorem. Plane id convenit turpi adulatori, quem audis in Prologo.“ *Walth.* „Q. Hortensio oratori summa fuit piscinarum signorumque Corinthiorum cura. v. Plin. 34, 8. 35, 11. Varr. R. R. 3, 17. Non mirum, hominis eloquentissimi, sed vanissimi, posteros pauperes fuisse.“ *Brot.* In hac Taciti narratione Wagnerum usserunt scrupuli, quos ei eximere conatus est Wolper. v. Seebodii Archiv f. Philol. 1, 2. p. 391 sq. et 1, 4. p. 795 sq. ubi hic monet, M. Hortalum haud profudisse pecuniam ab Augusto datam, quia hoc ei non vitio vertatur, et preces eius non nisi ad filiorum salutem et dignitatem senatoriam iis compa-

randam spectasse. Ceterum *Hortalus* fuit cognomen universae genti commune. *Ortali* edd. vet. ut et ap. Suet. Tib. 47. Cic. ad Att. 2, 25. 4, 15. et Catull. carm. 65. ad Hortalum oratorem, non huius nepotem, ad quem a Voss. referebatur. „Sequior aetas dixit *Ortalus*, ut *Ortensius* (ap. Grut. p. 883, 4.) et *ortus* pro *hortus*.“ *Ern.* — *illectus a D. Augusto*, auctore legis Papiae Poppaeae, (v. 3, 25.) *ducere uxorem*, ad uxorem ducendam, ut 4, 12. Cf. Ind. III. v. *Infinitivi* N. 7. et Ramshorn Gram. p. 425. — *liberalitate* (v. ad 12, 49, 1.) *decies sestertii*; Augustus *senatorum censum ampliavit ac pro octingentorum millium summa decies et deinde duodecies sestertio taxavit*. Ita Suet. Aug. 41. Cf. 1, 75. Dio 54, 17. Perizon. de lege Voconia p. 174. *sestertii* MS. a pr. m. (nam recentior literae ultimae superscripsit *u*) edd. Ryck. Ern. et rec. recte. „vid. intpp. Suet. Caes. 50. Aug. 41. Tib. 48. et inpr. Gron. de peo. vet. 2. 3.“ *Ern.* et *Ob.* Sic et *decies sestertii dote* 2, 86. ut *decies*, *millies* cet. *sestertio* et *sestertium* 1, 75. 2, 86. 3, 17. 13, 31. H. 4, 42. al. Cf. Gron. de pec. vet. 1, 2, 5. 2, 2. Ramshorn. Gram. p. 329 sq. *decies sestertium* edd. vet. Sunt ista XXV millia Philippicum; *Lips.* „Respondent potius ducenties mille libris monetae Gall. Lipsii Eisenschmidiique calculi hodiernae rationi non amplius congruunt. Saeculi spatio duplicatus argenti valor est. v. diss. nostra de numi Rom. valore in Misc. lit. Argent. 1770. 4.“ *Oberl.* — *suscipere liberos*, ut paulo post *sustuli hos*. v. ad 4, 8. — *loco sententiae*, v. ad 2, 33, 2. — *quum in palatio senatus haberetur*, v. ad 13, 5. — *Hortensii inter oratores sitam imaginem*, v. ad 2, 83, 2. — *ego, qui non pecuniam — potuissem*, recte, non *potueram*. v. Ramshorn. Gram. p. 609

2. *En stirps et progenies tot consulum, tot dictatorum*: „Vaniloqua hominis oratio et falsa. Certe ego in Hortensia gente reperio non nisi Q. Hortensium dictatorem a. U. c. 466. in secessione plebis, (v. Gell. 15, 27. Liv. epit. XI. Plin. 16, 10.) et Q. Hortensium oratorem, cos. a. 684. huius avum. Sed intelligit fortasse maiores suos etiam ex gente materna.“ *Lips.* — *nec ad invidiam* (invidiae causa) *ista, sed conciliandae misericordiae*, tert. cas. pro *ad conciliandam misericordiam, refero*, v. ad 1, 7, 8. et Ind. III. v. *Dativus* nr. 3. — *assequentur*: Acid. coni. *assequantur*. Sed certius omen in vulgata, etsi ratum non fuerit; *Gron.*

CAPUT XXXVIII.

Inclinatio senatus incitamentum Tiberio fuit, quo promptius adversaretur, his ferme verbis usus: *Si, quantum pauperum est, venire huc et liberis suis petere pecunias coeperint, singuli nunquam exsatiabuntur, res publica deficiet. Nec sane ideo a maioribus concessum est, egredi aliquando relationem et, quod in commune conducat, loco sententiae proferre, ut privata negotia, res familiares nostras hic augeamus cum invidia senatus et Principum, sive indulserint largitionem, sive abnuerint. Non enim preces sunt istuc, sed efflagitatio intempestiva quidem et improvisa, quum aliis de rebus convenerint Patres, consurgere et numero atque aetate liberum suorum urgere modestiam senatus, eandem vim in me transmittere ac velut perfringere aerarium. Quod si ambitione exhauserimus, per scelera supplendum erit. Dedit tibi, Hortale, divus Augustus pecuniam, sed non compellatus nec ea lege, ut semper daretur. Languescet alioqui industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus aut spes; et securi omnes aliena subsidia exspectabunt, sibi ignavi, nobis graves.*

Haec atque talia, quanquam cum assensu audita ab iis, quibus omnia Principum, honesta atque inhonesta, laudare mos est, plures per silentium aut occultum murmur excepere. Sensitque Tiberius et, quum paulum reticuisset, *Hortalo se respondisse* ait: *ceterum, si Patribus videretur, daturum liberis eius ducena sestertia singulis, qui sexus virilis essent.* Egere alii grates; siluit Hortalus pavore, an avitae nobilitatis etiam inter angustias fortunae retinens. Neque miseratus est posthac Tiberius, quamvis domus Hortensii pudendam ad inopiam delaberetur.

1. *Inclinatio senatus* ad misericordiam vel ad partes eius; *Ern.* — *incitamentum Tiberio fuit* cet. „Debuisset incitare, non impedire illa et arcere: nam videri volebat omnia per senatum agere. Sed ista inclinatio popularitatem quandam referebat, et severum Principem quasi ad famam et gratiam componebat. Fortasse etiam sponte volebat dare et solus gratiam habere; non ab aliis invitatus aut impulsus.“ *Lips.* „Quum Tiberio destinatum esset non ferre opem Hortalo, inclinatione senatus visa callide praevenit adverso sermone, ne apertior fieret senatus voluntas. Prompte senatorum sensus repressit eosque coegit suae ipsius sententiae accedere aut silentio animum occultare, ut ita cum senatus consensu Hortalum repulisse videretur.“ *Walther.* — *his ferme verbis usus,* cf. Ind. III. v. *Participia Perfecta verborum Depon. pro Part. Praes.*

2. *a maioribus concessum est, egredi aliquando sententiam et — proferre,* v. ad 2, 33, 2. — *in commune conducat,* v. ad 15, 12. — *augeamus:* Huetius coni. *agamus.* Male. Mox *abnuerunt* MS.

3. *Non enim preces sunt istuc,* ut *quicquid istuc sceleris imminet* 1, 42; nam neutrum Pron. *istic* et *istoc* et *istuc* est idem quod *istud.* Ita saepissime apud Plautum, Cic. et Terent. Cf. Lexica et ad H. 1, 84, 1. Agr. 43. n. 5. Huius loquendi usus immemores Ernestius 1, 42. corr. *istinc* (a vobis, ab exercitu seditioso) et Jac. Gron. h. l. *istud,* quia in MS. Flor. legatur *istut,* quod tamen ex *istuc* effictum videtur. Ceterum vulgaris dictio est *istoc* s. *istuc, istud est* et *sunt.* Sic et *quasi illud res publ. esset* 4, 19. *secessionem iam id et partes esse* Liv. 16, 22. Ceterum saepius J. Gron. ex MSS. Flor. affert *t,* ubi Pich. et Victor. habent *c*; *Walth.* — *consurgere* solent dicturi, *stare* oratores et *sedere* iudices. — *urgere modestiam senatus,* ei vim facere, *eandem vim* ab Hortalo *in se quoque transmittere,* h. e. urgere modestiam senatus suamque; *Pich.* Optime habet vulgatum: nam et *vis* infertur pudori; *vis* etiam est, quum aliquid extorquet improbitas, (ita Petron. c. 87) cui concedit verecundia; *Gron.* *Vim* et senatui et mihi infert, quia pro *sententia* dicit et senatus assensum capit aut captat, cui parere me sit necessum; *Lips.* *eandem* vim, sc. qua senatus urgetur. *transmerei* MS. edd. Ber. et Rhen. *transmitti* Ald. *transmittere* ed. Gryph. et rec. *transsumere* corr. Rhen, *transmeare* Heins. *transferre* Hiller. *transiicere* I. Gron. *transmovere* Croll. *eadem invidiam* et *eandem vim in me transmittere* Lips. — *perfringere,* effringere, *aerarium,* ei precibus cet. pecuniam extorquere; *Ern.* Cf. ad 14, 11.

4. *Haec atque talia — per silentium — excepere,* v. ad H. 3, 32, 6. — *ab iis quibus* MS. et ed. Bekk. *ab his quibus* edd. rel. v. ad 2, 43, 1. — *excepere:* in MS. *excipere.*

5. *siluit Hortalus,* cuius votis et nobilitati non respondebat talis liberalitas. — *pavore an* cet. pro: *dubium* s. *incertum utrum* s. *an pavore, an* cet. Talia vel similia saepius omittuntur. v. ad 2, 67. 3, 3. 9. 30. 4, 44. 4, 8. 6, 38. 6, 44. 45. 13, 9. 12. G. 5. 6. et Ind. III. v. *Ellipses,* n. 8. — *retinens nobilitatis,* ut ap. Cic. ad Q. fr. 1, 2; *Ern.* Cf. 5, 11.

6, 42. 16, 5. — *ad inopiam delaberetur:* „Sic rescripsi pro vulg. *dilaberetur.* Ita 3, 63. extr. et *decidere* ap. Suet. Claud. 9.“ *Ern.* Similiter *prolabi* 1, 31. 2, 10. 3, 55. 4, 18. 11, 17. 12, 53.

CAPUT XXXIX.

Eodem anno mancipii unius audacia, ni mature subventum foret, discordiis armisque civilibus rem publicam perculisset. Postumi Agrippae servus nomine *Clemens* comperto fine Augusti pergere in insulam Planasiam et fraude aut vi raptum Agrippam ferre ad exercitus Germanicos non servili animo concepit. Ausa eius impedivit tarditas onerariae navis, atque interim patrata caede ad maiora et magis praecipitia conversus furatur cineres vectusque Cosam Etruriae promontorium ignotis locis sese abdit, donec crinem barbamque promitteret: nam aetate et forma haud dissimili in dominum erat. Tum per idoneos et secreti eius socios crebrescit vivere Agrippam, occultis primum sermonibus, ut vetita solent, mox vago rumore apud imperitissimi cuiusque promptas aures aut rursum apud turbidos eoque nova cupientes. Atque ipse adire municipia obscuro diei neque propalam aspici, neque diutius iisdem locis. Sed quia veritas visu et mora, falsa festinatione et incertis valescunt, relinquebat famam aut praeveniebat.

1. *discordiis armisque civilibus,* cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin* et *Synonyma.* — *perculisset,* v. ad 4, 31. — *Postumi Agrippae* (cf. ad 1, 3, 6.) *servus nomine Clemens* cet. Cf. Dio 57, 16. et Suet. Tib. 25. „Si Dioni fides habeatur, Clemens in Galliam venit, ibi multos, plurimos in Italia sibi adiunxit ac tandem Romam contendit, avitum regnum repetiturus. Longe verisimiliora narrat Tacitus.“ *Brot.* — *Agrippam ferre,* ducere, *ad exercitus German.* nam soror eius fuit Agrippina coniux Germanici, qui his exercitibus praefuerat. „v. 4, 67. Suet. Aug. 19. et Tib. 53.“ *Gron.* — *non servili animo,* ut 2, 12. 15, 54. H. 2, 92. 5, 9. Iustin. 18, 3. — *concepit,* statuit, consilium cepit. — *patrata caede* Agrippae. v. 1, 6. *parata* ed. Ber. — *furatur cineres* eius. „Quare hoc? an, ne constaret eo argumento mortuum Agrippam, quem vivum ille et se esse credi volebat? an, caritate in dominum fecit et alibi sepulturus?“ *Lips.* Haud dubie ut tolleret documentum caedis patratae atque ipsi Tiberio suspicio moveretur de fraude ministrorum, quibus facinus imperatum erat; *Walth.* cf. ad 2, 75, 1. — *vectus Cosam* edd. rec. ex emend. Lips. *Coram* edd. vet. Sed *Cora* est opp. Latii in Volscis. „*Cosa* vel *Cossa* et *Cossae* opp. *Etruriae* in sublimi colle ad mare cum subiecto sinu. v. Strab. V. p. 225. intpp. Virg. Aen. 10, 167. Rutil. itin. 1, 286. Plin. 3, 5. s. 8.“ *Lips.* *Cosa* nunc *Monte Argentaro* prope urbem Orbitello in Statu Praesidii; *Brot.* — *donec crinem barbamque promitteret,* crescere et dependere sineret, ut ita quoque similis esset domino. — *nam aetate et forma haud dissimili in dominum erat,* v. ad 1, 76, 3.

2. *crebrescit vivere Agrippam,* sc. fama, rumor; hinc simpl. innotuit, vulgatum est. *crebrescit* edd. Ber. Rhen. Lips. et rec. *crebescit* Ald. v. ad 6, 20. Sic et *percrebruit* edd. ante Lips. II. inf. 2, 82. al. — *apud imperitissimi cuiusque aures,* v. ad H. 1, 26, 4. *aures promptas* ad nova et ad haec audienda atque credenda. Cf. Ind. — *obscuro diei,* cf. Ind. III. v. *Adiectiva Neutra.* In ed. Ald. *o. die.* — *neque propalam*

aspici; idem tradit Niceph. 10, 9. de Hilarione; *Boxh.* — *veritas visu et mora, falsa f. et i. valescunt* sc. ad fidem sui; *Ern.* Cf. ad 12, 49, 1. et H. 1, 32, 5. — *relinquebat famam*, parum gnaros, abeundo, priusquam bene innotesceret, *aut praeveniebat*, ex inopinato et celeriter parum providis se sistendo; *Lips.* „Totum interpretor de abitu, idque praecipit ipse Tacitus, quum ait: *neque diutius iisdem locis* cet. Narrat, quid fecerit in mutandis locis, et hoc dicit: abibat, vel quum inciperetur spargi, vel priusquam spargeretur rumor, eum adesse. Nam *relinquere* interdum quidem dicimur, quicquid post tergum est vel venit; proprie tamen relinquimus, quod nobiscum fuit, aut quod iam adest, quum ab eo discedimus: *praevenimus* id quod nondum adest, seu quod post nos demum exsistit.“ *Gron.* „Ita versatus est in omnibus locis, ut municipiis decederet, simul ac fama de se spargi ibi coepisset, et in alia transiret, antequam fama de se eo pervenisset. Verum sensum melius perspexerat Lipsius quam Gron.“ *Walth.*

CAPUT XL.

Vulgabatur interim per Italiam, servatum munere deum Agrippam. Credebatur Romae, iamque Ostiam invectum multitudo ingens, iam in Urbe clandestini coetus celebrabant, quum Tiberium anceps cura distrahere, vine militum servum suum coerceret, an inanem credulitatem tempore ipso vanescere sineret. Modo nihil spernendum, modo non omnia metuenda ambiguus pudoris ac metus reputabat: postremo dat negotium Sallustio Crispo. Ille e clientibus duos (quidam milites fuisse tradunt) deligit atque hortatur, simulata conscientia adeant, offerant pecuniam, fidem atque pericula polliceantur. Exsequuntur, ut iussum erat: dein speculati noctem incustoditam, accepta idonea manu, vinctum clauso ore in palatium traxere. Percunctanti Tiberio, *Quomodo Agrippa factus esset?* respondisse fertur, *Quomodo tu Caesar.* Ut ederet socios, subigi non potuit. Nec Tiberius poenam eius palam ausus in secreta palatii parte interfici iussit corpusque clam auferri; et quanquam multi e domo Principis, Equitesque ac senatores sustentasse opibus, iuvisse consiliis dicerentur, haud quaesitum.

1. *Ostiam invectum — celebrabant*, „circumfundebant comitabanturque: nam *multitudo ingens celebrare* dicitur eum, qui magnam turbam comitum, anteambulonum, sectatorum secum trahit, ut ap. Cic. p. Sext. 63. ad Att. 4, 1. et de or. 1, 45. Freinsh. capit de sermonibus hominum. Crederem, si adiiceretur *fama, rumore, sermone, vocibus.*“ *Gron.* „Verbo lat. *celebrare* exacte respondet nostrum feiern, quod fit voce, sermone et praesentia applaudentium. Cf. 15, 44.“ *Walth.* *Ostiam* MS. edd. Ryck. et rec. *Hostiam* edd. vet. De qua scriptura med. aevi v. Drak. ad Liv. 1, 33. al. ut de oppido hoc ad *ostium* Tiberis condito, colonia Rom. et velut emporio ac portu, Dionys. 3, 44. Plin. 4, 5. et Liv. 1. 1. — *coetus:* in MS. *catus* et in marg. *cetus.* — *quum Tiberium anceps cura distrahere*, v. ad H. 4, 80, 2. Infinitivo praes. et historico, de re continuata et nondum perfecta, iungitur *quum* h. l. et 2, 31. 4, 50. 6, 44. 14, 5. H. 3, 31 pr. *ubi* 2, 4. 12, 51. *ut* H. 3, 31, 4. *postquam* 3, 26. Sic et Gr. ἐπεὶ. v. Wessel. ad Herodot. 2, 32. — *servum suum*, olim Agrippae, nunc Tiberii, ad quem universa Agrippae hereditas venerat; *Lips.* „*statim* pro *suum* coni. Acid. non inconcinne. *tum* Groslot. Sed

suum multo efficacius, ut ap. Iustin. 42, 5. *Phraatês — servum suum Tiridatem remitti sibi postulat.*" *Gron.* *suum* deleri volebat Mur. „Defuncto Agrippa Clemens cum universa hereditate in manus Tiberii transierat, quare ubicunque prehensum ut *suum* ille vindicare poterat. *Suum* vero additur cum emphasi: den eigenen Knecht. Sic *Principis sui* H. 1, 26. *imperatorem suum* H. 1, 40. *libertum suum* H. 2, 65. Hoc pron. *suum* et alibi sine causa interpretes offendit, v. c. *fiscum suum* H. 1, 46. *coloniae suae* H. 2, 86. *Principi suo* H. 1, 31." *Walth.* — *ambiguus pudoris ac metus*, cf. Ind. III. v. *Adiectiva Genitivis iuncta.* — *credulitatem*, v. ad 12, 49, 1.

2. *Sallustio Crispo*, v. ad 1, 6, 5. — *simulata conscientia*, simulantes, quasi sciant, (saltem credant) vere illum esse, quem se ferat; *Ern.* Fingentes, se conscios ac participes esse eorum, qui iam pridem illius adventum optarint et exspectarint, adeoque conspirationis pro servato munere deorum Agrippa factae, et velle omni modo Augusti sanguinem adversus inimicos tueri; *Gron.* „Recte: non *conscientia* fraudis, (ita Freinsh.) sed coniurationis, quae illum adversus Tiberium sit defensura. Contra Gron. male disputat vir doctus in Seebodii bibl. crit. a. 1829. nr. 55." *Walth.* — *fidem atque pericula* id. qd. fidem in periculis: nec enim Clemens quaerebat, qui pericula sibi offerrent, sed qui constanti in periculis animo essent; *Roth.* de synon. Tac. p. 50. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin.* Immo *pericula*, ut H. 3, 53. et Gr. κινδυνεύματα, sunt facinora audacia et periculosa; *Walth.* — *pericula*, eorum communionem et societatem; *Ern.* — *speculati noctem incustoditam*, v. ad 1, 28, 1. — *accepta idonea manu* in subsidium, ut 6, 33. — *clauso ore*, obligato, obturato; *Ern.* — *Quo modo tu Caesar* salse dictum: uterque enim fraude grassatus, Clemens ementito Agrippae nomine, Tiberius Liviae artibus Caesar evaserat; *Brot.* — *haud quaesitum*, ne et odium et periculum Tiberii cresceret.

CAPUT XLI.

Fine anni arcus propter aedem Saturni ob recepta signa cum Varo amissa ductu Germanici, auspiciis Tiberii, et aedes Fortis Fortunae Tiberim iuxta in hortis, quos Caesar dictator populo Romano legaverat, sacrarium genti Iuliae effigiesque divo Augusto apud Bovillas dicantur.

C. Caecilio, L. Pomponio coss. Germanicus Caesar a. d. VII. Kalendas Iunias triumphavit de Cheruscis Chattisque et Angrivariis quaeque aliae nationes usque ad Albim colunt. Vecta spolia, captivi, simulacra montium, fluminum, proeliorum; bellumque, quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur. Augebat intuentium visus eximia ipsius species currusque quinque liberis onustus; sed suberat occulta formido reputantibus haud prosperum in Druso patre eius favorem vulgi: avunculum eiusdem Marcellum flagrantibus plebis studiis intra iuventam ereptum: breves et infaustos populi Romani amores.

1. *Fine anni arcus — dicantur*, cf. 2, 64. 2, 83. 3, 57. 15, 18. 41. Suet. Claud. 1. — *propter aedem Saturni*, v. ad 1, 50, 3. „Haec vetustissima aedes in VIII. Urbis regione imoque clivo Capitolino, ut ait Festus, et in ea fuere aerarium publicum, tabulae debitorum aerarii et signa militaria. v. Dionys. 6, 1. Cic. ad Att. 7, 21. Suet. Aug. 32. Liv. 2, 21. 4, 22." *Brot.* Cf. ad 13, 28. Ex Tac. H. 1, 27. (ubi tradit, *Othonem per Tiberianam domum in Velabrum, inde ad Milliarium aureum*

sub aedem Saturni positum *perrexisse* et hinc ad Viminalem portam, ubi castra erant praetoria) ex Plut. Galba 24 extr. 25 pr. et Suet. Oth. 6. intelligitur, aedem Saturni non fuisse, ubi nunc aedes di S. Hadriano, sed ubi aedes di S. Maria della Consolazione est. Exstructa enim sub rupe Tarpeia in vico Iugario. v. Lucan. 3, 115. 154 sq. et Victor. Ita Sachse Gesch. d. alt. St. Rom p. 302 sq. Idem suspicabatur, Aerarium fuisse partem posteriorem ei annexam in ipsa rupe Tarpeia, huiusque partem *Aerarium interius, sanctius* ap. Cic. ad Att. 7, 11. in Verr. multis locis, Caes. B. C. 1. pr. al. — *ob recepta signa*, aquilas. v. ad Agr. 18. n. 3. et ad 2, 25, 1. — *ductu Germanici, auspiciis Tiberii*, ut ap. Suet. Aug. 21 pr. et Plin. 3, 20. Magnae olim res a Romanis non nisi auspicato sive captis ante ab auguribus auspiciis, etiam in castris, suscipiebantur, quique cum summo imperio praeerant provinciis exercitibusque, soli *habebant auspicia:* unde hi *suis auspiciis et suo imperio, ductu auspicioque*, legati vero, magistri equitum et tribuni, (consulum dictatorumve) *auspiciis* s. *ductu et auspicio*, nec nisi improprie *suo ductu auspicioque, res* ipsis mandatas *gerere* dicebantur. v. Cic. Divin. 2, 36. Liv. 8, 31 in. 28, 12. 38. 41. Hinc Imperatores, etiam absentes, vel *suis auspiciis* res gerere dicuntur vel *sua auspicia* dare legatis, hi autem vel *suo ductu* et *auspiciis* Imperatorum, ut h. l., vel illorum *auspiciis* et *consiliis* (mandatis, praeceptis, imperiis) bella gerere, ut 13, 6. et Vell. 2, 129. Cf. ad 1, 3, 2. intpp. Hor. od. 4, 14, 33. et Ovid. Trist. 2, 173 sq. — *aedes Fortis Fortunae*, v. ad 6, 22, 1. Prima huic deae aedes dedicata a Servio Tullio, (v. Varro de L. L. V. p. 50.) alia a. U. c. 459. a Spurio Carvilio cos. v. Liv. 10, 46. De cultu huius deae v. Ovid. Fast. 6, 770 sq. Colum. 10, 316. Plut. de Fort. Rom. p. 319. 322. — *in hortis, quos Caesar dict. populo Rom. legaverat*, trans Tiberim in XIV. regione Urbis. v. Suet. Caes. 83. Hor. Sat. 1, 9, 18. Dio 43, 27. 44, 35. Cic. ad Att. 15, 15. et Sachse Gesch. d. alt. St. Rom T. I. p. 637. — *sacrarium genti Iuliae:* „addito ludicro circensi. v. 15, 23. Exemplum imitatus Domitianus sacrarium dicavit genti Flaviae. v. Stat. Silv. 5, 1, 240.“ *Lips.* — *apud Bovillas*, Bovillis. v. ad 3, 46. *Bovillae* opp. Latii ad X. lap. ab Urbe in via Appia.

2. *C. Caecilio* Rufo. *C. Coelio* edd. Ber. Rhen. et cet. ante Ern. „Edidi *C. Caecilio:* nam sic appellatur in inscr. ap. Murator. novo Thes. inscr. T. 1. p. 301. a Dione 57, 17. et Cassiod. in Chron. ut iam monuere Panvin., Blanchin. et Masson. vit. Ovid. ad a. 769.“ *Ern.* Sed *C. Caelio Rufo* in inscr. ap. Gruter. legitur. *Ryck.* — *L. Pomponio* Flacco. v. ad 2, 66, 2. — *Germanicus Caesar — triumphavit*, v. ad 1, 72, 1. 2, 73. — *vecta spolia* cet. cf. Strab. 7, 3. p. 291. et Eckhel. doctr. NN. VI p. 209. Nota vero triumphorum pompa. v. Appian. rer. Pun. c. 65. 66. Plut. Aemil. 34. Ioseph. B. J. 7, 5 sq. Polyb. 16, 23. Sil. 17, 629 — 650. Dionys. Hal. 3, 61 sq. Ottfr. Müller: die Etrusker II, 2, 7. p. 371. IV, 1, 2. p. 197. — *ad VII Kal.* edd. vet. — *augebat intuentium visus eximia ipsius species*, v. ad 1, 3, 2. — *currus quinque liberis onustus:* „ex triumphantium ritu, qui pueros minores in curru, grandiores interdum equis triumphalibus imponebant. v. Cic. p. Mur. 5. Appian. Lyb. c. 66. Suet. Tib. 6. Liv. 45, 40. Eutrop. 4, 8. Plut et al.“ *Lips.* Germanicus ex Agrippina IX liberos suscepit: sed quum tres iam essent mortui et Iulia nondum nata, (v. 2, 54 pr.) quinque tum vixere, Nero, Drusus, Caius postea Princeps, Agrippina et Drusilla; *Brot.* v. Suet. Cal. 7. ubi Iulia dicitur Livilla. — *breves et infaustos populi Rom. amores*, praematuram et violentam fuisse mortem Caesarum optimae spei. Cf. ad 1, 3, 1. et 4.

CAPUT XLII.

Ceterum Tiberius nomine Germanici trecenos plebi sestertios viritim dedit seque collegam consulatui eius destinavit. Nec ideo sincerae caritatis fidem assecutus amoliri iuvenem specie honoris statuit struxitque causas aut forte oblatas arripuit.

Rex Archelaus quinquagesimum annum Cappadocia potiebatur, invisus Tiberio, quod eum Rhodi agentem nullo officio coluisset; nec id Archelaus per superbiam omiserat, sed ab intimis Augusti monitus, quia florente C. Caesare missoque ad res Orientis intuta Tiberii amicitia credebatur. Ut versa Caesarum sobole imperium adeptus est, elicit Archelaum matris literis, quae non dissimulatis filii offensionibus clementiam offerebat, si ad precandum veniret. Ille ignarus doli vel, si intelligere crederetur, vim metuens in Urbem properat, exceptusque immiti a Principe et mox accusatus in senatu, non ob crimina, quae fingebantur, sed angore, simul fessus senio et quia regibus aequa, nedum infima insolita sunt, finem vitae sponte an fato implevit. Regnum in provinciam redactum est, fructibusque eius levari posse centesimae vectigal professus Caesar ducentesimam in posterum statuit. Per idem tempus, Antiocho Commagenorum, Philopatore Cilicum regibus defunctis, turbabantur nationes, plerisque Romanum, aliis regium imperium cupientibus; et provinciae Syria atque Iudaea fessae oneribus deminutionem tributi orabant.

1. *trecenos plebi sestertios viritim dedit*, v. ad H. 1, 24, 2. — *struxit causas*, ut *nectere, texere, πλέκειν λόγους, μύθους, μηχανὰς, παλάμας*, de arte et dolo. — *Archelaus rex Cappadociae* „ex posteris Archelai, Mithridatis praefecti. Alius Archelaus Iudaeae tetrarcha, Herodis filius, cuius frater Alexander Archelai Cappadocis filiam Glaphyren uxorem habuit.“ *Gron.* De illo v. 14, 26. Suet. Tib. 8. 37. Dio 57, 11. 17. de hoc Evang. Matth. 2, 22. Joseph. A. J. 2, 5. 17, 1. 9. 11. et B. J. 2, 7, 3. de illius filio inf. 6, 41. — *quinquagesimum annum:* „Iusta putatio. Cepit enim regnum ab Antonio a. U. 718. v. Dio 41, 63. 42, 48. 47, 33. 49, 32. 51, 2.“ *Lips.* Cf. Strab. XII. p. 534. 540. al. 796. *Cappadocia potiebatur*, eam tenebat; *Ern.* Sic et 6, 40. — *Tiberium Rhodi agentem* (v. 1, 4.) *nullo officio coluisset:* quod aegrius debuit ferre Tiberius, quia olim eum a popularibus accusatum defenderat; *Walth. Officium* Romanis dicebatur, quicquid honoris aut studii et operae, humanitatis ac benevolentiae vel patronis a clientibus, salutando, deducendo, sectando, occurrendo aliove modo, vel amicis et cognatis solenni aliqua occasione significabatur et praestabatur, *τὰ καθήκοντα*, v. c. si quis, ut verbis Plin. ep. 1, 9. utar, officio togae virilis interest, sponsalia aut nuptias frequentat, ad signandum testamentum, in advocationem, in consilium rogatur. Cf. ad 1, 24, 2. 3, 33. 11, 12. H. 5, 1. Agr. 18. n. 7. cap. 40. n. 3. O. 9. n. 2. „Talia officia, tantum non omnia, prima luce ut plurimum celebrabantur et hinc *antelucana* dicuntur Plin. ep. 3, 12. Cf. inf. 16, 18. Iuvenal. 2, 132 sq. Suet. Aug. 78. et Symm. ep. 1, 23.“ *Pich.* Prudentior Archelao Quirinus, de quo v. 3, 48; *Ern.* — *florente C. Caesare missoque ad res Orientis* sc. componendas. Cf. ad 2, 4, 1. *Florere* sc. aetate, gratia, fama, ut *vigere, maturescere, ἀνθεῖν, ἄνθος*

ἥβης, παραχμάζειν, et contra *languere, languescere.* — *Caesarum sobole* edd. Ber. Rhen. Ald. ut 2, 42. 3, 4. 5, 1. In edd. rec. nunc *soboles*, nunc *suboles*. *versa Caesarum sobole*, non finita, sed eversa, (v. ad 3, 54, 1.) mortuis Caesaribus et Agrippa Postumo in exsilium acto; *Lips.* Cf. 1, 3. „Immo *versa* est Caesarum suboles, quum Augusti sanguine orti cederent stirpi Claudiorum per adoptionem irrepentium. *Vertere* est τρέπειν vel στρέφειν, umkehren, ut adversa fiant aversa et altera pars cum altera commutetur. Sic 1, 4. *verso civitatis statu.*" *Walth.* Ita et *versa civitas* 3, 54. et 12, 7. eius status, forma et administratio penitus immutata, *fortuna* 5, 6. H. 2, 54. 3, 16. 5, 21. *verti* 4, 7. 13, 13. H. 2, 68. 93. et al. Sed verus verborum sensus patet ex 1, 3. — *elicit* Romam. — *clementiam offerebat* (v. ad 12, 49, 1.) *non dissimulatis filii offensionibus*, professa, se ab eo offensam esse; *Ern.* Idem Ern. pro *veniret* legendum censebat *venisset*. „Sed sic Livia obtulisset clementiam sub conditione absurda: nempe, ut *venisset*, Archelaus tum efficere nequibat; non enim venerat. Livia potius vult, ut veniat, non ut venerit. Offerebatur igitur clementia, si *veniret*, non si *venisset*." *Walth.* — *ignarus:* in MS. *gnarus*. — *exceptus immiti a Principe*, cf. Ind. III. v. *Adiectiva pro Adverbiis*. — *accusatus in senatu*, teste Philostr. in vita Apollon. 1, 12. quod res novas in senatu esset molitus: sed Dio 57, 17. alia multa subiungit; *Brot.* — *non ob crimina, sed angore*, ob angorem, v. ad 1, 7, 8. Cf. Suet. Tib. 49. — *aequa*, civium. Cf. ad 6, 25, 1. — *sponte an fato*, cf. Ind. III. v. *Ellipses*. nr. 8.

2. *Regnum in provinciam redactum est:* „Non nunc quidem, neque ab Augusto, quod Appian. B. Mithrid. c. 105. dicit, sed paulo post a Germanico. v. cap. 56. et Strab. XII. p. 534." *Lips.* Cf. Dio 57, 17. et Suet. Vesp. 8. — *fructibus*, reditibus, *eius levari posse centesimae vectigal* — *ducentesimam in p. statuit*, v. ad 1, 78, 2. — *Antiocho* III. filio Antiochi ab Augusto interfecti et pater Antiochi, de quo v. 13, 7. H. 2, 81. 5, 1. Suet. Cal. 16. „*Commagenorum* edd. rec. ut vet. c. 56. *Commagenis*. Ita etiam Dioni ac Strab. et in numis Κομμαγήνη dicitur. v. Noris. ad cen. Pis. p. 229." *J. Gron.* *comagenonum* MS. *Comagenorum* edd. vet. „*Commagene* in Syria ad Euphratem et Taurum montem regibus reddita a Caligula, sed a Tiberio et deinde a Vespasiano iterum in provinciae formam redacta. v. 2, 56. Dio 59, 8. Strab. XVI. p. 749. Suet. Vesp. 8." *Lips.* ad 2, 56. Cf. et Dio 49, 20. 22. 52, 43. 54, 9. 60, 8. Ioseph. A. I. 18, 3. — *Philopatore*, filio Philopatoris et nepote Tarcondimoti. De his v. Dio 41, 63. 47, 26. 50, 34. 51, 2. 7. 59, 9. — *deminutionem* edd. Pich, et rec. *diminutionem* edd. vet. v. ad 1, 14, 1.

CAPUT XLIII.

Igitur haec et de Armenia, quae supra memoravi, apud Patres disseruit: *nec posse motum Orientem nisi Germanici sapientia componi: nam suam aetatem vergere, Drusi nondum satis adolevisse.* Tunc decreto Patrum permissae Germanico provinciae, quae mari dividuntur, maiusque imperium, quoquo adisset, quam iis qui sorte aut missu Principis obtinerent. Sed Tiberius demoverat Syria Creticum Silanum per affinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni vetustissimo liberorum eius pacta erat, praefeceratque Cn. Pisonem ingenio violentum et obsequii ignarum, insita ferocia a patre Pisone, qui civili bello resurgentes in Africa partes acerrimo ministerio adversus Caesarem iuvit; mox Brutum et Cassium secutus, concesso reditu, petitione honorum abstinuit, donec ultro ambiretur,

delatum ab Augusto consulatum accipere. Sed praeter paternos spiritus uxoris quoque Plancinae nobilitate et opibus accendebatur. Vix Tiberio concedere: liberos eius ut multum infra despectare; nec dubium habebat, se delectum, qui Syriae imponeretur ad spes Germanici coercendas. Credidere quidam, data et a Tiberio occulta mandata; et Plancinam haud dubie Augusta monuit aemulatione muliebri Agrippinam insectandi. Divisa namque et discors aula erat, tacitis in Drusum aut Germanicum studiis. Tiberius ut proprium et sui sanguinis Drusum fovebat: Germanico alienatio patrui amorem apud ceteros auxerat, et quia claritudine materni generis anteibat, avum M. Antonium, avunculum Augustum ferens. Contra Druso proavus Eques Romanus Pomponius Atticus dedecere Claudiorum imagines videbatur. Et coniunx Germanici Agrippina fecunditate ac fama Liviam uxorem Drusi praecellebat. Sed fratres egregie concordes et proximorum certaminibus inconcussi.

1. *quae supra memoravi* c. 3. 4. — *disseruit* Tiberius. — *Orientem motum*, turbatum commotumque; *Lips.* v. ad 1, 57, 1. — *suam aetatem vergere* ad finem s. senectutem. Cf. ad 4, 41, 2. et Ind. II. Vera rei ratio dissimulata. v. cap. 5 pr. — *provinciae, quae mari dividuntur*, Asia, Aegyptus, Africa; *Brot.* — *maius imperium:* „sc. totius maris et continentis, quae non abesset a mari longius itinere trium dierum. Id Pompeio M. datum ad debellandos piratas et Augusto a senatu. v. Dio 53, 32.“ *Walth.* „Cicero *imperium infinitum* vocat nulli certae provinciae adstrictum, quale habuit olim etiam M. Antonius Creticus. v. Dio 53, 32. et Spanhem. de usu et pr. NN. T. 2. p. 469.“ *Ern.* — *quam iis, qui sorte aut missu Principis obtinerent* provincias. Illi sunt proconsules et propraetores, hi legati; *Lips.* v. ad 1, 74, 1. 3, 58, 1. *iis qui* MS. ut et c. 38. 50. et aliis locis, quibus *hic, hi, his qui* in edd. legitur et quae hinc recte, opinor, corrigenda censuit Walther, ut Orell. O. 14. 22. 24. 26. 41. Cf. ad 11, 17, 1. 12, 6. extr. et Praef. Vol. IV. p. VI. *his qui* h. l. omnes edd. praeter Bekk.

2. *Tiberius demoverat Syria*, ab eius administratione removerat, *Creticum Silanum*, v. cap. 4 extr. „Hic Silanus ex Iunia gente, sed adoptione in Caeciliam transierat. Itaque nomina illi Q. Caecilius Metellus Creticus Silanus. v. Dio 55, 30. Cassiod. in Chron. et Fasti. Consul fuit a. U. 760. cum Nerva Silano.“ *Lips. dimoverat* ed. Ald. — *per affinitatem connexum Germ.*, ut *connexus alicui*, sanguine coniunctus, cognatus 2, 50. 4, 66. — *Silani filia Neroni pacta*, haud nupta et fortasse ante nuptias mortua. v. 3, 29. — *vetustissimo*, natu maximo, ut *veterrimus* 6, 31. — *Cn. Pisonem*, v. Ind. I. et ad 3, 12, 1. — *ingenio violentum et obsequii ignarum*, cf. ad 11, 18, 2. *Cn. Piso fuit memoria nostra vir a multis vitiis integer, sed pravus et cui placebat pro constantia rigor*, Sen. de ira 1, 16. qui etiam tradit, eius iussu tres homines propter unius innocentiam interfectos esse. — *insita ferocia a patre Pisone, qui civili bello*, inter Pompeium et Caesarem — *iuvit*, v. Hirt. B. Afric. 1. 4. 18. *iuvit*, v. ad 1, 53, 2. *partes* Pompeii. — *delatum ab Augusto consulatum*, „quem cum ipso Augusto a. U. 731 gessit. v. Dio 53, 30.“ *Lips.* — *praeter paternos spiritus*, fastum a patre quasi ingenitum sibi. Cf. Ind. II. — *uxoris quoque Plancinae nobilitate:* „quae a Dione 58, 22. Munatia Plancina dicitur et *L. Munatii Plancina* in numo ap. Gruter. p. 985, 8. unde certum est, eam celebris illius L. Munatii Planci filiam fuisse aut neptem.“

Lips. uxorisque ed. Ber. — *accendebatur*, non exstimulabatur, sed superbior reddebatur; *Freinsh.* — *liberos eius*, Germanicum et Drusum; *Lips.* Iidem cap. extr. *fratres* dicuntur. — *ut multum infra se* ὄντας, inferiores. — *Plancinam Augusta aemulatione muliebri Agrippinam insectandi monuit:* „Initio fortasse antiquiores sic usi sunt hac forma, ut intelligerent *consilium, studium, voluntatem, facultatem.* Sed quia Gerundio Infinitivus in talibus substitui salva sententia poterat, eo pro Infinitivo uti coepere, ubi ellipsis talis esse non potest.“ *Ern.* Cf. ad 15, 5, 2. Ind. III. v. *Gerundia in Genit. pro Infinit.*, Bauer ad Sanct. Min. 1. p. 206. Gron. ad Liv. 35, 49. extr. Ruddim. inst. Gram. T. II. p. 245. Ramshorn. Gram. p. 443. Sic et *monere* et *admonere* H. 1, 12. 67. 4, 8. cum Genitivo ponuntur; *Walth.* Gerundium ex *aemulatione* pendere censebant Freinsh. Wopk. Oberl. Sed qualis haec dictio? *Aemulatione* in honoribus et principatu; *Freinsh.* Cf. 1, 33. et 4, 12. *aemulatione muliebri* MS. et ed. Bekk. *muliebri aemul.* edd. rel. — *divisa* et *discors* synon. ut mox *proprium et sui sanguinis.*

3. *Drusum fovebat:* nam *fovere aliquem* s. *consilia* et *partes* eius est ei favere, eum iuvare, colere, amare; *Ern.* Cf. ad 4, 8, 2. et Ind. II. — *materni:* in MS. et ed. Ber. *mater.* — *avunculum Augustum* sc. maiorem s. proavunculum; *Lips.* Nam *M. Antonii* triumviri uxor fuit Octavia Augusti soror, eiusque filia Antonia minor, Germanici mater. Cf. cap. 53. et ad 2, 27, 2. 4, 3, 2. — *ferens*, iactans, ut 3, 41. — *Eques Rom.* T. *Pomponius Atticus*, cuius filia Pomponia coniux fuit M. Agrippae et mater Vipsaniae Agrippinae, quae Tiberio nupta Drusum peperit. v. Nep. in Att. c. 12. Suet. Tib. 7. et de Attico Cic. epp. ad Att. et Nepotis vit. Att. — *fecunditate*, v. ad 2, 41, 2. — *Liviam* s. *Livillam uxorem*, primum C. Caesaris, qui Agrippae filius fuit, (4, 40.) deinde *Drusi*, de cuius liberis v. ad cap. 84. n. 1. 6, 2. 27. 46. 16, 10. Ipsa Drusi et Antoniae min. filia, Germanici et Claudii soror. — *fratres*, cf. ad 1, 3, 7. 4, 4, 1. 4, 40.

CAPUT XLIV.

Nec multo post Drusus in Illyricum missus est, ut suesceret militiae studiaque exercitus pararet; simul iuvenem urbano luxu lascivientem melius in castris haberi Tiberius seque tutiorem rebatur, utroque filio legiones obtinente. Sed Suevi praetendebantur auxilium adversus Cheruscos orantes: nam discessu Romanorum ac vacui externo metu gentis assuetudine et tum aemulatione gloriae arma in se verterant. Vis nationum, virtus ducum in aequo: sed Maroboduum regis nomen invisum apud populares, Arminium pro libertate bellantem favor habebat.

1. *Drusus in Illyricum missus est*, cf. cap. 62. 64. 3, 7. 11. — *ut suesceret militiae*, v. ad c. 52. n. 1. — *simul iuvenem — haberi*, cf. ad 4, 2, 1.

2. *Suevi — Cheruscos — Maroboduum*, v. ad c. 26. n. 3. — *utroque filio*, adoptivo, Germanico, et proprio, Druso. Cf. ad 1, 3, 7. et 2, 43, 2. — *discessu Romanorum*, post discessum Rom., postquam discesserant. Cf. Ind. III. v. *Ablativi Substant. absolute positi.* Ernestius coni. *decessu.* Sed *discedit* loco, qui in alium se confert, *decedit* e provincia praefectus, (*decessor*) qui eam successori relinquit; *Croll.* „*Decessus* significat actionem abeundi, (Abgang) *discessus* et absentiam et loci spatium, Weggang, Entfernung. Verbum *decedere* respicit nonnisi ad locum, unde abitur, *discedere* utrumque ad locum, et unde et quo abitur. Igitur

decessu est, quum abirent, *discessu*, quum abessent.“ *Walth.* Cf. ad 4, 74, 2. et Bremi ad Nepotis Phoc. 2, 3. et Pelop. 5, 6. et Epam. 8, 5. — *vacui externo metu*, Romanorum. v. ad 1, 41, 2. et Ind. II. v. *vacuus*. Simile hoc Sallustiano ap. Gell. 9, 12. *postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuum fuit*; *Lips.* Similius illud Liv. 2, 39. *Externus timor*, (h. e. hostis externi, ut *terror servilis* ap. Liv. 3, 16.) *maximum concordiae vinculum, quamvis suspectos infensosque inter se iungebat animos.* — *et tum* temporis. „Nam *gloria* spectat ad victorias, quas Cherusci de Romanis recens reportaverant et quibus efferebantur super Suevos iactantiae Cheruscorum impatientes. Inde *arma*. „*Walth.* Cf. c. 45. 46. — *virtus ducum* Marobodui Suevorum, Arminii Cheruscorum ducis. — *in aequo* erat. Cf. ad 12, 12, 1. *in aequo: sed* edd. Rhen. et rec. *in aequos: et* ed. Ber. — „*Maroboduum regis nomen habebat* i. e. reddebat, *invisum apud populares, Arminium — favor habebat*, sequebatur. Zeugma est. [Cf. ad 2, 20, 2 et Ind. III. v. *Syllepsis, Zeugma.*] Sic *neque ea res falsum me habuit* Sall. Iug. 10. *Pompeium gratia impunitum habuit* Vell. 2, 1. *anxium me et inquietum habet petitio Sexti* Plin. ep. 2, 9. *uti eos quam maxime manifestos habeant* Sall. Cat. 41. ubi alia laudavit Cort.“ *Boett.* in Lex. Tac. p. 227. Cf. 1, 49. pr. 4, 33. extr. *Haberi* ab aliquo vel ab aliqua re dicuntur, qui ei obnoxii sunt; *Walth.* Iunge *Maroboduum regis nomen, Arminium favor invisum apud populares habebat*, faciebat; *Ern.* „Maroboduus adolescens, Romae ab Augusto benigne habitus, reversus ad suos privatus invaserat regnum et servitutem artesque intulerat externas. v. Strabo VII. p. 290. et Vell. 2, 108. 109.“ *Lips.* Postea Arminius quoque regnum affectavit et a suis occisus est.

CAPUT XLV.

Igitur non modo Cherusci sociique eorum, vetus Arminii miles, sumpsere bellum; sed e regno etiam Marobodui Suevae gentes, Semnones ac Langobardi defecere ad eum. Quibus additis praepollebat, ni Inguiomerus cum manu clientium ad Maroboduum perfugisset, non aliam ob causam, quam quia fratris filio iuveni patruus senex parere dedignabatur. Diriguntur acies pari utrinque spe nec, ut olim apud Germanos, vagis incursibus aut disiectas per catervas: quippe longa adversum nos militia insueverant sequi signa, subsidiis firmari, dicta imperatorum accipere. Ac tunc Arminius equo collustrans cuncta, ut quosque advectus erat, *reciperatam libertatem, trucidatas legiones, spolia adhuc et tela Romanis derepta in manibus multorum*, ostentabat: contra *fugacem Maroboduum* appellans, *proeliorum expertem, Hercyniae latebris defensum, ac mox per dona et legationes petivisse foedus; proditorem patriae, satellitem Caesaris, haud minus infensis animis exturbandum quam Varum Quinctilium interfecerint. Meminissent modo tot proeliorum, quorum eventu et ad postremum eiectis Romanis satis probatum, penes utros summa belli fuerit.*

1. *sumpsere bellum*, ut saepe dicitur *sumere bellum, proelium, periculum.* v. Ind. II. „Ita et Sall. Iug. 20. (54. 83.) ut πόλεμον ἤρατο ap. Thucyd. 3, 39. et Xenoph. v. Sturz. Lex. Xen. Phrynichus *Προπαρασκ. Σοφιστ.* in Bast. ep. crit. p. 122. et Bekk. Anecd. 1, 3. *Αἴρεται πόλεμον ἀντὶ τοῦ ἀναδέχεται.*“ *Walch.* ad Agr. 16. pr. Cf. Duk. ad Flor. 4, 12, 24. Burm. ad Petron. sat. c. 87. et Cuper. ad c. 122. — *Semnones ac Langobardi*,

v. ad G. 39. 40. — *praepollebat, ni Inguiomerus — perfugisset*, v. ad 1, 35, 3. — *cum manu clientium*, v. ad G. 13. n. 6. *clientium* MS. ed. Ern. et rec. ut 3, 42. 16, 22. *clientum* edd. vet. — *fratris* Segimeri *filio*, Arminio, *iuveni*, qui anno XX aetatis Varum fudit et anno XXXV Maroboduum.“ *Lips*. Cf. c. 88. et ad 1, 55, 2. Vell. 2, 118. — *Diriguntur*: in MS. *deriguntur*. — *adversum* MS. et edd. rec. ut c. 46. *adversus* edd. Ber. et aliae. v. ad 1, 12, 3. — *subsidiis firmari*, v. ad 2, 80, 2. — *dicta imperatorum accipere*, cf. ad 6, 3, 1.

2. *Ac tunc Arminius* „non eadem omnibus dixit, sed alia his, alia aliis. Cf. H. 3, 24. et Curt. 3, 10, 4.“ *Freinsh*. *Ac* edd. Ber. Rhen. sqq. ut Bekk. Walth. *At* edd. Lips. Grut. al. — *derepta* MS. et edd. rec. *direpta* edd. vet. Cf. ad 1, 20, 2. — *Hercyniae latebris defensum*, v. ad G. 28. n. 5. et cf. Vell. 2, 108. *Hirciniae* edd. Ber. Rhen. Ald. — *ac mox* — *petivisse foedus*, cf. cap. 26. et Vell. 2, 109. — *satellitem Caesaris*, v. ad G. 42. n. 9. Strabo VII. p. 290. potestatem ei ab Augusto datam dicit. — *penes utros summa belli fuerit*, h. l. prosper eventus, victoria, ut fere *discrimen*, de quo v. ad H. 4, 85, 3. Alibi *summa belli* est totum bellum, ut *summa rei, rerum, sceleris, pacis. potentiae, reip.* unde *in summam pacis nihil proficitur* (non *in summa*: nam *proficere in re* v. c. *in literis* de re praesenti, non de futura dicitur; *Ern*.) 13, 38. ut ap. Liv. 3, 61. (ubi v. Drak.) 31, 37. Plin. 16, 36. Similiter *summa* neutr. plur. Cf. Ind. II. et de discrimine dictionum *summa res publica* sive rerum et *summa rei publicae* ad 12, 5, 2.

CAPUT XLVI.

Neque Maroboduus iactantia sui aut probris in hostem abstinebat, sed Inguiomerum tenens, *illo in corpore decus omne Cheruscorum, illius consiliis gesta, quae prospere ceciderint*, testabatur: *vecordem Arminium et rerum nescium alienam gloriam in se trahere, quoniam tres vacuas legiones et ducem fraudis ignarum perfidia deceperit magna cum clade Germaniae et ignominia sua, quum coniunx, quum filius eius servitium adhuc tolerent. At se duodecim legionibus petitum duce Tiberio illibatam Germanorum gloriam servavisse. Mox conditionibus aequis discessum: neque poenitere, quod ipsorum in manu sit, integrum adversum Romanos bellum an pacem incruentam malint.* His vocibus instinctos exercitus propriae quoque causae stimulabant, quum a Cheruscis Langobardisque pro antiquo decore aut recenti libertate et contra augendae dominationi certaretur. Non alias maiore mole concursum neque ambiguo magis eventu, fusis utrimque dextris cornibus. Sperabaturque rursum pugna, ni Maroboduus castra in colles subduxisset. Id signum perculsi fuit; et transfugis paulatim nudatus in Marcomanos concessit misitque legatos ad Tiberium oraturos auxilia. Responsum est, *non iure eum adversus Cheruscos arma Romana invocare, qui pugnantis in eundem hostem Romanos nulla ope iuvisset*. Missus tamen Drusus, ut retulimus, pacis firmator.

1. *in illo corpore*, homine, viro, Germ. Person, ut *corpus* et *corpora* H. 2, 11. Liv. 22, 22. 29, 21. Curt. 4, 11, 6. et Gr. σῶμα, σώματα. v. Viger. p. 143. ed. Herm. et Roth ad Tac. Agr. 32. p. 67. 68. Simill. verba Curtii 5, 13, 4. *in illo corpore* (Dario) *posita est victoria nostra*. — *vacuas legiones*: de voc. *vacuus* et de aliis Ad-

iectivis relativis absolute positis v. ad 1, 3, 2. — *quum coniux, quum filius eius*, Arminii, v. ad 1, 10, 2. et 1, 55, 2. *cum filios* MS. et ita ut brevissima sit litera *s*. Hinc I. Gron. coni. *quum coniux cum filio eius servitium adhuc tolerent*. Sic *ipse dux cum aliquot principibus capiuntur* et *tribunus militum cum auxiliis missi* et similia ap. Liv. 21, 60. 22, 21. 26, 1. 46. 31, 36. 38, 48. ὁ Ἰάσων σὺν τοῖς Ἀργοναύταις εἰς τὴν Κολχίδα παραγενόμενοι ἔλαβον τὸ δέρας Suid. v. δέρας T. I. p. 525. Cf. Periz. ad Sanct. Min. II, 260. ed. Baueri et Ruhnk. ad H. in Cer. v. 499. — *At se XII legionibus petitum* cet. v. ad 2, 26, 3. — *illibatam gloriam*, v. ad Agr. 31. n. 7. — *neque poenitere* se huius rei, *quod*, quoniam, cet. Ita Acid. et alii. Malim exponere: neque illud exiguum commodum est, quod mihi debent populares, quod perfeci, ut liberum nobis sit, utrum pacem malimus sine bello an bellum gerere, quod integra spe licet facere, quando nondum antea victi a Romanis sumus; *Ern*. Cf. ad H. 2, 19, 6. — *bellum integrum* non novum aut acre, sed quod pari spe et robore geritur, neutro adhuc inclinante victoria; *Freinsh*. „*Integrum* est adhuc bellum, quum aequis viribus, ancipite victoria utrimque pugnatur ab iis, qui nulla clade, nullo dedecore affecti, immo aequis conditionibus feroces sunt. *Pro antiquo* autem *decore* pugnabant Cherusci, Romanorum victores; *pro recenti libertate* Langobardi, qui nuper a Maroboduo defecerant: *contra* Maroboduus, tot gentium domitor, *pro augenda dominatione*.“ *Brot*. Cf. Ind. II. v. *Integer*. — *adversum Romanos* MS. et edd. vet. *adversus R*. edd. rec. v. ad 1, 12, 3.

2. *His vocibus instinctos*, v. ad H. 4, 24, 6. — *propriae quoque causae*, eos suis commodis moventes; *Ern*. Sic *agnoscent Britanni suam causam* Agr. 32. — *recenti*: in MS. *recente*. — *augendae dominationi certaretur*, v. ad 2, 64. *Certaretur* ad ripam Muldae prope Grimmam; quod suspicatur Wilhelm Germanien p. 196. — *Sperabaturque* — *ni* cet. v. ad 1, 35, 3. — *transfugis paulatim nudatus*, postquam multi suorum ad Arminium transfugerant, paulatim copiis viribusque infirmior factus. Cf. H. 2, 34. 3, 61. et ad H. 2, 79 extr. *transfugiis* edd. Ryck. Ob. et al. ex emend. Lips. *transfugis* edd. vet. — *Marcomanos*, v. ad 2, 62, 2. — *ut retulimus* c. 44. — *pacis firmator*, v. Ind. III. v. *Verba insolentiora, Substantiva*. Contraria ratio et vera memoratur c. 62. *paci* MS. et ed. Bekk.

CAPUT XLVII.

Eodem anno duodecim celebres Asiae urbes collapsae nocturno motu terrae; quo improvisior graviorque pestis fuit. Neque solitum in tali casu effugium subveniebat in aperta prorumpendi, quia diductis terris hauriebantur. Sedisse immensos montes, visa in arduo, quae plana fuerint, effulsisse inter ruinam ignis memorant. Asperrima in Sardianos lues plurimum in eosdem misericordiae traxit: nam centies sestertium pollicitus Caesar et, quantum aerario aut fisco pendebant, in quinquennium remisit. Magnetes a Sipylo proximi damno ac remedio habiti. Temnios, Philadelphenos, Aegeatas, Apollonidenses quique Mosteni aut Macedones Hyrcani vocantur, et Hierocaesaream, Myrinam, Cymen, Tmolum, levari idem in tempus tributis mittique ex senatu placuit, qui praesentia spectaret refoveretque. Delectus est M. Aletus e praetoriis, ne, consulari obtinente Asiam, aemulatio inter pares et ex eo impedimentum oriretur.

1. *Eodem anno XII celebres Asiae urbes collapsae nocturno motu terrae:* „de quo v. Strab. XII. p. 579. Dio 57, 17. Plin. 2, 86. Oros. 7, 4. qui errat in tempore, Euseb. in Chron. qui XIII eas facit, sed nominibus valde corruptis.“ *Lips.* Cf. Spanhem. ad Callim. H. in Del. 101. et Philostr. p. 744. „Luctuosam illam stragem aliamque, quae inf. 4, 13. memoratur, illustrat basis marmorea monumenti in Tiberii honorem a. U. 783. exstructi, Puteolis a. 1693 effossa, in qua eversarum et postea a Tiberio restitutarum urbium imagines videntur; quas explicarunt Anton. Bulifo de rebus Puteol., Gron. Antiq. Graec. T. VII. p. 446. et le Beau Mém. de l'Acad. roy. des Inscr. T. XXIV. p. 152. Tiberii liberalitas plurimis monumentis numisque commendata reperitur. Utrum vero hanc ob rem exstructus fuerit Romae Colossus, subdubito, licet id prodiderit Phlegon de reb. mirab. XIII.“ *Brot.* „In illo marmore Puteol. memorantur XIV urbes et in his *Cibyra* et (ut in Chron. Euseb.) *Ephesus*. De illa v. 4, 13. Huius fatum Tacito ignotum fuisse, vix credibile. Hinc suspicor, utriusque nomen excidisse et pro *XII* leg. XIV“ *Oberl.* *Asiae* sc. minoris, ut multis locis in Ind. I. laudatis. — *prorumpendi:* hic Genit. ex *effugium* pendet; *Kiessl.* „Recte: nam *effugium* non est fuga ipsa, sed ratio effugiendi, quae hoc Gerundio enuntiatur. Nil vero aptius, quam haec effugii ante dicti explicatio. Ne audias Ernestium.“ *Walth.* Cf. ad 2, 43, 2. — *Sediese immensos montes*, ruisse in profundum, ut saepius *sidere*, *subsidere*, *desidere*. Cf. Ind. II. Drak. ad Liv. 22, 30, 10. et ad Sil. 6, 647. Boett. Lex. Tac.

2. *Asperrima lues*, ut *labes*, *tabes*, *pestis*, λύμη, λοιμὸς, ὄλεθρος pro pernicie; *Ern.* — *in Sardianos:* Sardes, caput Lydiae et regia Croesi in Tmoli montis latere. In hanc rem est epigr. XII. Bianoris; *Lips.* In Brunk. Anal. T. II. p. 157. emendatum; *Oberl.* De eo v. Iacobs Anthol. Gr. II, 2. p. 11 sq. — *quantum aerario aut fisco pendebant*, v. ad 1, 16, 1. — *Magnetes a Sipylo* monte, ad eum, ut ap. Liv. 36, 43. 37, 44. hod. *Magnisa*, in Lydia. „Sic ap. Plin. 5, 31. et in quibusdam libris ap. Liv. 37, 44. (ubi v. Drak.) *Μαγνησία ἀπὸ Σιπύλου*, et ὑπὸ et πρὸς Σιπύλῳ. v. Ptol. 5, 2. Strab. XIII. p. 621. Tristan. T. II. Alia *Μαγν.* ἡ πρὸς *Μαιάνδρῳ* fl. in Ionia. v. 3, 62. Strab. XIV. p. 636. 647. Plin. l. l. Cf. Spanh. de usu et pr. NN. I, 9. p. 656. 894.“ *Ern.* Alia in Thessalia ad radices Pelii montis. Similiter Turnus Herdonius ab Aricia (*oriundus*) dixit Liv. 1, 50. — *proximi damno ac remedio*, v. ad 3, 62, 1. Notiones contrarias iungit *ac*, ut ap. Cic. Verr. 2, 2, 50. *veterum ac novorum*.

3. *Temnios, Philadelphenos* cet. *Temnus, Aegae, Myrina et Cyme* s. *Cuma* Aeolidis, cetera Ioniae oppida. *Philadelphia* in marm. Puteol. *Philadelphea*, nunc *Allachachere*. — *Apollonis* Strab. XIII. p. 655. *Apollonidea* in marm. Put. et *Apollonidia* in Chron. Euseb. *Apollonidenses* edd. rec. *Apollonienses* edd. vet. — *Mosteni* MS. edd. Ber. Rhen. 1. Ald. Ern. et rec. *Mosceni* Rhen. 2. 3. al. „*Μοστήνη* in marm. Put. et *Μοστηνοὶ* in numis ap. Eckhel. doctr. NN. T. VI. p. 109. sed *Μοσθήνη* ap. Nicephor. 1, 17. et Euseb. in Chron. *Μοστινοὶ* ap. Strab.“ *Oberl.* — *aut Macedones Hyrcani:* „sed hi distincti a Mostenis, quanquam finitimi, et h. l. distinguendi, ut numerus XII urbium efficiatur. Hinc Cellar. G. A. II. p. 115. significari putat, prope eosdem fuisse aut ita vicinos et permistos, ut aegre discernerentur. Sed pro *aut* leg. *et* vel potius *ac*, quod centies cum *aut* confunditur in MSS.“ *Ern.* *ac* dedere Ern. Ryck. alii. Sed v. ad 1, 16, 1. — *Hierocaesarea*, v. ad 3, 62. *hierocaesariam* MS. — *Myrina* Plin. 5, 32. *Sebastopolis* dicitur, nunc Sebastopoli et Sandali. — „*Tmolus* opp. omissum a Strab. sed memoratum Herodoto 1, 84 in marm. Put. et Chron. Euseb.“ *Ern.* — *oriretur:* ed. Bekk. *oreretur*.

CAPUT XLVIII.

Magnificam in publicum largitionem auxit Caesar haud minus grata liberalitate, quod bona Aemiliae Musae locupletis intestatae petita in fiscum Aemilio Lepido, cuius e domo videbatur, et Patulei divitis Equitis Romani hereditatem, quanquam ipse heres in parte legeretur, tradidit M. Servilio, quem prioribus neque suspectis tabulis scriptum compererat, nobilitatem utriusque pecunia iuvandam praefatus. Neque hereditatem cuiusquam adiit, nisi quum amicitia meruisset. Ignotos et aliis infensos eoque Principem nuncupantes procul arcebat. Ceterum ut honestam innocentium paupertatem levavit, ita prodigos et ob flagitia egentes Vibidium Varronem, Marium Nepotem, Appium Appianum, Cornelium Sullam, Q. Vitellium movit senatu aut sponte cedere passus est.

1. *Magnificam in publicum largitionem* v. ad 1, 76, 3. et 15, 12. — „*liberalitate* sc. in privatos, quod non additur, quia mox singuli homines nominantur, in quos liberalem se praebuit, et *liberalitas* est' propr. vocab. de hac Caesarum largitione. Cf. H. 1, 20. et Suet. Galb. c. 15.“ *Walth.* — *bona Aemiliae Musae intestatae:* „Libertam fuisse puto, quia cognomen Graecum nota servitutis. Ideo legerim *Musae L.* (libertae) *locupletis int.* Sed cur bona eius *petita in fiscum*, nec data patrono patronisve, uti lex iubet? v. Iulian. lege 23. D. de bon. libert. et Ulpian. lege 3. D. de suis ex leg. her. An fortasse nec suus heres huic Musae, nec patronus super quisquam fuit? Tale aliquid elicias ex verbis *Lepido tradidit, cuius e domo videbatur*; quasi ambiguum de domo patronoque fuisset. Erant autem non Romae solum, sed et in provinciis Procuratores s. Rationales, qui bona eiusmodi caduca legerent tollerentque. v. Strab. 17. p. 797.“ *Lips.* „Sed ius Principi et fisco vel privatis in bona libertorum, sive testamento facto sive intestato mortuorum, (*intestatorum*) non fuit, nisi suorum aut alicuius e propinquis, et in *bona* vacantia, caduca. v. Dig. l. Quidam §. quoties de legat. I. Hinc *bona* talia, et Aemilia ingenua ac sine successione mortua; *domus* autem familia, gens.“ *Mercer.* — *et Patulei divitis Eq. R. hereditatem* cet. „Patuleus s. Patuleius duo testamenta fecerat, utrumque rite et recte. Priore instituerat heredem Servilium solum ex asse; secundo Servilium et Tiberium pro aequis partibus. Secundo infirmabatur primum, et tamen Tiberius totam *hereditatem tradidit Servilio*. Quod Severus et Antoninus in eadem quaestione iudicio suo comprobarunt §. *sed etsi quis* Instit. Quibus mod. test. infirm., et heredem scriptum secundo testam. hereditatem totam restituere voluerunt. Sed Tiberius laudabilior, quod hi nihil de suo, ille iure et testamento sibi quaesita largitus est.“ *Mercer.* — *quanquam ipse heres in parte* (ut *in triente* ap. Cic. ad Att. 7, 8. al. *in partem* et *ex parte*) *legeretur* cet. nam ita Imperatores eorumque amici in testamentis heredes scribi solebant, ut sperari posset, cetera bona iustis heredibus salva fore. Cf. 16, 11. 17. Agr. 43. n. 8. O. 13. n. 5. inpr. Plin. pan. c. 43. ubi *Gesnerus* haec annotavit: „Amabat Augustus in testamentis amicorum honorem sibi haberi, sed honeste et liberaliter. v. Suet. 66. Alii Principes ad avaritiam et crudelitatem testamentorum obtentu abusi, qui rescinderent ultimas voluntates, in quibus ipsi scripti non essent, eoque terrore permoverent alios, ut contra animi sui sententiam, quo partem certe bonorum suis servarent, (neque fisco omnia addicerentur) Principem adscriberent. v. 14, 31. 16, 11. Agr. 43. Quintil. 6, 3, 92. Suet. Cal. 38. Ner. 32. Dom. 9. et 12.“ Hinc legatarii dicti

honorati, et adulationes potentium in testamentis, sed et licentia atque probrosa in eos liberius scripta. Cf. 6, 38. 14, 50. 16, 19. ad 3, 76, 2. Agr. 43. n. 8. Suet. Oct. c. 56.

2. *M. Servilio*, de quo v. ad 6, 31, 1. — *nobilitatem u. p. iuvandam*, ut eam tueri eaque digne vivere possint; *Ern.* — *Neque hereditatem cui. cet.*, ut Augustus. Cf. 4, 37. et Suet. Aug. 56. — *cuiusquam*, a quo heres scriptus esset. — *nisi quum* id *meruisset*, ut heres ab eo scriberetur, *amicitia*, familiaritate aut beneficiis; *Gron.* — *procul arcebat*, eorum voluntatem non admittebat; *Ern.* — *Q. Vitellium m. s.* Suet. Vit. 2. satis obscure; *Lips. vitellum* MS.

CAPUT XLIX.

Iisdem temporibus deum aedes vetustate aut igni abolitas coeptasque ab Augusto dedicavit, Libero Liberaeque et Cereri iuxta Circum maximum, quas A. Postumius dictator voverat; eodemque in loco aedem Florae ab Lucio et Marco Publiciis aedilibus constitutam; et Iano templum, quod apud forum olitorium C. Duillius struxerat, qui primus rem Romanam prospere mari gessit triumphumque navalem de Poenis meruit. Spei aedes a Germanico sacratur: hanc Atilius voverat eodem bello.

1. *quas A. Postumius dict. voverat* a. U. 257. „Male *quas* edd. vet. nam his tribus unum templum. v. Liv. 3, 55. 41, 28. Solin. 5, 15. Plin. 33, 2. 35, 45. inpr. Dionys. 6, 17. 94.“ *Lips.* Hinc *quam* scripsere editores rec. „Sed non reputant, in uno templo tribus numinibus dicato tres distingui aedes singulisque numinibus suas fuisse cellas aedesque, templum igitur tripartitum. Sic de templo Capitol., Iovi, Iunoni ac Minervae sacro. 13, 24. extr. H. 3, 71. et ap. Dion. 55, 1. qui aedes distinguit.“ *Walth.* Cf. ad H. 4, 53, 9. *Libero*, Baccho, *Liberae*, Proserpinae, *et Cereri* matri. — *aedem Florae — constitutam* a. U. c. 513, exstructam, ut G. 3. „v. Varr. L. L. 4, 37. Festus v. *Publicii* et inpr. Ovid. Fast. 5, 285 sq.“ *Ern.* — *Iano templum:* „non est aedicula Iani a Numa, sed aedes a *Duillio* structa. De illa v. Liv. 1, 19. Procop. Goth. 1, 25. et species tam huius quam aliorum templorum Iani ap. Masson. in Iano reserato p. 97.“ *Ern.* Diversa tradunt Servius ad Virg. Aen. 7, 600—614. Festus v. *Religioni*, Liv. 1, 19. 5, 26. 27. v. Nardini Rom. ant. 3, 14. 5, 7. et inpr. Sachse Gesch. d. alt. St. Rom. T. I. p. 93 sq. — *apud forum olitorium* in XI. reg. Urbis, hod. Piazza Montanara; *Brot.* v. Sachse l. l. *apud forum*, in foro. v. Ind. II. — *C. Duillius*, rectius *Duilius*, ut in Fastis, MSS. et Graecorum scriptis. v. Ciacconii comm. ad columm. rostr. Schweigh. ad Polyb. 1. 22. Pigh. Ann. ad a. 493. *Dullius* MS. — *qui primus rem Rom.* (a. U. 493.) *prospere mari gessit triumphumque n. de P. meruit*, verba ipsa deprompta ex inscript. columnae rostratae Duilio in foro positae, de quo antiquissimo veteris aevi monumento v. intpp. Flori 2, 2. Func. de orig. et puerit. L. Lat. c. 5. p. 298 sq. Fleetwood inscr. ant. Syll. p. 66. et Ciaccon. l. c.

2. *Spei aedem Atilius voverat eodem bello* Punico I. *aedem Spei* veteris in foro olitorio structam. v. Liv. 2, 50 sq. 21, 62. 24, 47. 25, 7. Dionys. 9, 24 sq. et Sachse l. l. T. I. p. 326 sq. „*Atilius* non M. Atilius Regulus, sed Atilius Colatinus: nam Cic. de leg. 2, 11. scribit: *a Colatino Spes consecrata est.*“ *Walth.* Hic dictus est *A. Atilius* (*Attilius*) *Calatinus*, non *Colatinus*, et consul fuit a. U. c. 496. dictator a. 505. v. Liv. epit. XVII. Flor. 2, 2. *in germanico sacratur, hanc iatilleius v. e. b.* MS.

CAPUT L.

Adolescebat interea lex maiestatis, et Apuleiam Variliam sororis Augusti neptem, quia probrosis sermonibus divum Augustum ac Tiberium et matrem eius illusisset Caesarique connexa adulterio teneretur, maiestatis delator arcessebat. De adulterio satis caveri lege Iulia visum; maiestatis crimen distingui Caesar postulavit damnarique, si qua de Augusto irreligiose dixisset: in se iacta nolle ad cognitionem vocari. Interrogatus a consule, *quid de iis censeret, quae de matre eius locuta secus argueretur*, reticuit: dein proximo senatus die illius quoque nomine oravit, ne cui verba in eam quoquo modo habita crimini forent. Liberavitque Apuleiam lege maiestatis; adulterii graviorem poenam deprecatus, ut exemplo maiorum propinquis suis ultra ducentesimum lapidem removeretur, suasit. Adultero Manlio Italia atque Africa interdictum est.

1. *Apuleiam* (v. ad 1, 7, 2.) *Variliam, neptem sororis Augusti:* „Utrius sororis? Octaviae maioris, an minoris? Sane de minoris liberis aut coniugio nihil legi. Si maioris, oportet aliquam Marcellarum (duae fuerunt) nuptam in gentem Apuleiam et liberos habuisse. Facit, quod Dio 54, 30. et 56, 29. Sext. Apuleium, qui consul fuit in Augusti morte, συγγενῆ Αὐγούστου appellat." *Lips.* „Hic satis recte suspicatur, eam fuisse e domo Apuleii s. Appuleii. (v. ad 1, 7, 2.) Sed *soror Augusti* haud dubie intelligenda Octavia minor, quia simpliciter h. l. (ut Suet. Oct. c. 61. et Dioni 54, 35.) *soror Augusti* dicitur, quasi unam tantum habuerit. Octavia maior non ex Atia Augusti matre nata, sed ex Ancharia. Quam si vellet Tacitus, aliquid saltem addidisset, unde intelligeretur." *Walth.* Octavia minor, non maior, nupta C. Claudio Marcello, Cn. Pompeio M. et M. Antonio triumviro. — *maiestatis delator arcessebat*, ut 4, 29. Cf. ad 1, 72, 2. et 6, 29. „Duplex maiestatis crimen, prius convicia in Principem, alterum adulterium, quia *Caesari connexa* sanguine (v. ad 4, 23.) et eo violata huius maiestas. Est enim haec interpretatio ab ipso Augusto petita. v. 3, 24." *Lips. adulterio teneretur*, v. ad 11, 6, 2. *arcessebat* edd. Rhen. et rec. *arcescebat* ed. Ber. Cf. ad 4, 29, 1. — *De adulterio satis caveri lege Iulia* de adulteriis ac stupris, de qua v. ad 3, 25, 1. — *maiestatis crimen distingui postulavit*, ut cetera maiestatis crimina, probrosi eius sermones, non eodem modo punirentur. *distingui postulavit*, v. ad 11, 1. — *si qua*, aliqua, *irreligiose dixisset*, quibus maiestas Principis violaretur, ut paulo post *locuta secus*, sc. quam fas esset. Sic ap. Val. Max. 9, 11, 2. *quid de eo secus dicturus esset, cui pro sanctitate morum satis digna laudatio reddi non posset*, ap. Liv. 8, 33. *quid de collega secus senatui scriberet.* — *in se iacta* probra *nolle* se *ad cognitionem vocari:* „sic et Dio 57, 9. sed contra 58, 24." *Lips.* — *de iis* MS. et ed. Bekk. *de his* edd. rel. v. ad 2, 43, 1.

2. *ne cui verba in eum habita*, dicta, h. e. maledicta, dicteria; *Ern.* — *liberavit Apuleiam lege maiestatis*, eius poena. — *adulterii graviorem poenam*, ut *graviore adulterii poena* ap. Suet. Aug. 5. ubi Wolf. recte interpretatur: *graviore* quam statuta erat lege Iulia de adulteriis. De hac poena v. ad 3, 25, 1. — *ut exemplo maiorum propinquis suis ultra CC. lapidem* (v. ad 1, 45, 1.) *removeretur* Urbe. Nam ex lege Romuli uxor ita fuit in manu viri, ut de crimine eius omni cum propinquis cognosceret statueretque; *Lips.* v. eius Exc. ad Tac. Ann. 4, 42. Ita et apud Germanos. v. ad G. 19. n. 5—10. Adulterium Romae factum est crimen publicum lata lege Iulia. „Nemo tamen ex nostro loco colligat,

remotionem ultra ducentesimum lapidem receptam omnino *maioribus* fuisse poenam mulieri adulterae a *propinquis* irrogandam. Immo arbitraria sine dubio ea fuit et multo amplior mariti et propinquorum in adulteram potestas. (v. Lips. l. l.) Hic vero Tiberius, *ut ultra d. l. removeretur,* suasit, quippe *graviorem poenam deprecatus.*" *Walth. propinquis suis removeretur,* v. Ind. III. v. *Dativus* nr. 1. Ramshorn. Gram. p. 219. — *Adultero Manlio Italia atque Africa interdictum est,* v. ad 1, 3, 6. et 3, 68, 2.

CAPUT LI.

De praetore in locum Vipsanii Galli, quem mors abstulerat, subrogando certamen incessit. Germanicus atque Drusus (nam etiam tum Romae erant) Haterium Agrippam propinquum Germanici fovebant: contra plerique nitebantur, ut numerus liberorum in candidatis praepolleret, quod lex iubebat. Laetabatur Tiberius, quum inter filios eius et leges senatus disceptaret. Victa est sine dubio lex; sed neque statim et paucis suffragiis, quo modo etiam quum valerent leges vincebantur.

1. *Vipsanii Galli*: in ed. Bekk. *Vipstani G.* v. ad 11, 23, 1. — *etiam tum* pro *e. nunc,* ex persona Taciti, in aliorum oratione; *Ern.* v. ad 1, 3, 2. et 2, 9, 2. — D. *Haterium Agrippam,* v. Ind. I. — *propinquum Germanici,* de quo nihil mihi compertum; *Lips.* „Verisimile, eius patrem fuisse Q. Haterium Agrippam, (de quo v. ad 4, 61, 1.) matrem vero Vipsaniam, M. Vipsanio Agrippa et Marcella genitam. Hanc enim Marcellam Agrippae uxorem ante Iuliam et ex ea liberos fuisse, prodit Suet. Aug. 63. Firmat hanc coniecturam *Agrippae* cognomentum *Haterii* ex materno avo impositum." *Ryck.* ad 3, 52. Quod cognomentum ei fuisse, Dio in Ind. lib. 57. testis est; *Walth.* Agrippina Germanici mater erat M. Vipsanii Agrippae filia; *Brot.*

2. *ut numerus liberorum in candidatis praepolleret, quod lex iubebat,* sc. Papia Poppaea, quae in magistratu et sorte provinciarum praetulit improlibus eos, quibus proles; *Lips.* Cf. ad 3, 25, 1. 3, 28. 15, 19. Plin. ep. 7, 16. et inpr. Lips. Exc. III. ad Tac. Ann. III. — *victa est sine dubio lex,* „et Haterius Agrippa subrogatus, licet liberorum eius numerus non praepolleret. Optimum autem imperium, in quo nunquam leges vincuntur, bonum, in quo raro. Quum inter filios eius et leges senatus ita disceptaret, laetabatur Tiberius. Certus enim quid iam valeret ominabatur, quid in posterum audere posset." *Brot.* Leges vincuntur, quum efficitur, ut contra leges aliquid fiat; *Ern.* — *sed neque statim et paucis suffragiis,* v. ad 15, 28, 1. et G. 2. n. 2.

CAPUT LII.

Eodem anno coeptum in Africa bellum duce hostium Tacfarinate. Is natione Numida in castris Romanis auxiliaria stipendia meritus, mox desertor, vagos primum et latrociniis suetos ad praedam et raptus congregare: dein more militiae per vexilla et turmas componere: postremo non inconditae turbae, sed Musulamorum dux haberi. Valida ea gens et solitudinibus Africae propinqua, nullo etiam tum urbium cultu, cepit arma Maurosque accolas in bellum traxit. Dux et his Mazippa; divisusque exercitus, ut Tacfarinas lectos viros et Romanum in modum armatos castris attineret, disciplina et imperiis suesceret, Mazippa levi cum copia incendia et caedes et terrorem

circumferret. Compulerantque Cinithios, haud spernendam nationem, in eadem, quum Furius Camillus pro consule Africae legionem et quod signis sociorum, in unum conductos ad hostem duxit, modicam manum, si multitudinem Numidarum atque Maurorum spectares: sed nihil aeque cavebatur, quam ne bellum metu eluderent. Spe victoriae inducti sunt, ut vincerentur. Igitur legio medio, leves cohortes duaeque alae in cornibus locantur. Nec Tacfarinas pugnam detrectavit. Fusi Numidae multosque post annos Furio nomini partum decus militiae: nam post illum reciperatorem Urbis filiumque eius Camillum penes alias familias imperatoria laus fuerat. Atque hic, quem memoramus, bellorum expers habebatur. Eo pronior Tiberius res gestas apud senatum celebravit, et decrevere Patres triumphalia insignia; quod Camillo, ob modestiam vitae, impune fuit.

1. *coeptum in Africa bellum* cet. cf. 3, 20. 73. 4, 23 sq. *Africa*, Africae pars, quae provincia Rom. erat, nunc regnum Tunitanum; *Brot.* — *in castris Romanis*, in militia et in bellis Romanorum, *auxiliaria stipendia meritus*, inter auxiliares. Cf. ad 11, 18, 1. Male corr. *auxiliaris* et *auxiliariis*. Neque unus homo *auxiliaris*, neque *castra* dicuntur *auxiliaria*; *Walth.* — *praedam et raptus* synon. — *per vexilla*, singulas centurias, *et turmas* equitum. v. ad Agr. 18. n. 3. — *inconditae turbae*. v. ad 3, 20, 2. — *Musulanorum* edd. Rhen. et deinceps omnes, ut in optimis MSS. Plin. 5, 4. sed in nonnullis *Misulani*. In ed. Ber. *Musulamorum*, ut in edd. vet. inf. 4, 24. In MS. *musula maiorum* et deinde *valide agens*. Hinc *Musulamiorum* dedit Bekk. h. l. et 4, 24. A Ptol. 4, 3. vocantur Μισουλάμοι et locantur ad austrum pone Cirtam sub Audo monte, a Tacito magis ad occasum et Mauretaniam, in cuius ora maritima *Musulubium horrea*; *Oberl.* Verior igitur scriptura videtur *Musulamorum* esse. — *nullo etiam tum urbium cultu*, v. ad 1, 3, 2. et Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant. in Part.* — *Romanum in modum armatos*, v. ad 12, 16, 1. — *castris attineret*, contineret. Cf. Ind. II. — *disciplina et imperiis suesceret*: nam *suescere*, *assuescere*, *assuetus* et *assuefactus* saepius Ablativo, sed rei fere, non personae, et omisso Infinitivo aliquo, iungi docent Duk. Gron. et Drak. ad Liv. 21, 16. 48. 31, 35. 48. 85. Ern. clav. Cic. *disciplinae* corr. Pich. quia *suescere* Dativo iungatur 1, 31. 2, 44. 15, 31. „At plane aliud significat *suescere disciplinae* quam *s. disciplina*. Illud intransitivum est ac significat *consuetudinem alicuius rei* contrahere, (ut *suescere militiae* 2, 44.) hoc vero activum, ut sit assuescere aliquem, utiturque Ablativo rei, qua illud fit. Igitur si legis *disciplinae*, tum *exercitus divisus* diceretur, ut Tacfarinas disciplinae et imperiorum consuetudinem contraheret, quod ineptum esset. Immo si quem *suescis disciplina*, hic suescet disciplinae et deinde erit suetus disciplinae." *Walth.* — *copia*, v. ad 4, 4, 2.

2. *Compulerantque* pro *compulerant quoque*. v. ad 2, 37, 1. — *Cinithios* edd. omnes. *cnitios* MS. Plinio 5, 4. Ethini dicti videntur; *Lips.* Μέχρι τῆς μικρᾶς Σύρτεως Μαχυναί, καὶ ὑπ' αὐτοὺς Κινήθιοι Ptol. 4, 3. ubi Κινύθιοι in optimo MS. Broterii. *Ciniphios* coni. Mur. *Cinyphios* Brot. qui eos sic dictos putabat a *Cinype* vel *Cinypho* fluvio. *Cinyphius Hammon* ap. Sidon. Apoll. 9, 203. Cf. Ulit. ad Grat. Cyneg. 34. *Cinyphii* vel *Cinythii* ad Syrtim positi nimis longe abesse videntur; *Oberl.* — *Furius Camillus pro consule Africae* MS. edd. Gron. Ryck. Bekk. Walth. *proconsul* edd. rel. et vet. et rec. Hanc scripturam ubivis retinendam censuit et multis verbis defendit Manut. ad Cic. ep. ad div. 1, 1. Illam, ut et *pro praetore*, *pro quaestore*, *pro dictatore*, Gron. et Drak. Liv. 10,

29. 23, 31. 26, 33. 37, 46. 39, 29. 41, 10. aliisque locis dederunt, etiam iis, ubi non modo *procos.* et *procons.*, sed etiam *proconsul*, *proconsulis* cet. in omnibus MSS. et edd. vet. reperitur. Ita et Iac. Gron. ap. Tac. Ann. 3, 32. 35. 38. 72. 4, 23. 12, 31. 13, 1. 14, 16. 16, 18. al. „Sed in omnibus locis, ubi *pro consule* et *pro praetore* recte restitutum reperi, ponitur absolute, non cum Genitivo vel provinciae vel alio; ut nec dicimus *ius pro consule* et similia, sed *proconsulis*.“ *Ern.* „At in formulis *pro consule* et *pro praetore* intell. ὤν, unde etiam Genitivis iungi possunt. Cf. 2, 66. 73. 4, 13. Ramshorn. Gram. p. 296.“ *Walth.* Cf. Ind. II. v. *Pro.* — *legionem et quod*, quantum, *sociorum sub signis* erat, (exiguam auxiliarium vim) *in unum* locum *conductos ad hostem duxit*, quae dictio referenda est ad gratam optimorum scriptorum negligentiam, nisi leg. *contractos*; *Ern.* et *Wopk.* Sed Tacitus videtur consulto sic scripsisse; *Walth.* Cf. Ind. III. v. *Verba s. vocabula eadem repetita.* — *legionem*: „nam una tantum legio attributa ab Augusto Tiberioque. v. H. 2, 97. 4, 48. Per bellum Tacfarinatis nona abducta e Pannonia et in Africam missa, sed biennio post in Pannoniam remissa. v. 3, 9. 4, 5. et 23. In Pannonia vero tres legiones erant VIII. IX. et XV. v. 1, 16. 23. 30.“ *Lips.* ad 4, 5. — *modicam manum*, cf. Ind. III. v. *Appositio.* — *nihil aeque* a Camillo *cavebatur quam* (v. ad O. 10. n. 1.) ne hostes *bellum metu* virium Rom. *eluderent*, traherent, nulla pugnae copia; *Lips.* „*metu*, conspecto maiori exercitu. Hinc Camillus tam modicam manum contra hostium multitudinem duxit.“ *Walth.* *Bellum* etiam pro pugna dicitur, ut Gr. πόλεμος pro μάχη. Sic *bellum* Agr. 21. 37. et *bella* saepe ap. poetas. v. Corte ad Sall. Cat. c. 9. et ad Plin. ep. 9, 4. Harles. ad Ovid. Trist. 5, 10, 26. Casaub. ad Polyb. p. 147. ed. Gron. *Eludere bellum* s. pugnam, ut *ictum*, quem pugiles et gladiatores declinatione corporis irritum faciunt effugiuntque. Sic 3, 74. (de eodem Tacfarinate) 4, 25. 14, 41. H. 1, 26. ap. Liv. 2, 48. (*bellum quiete, quietem bello eludere*) 26, 19. 27, 18. et al. Hinc *eludere aliquem* et *aliquid arte* et simpl. *eludere* dicitur pro: arte ac dolo fallere spemque eius frustrari, ut 13, 22. 15, 10. 16, 3. H. 3, 47. 4, 86. Liv. 1, 36. 3, 10. 7, 13. 42, 22. al. Inde etiam est elevare, imminuere. v. ad H. 1, 26, 4. — *spe victoriae inducti sunt*, decepti, propr. fraude eo adducti; *Boett.* in Lex. Tac. — *decus militiae*, ut paulo post *imperatoria laus.* — *post illum* M. Furium Camillum *reciperatorem Urbis* (v. Liv. 5, 46 sq. et de triumphis eius Liv. 5, 23. 49. 6, 4. 42.) *filiumque eius* L. Furium *Camillum.* v. Liv. 7, 24. 28. Addere debuerat nepotem, Sp. Furii Camilli primi praetoris filium. v. Liv. 7, 1. 8, 13. 29. — *penes alias familias* gentis Furiae. „Ita de Gallis triumpharunt P. Furius Philus et L. Furius Purpureo; ille a. U. 530. hic a. 553.“ *Lips.* — *memoramus* MS. ed. Ern. et rec. *memoravimus* edd. vet. Illud h. l. haud dubie aptius; *Ern.* et decentius; *I. Gron.* — *bellorum expers*, imperitus; *Ern.* Dictum, ut Agr. 30. *servitutis expertes*; *Walth.* — *eo pronior Tiberius* cet. quia nihil ab eo metuebat. — *triumphalia insignia*, v. ad 1, 72, 1. — *ob modestiam vitae*: „quod ita vixerat semper, ut appareret, eum excellere atque eminere nolle mediocri fama contentum; nam ab tali nihil periculi Principi. *Quietem* vocat 14, 47.“ *Ern.* Cf. ad 1, 11, 2. 4, 7, 1. et 6, 4, 2.

CAPUT LIII.

Sequens annus Tiberium tertio, Germanicum iterum consules habuit. Sed eum honorem Germanicus iniit apud urbem Achaiae Nicopolim, quo venerat per Illyricam oram, viso fratre Druso in Dalmatia agente, Hadriatici ac mox Ionii maris adversam navigationem perpessus. Igitur paucos dies insumpsit

reficiendae classi: simul sinus Actiaca victoria inclitos et sacratas ab Augusto manubias castraque Antonii cum recordatione maiorum suorum adiit: namque ei, ut memoravi, avunculus Augustus, avus Antonius erant, magnaque illic imago tristium laetorumque. Hinc ventum Athenas, foederique sociae et vetustae urbis datum, ut uno lictore uteretur. Excepere Graeci quaesitissimis honoribus vetera suorum facta dictaque praeferentes, quo plus dignationis adulatio haberet.

1. *Tiberium tertio,* „qui consulatus paucorum duntaxat dierum fuit. v. Suet. Tib. 26. (ubi cf. Exc. Ern.) et Grut. inscr. 26, 9.“ *Ryck.* — *apud urbem* (in urbe; v. Ind. II.) *Achaiae Nicopolim:* „Late *Achaiae* nomen sumit, non pro Graecia solum, (v. ad 1, 76, 2.) sed pro Epiro etiam, ubi sane haec urbs est, ab Augusto structa ad Ambracium sinum, monumentum scil. victoriae Actiacae. Credo ideo, quia illo aevo tota haec regio uni praesidi permissa.“ *Lips.* Infra 5, 10. colonia Romana dicitur; *Brot.* In Antonini itin. *Actia* Nicopolis salutatur; *Oberl.* Cf. Suet. Aug. 18. *apud urbem Acarnaniae Nic.* coni. Surita ad Anton. itin. p. 482. — *Druso in Dalmatia agente* et Illyrico. v. cap. 44. *Dalmatia* ed. Ber. et sqq. paene omnes. *Delmatia* MS. ut 3, 9. *Delmatico.* „Sic in numis, inscr. et MSS. v. Cellar. G. A. T. I. p. 490. et Burm. ad Suet. Aug. 20.“ *Oberl.* Hinc ille ita scripsit, ut et Croll. Bekk. al. sed non nisi h. l. quod mireris. — *sacratas ab Augusto manubias:* „templum ex iis Apollini structum: ut mos imperatorum in vetere rep., qui tertiam praedae partem in monumento publ. consumebant. v. inpr. Cic. Agr. 2, 22. et Verr. 1, 59.“ *Ern.* ad h. l. et clav. Cic. Cf. ad 3, 72. Strab. 7. p. 324. 325. Plin. 4, 1. Suet. Aug. 18. Dio 51, 1. et Schweigh. ad Appian. B. Ill. II. „In ipso ore Ambracii sinus fuit ad sinistram civitas libera Nicopolitana: ad dextram vero Actium, colonia Augusti. Ibi nobile Actii Apollinis templum et infra campus cum luco et navalibus, in quibus Augustus de hostium manubiis dedicavit decem naves. Haec visit Germanicus. Postea navalia et naves igni absorpta sunt, ut testatur Strabo.“ *Brot.* — *ut memoravi* c. 43. ubi v. nota 3. — *imago tristium,* si Antonium spectaret, *laetorum,* si Augustum: et ipse ab utroque, in utrumque affectus; *Lips.*

2. *foederique sociae et v. urbis datum,* v. ad 1, 7, 8. — *ut uno lictore uteretur:* „Vim terroremque imperii Rom. ostendebant lictores, secures, fasces. Ideo quum adempto illo metu magistratus quasi ad amicos agere volebant, removebant insignia potestatis. Sic Antonius Athenis et Tiberius Rhodi. v. Appian. B. Civ. 5, 76 et Suet. Tib. 11.“ *Lips.* Cf. ad 2, 59, 1. Romanos magistratus semper humanius et civilius egisse cum Atheniensibus, docet Casaub. ad Athen. V, 49. p. 212. — *quaesitissimis honoribus,* v. ad 3, 26, 2. — „*Facta dictaque,* ut c. 28. 3, 65. 4, 37. 6, 24. 16, 18. H. 4, 32. sollennis est formula, qua significatur omnis alicuius agendi seque gerendi ratio. Hinc *Graeci vetera — praeferentes* sunt Graeci antiquo more se in excipiendo Germanico gerentes taliaque in honorem eius instituentes, quae antiquitus in honorem insignium virorum institui solent apud Graecos. Nam *laetum antiquitatibus Graecorum genus* H. 2, 4. Simili modo 6, 42. Seleucenses *adventantem Tiridatem extollunt veterum regum honoribus.* Iusta autem est locutio *praeferre alicuius dicta factaque* pro *imitari,* zur Schau tragen, ut 13, 3. 14, 57. 16, 32.“ *Walth.* Plerique interpretes putant, Tacitum in animo habuisse locum Livii 37, 37 pr. et Graecos commemorasse, quae maiores ad Marathona, Salamina cet. fortiter fecissent aut illustriores viri magnifice dixissent. De qua Graecorum etiam hodiernorum ostentatione v. Meyer in Seebodii bibl. crit. a. 1821. p. 1082 sq. Sed aptior h. l. est Waltheri

explicatio. *proferentes* coni. Hiller. racem. 25. et 26. coll. 3, 22. 37. inpr. Cic. Inv. 2, 35. *praefantes* vero Ern. hoc sensu: in honoribus habendis praefatione usi sunt, ducta a maiorum suorum factis ac dictis: quales praefationes, etiamsi aliunde ductae, sunt in decretis civitatum veteribus. Neutrum vulgato substituendum. *Praeferre* est id. qd. *prae se ferre* et utrumque vel ostendere, significare, vel iactare, cum gloriatione commemorare. Cf. 4, 75. 13, 3. 45. 14, 53. 57. 16, 18. 32. O. 25. n. 3. De *adulatione* Graecorum v. Iuvenal. 3, 74 — 108.

CAPUT LIV.

Petita inde Euboea tramisit Lesbum, ubi Agrippina novissimo partu Iuliam edidit. Tum extrema Asiae Perinthumque ac Byzantium Thracias urbes, mox Propontidis angustias et os Ponticum intrat cupidine veteres locos et fama celebratos noscendi; pariterque provincias internis certaminibus aut magistratuum iniuriis fessas refovebat. Atque illum in regressu sacra Samothracum visere nitentem obvii aquilones depulere. Igitur aliaque, quae ibi varietate fortunae et nostri origine veneranda, relegit Asiam appellitque Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur. Non femina illic, ut apud Delphos, sed certis e familiis et ferme Mileto accitus sacerdos numerum modo consultantium et nomina audit: tum in specum degressus, hausta fontis arcani aqua, ignarus plerumque literarum et carminum edit responsa versibus compositis super rebus, quas quis mente concepit. Et ferebatur Germanico per ambages, ut mos oraculis, maturum exitium cecinisse.

1. *tramisit* in *Lesbum*, (v. ad 1, 5, 2.) *ubi Agrippina Iuliam edidit*, v. ad 2, 41, 2. In huius puerperii memoriam cusus a Mitylenaeis numus, a Seguino publicatus; *Ryck*. p. 496. „De eo v. Spanh. de usu et pr. NN. T. II. p. 277. 490. et Eckhel. doctr. NN. Vol. VI. p. 214." *Oberl*. — *provincias magistratuum iniuriis fessas:* „cf. 4, 45. 13, 48. Plin. ep. 10, 28. 34. pan. 70. Cic ad Q. Fr. 1, 1, 8. ad Att. 5, 20. 6, 2. ad div. 3, 1. Quanquam et vox *magistratuum* Roma missos complecti possit." *Gron*. — *sacra Samothracum*, Cabirorum in Samothracia, de quibus v. Diodor. 5, 47. 49. Strab. X. p. 470. Schol. ad Aristoph. Pacem v. 275 sq. Heyne Exc. IX. ad Virg. Aen. II. Herman. Mythol. T. III. p. 159 — 176. Schelling über die Gottheiten in Samothrace Stuttg. 1815. Wachsmuth in Athenaeo II, 2. p. 251. 252. — *visere nitentem*, eo traiicere contendentem, ut haec viseret, *obvii*, contrarii, *aquilones*, inpr. Thrascias, *depulere* cursu, vel repulere, ut H. 3, 42. — *Igitur alio quaeque ibi* cet. MS. Flor. *Igitur aliaque quae ibi* edd. Ber. Rhen. Ald. *visere nitentem aliaque ibi* vel *aliaque quae ibi varietate fortunae et nostri origine veneranda*. *Igitur relegit Asiam a. C.* edd. Lips. et al. ex emend. Rhen. Quae varie correxerunt viri docti. Plerique substituerunt *Igitur Ilio quaeque* cet. eo sensu, quo I. Fr. Gron. haec accepit: *Igitur* (continuato itinere) ab *Ilio* (quae praepos. inserta ab Oberl. Bekk. Lün. Kiessl.) *quaeque* cet, et illis, quae ibi *varietate fortunae*, nunc splendida regna, nunc rudera civitatum, *et nostri*, Romanorum, *origine*, a Troianis ducta, *veneranda*, visu venerabilia erant, vel cum horrore sacro et religione quadam visenda, *relegit Asiam*, Asiae oram legere pergit. Pichena tamen ante *Ilio* inserendum putabat *viso*, et Vater p. 35. libri ad 2, 23, 2. laudati *adito*, ut sensus sit: *igitur adito Ilio quaeque* (et aditis quae) *ibi* cet. quod in ordinem recepit Walther. *Igitur adito Ilio quaeque alia ibi* malebat Kiessl. Has coniecturas

(nam alias minus probabiles praetermitto) refutat veteremque lectionem defendit Roth. in Seebodii N. Arch. für Philol. a. 1829. p. 86. his verbis: „Quum Germanicus in Propontidem navigaret laevam tenens, Troianorum sedes antiquas, ubi redux foret in itinere, inspiciendas sibi reservarat. Has igitur mutato consilio reliquit, credo, quod iidem aquilones, qui in Samothracen iter negaverant, inferiora minoris Asiae petenti plurimum favebant; quare illi navigationis compendio Troiam et circa loca posthabebat iuvenis admodum et spe eo saepius redeundi plurima. *Igitur aliaque*, alia quoque, (v. ad 2, 37, 1.) etiam reliqua, (ut ap. Liv. 5, 13, 3. 5, 26, 7. et al.) *quae ibi*, in illo mari, *varietate fortunae* memoranda (nam leve Zeugma subest) *et nostri origine veneranda* licet adire, relinquens s. transmittens, *relegit Asiam*, Asiae oram legere pergit. Ellipsis *relinquens* gravis quidem, sed tamen statuenda; non leg. *Ilio*. Nam ut codicis et edd. vet. auctoritatem omittam, boni est scriptoris, in eiusmodi rebus aut nomen rei referre, aut rem innuendo nomen relinquere; non est, et rem innuere, et nomen eius addere. Certa sunt, quae leguntur: *quae ibi varietate* cet. Hinc non minus certum, nihil magis alienum esse ab indole Taciti, quam antea eius loci nomen, quem re significata a legentibus vult intelligi, proponere.“ Revocavi lectionem primarum edd. etsi in ea non satis acquiesco. Fortasse ante *aliaque* excidit una alterave vox.

2. *appellitque Colophona*, τὴν Κολοφῶντα, urbem maritimam Ioniae, prope quam et in cuius ditione fuit *Claros*, ἡ Κλάρος, lucus, in quo fanum et *oraculum Clarii Apollinis*, sec. Plin. 2, 103. (106.) *specus, in quo lacuna, cuius potu mira reddebantur oracula, bibentium breviore vita*. Cf. Plin. 4, 11. 5, 29. Thucyd. 3, 34. Strab. XIV. p. 642. Pausan. 7, 3. et 5. Κλάρον τὴν Κολοφωνίων Pausan. Phoc. 12. Oppidum quoque et montem huius nominis memorant nonnulli, de quibus v. Cellar. G. A. III, 3. p. 68. et Mannerti G. A. Strabo, qui huic aetati compar, ita loquitur de hoc oraculo, tanquam nullum tunc fuerit; *Lips.* Eius verba interpretor de celebrationis deminutione; *Walth. Interrogatum Apollinis Clarii simulacrum* a Lollio Imp. Claudii temporibus 12, 22. „In numis Colophonis a Domitiano ad Gallienum cusis Apollo Clarius et Diana Claria. v. Eckhel. doctr. NN. T. II. p. 511.“ *Oberl.* Cf. Patini Num. Imp. p. 400. — *Mileto accitus*: nam Milesii Apollinem colebant Didymaeum s. Didymeum, sic dictum a δίδυμος, geminus s. gemellus, (quia Apollo cum Diana uno partu editus aut una cum Iove cultus) vel potius a *Didymis* opp. prope Miletum, ubi oraculum templumque Apollinis Διδυμέως. v. 3, 63. 4, 55. Strab. IX. p. 421. XIV. p. 634. Pausan. 2, 10. 5, 13. 7, 2. Hard. ad Plin. 5, 29. s. 31. Ern. ad Suet. Cal. 21. Διδυμεὺς Μιλησίων ap. Eckhel. l. l. p. 531. spectatur; *Ob.* — *degressus*: in ed. Ald. *digressus*. — *maturum exitium cecinisse*, ut 14, 32. et H. 4, 54. nam oracula olim versibus edita.

CAPUT LV.

At Cn. Piso, quo properantius destinata inciperet, civitatem Atheniensium turbido incessu exterritam oratione saeva increpat, oblique Germanicum perstringens, quod contra decus Romani nominis non Athenienses tot cladibus exstinctos, sed colluviem illam nationum comitate nimia coluisset: hos enim esse Mithridatis adversus Sullam, Antonii adversus divum Augustum socios. Etiam vetera obiectabat, quae in Macedones improspere, violenter in suos fecissent, offensus urbi propria quoque ira, quia Theophilum quendam Areo iudicio falsi damnatum precibus suis non concederent. Exin navigatione celeri

per Cycladas et compendia maris assequitur Germanicum apud insulam Rhodum, haud nescium, quibus insectationibus petitus foret: sed tanta mansuetudine agebat, ut, quum orta tempestas raperet in abrupta possetque interitus inimici ad casum referri, miserit triremis, quarum subsidio discrimini eximeretur. Neque tamen mitigatus Piso et vix diei moram perpessus linquit Germanicum praevenitque: et postquam Syriam ac legiones attigit, largitione, ambitu, infimos manipularium iuvando, quum veteres centuriones, severos tribunos demoveret locaque eorum clientibus suis vel deterrimo cuique attribueret, desidiam in castris, licentiam in urbibus, vagum ac lascivientem per agros militem sineret, eo usque corruptionis provectus est, ut sermone vulgi *parens legionum* haberetur. Nec Plancina se intra decora feminis tenebat, sed exercitio equitum, decursibus cohortium interesse: in Agrippinam, in Germanicum contumelias iacere, quibusdam etiam bonorum militum ad mala obsequia promptis, quod haud invito Imperatore ea fieri occultus rumor incedebat.

1. *turbido incessu,* ad terrendum composito; *Ern.* — *oblique G. p.* v. ad 5, 2, 2. — *contra decus Romani nominis,* v. ad H. 4, 18, 2. — *colluviem illam nationum:* „respicit ad consuetudinem Atheniensium ius civitatis communicandi cum multis atque adeo vendendi hominibus vilissimis ac perditis, de qua iam graviter conquestus Demosth. περὶ συντάξ. p. m. 126. quod ius iis ademptum postea ab Augusto. v. Dio 54, 7. Similiter Tiberius inf. 3, 54. negat, Romanos iam unius urbis cives esse." *Ern.* — *Mithridatis adv. Sullam* — *socios,* v. Strab. IX. p. 398. Plut. Sulla p. 458. Appian. B. Mithrid. p. 189 sq. Pausan. Att. 1, 20. — *Antonii* cet. v. Dio 48, 39. 50, 15. 54, 7. Appian. B. Civ. l. V. — *in Macedones i. f.* v. Liv. 27, 30. 28, 41. 31, 5. 14. 24. 26. 44. — *violenter in suos,* in Periclem, Phocionem al. — *propria ira,* v. ad Agr. 16. n. 2. — *Areo iudicio,* ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, *falsi damnatum,* ut H. 2, 86 pr. *Falsum* dicitur adulteratio testamentorum, ponderum, numorum al. *Areo* ex emend. Rhen. *a reo* ed. Ber. — *precibus suis non concederent,* v. ad 1, 7, 8. — *per Cycladas et compendia maris,* cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin.* — *insectationibus,* v. ad 12, 49, 1. — *quarum subsidio:* nam *subsidium* proprie dicitur, *quod postpositum est ad subveniendum laborantibus; Festus.*

2. *eo usque corruptionis provectus est,* v. ad 4, 10, 2. *Corruptio* active, sc. militum et disciplinae. — *sermone vulgi parens legionum haberetur,* cf. cap. 80. ad 1, 14, 1. et de hoc titulo Drak. ad Sil. 8, 2. — *intra decora feminis,* quae feminis decora sunt. — *exercitio equitum, decursibus cohortium interesse,* v. ad 2, 7, 2. et 3, 33, 2. — *iacere,* v. ad 11, 9, 2. — *ad mala obsequia,* cf. ad 4, 74 extr. — *incedebat* ex emend. Lips. *incidebat* MS. et edd. vet. Cf. ad 3, 26, 1.

CAPUT LVI.

Nota haec Germanico; sed praeverti ad Armenios instantior cura fuit. Ambigua gens ea antiquitus hominum ingeniis et situ terrarum, quoniam nostris provinciis late praetenta penitus ad Medos porrigitur; maximisque imperiis interiecti et saepius discordes sunt adversus Romanos odio et in Parthum invidia. Regem illa tempestate non habebant amoto Vonone;

sed favor nationis inclinabat in Zenonem Polemonis regis Pontici filium, quod is prima ab infantia instituta et cultum Armeniorum aemulatus venatu, epulis et quae alia barbari celebrant, proceres plebemque iuxta devinxerat. Igitur Germanicus in urbe Artaxata approbantibus nobilibus, circumfusa multitudine, insigne regium capiti eius imposuit. Ceteri venerantes regem *Artaxiam* consalutavere, quod illi vocabulum indiderant ex nomine urbis. At Cappadoces in formam provinciae redacti Q. Veranium legatum accepere; et quaedam ex regiis tributis deminuta, quo mitius Romanum imperium speraretur. Commagenis Q. Servaeus praeponitur tum primum ad ius praetoris translatis.

1. *praeverti ad Armenios*, ante omnia eo tendere; *Ern.* v. ad 4, 32, 2. — *instantior cura fuit*, magis urgens, ut H. 4, 83. *instantior species*; *Ern.* — *hominum ingeniis et situ terrarum* edd. Pich. et rec. *sed situ* MS. et ed. Ber. *non modo ingeniis, sed situ t.* edd. Rhen. et cet. — *quoniam* MS. et ed. Bekk. *quo* edd. rel. — *nostris provinciis late praetenta*, ante eas late extenta, ut *praetenta vela foribus* Suet. Claud. 10. *sepes segeti* Virg. Ge. 1, 270. *Syrtibus arva* Virg. Aen. 6, 60. scuta corporibus et regiones ante alias sitae easque quasi tegentes, munimenti sepisve instar. Cf. H. 2, 6. intpp. Liv. 10, 2. 44, 9. Burm. ad Val. Fl. 5, 167. Sic et *praetexi* G. 34. *obtendi* G. 35. Agr. 10. *protegere* 15, 43. — *penitus ad Medos porrigitur*, v. ad 1, 51, 2. et G. 41. n. 4. — *maximis imperiis* Romanorum Parthorumque. cf. cap. 3. — *interiecti* et *discordes*, propr. *interiecta* et *discors*. Sed *gens* est nom. collect. Cf. Ind. III. v. *Nomina collect.* — *et saepius discordes sunt*, v. ad 12, 46, 2. Particula *et* explicat praecedentia; *Walth.* — *amoto Vonone*, cet. v. cap. 1—4. — *Polemonis regis Pontici*: „Hic Zenonis rhetoris filius ad regnum pervenit a. 719. concessu Antonii et Augusti. v. Dio 49, 33. 44. Uxorem habuit Pythodorim, quam mire a prudentia aliisque virtutibus laudat Strabo XII. p. 555. et quae nunc mortuo marito praeerat rebus regni. Alter filiorum *Zeno*, qui nunc Armeniae datus rex. v. Strab. l. c. p. 556.“ *Lips.* Cf. etiam inf. 14, 26. H. 3, 47. Suet. Ner. 18. Cal. 1. ibique intpp. *regis Pontici*: melius *r. Ponti*; *Lips.* Sed ita 13, 39. 15, 6. H. 3, 47. et al.; *Heins.* — *instituta et cultum Arm. aemulatus*; possit *aemulus* legi exemplo Sall. fragm. H. 1. 3. *Alexandri facta dictaque aemulus erat*; *Lips.* Sed sic H. 3, 81. *aemulatus*; *I. Gron.* — *iuxta*, v. ad 1, 6, 6. — *in urbe Artaxata* — *insigne regium* (coronam, diadema) cet. „Zenonem itaque regem Armeniae dedit Germanicus, sed sine ullo, ut vides, bello: addo, nec metu belli. Hinc ap. Suet. Claud. 1. leg. videtur *regem dedisset* pro *r. devicisset*, quia auctoritate tota res perfecta, non armis; non *deiecisset*, quia Vonones a Silano dudum regno amotus ante Germanici adventum.“ *Lips.* Cf. intpp. Suet. qui tamen dissensum Taciti et Suet. non prorsus sustulisse videntur. — *in urbe Artaxata*, quod caput Armeniae ad Araxem fl. ab Artaxia rege conditum suasu Hannibalis Poeni, si Plut. in Lucullo c. 65. p. 513. fides habenda; *Lips.* ad 13, 39. Nomina multarum urbium, inpr. in Oriente, utriusque sunt numeri. Sic *Artaxata*, *Tigranocerta*, *Hierosolyma*, *Abila*, *Bostra*, *Gangra*, *Celaene* et alia. v. Ind. 1. — *Artaxiam consalutavere, quod illi vocabulum indiderant ex nomine urbis*, „ut multae gentes, inpr. Indiae, v. c. Sandrocotti, Taxilis, Palibothri cet. Cf. Strab. XI. p. 525. XV. et al.“ *Freinsh.* ad Curt. 8, 12, 14. „Mirum tamen, quum iam ante plures reges eo nomine fuerint et urbs ipsa potius nomen habuit ab aliquo regum, uti Tigranocerta.“ *Lips.* „*Artaxata* dicta ab Artaxe vel Artaxia rege, urbis conditore. v. Plut. in Lucullo p. 513. Id tamen non impe-

dit, quo minus rursum *rex Artaxias consalutetur ex nomine urbis*, in qua coronam accepit. Inutiles igitur videntur esse coniecturae Iac. Gron. *conditore urbis* et *ex nomine conditoris urbis.*" *Walth.*

2. *Cappadoces in formam prov. red.*, v. ad 2, 42, 2. — *Q. Veranium*, v. Ind. I. — *Legatum:* „nonne id est praetorem sive propraetorem? Ita enim dicti, qui in Caesaris provincias missi, et hi omnes lecti e senatu. Sed Cappadociae Equitem Dio 57, 17. et Consularem pro Equite Rom. rectorem fuisse impositum Suet. Vesp. 8. tradit. Fateor, in minores provincias saepe Equites missos, immo et libertos; sed cum procuratorum titulo, non legatorum. Itaque censeam, primo quidem legatum impositum, sed post id mutasse; Dionem autem oculos habuisse in eo, quod obtineret, non quod obtinuisset." *Lips.* Cappadociae a Tiberio Eques, a Vespasiano autem propter assiduos barbarorum incursus consularis rector impositus una vel pluribus legionibus additis. Cf. H. 2, 81. Dio et Suet. ll. ll. — *quaedam ex regiis tributis deminuta*, etsi fructibus Cappadociae levatum centesimae vectigal. v. cap. 42. — *Commagenis, tum primum ad ius praetoris translatis*, subiectis praetori, qui iis praeesset; *Ern.* Cf. ad 2, 42, 2. Verius *ad ius propraetoris:* sed ap. Tac. *praetor, propraetor, legatus* munere eodem, et ista miscentur; *Lips.* v. ad 1, 74, 1. — *Servaeus:* in MS. *serva eius*. In ed. Ber. *Servaeius*, sed 3, 13. *Servaeus*. De eo v. Ind. I.

CAPUT LVII.

Cunctaque socialia prospere composita non ideo laetum Germanicum habebant ob superbiam Pisonis, qui, iussus partem legionum ipse aut per filium in Armeniam ducere, utrumque neglexerat. Cyrri demum apud hiberna decumae legionis convenere firmato vultu, Piso adversus metum, Germanicus, ne minari crederetur; et erat, ut retuli, clementior. Sed amici accendendis offensionibus callidi intendere vera, aggerere falsa ipsumque et Plancinam et filios variis modis criminari. Postremo paucis familiarium adhibitis sermo coeptus a Caesare, qualem ira et dissimulatio gignit. Responsum a Pisone precibus contumacibus, discesseruntque opertis odiis. Postque rarus in tribunali Caesaris Piso et, si quando assideret, atrox ac dissentire manifestus. Vox quoque eius audita est in convivio, quum apud regem Nabataeorum coronae aureae magno pondere Caesari et Agrippinae, leves Pisoni et ceteris offerrentur: *Principis Romani, non Parthi regis filio eas epulas dari*: abiecitque simul coronam et multa in luxum addidit, quae Germanico quanquam acerba tolerabantur tamen.

1. *Cuncta socialia*, sociorum res, *pr. composita*, harum rerum compositio, ordinatio. v. ad 1, 1, 4. — *laetum Germanicum habebant*, efficiebant; *Oberl.* Cf. ad 2, 65, 1. — *iussus partem legionum per filium ducere*, ei ducendam tradere; *Ern.* — *Cyrri* edd. vet. et rec. paene omnes, ut in tab. Peuting. sed vulgo scribitur *Cyrrhus*, *Κύῤῥος*, Cyrrhesticae caput in Syria. Mox *convenire* ed. Ber. — *et erat, ut retuli*, (1, 33. 2, 55.) *clementior*, v. ad Agr. 16. n. 3. — *accendendis offensionibus callidi*, v. ad 1, 23, 1. et Ind. III. v. *Dativi*. — *intendere vera*, v. ad 12, 35. — *Plancinam et filios:* „immo *filium*, M. Pisonem; nam Cnaeus omne hoc tempus in Urbe egit: (v. 3, 16.) nisi et Cnaeus Romae aliquid in Germanicum, aut criminati universe sunt filiorum superbiam, contumaciam

aut tale." *Lips*. Videtur pluralis non urgendus, ut *parentes* 2, 71, 1. et *leges* de una lege; *Ern*. Sic *liberi* et *filii* de uno filio filiave cet. Praeterea *filii* pro *filio et filia*, *fratres* pro *fratre et sorore*, ut 11, 38. 12, 4. al. v. Ind. III. v. *Numerus Plur. pro Sing*. Quintil. 9, 3. Gesn. Thes. v. *filius* et *frater*. Gell. 2, 13. Ramshorn. Gram. p. 29. 659. Ruddim. Gram. T. I. p. 154. T. II. p. 36. 37. et, quos hic laudavit, Gron. ad Liv. 1, 39. et ad Sen. Med. v. 56 et 59. (ubi *regum* pro *regis et puellae regiae*, et *tonantibus* de Iove et Iunone) Muncker. ad Hygin. fab. CLIX. Bentl. ad Hor. Sat. 1, 1, 100. Burm. ad Quintil. 9, 3. Cort. ad Sall. Iug. 75. „Sed ad utrumque Pisonis filium h. l. pertinet oratio, quum absens quoque suspectus esset Germanici amicis." *Boett*. in Lex. Tac. p. 362. — *ipsumque et Pl. et fil.*, cf. ad G. 1. n. 1. — *ira et dissimulatio* pro *irae dissimulatios Roth*. p. 33. v. Ind. III. v. *Hendiadyoin*. „Muretus male et contra mentem Taciti coni. *irae dissimulatio*: nam haec talis potest esse, ut frontem et verba praeferat summopere amantium; at *ira* et *dissimulatio* est, ubi insignis et nota ira sic insigni comprimitur animo, ut identidem erumpat sese ac male tegat. Accipe ergo, qualem vicissim nunc ira, nunc eius dissimulatio gignit, (ira modo effusa, modo compressa) qualis solet alternari inter eos, qui eodem tempore eodemque congressu frenos iracundiae modo relaxant, modo adducunt." *I. Fr. Gron*. „Designatur sermo, quem dicimus kalt, h. e. in quo ira non patitur amicitiam, irae tamen dissimulatio cohibet verba atrocia. Cf. 13, 44. — *precibus contumacibus*, precibus non veris, sed ita mixtis, ut verbis emicet contumacia, trotzige Bitten. Ἀντίθετα sunt *preces* et *contumacia*. Sed placet Nostro hoc dicendi genus, quo brevitati quam maxime consulitur." *Walth*. — *discesserantque* MS. — *opertis odiis*, ut H. 3, 65. *apertis odiis* emend. Lips. prob. *I. Fr. Gron*. qui haec annotavit: „Naturaliter evenit, ut ex huiusmodi colloquiis, inter ingenia praesertim dissociabilia, exeant professi inimici: et tum quae praecedunt, tum quae sequuntur, hoc firmant. Si *odiis opertis discessissent*, lenes querelas expurgatio, hanc eius qualiscunque acceptio et rursus aliqua mutuae fidei species sollicitosque vultus laeti excepissent. At hic sermo ira et dissimulatione mixtus, dein *preces contumaces*, h. e. arrogantes ac nihil cedentis, quid possunt gignere aliud quam odia retecta et apparentia? Iam si nolebat sciri Piso, se cum Germanico in gratia non esse, cur *rarus in tribunali Caesaris*, cur austerus, cur diversa semper sententia? Denique innata utrique indoles, h. e. et simplicitas Germanici, et ferocia Pisonis, satis refutare vulgatum videntur. Quod Gruterus urget, amicitiam post demum renuntiatam, (c. 70.) ad id responsio facilis. Aliud, e colloquio *discedere odiis apertis*, h. e. ita ut alienatorum odiorum signa satis apparuerint; aliud, denuntiare inimicitias et omnem consuetudinem rumpere." Hinc *apertis* recepere Oberl. Bekk. et alii, et recte, opinor, inpr. propter verba seq. Sensus est: non aliud profectum est sermone utriusque, quam ut ea aperirentur, quae alterum alteri inimicum reddebant; *Roth* in N. Archiv für Philol. 1830. n. 3. 4. Immo *apertis odiis* discessere, ita ut dehinc palam esset dissidium inter utrumque virum et abrupta dissimulatio odiorum; *Walth*. in Addendis p. 462. Vulgatum tamen praeter Sall. et Gruterum defendunt Heins. et Brot. Illius annotatio est: „*Opertis odiis*, ut *occultis odiis* et *dissimulata offensione* 3, 64. *occultis insidiis* 4, 67. *furiis opertis* Valer. Fl. 5, 520. *odio condito* Tac. H. 2, 30. Similis diversitas Ann. 4, 71. (et Iuvenal. 6, 18.) *Odia operta* sunt nondum manifesta, quae in maius postea prorupere: nam odii aperti certum argumentum *renuntiare amicitiae*." Huius: „Si *odia aperta* fuissent, *in tribunali Caesaris* nunquam *assedisset* Piso, neque eum *acerba loquentem tolerasset* Germanicus." *Aperta* dicuntur, non quia Piso et Germ. ea patefecerint, sed quoniam et ipsis inter se et amicis manifesta erant,

licet ab utrisque male dissimularentur; *Pich.* *odiis*, cf. ad 12, 49, 1. — *postque rarus in tribunali Caesaris assidebat*, v. ad 1, 75, 1. et Agr. 20. n. 2. *Post quae* malebat Mur. Cf. ad 2, 37, 1. — *dissentire manifestus*, ut *manifestus accingi* O. 16. Cf. Ind. III. v. *Adiectiva Infinitivis iuncta.*

2. *Nabataeorum*, in Arabia Petraea. — *in convivio* — *coronae aureae* — *offerrentur:* „Cf. Capitol. in Aelio Vero 5. Iustin. 18, 2. et Polyb. 15, 31.“ *Lips.* — *Caesari* — *offerrentur*, ut Corbuloni 14, 24 extr. — *Principis Romani* cet. claret sententia Pisonis in speciem modesti, re vera arrogantis: luxum illum alienum moribus Romanorum, dignum Parthorum, eum decere filium regis Parthi, dedecere Caesarem eiusque socios; *Lips.* et *Brot.*

CAPUT LVIII.

Inter quae ab rege Parthorum Artabano legati venere. Miserat amicitiam ac foedus memoraturos et cupere renovari dextras daturumque honori Germanici, ut ripam Euphratis accederet: petere interim, ne Vonones in Syria haberetur, neu proceres gentium propinquis nuntiis ad discordias traheret. Ad ea Germanicus de societate Romanorum Parthorumque magnifice, de adventu regis et cultu sui cum decore ac modestia respondit. Vonones Pompeiopolim Ciliciae maritimam urbem amotus est. Datum id non modo precibus Artabani, sed contumeliae Pisonis, cui gratissimus erat ob plurima officia et dona, quibus Plancinam devinxerat.

1. *amicitiam ac foedus memoraturos*, v. ad 4, 46, 2. — *et cupere* sc. se, *renovari dextras*, propr. amicitiam ac foedus iunctis iterum dextris. Hinc in numis Concordia duabus manibus iunctis exprimitur nonnullaque militaria signa in manu desinunt; *Brot.* v. ad H. 1, 54. 1. — *daturumque honori G.*, ut paulo post *datum id non modo precibus* cet. v. ad 1, 7, 8. — *accederet* sc. Artabanus.

2. *ne Vonones in Syria haberetur* in custodia, ut 2, 68. 11, 16. 14, 3. Cf. cap. 4. — *neu proceres gentium* cet. Mercerus corr. *ne proceres gentium* et Pich. *ne is proc. g.* rati causam, cur Vononem e Syria in Ciliciam eiusque oram remotissimam, maritimam, amoveri velit, esse, ne, dum *proceres gentium*, Artabanus Persicae, Germanicus Romanae, proximi sint, si propius adsit Vonones, hic serat inter eas nuntiis e propinquo causas discordiarum. „Sed nihil mutari placet. Videtur enim et genus τοῦ ἓν διὰ δυοῖν esse, et sermo legibus, pactionibus, conditionibus proprius: *ne sit, neu faciat* pro *ne sit, ubi vetitum faciat.* Quare autem *proceres gentium* Germanicus et Artabanus? Saltem tempus anguste captum, quasi Vonones Artabano tantummodo gravis vicinus, dum ipse et Germanicus in proximo. Quin *proceres gentium* acceperim praefectos et satrapas plurimarum gentium Parthis parentium, et *discordias* dissensiones Parthorum inter sese, rebelliones.“ *Gron.* „Per ἓν διὰ δυοῖν haec dicta pro *ne Vonones in S. haberetur; id nempe peti, ne proceres* cet., vel *id enim si fieret, timendum, ne proceres* cet. Sic 1, 79, 1. *ne Clanis* — *transferretur idque ipsis perniciem afferret.*“ *Walth.* Cf. ad 11, 2, 2. — *Datum id* et *precibus* et *contumeliae* convenit. v. ad 1, 7, 8. Ad Syllepsin haec refert Walth. v. ad 2, 20, 2.

CAPUT LIX.

M. Silano, L. Norbano coss. Germanicus Aegyptum profici-

scitur cognoscendae antiquitatis. Sed cura provinciae praetendebatur: levavitque apertis horreis pretia frugum, multaque in vulgus grata usurpavit. Sine milite incedere, pedibus intectis et pari cum Graecis amictu, P. Scipionis aemulatione, quem eadem factitavisse apud Siciliam, quamvis flagrante adhuc Poenorum bello, accepimus. Tiberius, cultu habituque eius lenibus verbis perstricto, acerrime increpuit, quod contra instituta Augusti, non sponte Principis Alexandriam introisset: nam Augustus inter alia dominationis arcana, vetitis nisi permissu ingredi senatoribus aut Equitibus Romanis illustribus, seposuit Aegyptum, ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam claustraque terrae ac maris quamvis levi praesidio adversum ingentes exercitus insedisset.

1. *M.* Iunio *Silano, L. Norbano* Balbo *coss.* a quibus lata lex Iunia Norbana de manumiss. — *Germanicus* in *Aegyptum proficiscitur cognoscendae antiquitatis*, v. ad 1, 3, 8. 1, 74, 1. et 6, 29, 1. — *levavitque apertis horreis* publicis *pretia frugum;* nam immensam tum et repentinam famem fuisse, Suet. Tib. 52. testis; *Walth.* Cf. ad 12, 43. et Agr. 19. n. 3. — *multa in vulgus grata,* v. ad 1, 76, 3. — *sine milite,* custodia, incedere, ut ostenderet, non metui a se insidias. Cf. ad 2, 53, 2. — *pedibus intectis' et pari cum Graecis amictu,* „non calceis Romanorum, sed ὑποδήμασι Graecorum more usus. *amictu* i. e. pallio. Cf. Suet. Tib. 13. Cal. 52. et Dom. 4.“ *Walth.* v. Lips. Exc. X. ad Ann. II. — *P. Scipionis* Afric. mai. *aemulatione,* de quo id Liv. 29, 19. tradit; *Ern.* Sic Alexander Persas et Caracalla Germanos imitatus est benevolentiae conciliandae causa; *Mur.* — *quamvis flagrante a. P. bello,* cf. H. 1, 5, 2. et Ind. III. v. *Participia concessionem exprimentia.*

2. *cultu habituque,* v. ad 1, 10, 6. — *contra instituta Augusti* cet. „v. 12, 60. H. 1, 10. Suet. Tib. 52.“ *Lips.* Cf. et Strab. XVII. p. 548. — *sponte Principis,* auctoritate, iussu, voluntate, permissu; *Ern.* Cf. Ind. II. et H. 3, 16. 4, 19. — *Equitibus Rom. illustribus,* v. ad 1, 73, 1. — *seposuit Aegyptum,* sibi soli vindicavit. Cf. Ind. II. Sic et H. 1, 11. *Aegyptum domi retinere,* reservare familiae Principum, tanquam peculiarem provinciam, ab ea tantum, non a proconsulibus legatisve regendam. Propterea Eques tantum et praefectus Augustalis praefuit, Alexandriae Iuridicus. Cf. ad 6, 19. et 13, 19. Dio 51, 17. Strab. 17. p. 517. Suet. Caes. 35. et Aug. c. 18. — *ne fame urgeret Italiam,* v. ad 12, 43. — *claustraque terrae ac maris,* intell. Pelusium, Paraetonium et Alexandriam; *Lips.* „Non delendum *que,* ut haec per apposit. addita sint, neque ἐξηγητικῶς capiendum, de quo v. ad 1, 33, 2. Nam *claustra* non provinciae vocantur, sed montes celsi et inpr. urbes portusque, per quos provincia adiri potest et ex ea in mare veniri. v. Lucan. 10, 509. Heins. ad Vell. 1, 3. Broukh. ad Prop. 3, 7, 55.“ *Ern.* „*Claustra terrae* sunt munimenta in terra Aegypti continenti posita, quibus opponuntur *claustra maris,* munimenta maritima in ora aut insulis collocata; quae qui tenet, plurimum valet in mare. *Provincia claustraque* pro provincia cum claustris, quae in ea sunt, terrestribus et maritimis.“ *Walth.* Cf. H. 2, 82. 3, 43. Ioseph. A. I. 4, 37. et inpr. Suet. Vesp. c. 7. Similiter *claustra imperii Rom.* 2, 61. *cl. montium* et *annonae* H. 3, 2. 8. Cf. ad 2, 61, 2.

CAPUT LX.

Sed Germanicus, nondum comperto, profectionem eam incusari, Nilo subvehebatur orsus oppido a Canopo. Condidere

id Spartani ob sepultum illic rectorem navis Canopum, qua tempestate Menelaus Graeciam repetens diversum ad mare terramque Libyam deiectus. Inde proximum amnis os dicatum Herculi, quem indigenae ortum apud se et antiquissimum perhibent eosque, qui postea pari virtute fuerint, in cognomentum eius ascitos. Mox visit veterum Thebarum magna vestigia. Et manebant structis molibus literae Aegyptiae priorem opulentiam complexae; iussusque e senioribus sacerdotum patrium sermonem interpretari referebat, habitasse quondam septingenta millia aetate militari, atque eo cum exercitu regem Rhamsen Libya, Aethiopia, Medisque et Persis et Bactriano ac Scythia potitum, quasque terras Syri Armeniique et contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum, hinc Lycium ad mare imperio tenuisse. Legebantur et indicta gentibus tributa, pondus argenti et auri, numerus armorum equorumque et dona templis, ebur atque odores, quasque copias frumenti et omnium utensilium quaeque natio penderet, haud minus magnifica quam nunc vi Parthorum aut potentia Romana iubentur.

1. *nondum comperto*, v. ad 1, 46, 1. — *Nilo subvehebatur*, v. ad 2, 8, 2. — *Canopus*, *Κάνωβος* Strab. hod. *Abukir*, oppidum ad Canopicum Nili ostium, non longe ab Alexandria, situm luxuque infame, de quo Iuven. 1, 33. 6, 84. 15, 46. Strab. XVII. p. 550. (800. 801.) Sen. ep. 41. Ulit. ad Grat. Cyneg. v. 43. Ammian. Marc. 22, 16. 41. Sil. 11, 431. et inpr. Heins. ad Ovid. Am. 2, 13, 7. — *Condidere id Spartani ob sepultum illic rectorem navis Canopum*, quia is ibi sepultus erat. Cf. Ind. III. v. *Participia*, *causam rei designantia*. Canopi origo nomenque Aegyptiaca et falso relata ad Canopum, Menelai gubernatorem, quum Menelaum haec loca adiisse ex Homero constaret. v. Heynii opusc. acad. Vol. I. p. 397. — *qua tempestate*, quo tempore. v. Ind. III. — *diversum ad mare*, remotum, vel potius contrarium ei quod petebatur, et in alia plaga; *Ern.* *Diversus* est vel alius, ut 3, 2. et Agr. 11. vel ex adverso stans et positus, (v. ad 2, 10, 1.) vel remotus, ut 1, 17. 2, 60. 3, 2. 1, 50. Sil. 5, 458. 17, 546. Plin. ep. 10, 15. vel *adversus* et *contrarius*, *hostilis*, ut 1, 17. 2, 7. 3. 4, 3. 6, 22. 12, 69. 13, 2. 9. 14, 10. 16, 2. H. 2, 34. 3, 3. 73. 4, 16. 27. Agr. 23. O. 1. 34. et *diversitas* pro *repugnantia* G. 15. Cf. ad Agr. 11. n. 4. Drak. ad Sil. 1, 264. Gron. ad Liv. 22, 7. Hess. ad G. 15. Burm. ad Prop. 1, 3, 31. Heindorf. ad Hor. Sat. 1, 1, 3. et Duk. ad Flor. 2, 2. — *deiectus* tempestate. v. ad 2, 24, 1. *deiectus* ex emend. I. Gron. recepere Ern. Bekk. Lün. al. Cf. ad 4, 25, 3 et 4, 44, 1. *delectus* MS. *delatus* ed. Ber. Rhen. et cet. *deiectus* scil. est, quod hic abesse sane durum est; *Ern.* Immo *fuit* vel *erat*, quod tamen melius omittitur; *Walth.* — *Inde proximum amnis*, Nili, *os*, Canopicum scil. est *dicatum Herculi*, Aegyptio, (de quo v. Creuzeri Symbol. II. p. 202 sq.) unde ostium Heracleoticum, ut et vicinum opp. Heraclium. v. Strab. XVII. p. 801. quod Herodot. 2, 42. Diodor. 1, 24. Septem fuere Nili ostia, Canopicum, Bolbitinum, Sebennyticum, Phatniticum, Mendesium, Taniticum, Pelusiacum; sed nunc duo tantum praecipua supersunt, ad opp. Damiette et Rosette. v. Strab. 17. p. 801. 802. Hard. ad Plin. 5, 10. s. 11. Schweigh. ad Athen. 2, 90. Pocockii Itiner. T. I. p. 29 sq. 433 sq. Ceterum Germanicus antea adiit Memphim, (quod siluit Tacitus) ibique Apis, cibos a Germanico oblatos, aversatus, mala ei paulo post eventura portendisse ferebatur; *Brot.* v. Plin. 8, 46. Solin. c. 35. Ammian. Marc. 22, 14 extr. — *in cognomentum eius ascitos*, v. ad 1, 8, 3. et 2, 6, 2.

2. *veterum Thebarum:* non enim Boeotiae aliarumve regionum, sed Aegypti urbs huius nominis fuit antiquissima, Θήβη Διὸς πόλις, s. Θῆβαι Αἰγύπτιαι ἑκατόμπυλοι, urbs diruta a Cambyse, ex quo regia sedes inde Memphin translata. v. Plin. 36, 9. s. 14, 2. Diodor. 1, 45. 2, 1. Mel. 1, 9. intpp. Hom. Il. 9, 383. Bocharti Geogr. S. p. 314 sq. „De *magnis Thebarum vestigiis* v. Strab. 17. p. 816. itineraria Paulli Lucae, Pocockii, Savarii et inpr. Nordeni drawings of ruins and statues at Thebes, Lond. 1741. 4." *Oberl.* Cf. qui laudantur ad 2, 61, 1. Iuvenal. 15, 6. Bruce Reisen zur Entdeck. der Quellen des Nils T. I. p. 180. 192. vers. Volkman. et, qui Thebarum vestigia etiam nunc, ubi hodie sint vici Luxor et Carnac ad dextram, Kurnu et Medinat Abu ad sinistram. Nili ripam, docuere Roziére, Iomard, Iellois, Devilliers, in Description de l'Egypte et Mémoires sur l'Egypte, Denon Voy., Hamilton remarks on several parts of Turkey, Heeren: Ideen über die Politik cet. II, 2. p 500 sq. 746 sq. 791 sq. ed. III. Centum portae Thebarum non urbis fuere, neque stabulorum equilium, (ita Diodor. 1, 45. et Michaelis in libello: Etwas von d. ält. Gesch. d. Pferde p. 33—41.) sed palatiorum aut Circi maximi. v. Heyne ad Hom. l. c. Heeren p. 800. Brucius al. — *structis molibus*, pyramidibus et obeliscis. Hi non gnomones fuere ad longitudinem horarum, dierum annique indicandam, neque idola, neque monumenta sepulcralia, sed donaria in honorem deorum erecta. v. Diodor. 1, 57. Wagner ad Ammian. 17, 4. et inpr. Zoega de obeliscis. Duo Romam advecti ab Augusto, maximus vero omnium, Thebanus olim Ramessis, nunc Lateranensis, a Constantino M. Cf. Gibert. in comm. eleg. lit. Acad. Paris. T. 35. Gron. et Wagner ad Ammian. 17, 4, 17. sq. (qui Ammianus inscriptionem literis Graecis expressit) Zoega de obeliscis p. 72 sq — *literae Aegyptiae*, v. ad 11, 14, 1. — *priorem opulentiam complexae*; ad haec et seqq. cf. Strab. XVII. p. 816. qui cum Cornelio Gallo illuc profectus pleraque refert oculata fide; *Lips.* — *e senioribus sacerdotum* sc. aliquis. Cf. Ind. III. *Ellipses* N. 20. — *referebat* ex illis literis. — *septingenta millia:* „Quidam coni. *septuaginta* sicque Tacitum et veritatem extenuant: alii existimant, LXX millia aetate militari quondam Thebis habitasse, et exaggeratis numeris historiam deturpant. Saniores tamen hi Catone et Steph. Byz., qui verbo Διόςπολις docet, eam habuisse, antequam a Persis everteretur, ἀνθρώπων μυριάδας ἑπταχοσίας, 7,000,000. Neque accuratior Mela 1, 9. hac in re infidus interpres Homeri Il. 9, 383. Mihi vero verba et Taciti et Herodoti 2, 164. 166. de Aegyptiorum militia reputanti certissimum videtur, haec LXX millia hominum non de Thebanis incolis, sed de militibus Aegyptiis esse accipienda, eosque non conditione tantum, verum etiam aetate militari fuisse. Quae vero fuerit apud Aegyptios aetas militaris, minime compertum. Apud Romanos fuit ab anno XVI ad XLVI, apud Athenienses, qui ab Aegyptiis plurima sunt mutuati, ab a. XVIII ad XL. De illo v. Gell. 10, 28. de hoc Ulpian. in Demosth. Olynth. III. p. 29." *Brot.* Cf. Voss. ad Mel. 1, 9. Heyne et Heeren ll. cc.

3. *regem Rhamsen:* „hic in obelisco, qui Romae exstat, (v. Ammian. 17, 4, 17.) *Ramestes*, Eusebio in Chron. ad a. 68. *Rhameses* seu *Rhamesses*, Plinio 36, 8. s. 14. *Ramises*, Diodoro 1, 62. Ῥέμφις, Iosepho l. 2. contra Apion. p. 1052. Ῥαμέσσης vel Ῥάμψης, Herodoto 2, 121. Ῥαμψίνιτος, sed Diodoro 1, 53. et Manethoni *Sesothis* s. *Sethosis*, Herodoto 2, 102. *Sesostris* dicitur. De his saltem eadem traduntur. Cf. Perizon. orig. Aegypt. c. 17. p. 348." *Ern.* „Iactantia sacerdotis manifesta: concinit tamen ex parte ipse Strabo XVII. p. 816." *Oberl.* Hic suo ipsius periculo calumniatus est, sacerdotem imposuisse Germanico; *Walth.* — *ac Scythia* edd. vet. *ac Scytha* Berneg. vitio typogr. Hoc tamen, quod mireris, omnes paene editores exprimendum curarunt. — In MS. *pa-*

ctriano ac Scythia — lycum ad mare — epur atque odores. — *dona templis,* v. Ind. III. v. *Dativus.* — *Lycium* edd. Lips. et rec. *Lycum* edd. vet. — *dona templis,* v. ad 1, 3, 1. — *utensilium,* v. ad 1, 70, 3. — *iubentur,* v. ad 4, 72, 1.

CAPUT LXI.

Ceterum Germanicus aliis quoque miraculis intendit animum. Quorum praecipua fuere Memnonis saxea effigies, ubi radiis solis icta est, vocalem sonum reddens; disiectasque inter et vix pervias arenas instar montium eductae pyramides certamine et opibus regum; lacusque effossa humo, superfluentis Nili receptacula; atque alibi angustiae et profunda altitudo, nullis inquirentium spatiis penetrabilis. Exin ventum Elephantinen ac Syenen, claustra olim Romani imperii, quod nunc rubrum ad mare patescit.

1. *aliis quoquĕ miraculis intendit animum,* v. ad 2, 6, 1. — *Memnonis saxea effigies* cet. De hoc Memnone et de eius statua ac palatio, Memnonio, v. Pausan. 1, 42. Philostr. in Heroic. c. 4. in Icon. 1, 7. in vita Apoll. 6, 3. 4. Callistr. stat. I. p. 891. IX. p. 901. Plin. 36, 7. s. 11. Iuvenal. 15, 6 sq. Lucian. Toxar. c. 27. inpr. Strab. XVII. p 816. al. 1170. Pococke, (descript. of the East T. II. p. 101.) Norden, (Voy. d'Egypte et de Nubie Copenh. 1755. Paris 1795. T. II. p. 128. 159. 's. Travels in Egypt and Nubia Lond. 1757.) Hamilton, (Aegyptiaca p. 168 sq.) viri docti in Déscription de l' Egypte T. I. p. 100 sq. Iablonskii Synt. III. de Memnone Graecorum Frft. 1753. Arthur Smith in Morgenblatt a. 1821. pl. 119. (qui sonum ex basi prodire putat vique aëris lapides impellentis effici) Heyne in exc. XIX. ad Virg. Aen. 1. Belzoni Narrative of the operations and recent discoveries within the Pyramids Lond. 1820. v. Veltheim Samml. einiger Aufsätze, Helmst. 1800. T. II. p. 67 sq. Dornedden Phamenophis Gott. 1797. Creuzer Symbolik T. I. p. 307. T. IV. p. 429. ed. pr. (T. I. p. 464. ed. rec. ubi suspicatur, Memnonem, filium Aurorae et lucis solisve symbolum, oriente sole hymnis salutatum esse et vocem cantorum redditam rupibus vallibusque) Iacobs in N. Denkschriften der Münchner Acad. d. Wissensch. T. II. p. 28 — 33. Noehden et Böttiger in huius Amalthea T. II. p. 127 — 190. Minutoli Abhandl. verm. Inhalts. Berl. 1831. T. I. c. 5. Heeren Ideen über die Politik cet. T. II. P. 2. p. 502. 760 sq. 804 sq. ed. III. Jacobs vermischte Schriften T. IV. p. 1 sq. — *inter arenas disiectas:* „non, ut vulgo, passim iacentes aut, spargente aliquo, sive is ventus sit, portatas et passim abiectas, sive solutas, dissociabiles, intractabiles, ob segregem naturam. Nam etsi hae vento quoque, ut ubique, agitentur et iactentur, non sunt tamen, ubi sitae pyramides, Garamantum arenae, quae castra obruere possint, sed significatur illud proprium huius materiae τὸ ἀσύναπτον, ἀσύγκλωστον, quod singula corpuscula vel singuli pulvisculi ab aliis secedunt, eoque materia ad moliendum aut accipiendo suscipiendoque operi est inutilis.“ *Gron.* „Immo *disiectas* frequens vento disiici, dispergi solitas; quod testantur, qui recens adiere pyramides, quarum bona quoque pars successu temporis est arenis tecta: unde potissimum dissensus eorum, qui de dimensione fuere solliciti. Cf. Strab. 17. p. 816. (1170.) Pococke l. c. ad tab. 8. Niebuhrs Reiseb. nach Arabien T. I. p. 199.“ *Oberl.* Mobiles; *Brot.* „Mihi frigidum videtur epitheton, in poeta ferendum, non in scriptore brevitatis amantissimo. Quis enim non per se intelligit, tales esse arenas? Neque in arenis structae sunt pyramides, sed ἐν ὀρεινῇ τινὶ ὀφρύι, ut diserte Strabo l. l. in saxis, circumdatis are-

nis. Suspicor Tacitum dedisse *desertas*, quod est frequens arenarum epitheton." *Ern.* *Disiectas arenas* Germ. Flugsand: nam *disiecta* 1, 32. 3, 2. 6, 44. dicuntur dispersa neque suo loco fixa et constantia; *Walth.*

2. *instar montium eductae Pyramides*, v. ad H. 2, 34, 5. 3, 29, 5. 4, 30, 1. „De pyramidibus v. Herodot. 2, 124. Diodor. 1, 63 sq. Strab. 17. p. 807." *Ern.* Copiose de iis egerunt Langlés in Notices et éclaircissements sur le voy. de Norden, Par. 1802. Minutoli Abhandl. verm. Inhalts T. I. c. 6. et alii laudati ad 2, 60, 2. — *certamine et opibus regum*, dum certant reges aemulatione gloriae opes suas iactare posteritati; *Ern.* *Roth.* p. 9. et 50. (v. Ind. III. v. *Hendiadyoin.*) haec annotavit: Voce *opibus* non pecuniae tantum, sed vires quoque hominum, qui innumeri in isto opere versabantur, indicantur. Si vero quaeras, qualis rei *certamen* inter se reges inierint, non aliud nisi in ostentandis opibus certamen agnosces. Regum pecuniae *otiosam ac stultam ostentationem* appellat Plin. 36, 16. Itaque per ἓν διὰ δυοῖν sic interpretaberis: regibus ostentatione opum certantibus. Cf. H. 1, 61. 4, 86. *opes viresque*, quae synonyma esse si negaveris, Ann. 1, 11. docebit, hominum s. civium vires non minus quam pecuniam et reliqua notione ista contineri; nam Tiberius l. c. *libellum recitari iussit, quo opes publicae continebantur, quantum civium sociorumque in armis* cet." — *lacus Moeris effossa humo*, v. Herod. 2, 29. 149. — *angustiae et profunda altitudo*: intell. locus, ubi Nilus riparum *angustiis* coarctatus et incitatus effecit, ut fit, altitudinem profundissimam, quam Aegyptii, more suo rem augentes, nullis *spatiis*, h. e. mensuris, penetrabilem dicebant; *Ern.* Probabilior est sententia Brot. ad h. l. et Vales. ad Ammian. Marc. 22, 15, 30. h. l. significari antrum angustis canaliculis excavatum, profundissimum innumerisque anfractibus intricatum, Σύριγγας et Συρίγγων πλάνην, prope Thebas et locum, ubi celebris Memnonis statua, trans Nilum. v. Ammian. l. l. (*Sunt et Syringes subterranei quidam et flexuosi secessus, quos, ut fertur, periti rituum vetustorum adventare diluvium praescii metuentesque ne caerimoniarum obliteraretur memoria, penitus operosis digestos fodinis per loca diversa struxerunt: et excisis parietibus volucrum ferarumque genera multa sculpserunt et animalium species, innumeras, quas hierographicas* [f. hieroglyphicas] *literas appellarunt*) Pausan. 1. extr. Heliodor. Aethiop. II. p. 108. Dionys. Perieg. v. 259. ubi cf. Eustath., Aelian. de anim. 6, 43. Synes. ep. 104. Callistrati ecphrasis 1. et Wagner ad Ammian. l. c. ubi haec annotavit: „Syringas Coptice appellari *Βηβ* didici ex Lenzio in Miscell. philol. Altenb. 1801. P. 2. p. 188. Ipsis vero antrorum parietibus incisi hieroglyphici characteres etiamnum conspiciuntur." Muretus et Ryck. huc referunt verba Herodoti 2, 28. „Sed haec est narratio Aegyptii, quam Herodotus ipse ridet, et abyssi, quarum mentionem facit, sunt *inter Elephantinen ac Syenen*, quum hic sermo sit de loco infra has urbes. Praeterea in hac interpretatione negliguntur *angustiae* Nili, quae non conveniunt fontibus istis." *Ern.* „Herodotus 2, 28. refert, Saitam quendam sibi narrasse, Nilum oriri ex duobus montibus Syenen inter et Elephantinen eiusque ibi πηγάς esse ἀβύσσους idque expertum esse Psammetichum regem: πολλέων γὰρ αὐτὸν χιλιάδων ὀργυιέων πλεξάμενον κάλον κατεῖναι ταύτῃ καὶ οὐκ ἐξικέσθαι ἐς βυσσόν. Iam fabulam de Nili fontibus ibi quaerendis ipse Herodotus ridet. Pergit vero: ὡς ἐμὲ κατανοέειν δίνας τινὰς ταύτῃ ἐούσας ἰσχυρὰς καὶ παλιῤῥοίην· οἷα δὲ ἐμβαλόντος τοῦ ὕδατος τοῖσι οὔρεσι, μὴ δύνασθαι κατιεμένην καταπειρητηρίην ἐς βυσσὸν ἰέναι. Et tale quid subesse Saitae verbis, Taciti locus etiam nobis persuadet. Nam *angustiae* referendae sunt ad montium mentionem apud Herodotum obviam; *profunda altitudo* est τὸ ἄβυσσον; verba *nullis* (sc. quanquam longissimis) *inquirentium spatiis*, mensuris, (nam *spatium* est mensura loci aut temporis) *penetrabilis* interpretamentum suum inveniunt in loco He-

rodoti: *πολλέων γὰρ - ἐς βυσσόν*. Et fortasse Noster Herodotum ante oculos habuit, quum haec scriberet. Nam quod Herodotus ipse ridet narrationem viri, id respicit ad fabulam de fontibus Nili ibi quaerendis; addit vero, sibi videri intelligendas esse *δίνας τινὰς* cet. Neque obstat, quod Tacitus pergit: *Exin ventum Elephantinen* cet. Nam licet Aegyptius locum illum ponat *μεταξὺ Συήνης τε καὶ Ἐλεφαντίνης*, nonne Germanicus potuit *Nilo subvehi*, (c. 60 pr.) ut primum illud Nili miraculum aspiceret et deinde nave egressus adiret, quas Noster dicit urbes, Elephantinen superiori loco positam, inde inferius sitam Syenen? Ceterum haec Nili miracula sine dubio pertinent ad cataractas minores, apud quas navigationis Aegyptiacae finis. v. Plin. 5, 9. Cf. Jahnii Annal. a. 1827. II, 1. p. 74." *Walth.* — *penetrabilis* edd. Lips. et rec. *penetrabiles* edd. vet. et Lips. 1.

3. *Elephantine ac Syene* (hod. *Essuen* s. *Assevan*, *Asvan*) oppida vicina et ad Nilum: illa quoque insula et haec penins. in Nilo et confinio Aegypti et Aethiopiae sub cancri tropico, quo Iuvenalis ablegatus dicitur sub honorificae militiae praetextu: nam tres ibi cohortes Romanae praesidii causa excubabant, (Strab. XVII. p. 797.) quae *castra* appellat Plin. 5, 9. s. 10. ubi v. Harduin. — *claustra olim Romani imperii*, extremos eius terminos, fines, qui illud *claudunt*, ut *fines imperii* Syene dicitur Plin. 12, 4. „Sic *claustra imperii* dixit Cic. p. Flac. c. 13. et *Etruriae claustra* Liv. 9, 32." *Walth.* Cf. ad 2, 59, 2. — *quod nunc rubrum ad mare patescit:* haec verba inserta in gratiam laudemque Traiani, qui a. U. 867. 868. a. Chr. 114. 115. magnas res gessit in Oriente et limites imperii *rubrum ad mare* promovit; *Lips.* Cf. 4, 4 extr. Eutrop. 8, 2. 3. Euseb. chron. ad a. 2118. ubi v. Scal., Suid. in v. *Ῥωμαίων ἀρχή* et Mannert. de rebus a Traiano gestis. *Mare rubrum* ut 14, 25. et Agr. 12. *ultimus terrarum finis* Liv. 45, 9. ubi v. Drak. Graecis et Romanis ita dicebatur et Arabicus et Persicus sinus, immo universum mare orientale sive Indicum, Asiam ab austro alluens: *quod Romani rubrum dixere, Graeci Erythraeum a rege Erythra, aut, ut alii, solis repercussu talem reddi colorem* (*ἐρυθρὸν*, rubrum) *existimantes, alii ab arena terraque, alii a tali aquae ipsius natura, quodque in duos dividitur sinus, Persicum ab oriente et Arabicum ulteriorem ex adverso*, Plin. 6, 23. 24. s. 28. et Mela 3, 8. Cf. Drak. ad Liv. 45, 9. Cellarii et Mannerti Geogr. De India veterum v. intpp. Curt. 8, 9.

CAPUT LXII.

Dum ea aestas Germanico plures per provincias transigitur, haud leve decus Drusus quaesivit illiciens Germanos ad discordias, utque fracto iam Maroboduo usque in exitium insisteretur. Erat inter Gotones nobilis iuvenis nomine Catualda, profugus olim vi Marobodui et tunc dubiis rebus eius ultionem ausus. Is valida manu fines Marcomanorum ingreditur corruptisque primoribus ad societatem irrumpit regiam castellumque iuxta situm. Veteres illic Suevorum praedae et nostris e provinciis lixae ac negotiatores reperti, quos ius commercii, dein cupido augendi pecuniam, postremum oblivio patriae suis quemque ab sedibus hostilem in agrum transtulit.

1. *ea aestas*, aestas huius a. U. c. 772. *Germanico transigitur*, v. Ind. III. v. *Dativus* nr. 1. — *haud leve decus Drusus quaesivit, illiciens Germanos ad discordiam*, memor illius: *divide et impera*; *Passow.* ad G. 33. ubi cf. nota 7. — *fracto iam Maroboduo*, cf. cap. 45. 46. ad

2, 26, 3. et G. 42. n. 7. Vell. 2, 129. Suet. Tib. 37. Eutrop. 7, 6. Barth Teutschl. Urgesch. §. 408. *utque fracto iam Maroboduo — insisteretur:* per syllepsin e verbo praec. *illiciens* ante *utque* ἐξ ἀναλόγου intelligendum est, Drusum dedisse operam, studuisse; *Walth.* Cf. ad 2, 20, 2. *Insistere alicui,* ei instare, eum urgere, persequi, ut *ins.* rei 2, 21. 16, 25. H. 2, 46. 3, 77.

2. *Gotones* omnes edd. praeter Brot. in qua est *Gothones.* v. ad G. 43. n. 17. — *Catualda* forsan Germ. Gottwalt. Cf. Barth. l. l. — *dubiis rebus eius,* cf. Ind. III. v. *Adiectiva in sexto casu absolute posita* et *Ellipsis Verbi substant. in Partic.* Talia Tacito usitatiora quam aliis scriptoribus Rom. „Conf. tamen Cic. Phil. 1, 10. *bonis tribunis pl.* Liv. 36, 6. *multorum eo statu,* Plin. 7, 1. *tanto maiore eorum diligentia vel cura vetustiore,* Curt. 7, 1, 14. *quod, non vice sua, tali fungerentur officio.*" *Walch.* ad Tac. Agr. 10. p. 181. — *Marcomanorum* MS. et quaedam edd., sed plurimae *Marcomannorum.* v. ad G. 42. n. 2. — *corruptis primoribus ad societatem:* „Concisum, sed elegans dicendi genus pro: *corruptis primoribus et ita ad societatem adductis,* ut 4, 10 pr. et 14, 63, 1. Similiter 3, 49. et 16, 8. *ceteris ad dicendum testimonium* et *ad praecavendum exterritis,* ita territis metu periculi, ut dicerent testimonium contra C. Lutatium; 4, 45. et 62. *uno vulnere in mortem affecit* et *afflixit;* Liv. 7, 42. *multitudinem ad arma consternatam esse.* Ductum est a Graecis. Herodotus 1, 23. de Arione ἀπειληθέντα ἐς ἀπορίην παραιτήσασθαι, et c. 27. κατεστράφατο ἐς φόρου ἀπαγωγήν." *Ern.* Cf. Ind. III. v. *Oratio praegnans.* — *irrumpit regiam castellumque iuxta situm* Marobodui, non τὸ Βουΐαιμον in silva Hercynia ap. Strab. VII. p. 290. (ubi est nomen regionis) sed Μαρόβουδον ap. Ptol. 2, 11. (hod. *Budweis,* non *Praga*) situm mille stadia ultra Danubium inter Oenum et Campum; forsan ad confluentes Wattavae et Moldaviae in circulo Prachensi, ubi superest turris, *castellum* illud. v. ad G. 28. n. 6. et c. 42. n. 2. et Rossing: der wahrscheinl. Marcomannische Thurm, Wien 1818. — *ius commercii* Romanis a Maroboduo sive sponte sive petentibus Romanis concessum et amicitiae, honoris, grati animi causa dari solitum olim, quod multa veterum civitatum decreta testantur; *Ern.* Cf. ad H. 4, 64. 65. Agr. 18. G. 5. n. 10. Caes. B. G. 2, 15. — *cupido augendi pecuniam,* sc. fenore exercendo: unde negotiatores in odio habebantur provincialium; *Walth.* Cf. ad 2, 87, 1. et 3, 42, 1. — *transtulit:* in MS. *transtulat.* Ernestius corr. *transtulerat,* quod in ordinem recepit Bekk. „Verum *transtulit* ἀορίστως positum est, ut ap. Xenoph. Cyrop. 5, 1, 2. ὁ ἀνὴρ αὐτῆς πρὸς τὸν τῶν Β. βασιλέα πρεσβεύων ᾤχετο· ἔπεμψε δὲ αὐτὸν ὁ Ἀσσύριος περὶ ξυμμαχίας. Cf. Buttman. Gram. Gr. §. 124, 3. n. 1. et Ramshorn. Gram. p. 402. Perfectum (Aoristus) efficit, ut locus per se constet nec pendeat e verbis praec. Contra Plusquamperfectum est tempus relativum." *Walth.* Cf. ad 1, 53, 2. et 3. Ind. III. v. *Verba ἀορίστως posita.*

CAPUT LXIII.

Maroboduo undique deserto non aliud subsidium quam misericordia Caesaris fuit. Transgressus Danubium, qua Noricam provinciam praefluit, scripsit Tiberio non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunae: nam multis nationibus, clarissimum quondam regem ad se vocantibus, Romanam amicitiam praetulisse. Responsum a Caesare, tutam ei honoratamque sedem in Italia fore, si maneret; sin rebus eius aliud conduceret, abiturum fide, qua venisset. Ceterum apud senatum disseruit, non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum aut An-

tiochum populo Romano perinde metuendos fuisse. Exstat oratio, qua magnitudinem viri, violentiam subiectarum ei gentium et quam propinquus Italiae hostis, suaque in destruendo eo consilia extulit. Et Maroboduus quidem Ravennae habitus, ne, si quando, insolescerent Suevi, quasi rediturus in regnum ostentabatur: sed non excessit Italia per duodeviginti annos consenuitque multum imminuta claritate ob nimiam vivendi cupidinem. Idem Catualdae casus neque aliud perfugium. Pulsus haud multo post Hermundurorum opibus et Vibilio duce, receptusque Forum Iulium Narbonensis Galliae coloniam mittitur. Barbari utrumque comitati, ne quietas provincias immixti turbarent, Danubium ultra inter flumina Marum et Cusum locantur, dato rege Vannio gentis Quadorum.

1. *non aliud subsidium*, v. ad 3, 36. — *Danubium:* in MS. bis *danuvium*. Cf. ad 12, 30, 2. — *provinciam praefluit*, v. ad 2, 6, 2. — *ex memoria prioris fortunae*, v. ad G. 7. n. 1. et Ind. II. v. *E* et *Ex*. — *nam multis* cet. Broterius malebat *tam multis*. „Possis coniicere *quam multis* — *praetulisset*. Sed aut repetendum videtur ἀπὸ κοινοῦ *scripsit*, aut totum illud omissum, cuius ratio redditur: *non indignum se cui opem ferat, quem tueatur Caesar.*“ *Ern.* Prior ratio a Wopkensio firmatur locis simil. 3, 47. 15, 1. 29. 16, 2. Sed posterior praeferenda.“ Solent sic scriptores elliptice uti particulis *nam* et *enim*, ut transitum faciant et rationem reddant antecedentis sententiae aut diserte expressae aut facile intelligendae. Sic *enim* 11, 17. 15, 1. *nam* 14, 44. 16, 18. Agr. 46. et h. l. ubi aperte respicit ad *memoriam prioris fortunae* ante dictam. Cf. Ramshorn. Gram. p. 563. Graeci eodem modo ponunt γάρ. v. Buttman. Gram. Gr. §. 149. p. 432. et intpp. ad Viger. idiot. c. 8. sect. 5.“ *Walth.* ad h. l. et ad 14, 44. 16, 18. Cf. ad G. 14. n. 7. ad Agr. 46. n. 6. Ind. II. v. *enim* et *nam*, inpr. Ind. III v. *Ellipses* n. 11. — *honorata* sedes est eius qui, ubi degit, omni honore fruitur; *Ern.* — *rebus eius* MS. ut paulo ante *tutam ei honoratamque sedem*; *Pich.* Sic et edd. rec. *rebus suis* edd. vet. — *Antiochum* M. a L. Scipione a. U. c. 564. devictum. v. Liv. 37, 45. — *perinde metuendos fuisse:* Tiberius exaggerat magnitudinem Marobodui, ut prudentiam suam ostentet et bellicas imperatorum virtutes deterat; *Brot. perinde*, v. Ind. II. — *Exstat oratio* Tiberii fortasse in actis senatus, de quibus v. ad c. 88 pr. — *subiectarum ei gentium*, v. cap. 45. *et* pro *ei* ed. Ber. — *et quam propinquus Italiae hostis* fuisset. — *extulit* verbis, exposuit, prolocutus est, ut 4, 33. Nostrum ausführen, aus einander setzen; *Walth.*“ Conferuntur etiam 3, 41. et 6, 9. Sed v. ad 3, 41, 1.

2. *Et Maroboduus quidem* cet. nam *et*, *ac*, *atque* saepe in transitionibus et periodorum initiis, etsi non eodem plane modo ac sensu, ponuntur. Cf. ad Agr. 16. n. 3. et Ramshorn. Gram. p. 523. Spald. ad Quintil. 10, 1, 12. 11, 3, 21. *quidem*, v. ad Agr. 17. n. 3. — *Ravennae haberetur* in custodia, ut 2, 58. et 14, 3. *Ravenna* caput Romandiolae ad oram maris, ut olim exsulum, (cf. 1, 58. et Suet. Tib. 20.) sic postea Theodorici et Exarchorum sedes fuit et statio classis Ravennatis, de qua v. 4, 5. H. 2, 100. 3, 6. 40. De ipso oppido v. Strab. V. p. 148. (al. 214. et 327.) Sil. 8, 601. Iornand. de reb. Get. c. 29. Procop. B. Got. 1, 1. — *ne si quando insolescerent Suevi*, supra solitum efferrentur, altiores spiritus sumerent, superbirent, ut 2, 75. H. 2, 7. Sall. Cat. 6. Iustin. 31, 8. *ne si quando* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. *nae* (certe, utique) *quando*, *ne quando* et *ne aliquando* coni. Rhen. *ac si quando* Pich. *habitus et, si quando* cet. Boetticher, *si quando* edd. Lips. Grut. et rec.“ Sed genuina est vetus lectio. Particula

si elliptice ponitur, ut Gr. *εἴπερ* vel *εἴπερ ἄρα*. Plat. Euthyd. p. 296. *B. οὔκουν ἡμᾶς γε, ἀλλ' εἴπερ σέ.* v. Buttman. Gram. Gr. §. 151. IV, 2. ed. a. 1829. Sic Noster: *ne, si quando, insolescerent Suevi*, h. e. ne insol. Suevi, si quando vellent, vel simile quid; Germ. damit nicht etwa einmal. Nam Tacitus non erat dicturus, Suevos ob Marobodui absentiam insolescendi consilium re vera cepisse, (hoc esset *ne insolescerent*) sed fieri potuisse, ut insolescere inciperent, idque Tiberium praecavisse. Cf. ad 13, 57. ubi similis particulae *si* usus est. Eodem modo explicandum est frequentissimum illud *nisi si*." *Walth.* v. ad Agr. 32. n. 2. — *quasi rediturus in regnum ostentabatur*, ut extrema huius cap. verba *barbari — locantur*, in quibus plane eadem est structura; *Walth. rediturus* Rhen. 2. 3. Ald. et rec. *reditus* MS. edd. Ber. et Rhen. 1. puncto post *habitus* posito, cui virgulam substituit Rhen. „*reditus* pro *rediturus* per comp. scrib. datum puto vel omissa media syllaba: quo in genere in MS. saepe peccavit librarius. Cf. 1, 13. 20. 2, (32) 38. 41. 54. 63. 73. 83. 3, 22. (52) 69. 4, 2. 5. 13. 32. 51. (55) 13, 6." *Ern.* et *Walth.* Librarius his locis omisit lineolam, qua comp. scrib. designari solet. Aliis vero ab Heinsio ad 5, 4. iam laudatis mutila reperiuntur verba, *tam* pro *tanquam* 6, 2. *ta* pro *tali* 6, 21. *novi* et *potus* pro *novissime* et *potitus* 11, 22. *intonanti* pro *intoleranti* 12, 1. *fratrum* pro *fraternum* 12, 4. *quaestione* pro *quaesitione* 12, 26. *omis* pro *omissuros* 12, 46. *le* et *priŏr* pro *Lepida* et *propior* 12, 64. *iocchum* 13, 7. *seque nece* 13, 13. *indebilis* 13, 14. *iturius* et *etiam perio* 13, 19. *nuntiavit* 13, 32. *ubi* pro *uni sibi* 13, 46. *terram vivam* 13, 56. *ne* pro *Nero* 14, 18. *quiet urbis* 14, 22. *frisoribus* 14, 28. *inhosta* 15, 25. *sin supplicio* 15, 71. *lonquas* 16, 5. *ins'* H. 1, 46. *reportans gerunt* H. 2, 21. *inhostus* H. 2, 31. *inhora* H. 4, 62. *quasi reditui* coni. Iac. Gron. — *ob nimiam vivendi cupidinem*, quam Stoici potissimum damnabant. Cf. Iuvenal. 8, 83. 84. 15, 106 sq. Sen. ep. 17. 70. 72. Plin. 28, 1. s. 2. Virg. Aen. 3, 600. 6, 363. 12, 646. Sil. 2, 223. 13, 883 sq. — *Hermundurorum opibus et Vibillio duce*, v. ad 1, 55, 1. et de *Hermunduris* ad G. 41. n. 2. *Vibillio* pro vulg. *Vibilio* scripsere Ryck. et Walth. v. ad 12, 29, 2. *daice* MS. et ed. Ber. pro *duce*. — *Forum Iulium* s. *Iulii* (Caesaris) *Narbonensis Galliae colonia* in litore Gallici maris citra Massiliam a Iulio Caesare deducta, unde Oxubia ex eo vocata *Forum Iulii* et deinde *Fréius* s. *Fréiuls* ad Argentum fl., qui nunc *Argent* appellatur. Dicebatur etiam *colonia Octavanorum* a veteranis *octavae* legionis a Caesare eo deductis, *Pacensis* et *Classica* a navali, ubi *classis* Rom. erat. Cf. ad 4, 5, 1. H. 3, 43, 3. Agr. 4. n. 1. Strab. IV. p. 184. Plin. 3, 4. s. 5. (ubi v. Hard.) 3, 14. et 19. Mel. 2, 5. Cic. ad Att. 10, 17. Lips. de magn. Rom. 1, 5. De *Narbonensi Gallia* v. ad 11, 23, 1. — *utrumque comitati*, Maroboduum et Catualdam. — *inter flumina* Daciae *Marum et Cusum*. Hic fluvius nunc non *Wag* nec *Gran* dicitur, sed *Gussenbach*, in Austria: ille, qui Moraviam perlabitur et in Tibiscum, (Teiſs) non in Danubium influit, *Marus* Plin. 4, 25. *Marisus* Strab. VII. p. 304. *Maris* Herodoto 4, 49. *Marisia* Iornandi Get. 22. *Margus* Aethico, et hodie *March* s. *Morau* et *Morawa*. v. Wilhelm: Germanien p. 59. 60. et Reichard: Germanien p. 148. 149. 210. 211. — *locantur*, habitandi causa; *Ern.* — *dato rege Vannio*, v. ad 2, 3, 2. — *gentis Quadorum*, de quibus v. G. 42. 43.

CAPUT LXIV.

Simul nuntiato, regem Artaxian Armeniis a Germanico datum, decrevere Patres, ut Germanicus atque Drusus ovantes Urbem introirent. Structi et arcus circum latera templi Martis Ultoris cum effigie Caesarum, laetiore Tiberio, quia pacem

sapientia firmaverat, quam si bellum per acies confecisset. Igitur Rhescuporim quoque Thraciae regem astu aggreditur. Omnem eam nationem Rhoemetalces tenuerat; quo defuncto Augustus partem Thracum Rhescuporidi fratri eius, partem filio Cotyi permisit. In ea divisione arva et urbes et vicina Graecis Cotyi, quod incultum, ferox, annexum hostibus, Rhescuporidi cessit: ipsorumque regum ingenia, illi mite et amoenum, huic atrox, avidum et societatis impatiens erat. Sed primo subdola concordia egere: mox Rhescuporis egredi fines, vertere in se Cotyi data et resistenti vim facere, cunctanter sub Augusto, quem auctorem utriusque regni, si sperneretur, vindicem metuebat. Enimvero audita mutatione Principis immittere latronum globos, exscindere castella, causas bello.

1. *Simul nuntiato*, v. ad 1, 46, 1. — *regem Artaxian Armeniis a Germanico datum*, (v. cap. 56.) ut paulo post *Augustus partem Thracum* (Thraciae) *Rhescuporidi, partem Cotyi permisit*. v. ad 2, 3, 2. et G. 42. n. 9. *Artaxian* MS. et ed. Ber. unde substitui pro vulg. *Artaxiam*. Cf. Ind. III. v. *Orthographia*. — *ovantes Urbem introirent*, v. ad 1, 72, 1. et 3, 11. 19. *Ovantes* non bovem diis, ut triumphantes, sed *ovem* immolabant et Urbem non curru, sed primum pedibus, deinde equo ingrediebantur. v. Dionys. Hal. 5, 47. 8, 68. Gell. 5, 6. Plut. Marcell. p. 310. 311. Dio 54, 33. 55, 2. — *structi et arcus*; qui aevum non tulere: nam arcus, qui etiam nunc exstat prope portam S. Sebastiani et in numo spectatur, non est iunioris Drusi, sed senioris, qui Germanici filius fuit; *Oberl.* — *templi Martis Ultoris*, „quod Augustus bello Philippensi pro ultione paterna suscepto voverat exstruxitque in foro sui nominis. v. Suet. Oct. c. 21. 29. et Ovid. Fast. 5, 549 sq. ex quo loco cognosces, cur in eo potissimum loco *structi sint arcus* illi cum *effigie Caesarum*, h. e. Germanici et Drusi.“ *Walth.* Cf. Dio 54, 7. 8. ibique Reimar. §. 85. — *laetiore Tiberio*, cf. ad verba *dubiis rebus eius* 2, 62, 2. — *sapientia*, v. ad 12, 49, 1. *sapientia — per acies*, v. ad 1, 7, 8.

2. *Rhescuporim Thraciae regem* cet. cf. Dio 54, 20. 34. 55, 30. *Rhescuporim* edd. Ber. Rhen. sqq. *Rhescuporin* quaedam edd. „Non in alio nomine magis variatum. Dicitur Ῥασκύπορις Dioni ll. ll. *Rhascupolis* Vell. 2, 129. *Rhescypolis* vel *Thrascypolis* Suet. Tib. 37. *Rascipolis* Caes. B. Civ. 3, 4. et Lucano 5, 55. *Lips.* „In numis Ῥασκούπορις et Ῥαισκόυποϱις, Ῥησκούποϱις. v. Cary hist. des rois de Thrace pl. 2. Eckhel doctr. NN. vol. 2. p. 59. Spanh. de usu et pr. num. T. I. p. 500. Ep. ad Heins. T. IV. Coll. Burm. p. 821. A Germanis more quodam suo praefixum T. coniicit Cannegieter de Brittenb. c. 3. p. 32.“ *Oberl.* Hinc *Rhascuporin* scribendum videtur. — *Omnem eam nationem R. tenuerat* ditione, imperio, rexerat, ut κϱατεῖν. „*Rhoemetalces* edd. vet. et rec. ut in numis ap. Tristanum et Spanhem. de usu et pr. num. I. p. 125. Alibi *Rhymetalces* et *Rhometalces*.“ *Walth.* — *In ea divisione* cet. Cotyi data est Thracia australis et orientalis, Rhescuporidi Thracia occidentalis ac borealis, montuosa, *inculta, ferox, annexa hostibus*, Scythis, Getis, Dacis; *Brot.* — *annexum hostibus*, conterminum terris hostium. — *illi* Cotyi *mite et amoenum*, „quod adeo verum est, ut ille etiam literis et poesi excultus fuerit. Ad eum enim est elegia Ovid. ex P. 2, 9. et in huius regno vates ille exsulavit.“ *Lips.* *amoenum* ingenium. Cf. ad 13, 3. *ingenia, illi mite — huic atrox: nam ingenia* est nominat. absolutus; *Walth.*

3. *Sed primo* MS. ed. Ber. Rhen. Ald. Pich. et rec. *et primo* edd.

Lips. et al. — *vertere in se*, ut *in se trahere* 1, 2. „Sic et *convertere in se* dixere Liv. 24, 4. et Suet. Vesp. 4.“ *Gron.* — *resistenti vim:* in ed. Ber. *resistentium.* — *auctorem utriusque regni*, qui divisionem regni fecerat et utrique regum partem attribuerat; *Ern.* — *audita mutatione Principis*, quum audisset, mortuo Augusto Tiberium factum esse Principem; *Brot.* — *causas bello*, „quae res bello causae forent, unde fieri non poterat quin bellum oriretur. Forma loquendi valde usitata Livio et multis ex eo exemplis illustrata a Gron. et Drak. ad 1, 12. (*prima urbi fundamenta ieci*) et 3, 46 pr.“ *Ern.* Sed in his exemplis Dativus pendet ex verbis adiectis *iacere, quaerere, dare, esse* al. Cf. potius Ind. III. v. *Appositio* et *Dativus obiectivus*. Simill. loca H. 4, 19 pr. et Virg. Aen. 3, 305.

CAPUT LXV.

Nihil aeque Tiberium anxium habebat, quam ne composita turbarentur. Deligit centurionem, qui nuntiaret regibus, ne armis disceptarent; statimque a Cotye dimissa sunt, quae paraverat, auxilia. Rhescuporis ficta modestia postulat, eundem in locum coiretur: posse de controversiis colloquio transigi. Nec diu dubitatum de tempore, loco, dein conditionibus, quum alter facilitate, alter fraude cuncta inter se concederent acciperentque. Rhescuporis sanciendo, ut dictitabat, foederi convivium adiicit, tractaque in multam noctem laetitia per epulas ac vinolentiam incautum Cotyn et, postquam dolum intellexerat, sacra regni, eiusdem familiae deos et hospitalis mensas obtestantem catenis onerat. Thraciaque omni potitus scripsit ad Tiberium, structas sibi insidias, praeventum insidiatorem; simul bellum adversus Bastarnas Scythasque praetendens novis peditum et equitum copiis sese firmabat.

1. *Nihil aeque Tiberium anxium habebat*, v. ad 2, 57, 1. — *qui nuntiaret regibus, ne armis disceptarent*, ut saepius *nuntiare* pro indicare desiderium et mandatum aut per nuntium monere et iubere, nuntium mittere, qui dicat et iubeat seq. *ut*, v. c. Liv. 3, 50 pr. 25, 22. 27, 29. aut simpl. coniunctivo, ut inf. 2, 79. 11, 37. et infinitivo, ut 16, 11 pr. Sic et *scribitur Tetrarchis* — *iussis Corbulonis obsequi* 15, 25. — *ficta modestia*, qui videri cuperet nihil novi petere, facilis paci, aequis conditionibus contentus; *Ern.*

2. *Rhescuporis sanciendo foederi convivium adiicit:* „Scaliger ad Varr. R. R. 3, 6. p. 118. hic respici putabat *coenas adiiciales*, quae merae sunt nugae. Intelligendas esse coenas *aditiales*, ab aditu sacerdotii vel adeundo sacerdotio, (*pro introitu sacerdotii* Suet. Claud. 9.) iam monuere Faber semestr. 1, 6. et Lips. de magn. R. 4, 9.“ *Gron.* — *dictitabat* MS. ed. Ber. Rhen. Ald. Pich. et rec. *dictabat* edd. Lips. et al. v. ad 1, 72, 1. — *sacra regni*, „ut *sacra legationis* et *mensae* 1, 42. 13, 17. 15, 52. Haec enim religione seu caerimonia deorum erant inviolabilia.“ *Walth.* „Reges, quibus honores et iura consensu gentium tribui solita, sacrosancti et inviolabiles. Cf. Cic. de l. Man. c. 9. Suet. Caes. 6. de *sanctitate regum*, Plut. de fort. Alex. 2, 14. ubi βασιλεοι θεοὶ, Sall. fragm. 6, 9. Inde *regni* h. l. absolute capiendum est, non ad Thraciam restringendum.“ *Freinsh.* et *Ern.* — *eiusdem familiae deos*, v. ad 2, 10, 2. — *hospitales mensas* (cf. ad 15, 52.) *obtestantem:* proprie dicitur *obtestari aliquem per aliquid*. Nota autem sacra mensae, sacrum hospitii ius et dii hospitales, inpr. Ζεὺς φίλιός τε καὶ ξένιος. Cf. 15, 52. — *catenis onerat* — *scripsit*

— *firmabat*, cf. Ind. III. v. *Verborum Tempora.* — *Bastarnas* edd. Rhen. Ald. Lips. Pich. et al. *Basternas* edd. Ber. Bern. et al. v. ad G. 46. n. 2.

CAPUT LXVI.

Molliter rescriptum, *si fraus abesset*, *posse eum innocentiae fidere; ceterum neque se neque senatum nisi cognita causa ius et iniuriam discreturos. Proinde tradito Cotye veniret transferretque invidiam criminis.* Eas literas Latinius Pandus pro praetore Moesiae cum militibus, quis Cotys traderetur, in Thraciam misit. Rhescuporis inter metum et iram cunctatus maluit patrati quam incepti facinoris reus esse: occidi Cotyn iubet mortemque sponte sumptam ementitur. Nec tamen Caesar placitas semel artes mutavit, sed defuncto Pando, quem sibi infensum Rhescuporis arguebat, Pomponium Flaccum veterem stipendiis et arcta cum rege amicitia eoque accommodatiorem ad fallendum ob id maxime Moesiae praefecit.

1. *transferretque invidiam criminis*, „sc. in alium, Cotyn, quem accusaverat struxisse insidias. Sic Suet. Vesp. c. 23. *ut invidiam aliqua cavillatione dilueret transferretque ad sales.*“ *Walth.* — *pro praetore Moesiae* edd. Ber. Bekk. Walth. pro vulg. *propraetor*, v. ad 1, 74, 1. et 2, 52, 2. — *inter metum et iram cunctatus*, v. ad 2, 42, 1. 6, 46, 1. — *facinoris reus*, v. ad Agr. 41. n. 3.

2. *defuncto Pando*, mortuo. *def. padusa* MS. — *cunctatus* edd. Ber. Ald. Pich. et rec. *conctatus* Rhen. *contatus* edd. Lips. et Grut. — *L. Pomponium Flaccum* cos. a. U. 769. legatum Moesiae ab a. U. 772. et praesidem Syriae ab a. 775—786. v. 2, 32. 41. 6, 27. Suet. Tib. 42. Vell. 2, 129. Ovid. ex P. 4, 9, 20 sq. 75 sq. (ubi v. Heins. et Burm.) Masson. vit. Ovid. ad a. 769. Cf. ad 6, 11, 2. — *veterem stipendiis*, non diuturna militia stipendiorum peritum, (ut *vetus scientiae caerimoniarumque* et *vetus regnandi* 6, 12. 44.) sed simpl. qui stipendia diu meruit; *Walth.*

CAPUT LXVII.

Flaccus in Thraciam transgressus per ingentia promissa quamvis ambiguum et scelera sua reputantem perpulit, ut praesidia Romana intraret. Circumdata hinc regi specie honoris valida manus; tribunique et centuriones monendo, suadendo et, quanto longius abscedebatur, apertiore custodia, postremo gnarum necessitatis in Urbem traxere. Accusatus in senatu ab uxore Cotyis damnatur, ut procul regno teneretur. Thracia in Rhoemetalcen filium, quem paternis consiliis adversatum constabat, inque liberos Cotyis dividitur, iisque nondum adultis Trebellienus Rufus praetura functus datur, qui regnum interim tractaret, exemplo, quo maiores Marcum Lepidum Ptolemaei liberis tutorem in Aegyptum miserant. Rhescuporis Alexandriam devectus atque illic fugam tentans, an ficto crimine, interficitur.

1. *praesidia Romana* vocantur vel quaevis loca praesidiariis militibus firmata, inpr. munita, castra, castella, munimenta, (*claustra* 4, 49.) in quibus copiae praesidii et tutelae causa locatae sunt, ut h. l., vel hae copiae. v. ad 1, 56, 1. et cf. 3, 21. 4, 49. 11, 19. 14, 25. H. 3, 82. Duk.

ad Liv. 38, 11. et Drak. ad Liv. 24, 22, 4. — *tribunique et centuriones:* copula *que* primo substant. addita, ut saepe ap. Liv. et poetas; *Ern.* v. ad G. 1. n. 1. — *quanto longius abscedebatur* MS. ed. Pich. et rec. *q. l. abscedebat* edd. vet. — *gnarum necessitatis*, intelligentem, se cogi neque evadere posse; *Ern.* — *ab uxore Cotyis*, Pothydoridis reginae Ponti, matris optimae filia optima; *Brot.* coll. Strab. XII. p. 556. *Cotys* MS. bis.

2. *Thracia in* (inter; v. ad 2, 8, 1.) *Rhoemetalcen* II. *filium* Rhescuporidis I. inque *liberos Cotyis dividitur;* „ita tamen, ut non regnarent singuli Cotyis liberi, sed unus tantum imperaret. Certe Strabo XII. p. 556 ait, unum et natu maximum tum regnasse. Anno U. 792. p. Chr. n. 39. quum Caius Thraciam totam Rhoemetalci II. tradidit, Cotys Armeniam minorem et quasdam Arabiae partes accepit. v. Dio 59, 12.“ *Brot.* Cf. 2, 64. 3, 38. 4, 5. 47. *Cotyis*, ut 3, 38. Frequentius *Tethyos, Tiphyos, chelyos* et similia dicuntur. v. Ruddim. inst. gram. T. I. p. 58. ed. Stallb. — *Trebellienus*: in MS. et edd. Ber. Rhen. Ald. Lips. 1. *Trebellenus.* — *praetura functus*, v. ad 2, 33, 1. — *maiores nostri M.* Aemilium *Lepidum* Pontif. M. et bis cos. *Ptolemaei* Philopatoris *liberis tutorem* cet. „v. Val. Max. 6, 6, 1. Iustin. 30, 3. et numi.“ *Lips.* — *fugam tentans an f. c. i.* v. ad 2, 38, 5. *temptans* ed. Ber.

CAPUT LXVIII.

Per idem tempus Vonones, quem amotum in Ciliciam memoravi, corruptis custodibus effugere ad Armenios, inde in Albanos Heniochosque et consanguineum sibi regem Scytharum conatus est. Specie venandi omissis maritimis locis avia saltuum petiit: mox pernicitate equi ad amnem Pyramum contendit, cuius pontes accolae ruperant audita regis fuga; neque vado penetrari poterat. Igitur in ripa fluminis a Vibio Frontone praefecto equitum vincitur. Mox Remmius evocatus, priori custodiae regis appositus, quasi per iram gladio eum transigit: unde maior fides, conscientia sceleris et metu indicii mortem Vononi illatam.

1. *Vonones, quem a. in C. memoravi* c. 58. Paulo aliter Suet. Tib. 49. *Lips.* — *in Albanos*, in eorum terram. In edd. vet. post *specie venandi* maior distinctio. *ad consanguineum — conatus specie venandi* cet. malebat Gron. Neutrum probandum. — *amnem Pyramum* Cataoniae et Ciliciae campestris, nunc *Gihon*, de quo multa Strab. XII. p. 536. memorat; *Brot.* — *a Vibio Frontone praefecto equitum:* „Bimardus ap. Murator. Thes. Inscr. I. p. 114. corr. *a L. Iulio Frontone* ex inscript. ibi prolata LIUI FRONTONI PRAEF. EQUIT., aut, si diversi sint, ab alterutro nomen accepisse *alam Frontonianam*, cuius mentio in inscriptt. Gruteri p. 414, 8. 537, 7. et Reinesii Cl. 8, 57. Haec incerta, etsi *Iulii* et *Vibii* in libris permutati 14, 28. et al. Illud autem certum est, inpr. ex loco clarissimo Valer. Max. 2, 7, 9., quod tum idem contra Manut. ad Cic. ep. ad div. 2, 17. et Sucietam, tum Schel. ad Hygin. p. 75. et Dodwell. Annal. Vellei. 1, 15. demonstrarunt, *praefectum equitum* non esse, qui universo equitatui praesit, sed qui alae. Nusquam reperiuntur equites omnes sub uno peculiari duce fuisse, nisi quum Dictator esset, qui Magistrum equitum dixerat: sed erant sub Legatis cum legionibus. Inde Crassus Caesaris Legatus equitum praefectos cohortatur ap. Caes. B. Gall. 3, 26. *Praefecti* porro nomen tenue, nec satis dignum eo, qui universo equitatui praesit. Graeci coniungunt χιλιάρχους et ἱππάρχους, ut Appian. B. Civ. 2, 102 et alii. Nec impedit, quod simpl. *praefectus*

mathematicis; *Oberl.* *malefica* MS. — *quis creditur animas n.. i. sacrari*, de qua verborum constructione v. ad G. 33. n. 2. et Ind. III. *v. Accusativi cum Inf.* nr. 4. „Tiberianum saeculum, ut aetates omnes politicae, fuit rerum magicarum studiosissimum: iisque pronior Germanicus Samothracum sacra, Canopum, Memphim, urbes Serapidis et Apidis cultu oraculisque celebratissimas, adire voluit." *Brot.*

CAPUT LXX.

Ea Germanico haud minus ira quam per metum accepta: *si limen obsideretur, si effundendus spiritus sub oculis inimicorum foret, quid deinde miserrimae coniugi? quid infantibus liberis eventurum? Lenta videri veneficia: festinare et urgere, ut provinciam, ut legiones solus habeat. Sed non usque eo defectum Germanicum, neque praemia caedis apud interfectorem mansura.* Componit epistolas, quis amicitiam ei renuntiabat. Addunt plerique, iussum provincia decedere. Nec Piso moratus ultra navis solvit, moderabaturque cursui, quo propius regrederetur, si mors Germanici Syriam aperuisset.

1. *Ea Germanico haud minus ira, quam per metum accepta:* „his rebus non modo ira Caesari commota, sed etiam metus iniectus; sive, non modo metus iniectus, sed etiam ira incensa. Heinsius male coni. *irae* sc. *fuerunt*. Variavit Tacitus, ut solet, genus loquendi et *ira* est id. qd. *per iram.*" *Ern.* Cf. 1, 59 pr. et ad 1, 7, 8. Sequentia volunt, hunc potius inesse sensum: *haud minus metu quam per iram:* quem et figura haec loquendi facile patitur; *Freinsh.* — *infantibus liberis*, de quibus v. Suet. Cal. 7. — *festinare et urgere* (synonyma) sc. Pisonem. — *non usque eo defectum*, desertum a Tiberio; *Ern.* An potentia carentem, ut talia impunita ferat? Cf. ad 6, 24, 1.

2. *componit epistolas, quibus amicitiam ei renuntiabat*, et sic Pisonem eiusque speculatores domo locisque suae potestatis vel provinciis suis interdicebat: quod et intellexit Piso; *Gron.* Quo more Romanorum cohibita libido inimicitiarum clanculum exercendarum effectumque, ut hoc melius sibi cavere alter ab altero posset, quum sciret, eum sibi certum esse inimicum; *Ern.* ad Suet. Cal. 3. Cf. 3, 12. 24. 6, 29. Suet. Aug. 66. Sen. de ira 3, 23. et Lips. Exc. XI. ad Ann. II. — *naves solvit moderabaturque cursui* earum, consulto tardius navigabat, *quo propius regrederetur*, quo propior esset, propius abesset, et ita citius regredi posset mortuo Germanico. Cf. ad 1, 35, 3. *qui propius r.* edd. Ber. Rhen. Ald. quod aeque latinum est; *Walth.* — *Syriam aperuisset* sc. alii praesidi; *Ern.* Immo: tutum sibi in Syriam regressum dedisset.

CAPUT LXXI.

Caesar paulisper ad spem erectus, dein fesso corpore, ubi finis aderat, assistentes amicos in hunc modum alloquitur: *Si fato concederem, iustus mihi dolor etiam adversus deos esset, quod me parentibus, liberis, patriae intra iuventam praematuro exitu raperent. Nunc scelere Pisonis et Plancinae interceptus ultimas preces pectoribus vestris relinquo. Referatis patri ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumventus miserrimam vitam pessima morte finierim. Si quos spes meae, si quos propinquus sanguis, etiam quos invidia erga viventem*

movebat, illacrimabunt, quondam florentem et tot bellorum superstitem muliebri fraude cecidisse. Erit vobis locus querendi apud senatum, invocandi leges. Non hoc praecipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu, sed quae voluerit meminisse, quae mandaverit exsequi. Flebunt Germanicum etiam ignoti: vindicabitis vos, si me potius quam fortunam meam fovebatis. Ostendite populo Romano divi Augusti neptem eandemque coniugem meam; numerate sex liberos. Misericordia cum accusantibus erit, fingentibusque scelesta mandata aut non credent homines aut non ignoscent. Iuravere amici dextram morientis contingentes, spiritum ante quam ultionem amissuros.

1. *ubi finis aderat* sc. vitae, ut paulo post *exitus* et al. *excessus*, Gr. τελευτὴ sc. τοῦ βίου, *finire* sc. vitam, (6, 50.) Gr. τελευτᾶν et τελεῖν, *excedere* (1, 5. 33.) sc. vita. Cf. Ind. II. et Ruhnk. ad Vell. 2, 123. Sed *finire* etiam simpl. ita dicitur, ut *transigere* 14, 9. ubi v. nota. — *concedere* s. *cedere fato* et *naturae* de morte naturali. — *parentibus*: atqui mater tantum supererat, Antonia; *Lips.* Hinc Ernestius et Ramshorn. Gr. p. 659. Plur. pro Sing. accipiunt. v. ad 2, 57, 1. Sed pater etiam in vivis erat, etsi adoptivus, Tiberius; *Iac. Gron.* Hinc paulo post *referatis patri*. „Quin et Livia avia superstes. *Parentes* autem latiori sensu dicuntur non modo pater et mater, sed etiam avus aviaque, immo cognati. Hinc 3, 12. *nos parentes*. Cf. Curt. 6, 10, 30. et Capitol. in M. Anton. c. 5.“ *Walth.* — *intra iuventam*, v. ad 1, 3, 8. et 2, 73, 1. — *scelere Pisonis interceptus*, v. ad 2, 80, 1. — *referatis patri*, Tiberio, *ac fratri*, Druso: non Claudio, qui inter ludibria aulae erat. Cf. ad 6, 46, 1. — *pessima morte*, „ingloria et indigna viro forti et imperatore, ut *male mori*, de quo v. Cuperi obss. 1, 8.“ *Ern.*

2. *Si quos*, aliquos, *spes meae*, quas concipere poteram, *si quos propinquus* (MS. *propinquos*) Caesari *sanguis, etiam quos invidia e. v. movebat*, cf. ad 12, 45, 1. et Ind. III. v. *Praedicatorum et Subiectorum numeri et genera diversa.* „*Movere* hic est vocabulum μέσον. Nam propinquus sanguis movet caritatem, spes movet studium erga aliquem, invidia vero odium. Sed confidit, homines quocunque erga se viventem affectu illacrimaturos esse cet. — *tot bellorum superstitem*, ut Agr. 3. et *vitae — dignitatis meae superstitem* ap. Cic. ad Q. fr. 1, 3. Cf. Ramsh. Gr. p. 177 sq.“ *Walth.* — *muliebri fraude*, Plancinae et potissimum Liviae; *Lips.* Respexit Tacitus ad verba Herculis furentis ap. Soph. in Trach. a Cic. Tusc. Qu. 2, 8. relata; *Pich.* Cf. ad Agr. 45. n. 5. — *ignavo questu*: nam questus et vota ignavos et mulieres, facta audacia viros decent. „Similiter *ignava vota* dixit Claud. in Eutrop. 2, 394. *vota et supplicia muliebria* Sall. Cat. 52. ubi v. Cort.“ *Ern.* — *quae mandaverit exsequi*: „Sumpsit haec sive ipse Germanicus sive scriptor ex Soph. Aiace v. 703. Ἐγὼ γὰρ εἶμ' ἐκεῖσ' ὅποι πορευτέον· ὑμεῖς δ' ἃ φράζω δρᾶτε.“ *Iac. Gron.* — *vindicabitis vos* cet. „Id quoque antiqui moris. Cf. Lysiae orat. XII. contra Agoratum. Nihil similius his morientis Germanici mandatis.“ *Boxh.* — *fortunam meam fovebatis*, v. ad 2, 43, 3. — *sex liberos*, cf. Suet. Claud. 7. — *Misericordia cum accusantibus erit*, haec recensentes et accusantes scelera misericordiam commovebitis; *Brot.* — *fingentibusque scelesta mandata*, Pisoni et Plancinae fingentibus, sibi mandatum fuisse a Tiberio et Livia, ut ita me tractarent; *Ern.* Cf. 1, 33. 2, 43. — *dextram morientis contingentes*: „ut fidem suam obligarent. Cf. Xenoph. Cyr. 8, 7, 26. de Cyri amicis et Val. Max. 5, 1. ext. 1. 5, 2.“ *Lips.*

CAPUT LXXII.

Tum ad uxorem versus per memoriam sui, per communes liberos oravit, exueret ferociam, saevienti fortunae submitteret animum, neu regressa in Urbem aemulatione potentiae validiores irritaret. Haec palam et alia secreto, per quae ostendere credebatur metum ex Tiberio. Neque multo post exstinguitur ingenti luctu provinciae et circumiacentium populorum. Indoluere exterae nationes regesque: tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes; visuque et auditu iuxta venerabilis, quum magnitudinem et gravitatem summae fortunae retineret, invidiam et arrogantiam effugerat.

1. *exueret ferociam*, cf. ad 1, 12, 4. 1, 33, 2. Agr. 9. — *per quae*, sc. quae secreto cum uxore communicavit, *metum ex Tiberio*, pericula a Tiberio instantia, *ostendere*, ante oculos ponere, *credebatur*, ab amicis, qui discedere iussi interim rimabantur ea secreta; *Walth.* Cf. ad 1, 40, 1.
2. *tanta illi comitas — visu et a. iuxta venerabilis* (v. ad 1, 6, 6.) — *invidiam et arrogantiam effugerat*, cf. Suet. Claud. 3 — 5. „Brevissima, sed egregia laus. Ita quoque Dio 57, 18. *Sed, ut summatim dicam, quod paucis ex omni memoria contigit, neque contra fortunam, qua utebatur, peccavit quicquam, neque ipse ab ea corruptus est.*" *Brot.* „*Invidia* h. l. passivo sensu occurrit: ea, qua quis afficitur sive oneratur; *arrogantia* sensum activum prae se fert: ea, qua quis alios despicit. Ob id ipsum credibile, Tacitum adeo diversa non nisi per figuram ἓν διὰ δυοῖν iungi voluisse: *invidiam*, quae movetur *arrogantia*. Praeterea alienum ab arrogantia Germanici animum fuisse, antea Tacitus memorat, qui comitatem in socios, mansuetudinem in hostes laudat." *Roth* p. 50. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin*. *Arrogantia* quo sensu h. l. dicatur, v. ad Agr. 9. n. 4.

CAPUT LXXIII.

Funus sine imaginibus et pompa, per laudes ac memoriam virtutum eius celebre fuit. Et erant, qui formam, aetatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interiit, Magni Alexandri fatis adaequarent. Nam utrumque corpore decoro, genere insigni, haud multum triginta annos egressum, suorum insidiis, externas inter gentes occidisse: sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, uno matrimonio, certis liberis egisse; neque minus proeliatorem, etiamsi temeritas abfuerit praepeditusque sit, perculsas tot victoriis Germanias servitio premere. Quod si solus arbiter rerum, si iure et nomine regio fuisset, tanto promptius assecuturum gloriam militiae, quantum clementia, temperantia, ceteris bonis artibus praestitisset. Corpus, antequam cremaretur, nudatum in foro Antiochensium, qui locus sepulturae destinabatur, praetuleritne veneficii signa, parum constitit: nam ut quis misericordia in Germanicum et praesumpta suspicione aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretantur.

1. *Funus sine imaginibus*, quia externas inter gentes mortuus; *Brot.* — *ac memoriam* MS. edd. Bekk. et Walth. *et memoriam* edd. rel. — *Et erant, qui formam, aetatem, genus mortis — Alexandri fatis adaequa-*

rent: nam *fata* dicuntur omnia externa hominis; *Ern. qui ob formam* coni. Danes. et Urs. Rectius: *qui* (κατὰ) *formam, aetatem, g. m.* Germanicum *adaequarent Alexandri fatis,* Alexandro: nam haec *fatis* dari satis recte dicimus; *Walth.* Alexander obiit Babylone, Germanicus Antiochiae in Syria, et hic XXXIV, ille XXXII annos et aliquot menses natus. v. Suet. Cal. 2. Arrian. 7, 28, 1. Cors. fast. Att. T. IV. p. 50 sq. — *sed hunc mitem erga amicos* cet. Alia omnia de Alexandro traduntur. — *modicum voluptatum,* cf. Ind. II. v. *Modicus* et Ind. III. v. *Adiectiva relativa Genitivis obiecti iuncta.* — *certis liberis,* non adulterinis. Cf. Ind. III. v. *Ellipsis verbi subst. in Partic.* — *egisse,* v. ad 1, 68, 1. — *etiamsi temeritas* Alexandri *abfuerit ei praepeditusque sit* — *premere,* v. cap. 26. 41. et ad G. 37. n. 16. — *quodsi solus arbiter rerum* cet. ut Alexander. Cf. Liv. 9, 18. extr.; *Gron.*

2. *in foro Antiochensium, qui locus sepulturae destinabatur,* „i. e. cremando corpori: nam cineres Romae conditi. v. 3, 1. 4. Sic alii quoque *sepulturam* et *sepulcrum* dixere de busto, *sepelire* et θάπτειν pro comburere. v. Cuper. obs. 1, 7.“ *Ern.* Cf. c. 75. pr. 2, 83. 13, 17. et intpp. Sil. 15, 387. Val. Fl. 5, 10. et Suet. Dom. 16. „Apud antiquos eodem in loco, ubi corpus cremabatur, et cineres condi solebant cremabanturque corpora sede destinata. v. 1, 8. Hinc *sepultura* et combustio et cinerum collocatio. Germanici tamen cineres Romae sunt conditi. v. 3, 1. 4. Quare *sepultura* hic tantum de corpore cremando accipiendum. Similiter *sepultus* 13, 17. id. qd. combustus. Neque tamen defuit sepulcrum Germanici Antiochiae exstructum. v. inf. c. 83.“ *Walth.* Hinc *sepultura* h. l. potius sepulcrum, *κενοτάφιον in foro Antioch.* quod quanti sit, Meursius de fun. c. 42. docet; *Iac. Gron.* — *diversi interpretantur,* diverse, alii aliter. *interpretantur* (*interpraetantur*) MS. bene, quasi rem praesentem nunc statueret in ista urbe; *Iac. Gron.* Noster haec refert e scriptoribus illius aetatis, qui eam rem tetigere; *Walth. interpretabantur* edd. paene omnes. „Germanici partibus addicti eum veneno interiisse dicebant; Pisonis, eum cardiaco morbo mortuum. v. Plin. 11, 37. s. 71. *Negatur cremari posse cor in iis, qui cardiaco morbo obierint: negatur et veneno interemptis. Certe exstat oratio Vitellii, qua reum Pisonem eius sceleris coarguit, hoc usus argumento palamque testatus, non potuisse ob venenum cor Germanici Caesaris cremari. Contra genere morbi defensus est Piso.*“ *Brot.* Cf. 1, 70. 2, 74. Suet. Cal. 1.

CAPUT LXXIV.

Consultatum inde inter legatos quique alii senatorum aderant, quisnam Syriae praeficeretur, et ceteris modice nisis inter Vibium Marsum et Cn. Sentium diu quaesitum; dein Marsus seniori et acrius tendenti Sentio concessit. Isque infamem veneficiis ea in provincia et Plancinae percaram nomine Martinam, in Urbem misit, postulantibus Vitellio ac Veranio ceterisque, qui crimina et accusationem tanquam adversus receptos iam reos instruebant.

1. *inter legatos,* vel legionis tantum, vel et alios proconsulibus adiunctos; *Freinsh.* — *modice nisis:* in MS. *modicensis.* — *acrius tendenti,* ambienti praefecturam; *Brot.* Cf. ad 3, 24, 2.

2. *nomine Martinam;* immo *Martham:* nam provincialis fuit et Syra, ut divinacula illa huius nominis, quae Marium sectabatur; *Grot.* v. Plut. in Mar. T. I. p. 414. 415. *infamem veneficiis Martinam:* „Sic Circe, Medea, Helena, Aegyptiae mulieres, Theocriti et Virgilii pharmaceutriae, Canidia Horatii, Locusta, quae Neroni in tollendo Britannico operam

navavit, aliaeque mulieres veneficiorum aut superstitionum magicarum peritissimae. Hinc *venefica* et *trivenefica* vulgaria in mulieres in comoediis convicia; et Medea ap. Eurip. universe pronuntiat, mulieres nulla magis alia in re quam in veneficiis doctas et ingeniosas esse. Id cur ita sit, non difficile est ad explicandum. Mulieres enim, quoniam imbecilliores sunt, eo sunt vindictae cupidiores et clam venenisque efficere moliuntur, quod palam et ferro non queunt." *Mur.* ad 3, 7. — *crimina et accusationem — instruebant,* quod Ulpian. in l. 2. §. poen. de adult. dicit *accusationem parare et probationibus instruere atque munire; Freinsh.* „Sic et *instruere advocationem, accusatorem* et *causam* l. 1. Dig. de lege Corn. de falsis, Cic. p. Cluent. 67. et Plin. ep. 10, 85." *Gron. Instruere* hoc sensu est conquirere, quae ad accusationem instituendam sunt idonea, literas, indices, testes cet. quae inde *instrumenta* ICtis dicuntur; *Ryck.* — *receptos iam reos,* v. ad 4, 1. 74, 1.

CAPUT LXXV.

At Agrippina, quanquam defessa luctu et corpore aegro, omnium tamen, quae ultionem morarentur, intolerans ascendit classem cum cineribus Germanici et liberis, miserantibus cunctis, quod femina nobilitate princeps, pulcherrimo modo matrimonio inter venerantis gratantisque aspici solita, tunc feralis reliquias sinu ferret, incerta ultionis, anxia sui et infelici fecunditate fortunae totiens obnoxia. Pisonem interim apud Coum insulam nuntius assequitur, excessisse Germanicum. Quo intemperanter accepto caedit victimas, adit templa; neque ipse gaudium moderans, et magis insolescente Plancina, quae luctum amissae sororis tum primum laeto cultu mutavit.

1. *omnium tamen intolerans,* v. ad 4, 1. — *cum cineribus Germanici:* nam cineres cognatorum dilectorumque hominum, qui peregre mortui erant, in urnis, et hae in patriam portari solebant ibique in sepulcris condi. Cf. 2, 39, 1. 3, 1. et 4. Kirchman. de fun. Rom. 3, 7, 8. Potter. Archaeol. 4, 6. — *ferales reliquias,* cineres, *sinu ferret:* „cf. 3, 1. Tibull. 1, 3, 6. Sen. Herc. Oet. v. 1756. et Winkelm. mon. ant. ined. No. 137." *Oberl.* — *infelici fecunditate fortunae totiens obnoxia,* v. ad 3, 58, 3. *in felici f.* coni. Ern. „Sed *fecunditas infelix totiens* fuit ob numerum tenerae sobolis, morte praematura patris orbae, et Tiberii odium. Sic et *Iuliae matris Antonii fecunditatem calamitosam* dixit Cic. Phil. 2, 24." *Oberl.* „*Infelix* non solum dicitur, qui adversae fortunae obnoxius est, sed etiam res, qua cui infortunium paratur, ut 1, 61. 16, 31. Virg. Aen. 2, 245. Liv. 1, 26. Iam florente Germanico *felix* quidem habebatur Agrippinae fecunditas, sed *infelix* erat illo mortuo, quoniam ex ea multiplicabantur pericula." *Walth.*

2. *Cous* s. *Cos insula* maris Aegaei, inter quam et Nisyron s. Porphyrin magna muricum copia: unde *vestes Coae,* tenuissimae et bombycinae, de quibus v. intpp. Hor. od. 4, 13, 13. Iuvenal. 2, 65. 6, 260. 8, 101. Hard. ad Plin. 5, 36. 11, 25 sq. Boettigeri Sabina p. 376. ed. pr. — *excessisse,* v. ad 2, 71, 1. — *Quo intemperanter accepto,* cf. ad 13, 13. Sed nihil aliud est *neque ipse gaudium moderans,* nisi hoc est proprium Pisoni, illud ei et coniugi commune; *Ern.* Immo *intemperanter accepto* intell. de gaudio ad nuntium acceptum statim erumpente: verba autem *neque ipse gaudium moderans* eo pertinent, quod deinde Piso caedendis victimis, adeundis templis palam gaudii intemperantiam praetulit; *Walth.* — *magis insolescente Plancina,* v. ad 2, 63, 3. — *luctum amis-*

sae sororis, propr. lugubrem cultum s. habitum propter obitum sororis sumptum, cum *laeto cultu mutavit*, de quo v. ad 2, 29, 1. Kirchman. de fun. 4, 2. et Lips. Exc. XII. ad Ann. II. „Lipsius caeruleum omisit colorem, de quo v. Serv. ad Virg. Aen. 3, 64. ex Catone. *Cultus laetus* et laetitiae signa erant vestis purpurea, aurum, margaritae aliaque luxus ornamenta.“ *Brot.*

CAPUT LXXVI.

Affluebant centuriones monebantque, prompta illi legionum studia: repeteret provinciam non iure ablatam et vacuam. Igitur quid agendum consultanti M. Piso filius properandum in Urbem censebat: *nihil adhuc inexpiabile admissum neque suspiciones imbecillas aut inania famae pertimescenda. Discordiam erga Germanicum odio fortasse dignam, non poena, et ademptione provinciae satis factum inimicis. Quod si regrederetur obsistente Sentio, civile bellum incipi: nec duraturos in partibus centuriones militesque, apud quos recens imperatoris sui memoria et penitus infixus in Caesares amor praevaleret.*

1. *Affluebant centuriones*, ut *confluere* et *superfluere*, de copia aliorum super alios venientium; *Freinsh.* Cf. 2, 35. Agr. 29. O. 20. — *prompta illi*, v. ad 4, 60, 3. — *legionum studia*, cf. c. 55. — *repeteret provinciam non iure ablatam* a Germanico, quippe a Tiberio datam, ut paulo post *ademptione provinciae*; cf. cap. 43. et 70. In MS. *con iure*. — *vacuam*, v. ad 1, 3, 2.

2. *consultanti M. Piso — censebat*, v. ad 11, 3, 1. — *inania famae*, v. ad 5, 10, 2. et Ind. III. v. *Adiectiva neutr. gen.* — *duraturos* cet. v. ad 1, 6, 3.

CAPUT LXXVII.

Contra Domitius Celer, ex intima eius amicitia, disseruit: *Utendum eventu. Pisonem, non Sentium, Syriae praepositum: huic fasces et ius praetoris, huic legiones datas. Si quid hostile ingruat, quem iustius arma oppositurum? qui legati auctoritatem et propria mandata acceperit. Relinquendum etiam rumoribus tempus, quo senescant: plerumque innocentes recenti invidiae impares. At si teneat exercitum, augeat vires, multa, quae provideri non possint, fortuito in melius casura. An festinamus cum Germanici cineribus appellere, ut te inauditum et indefensum planctus Agrippinae ac vulgus imperitum primo rumore rapiant? Est tibi Augustae conscientia, est Caesaris favor, sed in occulto: et periisse Germanicum nulli iactantius moerent, quam qui maxime laetantur.*

1. *huic fasces* cet. sc. Pisoni: nam *hic* (ut *qui* 1, 74, 1.) saepius refertur ad remotius, quod acuendum, ut ad proximum *illi* 2, 82 extr. et *illos* O. 13. pr. „*Hic* saepius est propior et *ille* remotior a loquentis parte et in eius cogitatione, ut ὁ μὲν — ὁ δέ; *Walth.* Cf. Ind. III. v. *Constructio verborum insolentior* nr. 5. — *ius praetoris*, v. ad 1, 74, 1. — *quem iustius arma oppositurum, qui — acceperit?* Ita MS. et edd. vet. *quam* (quanto) *iustius* (v. intpp. Virg. Ge. 3, 309.) edd. rec. ex emend. Pich. *quem iustius a. o., quam qui* corr. Kiessl. Hoc *quam* non in-

trudendum, sed intelligendum censet Walther: *quem iustius a. o.*, scil. quam hunc Pisonem, *qui legati* cet. Quae explicandi ratio ab usu loquendi abhorret. A nobis mutata est distinctio. — *qui legati auctoritatem* cet. v. cap. 43. et ad 1, 74, 1. — *propria mandata* „sc. Tiberii, quibus Pisonem Syriae praefecerat. Haec opponuntur mandatis, quae legatorum senatorumque consultatio sub nomine et auspiciis Tiberii Sentio dederat. Cf. c. 80.“ *Walther*. Intell. specialia, quae non universe cuivis dari solent; *Oberl.* „Ea, quibus plane definitum esset quid ageret, ut provinciam a vi hostili defenderet. *Cui, deposcenti mea mandata, cetera universe mandavi; illud proprie, ne pateretur, nobis prorogari provinciam*, Cic. ad Att. 5, 2. Ac fortasse h. l. leg. *proprie*.“ *Ern.* — *senescant* rumores, ut *senescit fama* H. 2, 24. et *impetus famae et favor exercitus languescit* Agr. 39 extr. Sic passim *senescere, consenescere, languere, languescere, elanguescere, παρακμάζειν*, vigorem et vires amittere, debilitari, imminui, ut contra *florere, vigere, maturescere*, v. c. *senescentibus vitiis, maturescente virtute* Liv. 3, 12. *ἡ μὲν Καρχηδὼν ἤδη τότε παρήκμαζεν, ἡ δὲ Ῥώμη μάλιστα τότ' εἶχε τὴν ἀκμὴν* Polyb. 6, 51, 5. Sic et *γηράσκειν* dixere Hom. Il. 19, 360. et Theocr. 12, 2. *senium* Sen. de ben. 7, 26. et Sil. 16, 14. *senectus* (languor, ignavia, Erschlaffung) Val. Fl. 6, 283. et, ut quidam putant, Tac. Agr. 3. extr. — *in melius casura*, v. ad H. 4, 68, 1.

2. *An festinamus*, „Praesens pro Futuro. Cf. Ramshorn. Gram. p. 401.“ *Walth.* — *cum Germanici cineribus appellere* Romam, propr. cum Agrippina, de qua v. cap. 75 pr. — *primo rumore rapiant*, opprimant, faciant, ut indicta causa statim et cupide condemneris; *Ern. rapiant* ad mortem, vel corripiant. Huic verbo magis convenit *vulgus* quam *planctus A.* Cf. ad 2, 20, 2. — *nulli iactantius moerent*, cf. ad 3, 5. extr. — *quam qui m. l.* sc. Tiberius et mater eius. Cf. 1, 33. et 2, 43.

CAPUT LXXVIII.

Haud magna mole Piso promptus ferocibus in sententiam trahitur, missisque ad Tiberium epistolis incusat Germanicum luxus et superbiae; seque pulsum, ut locus rebus novis patefieret, curam exercitus eadem fide, qua tenuerit, repetivisse. Simul Domitium impositum triremi vitare litorum oram praeterque insulas lato mari pergere in Syriam iubet. Concurrentes desertores per manipulos componit, armat lixas, traiectisque in continentem navibus vexillum tironum in Syriam euntium intercipit. Regulis Cilicum, ut se auxiliis iuvarent, scribit, haud ignavo ad ministeria belli iuvene Pisone, quanquam suscipiendum bellum abnuisset.

1. *Haud magna mole:* nam *moles* dicitur quaelibet res gravis et difficultas, ut h. l., vel magnitudo et multitudo rerum. — *promptus ferocibus*, v. ad 4, 60, 3. — *rebus novis*, ut 2, 27. 3, 13, 4, 8. et al. *nova moliri* 12, 32. *novae conciones et nova Patrum consulta* 5, 4. Gr. *αἱ κινήσεις*, Germ. Umtriebe, turbae ad mutationem rei publ. spectantes. Hinc et *novare res* H. 4, 14. simpl. *novare* 4, 18. Gr. *νεωτερίζειν* et *κινεῖν τὰ καθεστῶτα* vel *τὰ πράγματα*, ut ap. Polyb. 2, 21, 3. 3, 4, 12. 4, 34, 3. — *lato mari*, „ut *latum aequor* ap. Hor. ep. 1, 2, 20. *εὐρυχωρία* ap. Thucyd. 2, 86. Germ. das weite Meer.“ *Oberl.* „Sed *latum* et *longum mare* non eo sensu dicitur, qui h. l. conveniat. Vere Lips. emend. *alto*.“ *Ern.* „Immo *latum mare* opponitur maris angustiis inter insulas, quas

Domitius vitare iubebantur. Quare nihil sani in emend. Lipsii. Alio autem sensu *latum aequor* dixit Horat. l. l." *Walth.*

2. *vexillum tironum intercipit*, v. ad 2, 80, 1. et ad Agr. 18. n. 3.

CAPUT LXXIX.

Igitur oram Lyciae ac Pamphyliae praelegentes obviis navibus, quae Agrippinam vehebant, utrimque infensi arma primo expediere; dein mutua formidine non ultra iurgium processum est, Marsusque Vibius nuntiavit Pisoni, Romam ad dicendam causam veniret. Ille eludens respondit, *affuturum, ubi praetor, qui de veneficiis quaereret, reo atque accusatoribus diem praedixisset.* Interim Domitius Laodiceam urbem Syriae appulsus, quum hiberna sextae legionis peteret, quod eam maxime novis consiliis idoneam rebatur, a Pacuvio legato praevenitur. Id Sentius Pisoni per literas aperit monetque, ne castra corruptoribus, ne provinciam bello tentet: quosque Germanici memores aut inimicis eius adversos cognoverat, contrahit, magnitudinem Imperatoris identidem ingerens et rem publicam armis peti; ducitque validam manum et proelio paratam.

1. *Vibius nuntiavit Pisoni — Romam veniret*, v. ad 2, 65, 1. *vibimus n. P.* MS. — *Ille eludens respondit*, se *affuturum* in iudicio, *ubi praetor — diem praedixisset*, v. ad c. 6. n. 2. Amara responsio, quia tales res non amplius a praetoribus, sed in senatu coram Principe tractabantur; *Walch.* ad Agr. 6. Cf. ad 1, 2, 6. et 4, 6, 1. *eludens*, illudens, irridens, höhnend. Cf. 6, 46. et ad H. 1, 26, 4. — *Laodiceam urbem Syriae:* nam aliae eiusdem nominis urbes in Coelesyria, Phrygia, Media, Caria et al. *Laodiciam* MS. et ed. Bekk.

2. *corruptoribus*, v. ad H. 1, 79. extr. — *identidem ingerens*, inculcans, commemorans; *Ern.* Cf. ad 4, 42, 1. Commendando subinde inculcans et in memoriam ipsis revocans vel ostentans *magnitudinem* et gloriam *imperatoris* sui Germanici; *Freinsh.* et *Wopk.* Malim iungere *magnitudinem*, maiestatem, (ut 3, 56. 14, 1. 54. 16, 23.) *Imperatoris*, Tiberii, *et remp. armis peti*; *Gron.* „Sed Germanicus eadem appellatione significatur 3, 12. et 14. Docent id etiam verba praec. *quosque Germanici memores.* Nihil autem ab h. l. magis alienum quam Tiberii magnitudo." *Walth.*

CAPUT LXXX.

Nec Piso, quanquam coepta secus cadebant, omisit tutissima e praesentibus, sed castellum Ciliciae munitum admodum, cui nomen Celendris, occupat. Nam admixtis desertoribus et tirone nuper intercepto suisque et Plancinae servitiis auxilia Cilicum, quae reguli miserant, in numerum legionis composuerat, *Caesarisque se legatum* testabatur *provincia, quam is dedisset, arceri non a legionibus, (earum quippe accitu venire) sed a Sentio privatum odium falsis criminibus tegente. Consisterent in acie, non pugnaturis militibus, ubi Pisonem ab ipsis* parentem *quondam appellatum, si iure ageretur, potiorem, si armis, non invalidum vidissent.* Tum pro munimentis castelli manipulos explicat colle arduo et derupto; nam cetera mari cinguntur. Contra veterani ordinibus ac subsidiis instructi. Hinc militum, inde

locorum asperitas. Sed non animus, non spes, ne tela quidem nisi agrestia ad subitum usum properata. Ut venere in manus, non ultra dubitatum quam dum Romanae cohortes in aequum eniterentur. Vertunt terga Cilices seque castello claudunt.

1. *coepta secus cadebant*, contra opinionem ac spem. Cf. Ind. II. v. *cadere*. — *tutissima e praesentibus*, quorum copia erat, quae tum fieri poterant, vel quibus nunc urgebatur; *Ern*. Cf. H. 3, 69. 4, 56. Liv. 24, 23. — *castellum Ciliciae, cui nomen Celendris* MS. ed. Pich. Brot. al. *Celendris* scriptum a Ptol. 5, 8. et Ioseph. A. I. 17, 5.; *Lips*. *Celenderis* ed. Ber. Ob. et al. „Ita ap. Strab. XIV. p. 670. (986.) Apollod. 3, 14, 3. Mel. 1, 13. (ubi v. Gron. p. 992.) et in numo ap. Peller. in Asiae tab. 73.“ *Oberl*. — *tirone nuper intercepto*, tironum vexillo. v. cap. 78. „*Intercipere* est vel id. qd. excipere, Germ. auffangen, ut h. l. et G. 10. Agr. 28. al. vel occidere, obtruncare, delere, ut 2, 71. 82. 3, 12. Agr. 43. et 5. ubi Vat. 3429. *intersepti*, (abgeschnitten, ut Ann. 14, 32. H. 3, 53.) quod a multis male praelatum, etsi cum *intercipere* aliis locis permutari potest: (v. ad 15, 3. Duk. ad Liv. 25, 39. et Oudend. ad Front. 1, 5, 11.) nam verba *trucidati veterani, incensae coloniae, intercepti exercitus: tum de salute, mox de gloria certavere*, (pro vulg. *trucidati* — *exercitus tum salutis, mox gloriae certamen praebuere*, vel *trucidatis veteranis* — *certavere*) explicanda ex Ann. 14, 32. extr. et Agr. 14, 16. ex quibus locis patet, *colonias* esse Camulodunum, *veteranos* ibi in praesidio collocatos, *exercitus* legionem nonam; *certatum* vero *tum de salute*, et *mox de gloria*, duce Suetonio Paulino. Plurales enim *colonias* et *exercitus* pro Singul., quia sensus vividiores Plurali solent exprimi; de quo v. Ruhnk. ad Vell. 2, 58. Voss. ad Virg. Ge. 2, 273. et intpp. Sophocl. Aiax. 1410. πλευρὰς ξὺν ἐμοὶ τὰς ϑ ἐπικούφιζ'.“ *Walch*. ad Agr. 5. De duplici illa vi verbi *intercipere* v. Ind. II. Duk. ad Flor. 3, 4, 4. Oudend. ad Suet. Claud. 1. Drak. ad Liv. 3, 30, 8. et epit. 117. Bremi ad Nep. Iphicr. 2, 3. — *in numerum legionis composuerat*, ita ut numerus eorum is, qui esse soleret in legione, nomen legionis haberet; *Ern*. „Immo leg. *in numeros l. c.*, ut H. 1, 87.“ *Ryck*. et *Croll*. „*Numeri* sunt partes legionis, cohortes, manus, vexilla. Sic Agr. 18. Plin. ep. 10, 38. Suet. Vesp. 6. Ulpian. et al.“ *Lips*. ad H. 1, 6. Cf. H. 2, 69. et Ern. clav. Cic. Mox *provinciam* MS. et *quamvis dedisset* ed. Ber. — *consisterent* tantum *in acie*, quia pugna non oritura; *Freinsh*. — *Parentem q. appellatum*, v. ad 2, 55, 2.

2. *pro munimentis castelli*, v. ad c. 81. n. 1. — *veterani* Romanorum *ordinibus* densis *ac subsidiis instructi*, ut iis *firmare aciem*, firmam ac tutam reddere c. 45. Liv. 2, 31. 9, 17. *Subsidia* et *subsidiarii* posterior acies, *corps de reserve*. — *ad subitum usum:* in MS. *aut s. u.* — *ut venere in manus*, ut H. 4, 71. 76. et *ad manus* H. 2, 85. 3, 10. Agr. 25. 36. *manus conserere*, συμπλέκεσϑαί τινι, Germ. handgemein werden, et G. 36. *manu agitur*. — *non ultra dubitatum* de eventu proelii, ut Agr. 41. et *fortuna dubitabit* (victoria erit dubia) ap. Liv. 21, 44. *dimicatum* corr. Wopk. — *in aequum* sc. locum *eniterentur*, v. Ind. III. v. *Adiectiva neutra*. *In aequum*, in eum collis locum, ubi iam aequis locis pugnare possent, ut 1, 68. *aequis locis aequi dii*; *Ern*. Quia in colle arduo commissa est pugna, *aequum* non capiendum de plano aliquo loco, sed de aeque alto ac ille erat, quem hostes, Pisoniani milites, tenebant; *Freinsh*. Ut ita aequum cum Pisonianis tenerent locum; *Walth*.

CAPUT LXXXI.

Interim Piso classem haud procul opperientem appugnare

frustra tentavit, regressusque et pro muris modo semet afflictando, modo singulos nomine ciens, praemiis vocans, seditionem coeptabat, adeoque commoverat, ut signifer legionis sextae signum ad eum transtulerit. Tum Sentius occanere cornua tubasque et peti aggerem, erigi scalas iussit ac promptissimum quemque succedere, alios tormentis hastas, saxa et faces ingerere. Tandem victa pertinacia Piso oravit, uti traditis armis maneret in castello, dum Caesar, cui Syriam permitteret, consulitur. Non receptae conditiones, nec aliud quam naves et tutum in Urbem iter concessum est.

1. *Interim*, eodem tempore, quo sui reiiciebantur et se claudebant intra munimenta, *Piso classem — appugnare frustra tentavit* et deinde *regressus* per aversam portam, (per portum hosti aversum: nam Strabo 14. p. 670. dicit, portum ad Celenderin fuisse; *Walth.*) dum parant Sentiani, quae oppugnando essent idonea, *pro muris*, in summis moenibus, *modo semet — seditionem coeptabat*; hanc tragoediam saltabat, donec Sentius parata iam parte instrumenti canere signa et vim fieri iussit; *Gron. appugnare* (ut 4, 48. 15, 13.) MS. ed. Ber. Rhen. Ald. Lips. 1. et rec. *oppugnare* ed. Pich. et al. Cf. ad H. 4, 30, 3. *pro muris*, ut Gr. πρό, ante muros. Sic *pro rostris*, (ut *apud rostra* 16, 6.) *pro concione* cet. Cf. 1, 44. 2, 9. 13. 80. 3, 5. 46. 12, 29. 33. 14, 30. H. 3, 31. A. 35. De eo Hoffman. in Iahnii Annal. philol. a. 1828. II, 1. p. 28 sq. praeclare disputat; *Kiessl.* „Iam *pro muris* accipe de Pisone ante muros, h. e. ante muri loricam, intra castellum ita adstante, ut super muros emineret et sic cum hostibus colloqui posset. Melius rem intelliges, si relegeris Veget. 4, 3. Piso neque in muris adstitit, neque extra castellum progressus est. Id tuto non poterat, et commodius haec invidia fiebat ex alto et late conspecto loco, ut bene observat Gron. Alio sensu 14, 25. *proelium pro muris* dici videtur.“ *Walth.* Cf. Ind. II. v. *Pro.* — *singulos nomine ciens:* nam multum valet ad animos militum duci conciliandos eosque ad virtutem inflammandos, si quisque se duci, rerum ab iis gestarum testi, qui pro meritis omnes vel praemiis vel poenis afficere potest, notum videt et ab eo nominatim appellatur. Cf. ad 4, 2, 2. H. 1, 23, 2. intpp. Virg. Aen. 11, 731. 12, 758. Sil. 1, 454. 9, 245. Heins. ad Claudian. cons. Hon. 6, 255. Burm. ad Val. Fl. 4, 649. — *praemiis vocans*, ad transeundum pelliciens; *Ern.* — *signifer legionis sextae*, unus e signiferis, non ipse legionis sextae aqualifer; *Brot.* — *occanere cornua tubasque* pro *occinere*, ut ap. Sallust. fragm. H. 1. p. 954. ed. Cort. Cf. Ruddim. inst. gram. T. I. p. 246. ed. Stallb. Sic *canunt, concinunt, occinunt signa, classicum, tuba* dixit Liv. 7, 40. 9, 32. 41. 28, 27. 30, 5. h. e. canuntur, resonant, ut 35, 18. *bellicum cani* sc. signum tuba datum, quo milites ad proeliandum excitantur. — *peti aggerem*, ut 1, 65. terram et caespites ad struendum aggerem comportari; *Freinsh.* „Immo ad explendam fossam muris circumdatam, ut ita scalis erigendis locus fieret. Rem docebit Veget. 4, 5. et 14. *Petere aggerem* insolentius dictum censebat Ern. pro *aggredi muros*. Sed *aggerem* simpliciter *pro muro* dictum nusquam invenies. Cf. ad 1, 65, 2.“ *Walth.* — *tormentis hastas, saxa et faces ingerere* in castellum. Cf. ad 4, 42, 1.

2. *dum consulitur*, „ut *dum respiciunt — parant* 13, 15. *dum refertur — permeat* 14, 58. *dum amplectitur* 15, 59. Cf. H. 1, 33. 3, 70. 5, 17. et sup. 2, 26 extr. *dum consuleretur* male coni. Ern. *Dum* h. l. non est μέχρι οὗ, bis, sed indem, während.“ *Walth.*

CAPUT LXXXII.

At Romae, postquam Germanici valetudo percrebruit cunctaque ut ex longinquo aucta in deterius afferebantur, dolor, ira. Et erumpebant questus: *Ideo nimirum in extremas terras relegatum: ideo Pisoni permissam provinciam. Hoc egisse secretos Augustae cum Plancina sermones. Vera prorsus de Druso seniores locutos: displicere regnantibus civilia filiorum ingenia; neque ob aliud interceptos, quam quia populum Romanum aequo iure complecti reddita libertate agitaverint.* Hos vulgi sermones audita mors adeo incendit, ut ante edictum magistratuum, ante senatus consultum, sumpto iustitio, desererentur fora, clauderentur domus. Passim silentia et gemitus, nihil compositum in ostentationem; et quanquam neque insignibus lugentium abstinerent, altius animis moerebant. Forte negotiatores vivente adhuc Germanico Syria egressi laetiora de valetudine eius attulere. Statim credita, statim vulgata sunt. Ut quisque obvius, quamvis leviter audita in alios atque illi in plures cumulata gaudio transferunt. Cursant per Urbem, moliuntur templorum fores. Iuvit credulitatem nox et promptior inter tenebras affirmatio. Nec obstitit falsis Tiberius, donec tempore ac spatio vanescerent. Et populus quasi rursum ereptum acrius doluit.

1. *At Romae* cet. Antea dixerat, quid in provincia consecutum sit mortem Germanici: transit iam ad Urbem usitata formula; *Ern.* Sic 1, 46. 3, 22. 6, 29. 11, 22. 14, 40. H. 2, 10. 55. 4, 68. Cf. Ind. III. v. *Transitus ad alia formulae.* — *postquam Germanici valetudo* adversa, morbus, (cf. Ind. II.) eius fama *percrebruit*, v. ad 2, 39, 2. et 6, 20, 3. — *aucta in deterius*, v. ad 4, 23, 2. — *cunctique* — *afferebant* MS. quod fortasse revocandum. — *dolor et ira* scil. exarsit: neque ea ira premebatur sed *et erumpebant questus; Ern. dolor, ira*; cf. Ind. III. v. *Asyndeta*, et ad rem Suet. Cal. 6. — *in extremas terras relegatum*, v. ad Agr. 15. n. 7. *extremas* sc. imperii Rom. ut *ultimae terrae* ap. Cic. ad Q. fr. 1, 1.; *Gron*, v. Graev. ad Cic. p. lege Man. c. 16., *Ern.* Cf. 4, 51. 67. 74 pr. 5, 7. 6, 24. 13, 1. H. 1, 3, 1. — *ideo Pisoni* — *sermones*, v. cap. 43. — *vera de Druso* Germanici patre *seniores locutos, displicere* r. *civilia filiorum ingenia*, v. 1, 33. ibique nota 1. — *interceptos*, v. ad 2, 80, 1.

2. *Hos vulgi sermones incendit*, v. ad 1, 23, 1. — *sumpto iustitio* sponte. v. ad 1, 16, 1. et cf. Eleg. de morte Drusi v. 181 sq. — *silentia et gemitus*: „per ἓν διὰ δυοῖν dictum, vel ita ut *silentium* pro adiectivo sit, vel utrumque pro *silentia gementium* sive *gemitus silentium*. Nam *silentio* ita demum luctus significatur, si vel *gemitus* accedat vel aliud moestitiae signum.“ *Roth* p. 50. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin*. Immo *silentia* exorta ubique omisso omnium negotiorum strepitu, et inter ea *gemitus* tantum auditi; *Walth.* — *neque insignibus lugentium*: „nam indicto iustitio mutabant etiam vestem. v. Lucan. 2, 18 sq. Iuvenal. 3, 213. Sen. ep. 18.“ *Lips.* Exemplum exhibent cenotaphia Pisana; *Oberl.* Cf. ad 2, 29, 1. 2, 75, 2. *neque*, v. ad 1, 32, 2. — *altius animis moerebant*, cf. Ind. II. v. *alti* et *altius*. — *negotiatores*, v. ad 2, 87, 1. — *leviter audita*, ut ap. Suet. Cal. 6. *quum incertis auctoribus convaluisse percrebruisset.* Sic *auctor levis nec satis fidus* dicitur Liv. 5, 15. 6, 24. 7, 9. 23, 13. et contra *gravis auctor* 1, 16. 33, 45. — *atque illi*, propr-

hi, scil. *alii* isti. v. ad 2, 77, 1. — *moliuntur templorum fores*, v. ad 1, 39, 1. „Vespere haec gesta aut nocte, et tum clausa templa. Cf. Suet. Cal. 6.“ *Lips. templores flores* — *falsi* MS. — *Iuvit* edd. rec. *Iuvat* edd. vet. et Lips. 1. — *credulitatem*, v. ad 12, 49, 1. — *obstitit falsis*, vanum rumorem inhibuit; *Ern.* — *donec tempore ac spatio vanescerent*, h. e. temporis spatio: nam fama vires quidem acquirit eundo, sed parvo temporis spatio vanescit; *Roth.* p. 33. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin.* Accipe potius pro synonymis, quae ap. Cic. et alios sic saepe coniunguntur; *Walth.*

CAPUT LXXXIII.

Honores, ut quis amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti decretique: ut nomen eius Saliari carmine caneretur: sedes curules sacerdotum Augustalium locis superque eas querceae coronae statuerentur: ludos Circenses eburna effigies praeiret: neve quis flamen aut augur in locum Germanici nisi gentis Iuliae crearetur. Arcus additi Romae et apud ripam Rheni et in monte Syriae Amano cum inscriptione rerum gestarum ac *mortem ob rem publicam obiisse*: sepulcrum Antiochiae, ubi crematus: tribunal Epidaphnae, quo in loco vitam finierat. Statuarum locorumve, in quis colerentur, haud facile quis numerum inierit. Quum censeretur clipeus auro et magnitudine insignis inter auctores eloquentiae, asseveravit Tiberius, *solitum paremque ceteris dicaturum. Neque enim eloquentiam fortuna discerni, et satis illustre, si veteres inter scriptores haberetur.* Equester ordo *cuneum Germanici* appellavit, qui *Iuniorum* dicebatur, instituitque, uti turmae Idibus Iuliis imaginem eius sequerentur. Pleraque manent: quaedam statim omissa sunt, aut vetustas obliteravit.

1. *Honores — decreti:* „eius SCti reliquias v. ap. Niebuhr. Rhein. Mus. I. p. 349—354.“ *Bekk.* — *ut nomen eius Saliari carmine caneretur:* „qui honos non nisi nominibus deorum, ut et Vero. v. Capitolin. in Anton. Phil. c. 21.“ *Lips.* Cf. Dio 51, 20. Casaub. et Schweigh. ad Athen. 6, 14. „Idem petiit Mamurius Veturius. v. Plut. in Numa. Hoc vero nomine significari Memoriam veterem Varro ait.“ *Aurel.* Saliare carmen prisco sermone confectum a Saliis saltantibus cani solebat in honorem Martis. Cf. loca class. de Saliis Dionys. Hal. 2, 70. et Liv. 1, 20. 27. nec non intpp. Hor. od. 1, 36, 12. 4, 1, 28. et epist. 2, 1, 86. 87. — *sedes curules sacerdotum Augustalium locis:* „nam publicus in spectaculis locus magno honori fuit, et evaluit paulatim adulatio, ut non solum vivis, sed etiam mortuis, absentibus et posteris daretur is locus memoriae conservandae, et loci praebiti indicium una vel plures essent *sedes* s. sellae *curules*, δίφροι ἀρχικοὶ vel ἐπίχρυσοι. v. Liv. 2, 31. Dio 44, 6. 53, 30. 58, 4. 74, 4. Germanico igitur decretae eiusmodi sellae et coronae in iis e quercu per trina, ut opinor, theatra inter sacerdotum Augustalium sedes.“ *Lips.* Idem ad Gell. 3, 18. haec annotavit: „Sellae curules, in quibus primum reges, deinde magistratus maiores, *curules*, Consules, Censores, Praetores et Aediles Curules, in publico considebant, non dissimiles sellis iis, quas Hispanicas appellamus et quarum in aulis usus, incurvis pedibus, sublimes, pluribus adiunctis gradibus, ebore tectae vel ex ebore, caelatae et sculptae, quas describit Plut. in Mario quarumque forma in numis crebro expressa.“ Cf. de iis Spanhem. de usu et pr. num. diss. X. Burm. ad Suet. Aug. 44. et inpr. Eichstaedt.

progr. de sella curuli. „In collegium *sacerdotum* s. Sodalium *Augustalium* receptus fuerat *Germanicus*. v. ad 1, 54, 1. Corona *super sellam curulem* Caesari quondam decreta, sed στέφανος διάλιθος καὶ διάχρυσος. v. Dio 44, 6. (Eam exhibet denarius ap. Vaillant. in gente Iulia n. 59. *Oberl.*) *Querceam* hic malebant ut honoratissimam et quia libertatis amans fuerat Germanicus.“ *Ern.* Haec et *civica* dicebatur, quia dari solebat ob servatos cives et magna merita de rep. Cf. 3, 21. 12, 31. 15, 12. 16, 15. Dio 53, 16. Gell. 5, 6. Plin. 16, 4. 22, 4. — *ludos Circenses eburna effigies praeiret*, in pompa praeferretur. Qui honos diis habitus et qui divinos deinde honores meriti videbantur; *Lips.* Cf. ad 4, 2, 2. — *neve quis flamen aut augur in locum Germanici — crearetur*, cf. 1, 54. 62. 2, 13. 14. — *Arcus additi* cet. v. ad 2, 41, 1. — *Amanus mons* Syriae, quam a Cilicia seiungit. — *mortem ob remp.*, pro ea, *obiisse:* „hoc Druso quoque patri eius tributum. v. Pedo in Liviam v. 457. ubi ad hanc mentem rescribe: *Consul et ignoti victor Germanicus orbis, Cui fuit heu! mortis publica causa, legor.*“ *Lips.* — *sepulcrum Antiochiae, ubi crematus*, v. ad 2, 73, 2. — *tribunal:* „h. l. monumentum, tumulus honorarius. Nam ita quoque dicta alia loca alte exaggerata et sellae honoris causa structae apud Graecos, qualis Ptolemaica Adulitani monumenti ap. Chishull. in Mon. Asiat.“ *Ern.* Non simplex tumulus, sed ad formam tribunalis castrensis erectus ad significandam dignitatem Germanici imperatoriam; *Walth.* Cf. cap. 7. *tumulus nuper Varianis legionibus structus* et Plin. 16, 1. ubi *tribunalia* dicuntur moles contra maris fluctus erectae; *Boett.* in Lex. Tac. — *Epidaphne* „amoenissimum suburbium Antiochiae ad Orontem, Δάφνη Graecis dictum, in cuius luco ingenti Apollinis et Dianae templum cum asylo. v. Strab. XVI. p. 750. Ammian. 19, 12. Dio 51, 7. al.“ *Oberl.* „*Antiochia libera Epidaphnes cognominata* Plin. 5, 21. s. 18. (ubi v. Hard.) Gr. Ἀντιόχεια ἐπὶ Δάφνῃ vel ἐπὶ Δάφνης. Sed h. l. eius suburbium Daphne. v. Sozomen. 15, 19.“ *Ryck.* — *quo in loco vitam finerat*, accuratius designatur locus mortis quam a Tacito 2, 73. a Suet. Cal. 1. et aliis, qui Antiochiae id factum narrant. *Epidaphnae* edd. rec. *epidaphene* MS. *Epidaphne* edd. Ber. Rhen.

2. *Statuarum locorumve, in quibus colerentur* „sc. statuae: nam coli etiam et adorari imagines et effigies dicuntur, ut 4, 2. et ap. Suet. Tib. 48.“ *Ern. colerentur* MS. ed. I. Gron. Ern. et rec. tantum non omnes. *coleretur* (Germanicus) edd. vet. fortasse rectius. — *Quum censeretur*, decerneretur Germanico a senatoribus, ut saepius *censere alicui aliquid* vel absolute *censere; Ern.* Cf. Ind. II. — *clipeus inter auctores eloquentiae* ponendus. De scriptis Germanici, e quibus epigrammata in Anthol. et versio Arati supersunt, et de eloquentiae doctrinaeque laude, qua floruit, v. Suet. Cal. 3. et Ovid. Fast. 1, 19 seq. Illustrium vero virorum non modo libri, sed etiam imagines ac statuae in templis, curiis et bibliothecis, tam publicis, (inpr. Apollinis Palatini) quam privatis, dedicari solebant et semper virenti hedera vel lauro coronari. Cf. c. 37. Plin. 35, 2. Suet. Tib. 70. Iuvenal. 2, 4 sq. 7, 29. Valer. Max. 8, 15, 1. intpp. Horat. od. 1, 1, 29. et Pers. prol. 5. 6. Hae autem imagines, metallo insculptae et clipeorum formam referentes, *clipei* vocabantur; nam ita rectius scribi, quam *clypei* et *olupei*, docent Oudend. ad Suet. Cal. 16. et Grotef. Gramm. T. II. §. 170 sq. et 204. *clipeos* MS. *clypeus* edd. vet. v. de scriptura et origine vocis Lips. Exc. XIII. ad Ann. II. et locis ab eo laudatis add. Liv. 35, 10. 41. 38, 35. 40, 51. Suet. Cal. 16. Plin. pan. 52. Grut. inscr. p. 172, 2. 496, 4, 6. Virg. Aen. 7, 792 sq. Sil. 1, 407. 2, 158. 4, 153. 8, 384 sq. 10, 174. 14, 211. 17, 397. In heroum scutis eorum origo et imago vel historia maiorum rerumque ab his et ab universo olim populo praeclare gestarum adumbrari solebat. *Imagines* autem et *thoraces* dicuntur etiam statuae dimidiatae, Gr. προτομαί, Germ.

Büsten et Brustbilder, ut contra integrae *statuae iconicae* et *similares*, Gr. ἀγάλματα εἰκονικὰ, ἰσομέτρητα, nobis Statüen in Lebensgröſse. „Tales *clipeos*, exstantibus προτομαῖς, imaginibus et thoracibus, insignes, (cf. ad Iuvenal. 3, 219.) v. in Bronzi di Ercolano T. I. et Le Plat Marbres ant. de Dresde. In Augusti denariis clipeus signatus occurrit cum epigr. CLU. i. e. clypeus. Trebellius in Claud. 3. *expressam thoracem vultus* dicit. Ceterum res Germanici gestae in tabulis aeneis 46 anaglyphis, a. 1772. prope Bonnam erutis, sistebantur, quas Zonarius faber conflavit, duabus servatis, quae instauratam herois valetudinem et funus exhibent. Sic res in novis Caroliquietanis a. 1773. narratur." *Oberl.* — *asseveravit* s. *adseveravit* recte reposuerunt I. Gron. Ern. et rec. *adseravit* MS. vitiose ut *adsevavit* 3, 49. v. ad 2, 63, 2. Hinc *adseruit* edd. vet. — *solitum paremque ceteris*, non insignem auro et magnitudine; *Walth.* — *neque enim eloquentiam fortuna discerni*, ex ea aestimari, *et satis illustre* esse, *si veteres inter scriptores haberetur*, imagine inter eos pósita; *Ern.* *veteres scriptores*, v. ad 1, 1, 3. — *cuneum Germanici, qui Iuniorum dicebatur*, ut opinor, quia Equites κατ' ἐξοχὴν *iuventus* dicti, unde *princeps iuventutis* pro principe ordinis equestris; *Ern.* Primum pauci fuere Equites nec fere nisi filii senatorum; postea eorum crevit numerus, sed mansit *iuvenum* nomen, et ita quoque dicti viri XLV annis minores; *Lips.* de magnit. Rom. 4, 2. Cf. ad 1, 3, 8. „At h. l. non de tota *iuventute* seu de equestri ordine, sed de uno tantum eius *cuneo* agitur, qui prius *Iuniorum* appellatus. Itaque multo verisimilius, a *Iuniis* dictum esse *Iuniorum cuneum*." *Brot.* — *uti turmae* Equitum *Idibus Iuliis imaginem eius sequerentur* „pro vexillo. v. 5, 4. Haec est transvectio Equitum, sollennis pompa eorum, qui trabeati et per *turmas* atque centurias divisi albisque equis insidentes quotannis Idibus Quinctil. sive Iuliis ab aede Honoris extra Urbem sita in Capitolium transvehebantur, ut ita recoleretur memoria victoriae illo die ab A. Postumio de Latinis ad Regillum lacum reportatae. v. Liv. 9, 46. Valer. Max. 2, 2, 9. et inpr. Dionys. 6, 13. qui huius transvectionis formam et quasi pompam graphice depinxit. Ea tamen praecipue instituta honori Castorum, quorum aedes eodem die dedicata. v. Liv. 2, 42. Aliud autem transvectio Equitum; aliud recognitio s. recensio, recensus, censio, probatio. Haec olim a Censoribus singulis lustrís, postea ab Imperatoribus passim facta tempore non certo: idque non aliud fuit, quam censura quaedam in Equites equosque publicos et quasi examen. Nos plura in libro de Mil. Rom. 1, 5." *Lips.* De hac v. Liv. 29, 37. 38, 28. 39, 44. 40, 46. de illa et de recognitione ei iuncta Suet. Aug. 38. „Athenaeus l. 12. p. 519. C. meminit ex Timaeo pompae, fortasse sacrae, in qua crocotis super loricas induti transvehebantur Equites ultra V millia. Atqui videntur hi, ut aliis in civitatibus, iuvenes nobili genere fuisse. De hac pompa equestri accipienda verba Tac. Ann. 14, 21. quae obscura viris doctis visa: *a Tuscis accitos* Romam *histriones*; *a Thuriis equorum certamina*; nisi verba aliunde inserta sunt. *Thuriorum* vero nomen a fonte Thuria accepit Sybaris urbs a Crotoniatis eversa posteaque restituta. v. Diodor. 12, 10. ibique Wessel." *Heyne* opusc. acad. Vol. II. p. 133. 139 sq. Illa pompa equestris transvectioni Equitum originem dedisse videtur. — *Pleraque* in honorem Germanici decreta.

CAPUT LXXXIV.

Ceterum recenti adhuc moestitia soror Germanici Livia nupta Druso duos virilis sexus simul enixa est. Quod rarum laetumque etiam modicis penatibus tanto gaudio Principem

affecit, ut non temperaverit, quin iactaret apud Patres, nulli ante Romanorum eiusdem fastigii viro geminam stirpem editam: nam cuncta, etiam fortuita, ad gloriam vertebat. Sed populo tali in tempore id quoque dolorem tulit, tanquam auctus liberis Drusus domum Germanici magis urgeret.

1. *Livia Germanici soror nupta Druso* Tiberii f. *duos virilis sexus* (ut ap. Suet. Aug. 31. 101. Cal. 7.) *simul enixa est:* disce ergo hinc, quod nondum alii, Tiberium illum Drusi F. Tiberii N., quem Caius sustulit, superfuisse ex his geminis et ideo *Gemellum* cognominatum; *Lips.* Cf. ad 6, 46, 2. „Drusi et Tiberii gemellorum capita e cornu copiae surgentia exhibet numus Drusi. v. Torrent. ad Suet. Cal. 15. et Eckhel. doctr. NN. Vol. VI. p. 204. 207.“ *Ern.* et *Oberl.* De his gemellis v. 4, 15. 6, 46. Dio 57, 14. Vell. 2, 130. de Iulia filia, coniuge Neronis et Rubellii Blandi, quam deinde peperit Livia, v. 2, 84. 4, 3. 6, 2. 27. 40. 16, 10. *duos viriles sexus* MS. *duos virile secus* coni. I. Gron. v. ad 4, 62. — *modicis penatibus*, ut *lares parvi, exigui, graciles, angusti, pauperes, curti.* v. ad G. 15. n. 2. et Bentl. ad Hor. epist. 1, 7, 58. — *non temperaverit* (sibi) *quin iactaret:* quae Suet. Caes. 22. ad verbum repetiit; *Ern.*

2. *auctus liberis Drusus*, v. ad 1, 3, 2. et cf. Ind. I. — *urgeret domum G.*, premeret, periculum afferret; *Ern.*

CAPUT LXXXV.

Eodem anno gravibus senatus decretis libido feminarum coercita cautumque, ne quaestum corpore faceret, cui avus aut pater aut maritus Eques Romanus fuisset: nam Vistilia praetoria familia genita licentiam stupri apud aediles vulgaverat more inter veteres recepto, qui satis poenarum adversum impudicas in ipsa professione flagitii credebant. Exacta et a Titidio Labeone Vistiliae marito, cur in uxore delicti manifesta ultionem legis omisisset? atque illo praetendente, sexaginta dies ad consultandum datos necdum praeteriisse, satis visum de Vistilia statuere; eaque in insulam Seriphon abdita est. Actum et de sacris Aegyptiis Iudaicisque pellendis, factumque Patrum consultum, ut quatuor millia libertini generis ea superstitione infecta, quis idonea aetas, in insulam Sardiniam veherentur coercendis illic latrociniis, et, si ob gravitatem coeli interiissent, vile damnum; ceteri cederent Italia, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent.

1. *gravibus senatus decretis:* „quorum particula haec ap. Tertull. de pall. c. 4. *Habes spectare, quod Caecina Severus graviter senatui impressit, matrona sine stola in publico. Denique Lentuli auguris consultis, quae ita sese exauctorasset, pro stupro erat poena; quoniam quidem indices custodesque dignitatis habitus, ut lenocinii factitandi impedimenta, sedulo quaedam desuefecerant.*“ *Lips.* — *licentiam stupri apud Aediles*, qui libidines et luxum coercebant, *vulgare*, profiteri. Cf. 3, 52. 4, 35. 13, 28. Suet. Tib. 35. Lips. Exc. XIV. ad Ann. II. intpp. Hor. Sat. 1, 2, 63. 82. et Tibull. 1, 6, 67. 4, 10, 3. — *Exacto et a Titidio* MS. et edd. vet. unde *rō* (ratio) post *marito* excidisse putabant Urs. et Faeerus. *Exactum* edd. rec.“ Sed *exigere* in tali contextu constanter est *postulare*, nusquam *quaerere, interrogare.* Iam satis recte quidem dici potest: *exigo ab aliquo, ut respondeat, cur* cet. Tum vero ea, quae

quaesivi, haud dubie sunt *exacta*, non *exactum*: nam indefinita adhuc sunt et possunt esse plura. Ita et h. l. non unum aliquod exigitur, sed plura esse poterant, quae Labeonem impulissent. Quare audacter repono *exacta*. Cf. Virg. Aen. 1, 309. *quaerere constituit sociisque exacta referre*." *Walth*. Probabilia haec, nec tamen certa: nam ita *cur* non satis aptum; nisi ad *exacta* intell. *responsa, rationes*. — *delicti manifesta*, cf. Ind. I. et Ind. III. v. *Adiectiva relativa Genitivis iuncta*. — *cur in uxore d. m. ultionem legis omisisset*, h. e. accusationem ex lege Iulia de adulteriis: nam accusatio tantum et cognitio marito permissa, (v. ad 2, 50, 2.) non poena, neque illa iniuncta lege; *Freinsh*. Ita saepissime et antecedens pro conseq., et consequens pro anteced., actus pro conatu, causa pro effectu vel is, qui aliquid ipse fecerit perfeceritve, pro eo ponitur, qui tantum, ut id fieret, censuit, curavit et effecit, v. c. *concessit* 4, 20. *percutit* 4, 24. *permisit* (permittendum censuit, suasit) 11, 3. *relegatur* 3, 17. *arcebatur* 3, 25. *necat* 3, 21. *occidit, pignerat, vendit* et *punire* ap. Iuvenal. 3, 116. 7, 73. 135. 16, 13. *creare collegas* et *consules* Liv. 2, 33. 25, 41. 28, 10. 32, 27. al. *dicere collegam* Liv. 7, 24. 37, 47 extr. *SCtum facit* consul et praetor Liv. 5, 50. 42, 9. *leges abrogat bellum et pax* Liv. 34, 6. *pecunia mulctavit matronas* Liv. 10, 31. *ulciscebantur* inf. 3, 66. *damnare aliquem* 3, 36. (h. e. perficere ut damnetur, damnandum censere) *condemnare* cet. Alia exempla dabunt Ind. III. v. *Metonymia* et Ramshorn. Gramm. p. 653. Cf. ad. 2, 34, 1. 3, 17, 3. 11, 3, 1. et G. 20. n. 5. — *sexaginta dies*: „datos marito ad accusandum lege Iulia a die divortii. Clarum ex l. 11. 14. 15. ad leg. Iul. de adult." *Lips*. „Exspectantur LX dies, quibus maritus in accusationem fertur. Qui si interim neglexerit, adulterae pater admittitur, hinc alii, ICtis auctoribus. Maritus autem, qui matrimonium suum ita contemnit, ut adulteram uxorem non accuset, lege Iulia tenetur sec. Ulpianum." *Alciat*. Potest tamen postea agere iure extranei secundum l. 6. C. ad l. Iul. de adult. ubi dies illi LX a divortio utiles esse dicuntur; *Mur*. Cf. Suet. Tib. 35. — *praeteriisse* et paulo post *interiissent* edd. vet. et *Brot*. *praeterisse* et *interissent* edd. rec. — *eaque in insulam Seriphon abdita est*, v. ad 1, 3, 6.

2. *Actum et* in senatu *de sacris Aegyptiis Iudaicisque pellendis*: „nam in omni re publica bene instituta semper summo studio provisum est, ne inter cives esset varietas religionum. v. lex XII tab. ap. Cic. de leg. 2, 8 pr. Liv. 39, 16. Serv. ad Virg. Aen. 8, 187." *Mur*. Superstitiones vero et ritus sacraque peregrina, Aegyptiorum praecipue et Iudaeorum, iam primis temporibus Romam et in Italiam invehebantur, a fraudulentis potissimum et fanaticis vatibus, vaticinatoribus sacerdotibusque, superstitionem hominum in rem suam vertentibus variorumque vaticiniorum illecebris ita delinientibus eorum animos, ut peregrina adsciscerent sacra. v. Liv. 4, 30. 5, 17. 25. 28. 40. 6, 41. 22, 9. 25, 1. 39, 8. 16. 40, 29. quibus locis aliae etiam causae novarum religionum invehendarum memorantur, et cur tanta cura caverint Romani, ne confunderentur negligerenturve religiones et caerimoniae, quibus rite colendis summa sacrorum Romanorum continebatur. Nihilo secius Romae postea et inde a Sullae potissimum temporibus et templa Isidis, Anubidis aliorumque deorum Aegyptiorum structa, et a sacerdotibus eorum sparsa sunt vitia, stupra et flagitia. Hinc *sacra Aegyptia Iudaicaque* saepius Roma sunt *pulsa*, sed frustra. v. Suet. in Oct. 31. 40. in Tib. 36. in Claud. 25. in Dom. 12. Iuvenal. 3, 14. 296. 4, 123 sq. 6, 511—600. 9, 22. 12, 28. 13, 91 sq. 14, 96 sq. Tibull. 1, 3, 23 sq. Böttigeri Sabina I. p. 232. Walch. in comm. nov. Soc. Gott. class. philol. T. III. p. 8 sq. de Bynkershoek de cultu religionis peregr. apud vet. Rom. Opp. T. I. „Aegyptia sacra iam a. U. 733. Agrippa, praefectus Urbi ab Augusto,

repressit, edicto, ne quis ea intra D passus ab Urbe exerceret. v. Dio 54, 6. Sed de hoc Tiberiano edicto capiendus Suet. Tib. 36. et Sen. ep. 108." *Lips.* „De eodem Ioseph. A. I. 18, 3. 4. ubi et Isiacorum et Iudaeorum pulsorum afflictorumque causae plane memorantur. Locus vero elegans de Iudaeis afflictis et Roma expulsis ap. Philon. leg. ad Caium p. 1015. ed. Frf. p. 569. ed. Mang. non ad haec tempora pertinet, si verum dicit Philo. Nam a Seiano contra Iudaeos incensum Tiberium tradit fictis criminibus; idque sublato Seiano vidisse Tiberium ideoque ad praesides etiam provinciarum scripsisse, ut Iudaeis parcerent." *Ern.* *quatuor millia libertini generis*, quod genus maxime Iudaicis sacris addictum fuisse, Philo l. l. auctor est; *Ern.* — *factum Patrum consultum* cet. „Cui SCto occasionem causamque praebuerunt stupra quaedam et fraudes nomine religionis tectae. v. Ioseph. l. l." *Lips.* — *in insulam Sardiniam veherentur coercendis illic latrociniis*, v. ad 2, 64. *deveherentur* (sc. Roma per Tiberim) malebat Heins. — *ob gravitatem coeli*, gravem noxiamque vim aëris, ut ap. Liv. 23, 34. cui etiam *grave* dicitur, quod valetudini noxium, insalubre et pestiferum est, 3, 6. 8. 10, 31. 25, 26. 37, 23. Cf. ad 6, 13, 1. et H. 5, 7, 4. Tale autem coelum in Sardinia propter paludes, salinas, violentos austros montesque altissimos, (Insanos) qui salubrem aquilonis flatum arcent. v. Pausan. 10, 17. Strab. V. p. 155. Mela 2, 7. Sil. 12, 371. Claudian. b. Gild. v. 511. 512. Martial. 4, 60, 6. Liv. 23, 34. — *vile damnum* id esset. *utile damnum* coni. Freinsh. ut ap. Vell. 2, 46. et fere *arrogans moderatio* sup. 1, 8. „Acutius quam verius puto. Statius Theb. 1, 649. *iacturaque vilior orbi Mors hominum.*" *Gron.*

CAPUT LXXXVI.

Post quae retulit Caesar, capiendam virginem in locum Occiae, quae septem et quinquaginta per annos summa sanctimonia Vestalibus sacris praesederat; egitque grates Fonteio Agrippae et Domitio Pollioni, quod offerendo filias de officio in rem publicam certarent. Praelata est Pollionis filia non ob aliud, quam quod mater eius in eodem coniugio manebat: nam Agrippa discidio domum imminuerat. Et Caesar quamvis posthabitam decies sestertii dote solatus est.

1. *capiendam virginem* Vestalem esse *in locum Occiae* a Pontifice Max. v. loc. class. Gell. 1, 12. Dionys. 2, 65. 68. Plut. Numa p. 66. 67. et Lips. de Vesta. — *LVII per annos Vestalibus sacris praesederat*, sponte: nam lex tantum annos XXX definiebat ministerio Virginum; Lips. — *Domitio*; in MS. *comicio*; in edd. vet. ante Lips. *Comitio.*

2. *non ob aliud quam quod mater eius in eodem coniugio manebat*, „quod univira erat, cuius rei honos. Tertull. de cast. exhort. 13. *Monogamia apud ethnicos in summo honore est; ut et virginibus nubentibus univira pronuba adhibeatur: et sic auspicii initium est. Item in quibusdam sollennibus et auspiciis, ut prior sit univirae locus. Certe Flaminica non nisi univira est.*" *Lips.* Cf. ad G. 19. n. 12. et Iuvenal. 6, 229. 230. „Non ait, univiram esse, sed non divortisse a marito. Sequitur enim: *nam Agrippa discidio domum imminuerat.* Neque divortium tamen matris impediret capi Vestalem, sicuti mors impediret; nam patrima matrima capi debet: sed praefertur, cui mater concors cum viro. Et recte, bono exemplo." *Merc.* — *discidio* MS. edd. Ber. Rhen. tres, Ald. Gryph. Gron. et rec. *dissidio* edd. Lips. et al. vulgari errore, ut 3, 34. 11, 28. 30. 12, 2. 40. 14, 1. 60. *Dissidium* est dissensus animorum, *discidium*

distractio s. disiunctio corporum aut quasi corporum, locorum, aedium, rerum, et hinc divortium. v. Gron. ad Liv. 25, 18. et Ruhnk. ad Mureti oratt. p. 33. — *posthabitam* Agrippae filiam. — *decies sestertii dote*, ingenti, non, quod Lips. putabat, sollenni et legitima. v. ad 13, 31. Iuvenal. 2, 117. 6, 137. 10, 335. Haec tum summa fuit census senatorii. v. ad 2, 37, 1.

CAPUT LXXXVII.

Saevitiam annonae incusante plebe, statuit frumento pretium, quod emptor penderet, binosque numos se additurum negotiatoribus in singulos modios. Neque tamen ob ea *Parentis patriae* delatum et antea vocabulum assumpsit, acerbeque increpuit eos, qui *divinas occupationes* ipsumque *Dominum* dixerant: unde angusta et lubrica oratio sub Principe, qui libertatem metuebat, adulationem oderat.

1. *Saevitiam annonae*, v. ad 11, 4, 1. — *statuit frumento pretium*, v. ad 15, 72. — *negotiatoribus*, frumentariis. *Negotiatores* sunt soli cives Rom., non vero aratores, (qui in provinciis habebant agros eorumque fructus vendebant) aut publicani, (Equites, vectigalium publ. redemptores) aut pecuarii, aut mercatores, (libertini et faex plebis, mercaturam exercentes, etsi Caesarum temporibus memorantur etiam *negotiatores olearii, carbonarii, lignarii, sagarii*) sed Equites plebeiique, qui vel pecuniis feneri locandis in provinciis, ubi nulla lege feneris magnitudo definiebatur, vel frumentis coemendis et Romam aut aliorsum vehendis quaestum faciebant. Cf. ad 2, 62, 2. 3, 40. et 3, 42, 1. Suet. In Oct. 42. in Claud. 18. inpr. Ern. in clave Cic. et in opusc. philol. p. 3 sq. ubi copiose et docte de his *negotiatoribus* disseruit.

2. *parentis patriae delatum et antea vocabulum*, cf. ad 11, 25. — *acerbe increpuit eos, qui occupationes* ipsius *dixerant divinas*, (cf. Ind. III. v. *Adiectivum praedicato praepositum*) *ipsumque Dominum dixerant*, cf. Suet. Tib. 27. Dio 57, 8. et Lips. Exc. XV. ad Tac. Ann. II. *occupationes*, v. ad 12, 49, 1. — *Angusta et lubrica oratio* nostra est, quum facile offendimus nescimusque, quibus verbis tuto uti possimus; *Ern. Angusta oratio* et *disputatio* Cic. or. 56. et de or. 2, 14. dicitur vel brevis et succincta, vel exilis et ieiuna, ut *anguste dicere* et *scribere* Cic. Brut. 84. et p. Mur. 13. sed h. l. fere id. qd. *lubrica*, anceps, non sine metu. — *qui libertatem*, *παῤῥησίαν*, *metuebat, adulationem oderat*, cf. Ramshorn. Gram. p. 534.

CAPUT LXXXVIII.

Reperio apud scriptores senatoresque eorundem temporum, Adgandestrii principis Chattorum lectas in senatu literas, quibus mortem Arminii promittebat, si patrandae neci venenum mitteretur; responsumque esse, non fraude neque occultis, sed palam et armatum populum Romanum hostes suos ulcisci. Qua gloria aequabat se Tiberius priscis imperatoribus, qui venenum in Pyrrhum regem vetuerant prodiderantque. Ceterum Arminius, abscedentibus Romanis et pulso Maroboduo regnum affectans, libertatem popularium adversam habuit petitusque armis, quum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit: liberator haud dubie Germaniae et qui non primordia populi Romani, sicut alii reges ducesque, sed florentissimum imperium lacessierit, proeliis ambiguus, bello non victus. Septem

et triginta annos vitae, duodecim potentiae explevit, caniturque adhuc barbaras apud gentes, Graecorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur, Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi.

1. *Reperio apud scriptores senatoresque*, h. e. qui senatores fuere remque in senatu gestam optime noverant: nam *que*, *et*, *ac* ἐπεξηγητικῶς vel per appositionem et ἓν διὰ δυοῖν dici solent. v. ad 1, 33, 2. An *senatores* sunt potius commentarii privati vel acta senatorum? De his v. ad 3, 3, 1. „Non displiceat *senioresque*, primum quia saepe advocat noster testes eius aevi, qui fuissent in re praesenti, ut 3, 16. et 11, 28. deinde quia peccatum et alias in ea voce, ut 13, 50." *Lips.* Sed vulgatum recte praeferunt Grut. Freinsh. Acid. Ern. — *responsumque esse* MS. et ed. Bekk. *responsum esse* edd. rel. — *non fraude, neque occultis* cet. cf. Liv. 1, 53. (*postremo minime arte Romana, fraude ac dolo aggressus est*) et 42, 47. — *priscis imperatoribus, qui venenum in Pyrrhum regem*, ei parari, *vetuerant*, oblatam veneficii operam non admiserant; *Ern.* Id tamen de uno tantum imperatore, C. Fabricio Luscino cos. a. U. c. 476. et diverso modo traditur. Cf. Ind. III. v. *Numerus Plur. pro Sing.* et de re Cic. de off. 1, 13. 3, 22. Liv. epit. 13. Flor. 1, 18. Plut. Pyrrh. p. 396. Gell. 3, 8. Val. Max. 6, 5, 1.

2. *abscedentibus Romanis*, cf. Ind. III. v. *Participia Praes. pro Part. Perf.* — *regnum affectans*, v. ad 11, 16, 1. H. 1, 16, 8. et G. 7. n. 1. — *dolo propinquorum cecidit*, eodem anno quo Germanicus, ut quondam Hannibal, Scipio Africanus et Pilopoemen; *Freinsh. primordia populi Rom.*, imperium eius antiquissimum. — *lacessierit*, non *lacessivit*. Quando *qui* iungatur Coniunctivo, tirones docebit Ramshorn. Gram. p. 553 sq. — *proeliis ambiguus*, varia in iis fortuna usus; *Ern.* Proprie proelia fuere *ambigua*, dubii et varii eventus. — *duodecim potentiae:* unde non a. U. c. 772. sed 773. vel 774. obiisse videtur. v. Roth: Hermann und Marbod p. 68. — *caniturque adhuc barbaras*, Germanorum, (v. ad G. 18 pr.) *apud gentes*, v. ad 4, 47. et G. 3. n. 2. „Arminius non inter gentis heroas tantum, sed inter ipsos deos habitus: idemque postea fuit ac deus Irminus; unde via lactea appellata est *Irminstrate* seu *Arminii via*, et *Irmensula* statua eius barbaro cultu celeberrima, a Carolo M. destructa. (Cf. ad G. 2. n. 7.) De cultu Arminii v. Eccardi Orig. Germ. p. 305. et Comment. de rebus Franciae Orient. T. I. p. 406. 436. 620. Eius numos imaginesque, quae circumferuntur, spuria esse nemo ignorat. Ceterum a Tacito dissentit Vell. 2, 118." *Brot.* — *Romanis haud perinde celebris*, cf. Ind. II. v. *perinde*. *celebris* pro *celeber*, ut 13, 47. 14, 19. et ap. Auct. ad Herenn. 2, 4. nam frustra laudantur loca Quintil. et Tibulli, quibus sunt casus obliqui. Sic tamen *equestris* ap. Liv. 27, 1. et 47. nisi ibi leg. *equester* et h. l. *celebratus*." *Ern.* Sed ita quoque *acris, alacris, campestris, palustris, salubris, silvestris, volucris* al. Cf. ad Sil. 3, 463. 10, 351. Ruddim. inst. Gram. T. I. p. 14. 164. ed. Stallb. Zumpt. Gram. §. 100. — *dum vetera extollimus recentium incuriosi*, ut *Virtutem incolumem odimus, sublatam ex oculis quaerimus invidi* Hor. od. 3, 24. *Praesentia invidia, praeterita veneratione prosequimur* Vell. 2, 92, 5. ubi v. Ruhnk. Cf. inf. 3, 55. extr. 4, 33. Agr. 1. ad O. 15. n. 1. cap. 18. n. 3. cap. 23. n. 6. cap. 41. n. 6. Thucyd. 2, 45. Plin. ep. 6, 21. *Ad posteros enim virtus durabit, non perveniet invidia* Quintil. 3, 1.

ANNALIUM

LIBER III.

BREVIARIUM LIBRI III.

Cap. 1. *Agrippina Brundisium appulsa et urnam feralem tenens magno excipitur planctu.* 2. *Pompa funeris. Primores Urbis obvii.* 3. *Tiberius, Augusta et Antonia publico abstinent.* 4. *Cineres Germanici Mausoleo illati. Populi moeror et studia in Agrippinam accensa.* 5. 6. *Tiberius, parcus in honorando Germanico visus, improbat luctum.* 7. *Drusi profectio ad Illyricos exercitus. Repentina mors Martinae.* 8. *Pisonis filius maiori comitate exceptus a Tiberio quam pater a Druso.* 9. *Pisonis et Plancinae adventus domusque lauris ornata.* 10. *Causa Pisonis a Principe ad senatum remissa.* 11. *Patroni reo quaesiti. Reditus Drusi.* 12. *Tiberii oratio in senatu.* 13. 14. *Accusatorum criminatio haud diluta a Pisone. Ira iudicum et populi.* 15. *Pisonis irritae preces et mors voluntaria.* 16. *Codicilli eius a Principe recitati.* 17. *Ab eodem absolutus M. Piso et venia Plancinae data.* 18. *Diversae Patrum sententiae et adulatio imprudens.* 19. *Honores accusatoribus Pisonis tributi. Drusi ovatio. Mors Vipsaniae.*

20. 21. *Bellum in Africa renovatum a Tacfarinate et severitate Apronii oppressum.* 22. 23. *Aemilia Lepida accusata coram Tiberio perplexe agente et damnata.* 24. *D. Iunius Silanus adulter Iuliae revocatus ab exsilio.*

25. *Lex Papia Poppaea et delationes.* 26. 27. 28. *Excursus de legibus, quae initio paucae et simplices fuere, sensim vero auctae et asperius exercitae.*

29. *Nero Germanici filius ad honores promotus uxorem ducit filiam Drusi Iuliam. Filia Seiani desponsa Druso Claudii filio.* 30. *Volusii et Sallustii Crispi mors elogiumque.*

31. *Consulatus Tiberii et Drusi. Irreverentia iuvenum notata. Cura viarum et multorum damnatio.* 32. *Lepidus Asiae proc. et novi motus Tacfarinatis.* 33. 34. *Actum in senatu de uxoribus magistratuum provinc. comitibus.* 35. *Blaesus Seiani avunculus Proconsul Africae.* 36. *Licentia improborum arreptis Caesarum imaginibus.* 37. *Falsi accusatores. Laus Drusi.* 38. 39. *Delationes. Thraciae motus a Velleio compressi.*

40. *Rebellio Galliarum a Floro et Sacroviro concitata.* 41. *Andecavi et Turonii ab Acilio Aviola coerciti.* 42. *Treverorum clades et mors voluntaria Flori.* 43 — 46. *Aedui Sequani et Gallorum crupellarii a C. Silio fusi. Sacrovir sua manu cadit.* 47. *Simulatum iter Tiberii in Gallias et vota pro reditu eius decreta.* 48. *Sulpicii Quirini mors et honores.* 49 — 51. *C. Lutorius delatus et in carcere obtruncatus. SCta non ante diem XII. ad aerarium deferenda et sic proroganda damnatorum poena.*

52 — 54. *Diversae de coercendo luxu sententiae Aedilium et Principis.* 55. *Paulatim mores sponte mutati.* 56. 57. *Tribunicia potestas Druso petita a Tiberio et a senatu impetrata.* 58. 59. *Provincia a flamine Diali petita. Drusi superbia.*

60 — 63. *Asylorum in Graecia multitudo et iura a senatu examinata permissu Principis.* 64. *Augustae morbus et Tiberii in matrem amor non sincerus.* 65. *Foeda Romanorum adulatio.* 66 — 69. *C. Silanus reus*

et damnatus. 70. *Caesius Cordus et L. Ennius accusati. Ateius Capito iuris peritissimus et adulator.*

71. *Fortuna Equestris Antii culta. Provincia a flamine Diali non administranda.* 72. *Basilica Pauli a M. Lepido refecta. Theatrum Pompeii restauratum.* 73. 74. *Iunio Blaeso Seiani avunculo, qui res adversus Tacfarinatem bene gesserat, data triumphalia et imperatoris titulus.* 75. *Mors Asinii Salonini et Ateii Capitonis. Huius et Antistii Labeonis laus moresque diversi.* 76. *Iuniae Tertiae funus sollenne et testamentum.*

Haec triennio gesta a. U. 773 — 775.

M. VALERIO C. AURELIO
TIBERIO IMP. IV. DRUSO NERONE II.
C. SULPICIO D. HATERIO COSS.

CAPUT I.

Nihil intermissa navigatione hiberni maris Agrippina Corcyram insulam advehitur litora Calabriae contra sitam. Illic paucos dies componendo animo insumit, violenta luctu et nescia tolerandi. Interim adventu eius audito intimus quisque amicorum et plerique militares, ut quique sub Germanico stipendia fecerant, multique etiam ignoti vicinis e municipiis, pars officium in Principem rati, plures illos secuti, ruere ad oppidum Brundisium, quod naviganti celerrimum fidissimumque appulsu erat. Atque ubi primum ex alto visa classis, complentur non modo portus et proxima maris, sed moenia ac tecta, quaque longissime prospectari poterat, moerentium turba et rogitantium inter se, silentione an voce aliqua egredientem exciperent? Neque satis constabat, quid pro tempore foret, quum classis paulatim successit, non alacri, ut assolet, remigio, sed cunctis ad tristitiam compositis. Postquam duobus cum liberis, feralem urnam tenens, egressa navi defixit oculos, idem omnium gemitus: neque discerneres proximos, alienos, virorum feminarumve planctus, nisi quod comitatum Agrippinae longo moerore fessum obvii et recentes in dolore anteibant.

1. *navigatione maris hiberni,* turbidi, ut χείμερος, χειμέρινός, vel tempore hiberno, sc. mense Ian. v. ad c. 2. n. 2. — *litora Calabriae contra,* v. ad 5, 9. et Ind. III. v. *Praeposit. Nominibus postpositae.* — *violenta luctu,* violento luctu cruciata. — *nescia tolerandi* vel *tolerare,* ut *simulationum nescia* 4, 54. quae simulare non poterat et volebat, φωνὴ σπουδέων ἄγνωστος ap. Pind. Ol. 5, 113. *orandi nescius* et *validus* 3, 67. 4, 21. Gr. οὐκ εἰδέναι, non posse. *Nescire* dicimur, quae facere aut quibus assuescere non possumus, quia, quae nescimus, non facile facimus; *Mur.* Quae nunquam aut fecimus aut passi sumus; *Mitscherl.* ad Hor. od. 1, 6, 6. — *ut quique* edd. Ber. Rhen. et rec. *ut cuique* MS. teste Furia. *ut quisque* edd. med. Sed ingrata est huius vocis repetitio; *I. Gron.* „Recte *quique:* non enim de singulis sermo est, ut in verbis praec. *intimus quisque amicorum,* sed de multis a quaque parte ruentibus. Cf. 1, 59. 14, 31. Sall. Iug. 18. (ubi similiter editores fluctuant inter *quique* et *quisque*) et c. 60. Ramshorn. Gram. p. 316 sq." *Walth.* — *pars officium in Principem rati,* cf. ad 2, 42, 1. et Ind. III. v. *Nomina collectiva. rati* sc. *esse* s. *fore,* non *fuisse,* ut ubivis. Cf. Walch. ad Agr. 27. p. 317.

2. *oppidum Brundisium*, hod. *Brindisi*, (v. ad 1, 10, 2. et 2, 30, 1.) cum portu, nunc quidem obstructo, sed olim egregio, *εὐλίμενον*, ubi *ἐνὶ στόματι πολλοὶ κλείονται λιμένες*, Strab. VI. p. 195. (433.) — *quod naviganti*, ex Graecia et Asia Romam petenti, ut ex ora Italiae a Brundisio Dyrrhachium in Graeciam traiicienti, *celerrimum fidissimumque appulsu erat*, traiectus longior quidem, quam Hydruntinus, sed commodior etiam, certior ac tutior, et hinc celerior ac frequentior, quam a Brundisio ad Ceraunos montes. Cf. Plin. 3, 11. et Strab. l. l. *fidissimum* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. I. Gron. et rec. Cf. 5, 8. Sic Virg. Aen. 2, 23. *statio malefida carinis* et v. 400. *litora cursu fida*; *Oberl.* *Fidum* dicitur, cui fidere licet et quod bene tuetur vel tutum reddit; hinc bonum, idoneum, firmum, ut *ensis, lorica, obex* al. Cf. Ind. II. *fidelissimum* h. l. edd. med. quod eodem sensu adhibetur, ut *fidelis lorica* ap. Virg. Aen. 9, 707. et sim. *adpulsum* MS. pro *appulsu*. — *visa classis*, v. ad 2, 75, 1. — *non modo portus, sed* etiam *moenia*, v. ad 1, 60, 1. — *proxima maris:* „immo *pr. mari*, loca mari vicina: nam *proxima maris* non aliter possunt accipi quam de proximo mari, sive ipsius maris proxima parte, ut *proxima municipiorum* et *litorum* 15, 58. H. 3, 42. *intima Africae* 3, 73. *edita montium* 4, 46. 12, 56. Litera sibilans h. l. ex vicinitate voc. seq. temere, ut solet, haesit.“ *Freinsh.* Assentiuntur Mur. Ursin. Ryck. Ern. „Sed Adiectiva vicinitatem notantia etiam cum Genitivo struuntur, ut *proxima litorum* H. 3, 42. *propiora fluminis* H. 5, 16. *fluminis propinqua loca* ap. Sall. Iug. 48. ubi v. intpp.“ *Wopk.* *Proxima maris* sunt maris partes proximae portubus vel litori; *Kiessl.* „Usus loquendi etiam fert, ut *proxima maris* intelligamus oram maritimam. Sic *laeva maris* et *fluminis* H. 2, 2. 5, 16. *vacuum mare*, h. e. litus maritimum vacuum H. 2, 14.“ *Walth.* — *sed* etiam *moenia*, v. ad 1, 60, 1. — *et rogitantium* MSS. edd. vet. ut I. Gron. et rec. *ac rogit.* edd. Lips. et sqq. — *pro tempore*, v. ad 1, 1, 2. 4, 12, 1. — *classis paulatim successit*, ingressa est portum, ut *succedere tectis* et ap. Virg. Aen. 5, 281. *velis subit ostia plenis*. v. ad 2, 20, 2. *Ern.* — *alacri remigio*, v. ad 2, 13, 2. — *ut assolet*, v. ad 1, 24, 2.

3. *duobus cum liberis*, quos secum habuit, Iulia et Caligula: nam ceteri Romae manserant. Cf. 2, 54. 3, 2. et Suet. Cal. 10. — *feralem urnam tenens*, v. ad 2, 75, 1. — *defixit oculos*, omnium oculos in se convertit; *Mur.* *Defixit o.* in terram, de more tristium, e Virg. Aen. 6, 469.; *Ern.* „Sed in verbo *defigere* nihil est nec quicquam in contextu, quod eam rationem comprobet: non enim significat nostrum n i e d e r s c h l a g e n nisi adiecto *solo* s. *in terram*, ut H. 4, 72. Neque id deceret Agrippinam conspecta salutantium turba; hoc erubescentium est. Debuit potius *oculos defigere* in obviam hominum multitudinem, (s i e s c h l u g d i e A u g e n a u f) idque demum efficere potuit, ut idem omnium gemitus erumperet. Mira enim in tali re est oculorum vis. Cf. Ovid. Amor. 2, 8, 15. Quod Brot. et Oberl. intelligunt *in urnam feralem*, ineptum est. Scilicet tum demum id fecit. Magis credibile est, defixis in urnam oculis iam prius illam insedisse navi. Hic autem non solitus Agrippinae habitus describitur, sed dicitur aliquid factum esse: nam verba sunt *postquam — defixit oculos*.“ *Walth.* Cf. ad 1, 68, 1. — *obvii et recentes in dolore:* „Quidam *in dolore* trahunt ad *anteibant:* alii delendum putant *in*, vel id dictum, ut *recens dolore et ira* 1, 41. ubi cf. nota 3. Sed paululum interest, dicantur *recentes dolore*, h. e. quos recens dolor invasit, ut ita dolor plenam adhuc exserat vim suam, an *recentes in dolore*, h. e. quos dolor nondum defatigavit, ut ita opponantur *longo moerore fessis*. Cf. inf. c. 70. *lentus in dolore suo*. Formulam *obvii et recentes* Roth. p. 57. explicat *per ἓν διὰ δυοῖν*, ut sit pro *obvii* (Substant.) *recentes*. Sic *tuta et praesentia — vetera et periculosa*

1, 2. *obstantes et armatos* 1, 32. *vetera et inania* 3, 13. *pro honestis et praesentibus flagitiosa et incertà exspectare* 4, 3.“ *Walth.* In his exemplis et h. l. copula *et* dicta pro *et quidem.* v. ad 1, 33, 2. *Alius alio recentior est in dolore* Cic. (vel alius) ad Herenn. 2, 7.

CAPUT II.

Miserat duas praetorias cohortes Caesar, addito, ut magistratus Calabriae Apulique et Campani suprema erga memoriam filii sui munera fungerentur. Igitur tribunorum centurionumque humeris cineres portabantur. Praecedebant incompta signa, versi fasces, atque, ubi colonias transgrederentur, atrata plebes, trabeati equites; pro opibus loci vestem, odores aliaque funerum sollennia cremabant. Etiam quorum diversa oppida, tamen obvii et victimas atque aras diis Manibus statuentes lacrimis et conclamationibus dolorem testabantur. Drusus Tarracinam progressus est cum Claudio fratre liberisque Germanici, qui in Urbe fuerant. Consules M. Valerius et C. Aurelius (iam enim magistratum occoeperant) et senatus ac magna pars populi viam complevere disiecti et, ut cuique libitum, flentes. Aberat quippe adulatio, gnaris omnibus, laetam Tiberio Germanici mortem male dissimulari.

2. *addito* sc. mandato. v. ad 1, 46, 1. — *magistratus Calabriae,* municipales duumviri, quinqueviri et similes; *Mur.* — *Apulique et Campani* pro *et Apuliae et Campaniae.* — *suprema munera,* officia, quae mortuis praestantur. — *munera fungerentur,* ut 4, 38. Cic. qu. Tusc. 3, 7. Suet. Oct. 35. 45. et al. Nam verba *fungor, potior,* (11, 10.) *vescor,* (Agr. 28.) *fruor* et *dignor* saepius Accusativo iunguntur a scriptoribus, serioris potissimum aevi, a Cicerone non nisi in forma partic. v. Broukh. ad Tibull. 2, 5, 63. Ruddim. inst. gr. T. II. p. 196. 197. Zumpt. Gram. §. 466. Ramshorn. Gr. p. 269.

2. *praecedebant incompta signa* duarum cohortium praetoriarum et *versi* ad terram *fasces,* propr. milites talia signa, et lictores fasces inversos praeferentes. De *incomptis signis* v. ad 1, 24, 2. et H. 4, 62, 4. „In dolore, quia omnia fieri praeter morem amant, non lictores solum fasces et insignia regum, sed milites etiam scuta et arma invertebant. v. Pedo eleg. ad Liv. 142. Stat. Theb. 6, 214. et Virg. Aen. 11, 93. Manent in militia nostra hodie vestigia eius ritus; et versio armorum non luctus solum nota fuit, sed etiam transfugii et defectionis. v. Ammian. 26, 9. *Fasces* autem h. l. sunt ipsius Germanici defuncti, qui nunc *ferali urnae* praeferebantur, insignia nuper potestatis. Addo, quod designatores lictores suos habere soliti, qui funeris ordinem et sollennia curabant.“ *Lips.* — *atrata plebes,* v. ad 2, 29, 1. et 2, 75, 2. — „*trabeati,* trabibus purpurae intextis, *Equites,* ut reges, consules, augures, in diebus sollennibus laetisque, (v. Dionys. 6, 13. Suet. Dom. 14. Stat. Silv. 4, 2, 32. 5, 2, 18.) sed non in luctu: *unde* h. l. non doloris indicium sed ordinis, ad discriminandum Equitem a plebe et splendorem funeris; *Lips.* „Haec partim confirmantur, partim emendantur a Rubenio de lato clavo 1, 5. De usu trabeae in funere Germanici Lipsio consentit Ferrar. de re vest. 1, 2, 6.“ *Ern.* — *pro opibus loci vestem, odores aliaque funerum sollennia cremabant,* v. ad G. 27. n. 3. „Observa hunc ritum, quod alibi defunctis et usto iam cadavere non aras tantum statuebant, sed struebant et accendebant rogos, quasi verum ibi funus et cadaver esset. Cf. cap. 5. et Sen. ad Marc. c. 3. de Druso patre.“ *Lips.*

vestem sing. pro plur. (v. Ind. III. v. *Numerus Sing. pro Plur.*) nisi leg. *vestes*, ut G. 27 pr. — *diversa oppida*, alia, vel remota. v. ad 2, 60, 1. — *diis Manibus* ipsius Germanici, vel omnibus, ut ei placati ac propitii redderentur; *Mur.* — *lacrimis et conclamationibus*, v. ad H. 4, 1, 3. —

3. *Tarracinam* edd. vet. et rec. *Terracinam* edd. Lips. Grut. Pich. al. *tarricinam* MS. Sed *Tarracina* H. 3, 57. 60. 76. 77. 85 al. in MSS. et edd. vet. Ταρακίνη Strab. V. p. 233. — *Consules M. Valerius* Messalinus *et C. Aurelius* Cotta. v. ad 2, 32, 1. *C. Aurelius* MS. ed. Ber. Rhen. tres, Ald. Gryph. et rec. *M. Aurelius* edd. med. ex emendatione, ducta e catalogo Coss. in Dionis libris et Cassiodoro, quorum non magna est auctoritas." *Ern.* „Ille h. l. et in Fastis praeponitur patruo, quia plures habuit liberos, (v. Gell. 2, 15. de lege Papia Poppaea) sed c. 17. 18. post eum sententiam rogatur, quod huius senatus tempore fasces penes Cottam. Illam ob causam L. Antistius ipsi Neroni praeponitur in inscr. ant. ap. Grut." *Ryck.* ad 3, 17. — *iam enim magistratum occoeperant:* ergo Ianuario haec mense gesta; *Lips.* *occoeperant* edd. Ber. Lips. post. et rec. *occeperant* edd. Rhen. Ald. Lips. I. — „*Disiecti* s. sparsi, (v. ad 1, 32, 2.) *consules et senatus*, qui solent ordine et composite incedere s. stare, quia vel sponte venerant, vel testabantur dolorem, cui confusio adhaeret nec decoris cura est." *Lips.* Possis etiam ad solum populum referre; *Ern.* — *aberat quippe adulatio:* incompositi, sine arte, sine ambitione atque ut natura dabat, incedebant, quia vere et sibi lugebant, non dolendo adulabantur Tiberium, qui tristitiam fingebat; *Gron.* — *gnaris omnibus*, cf. Ind. III. v. *Adiectiva in sexto casu.*

CAPUT III.

Tiberius atque Augusta publico abstinuere, inferius maiestate sua rati, si palam lamentarentur, an ne omnium oculis vultum eorum scrutantibus falsi intelligerentur. Matrem Antoniam non apud auctores rerum, non diurna actorum scriptura reperio ullo insigni officio functam, quum super Agrippinam et Drusum et Claudium ceteri quoque consanguinei nominatim perscripti sint: seu valetudine praepediebatur, seu victus luctu animus magnitudinem mali perferre visu non toleravit. Facilius crediderim, Tiberio et Augusta, qui domo non excedebant, cohibitam, ut par moeror et matris exemplo avia quoque et patruus attineri viderentur.

1. *Augusta*, Livia, mater Tiberii. — *publico abstinuere* se, ut ap. Suet. Claud. 36. Sic et *in publico versari* inf. 15, 59. et *egredi*, *prodire* et *se proripere in publicum*, ut contr. *se proripere ex privato* ap. Liv. 2, 23. 24. 5, 55. 9, 7. et al. Proprie *publicum* rectae et latae Urbis viae dicuntur, quae *publicae* erant, ut contra *privatae* aedes iis annexae. — *an ne* cet. v. ad 2, 38, 5. — *falsi*, v. ad 1, 7, 1. *Matrem Antoniam* minorem, „Antonii IIIviri filiam, nuptam olim Druso, patri Germanici. De ea v. Plin. 7, 18. et Val. Max. 4, 3, 3." *Lips.* — *apud auctores rerum* Romanarum, historicos, ut 3, 30. et 14, 64; *Ern.* *Auctores* etiam simpl. dicuntur *scriptores*, ut 5, 9. O. 29. Quintil. 1, 17. 10, 5, 8. nec tantum hoc demum aevo, quod Schulz. ad O. 29. contendebat, sed etiam aureo, v. c. Liv. 1, 46. 2, 8. 29, 25. — *diurna actorum scriptura* pro *in diurnorum a. scr.*, (propr. *apud diurnorum actorum scriptores*) cuius formae multa exempla apud prosaicos huius aetatis; *Ern.* Sed et apud

optimos superiorum temporum, qui saepissime Adiectiva aliis, quam ad quae proprie et respectu sensus pertinent, Substantivis iungunt. Sic Livius (ut ex eo tantum exempla afferam) 1, 4. dixit *ad cursum iusti amnis*, 2, 50 pr. *sine ullo maioris belli apparatu*, 2, 51. *proximam pugnae cladem* et *hesterna felicitate pugnae*, 5, 6. *serae spei exitum* et similia. Cf. Ind. III. v. *Enallage Adiectivorum* et Walch. ad Agr. 4. p. 138. ubi haec annotavit: „Sic *ad maiora rerum initia ducentibus fatis* Liv. 1, 1. *violati hospitii foedus* Liv. 1, 9. ubi v. Drak. *Veteres populi Rom. res* Tac. Ann. 4, 32. *omni scelerum conscientia mersus* Vell. 2, 91. Ita et Graeci, v. c. πολλὰς ἰφθίμους ψυχὰς ἡρώων Hom. Il. 1, 3. Cf. Pind. Ol. 1, 45. Sophocl. Ant. 26. Phil. 952. Aiax 8. ubi v. Lobeck. „De *Actis* tam *populi*, de quibus h. l. sermo est, quam *senatus* disputarunt Lipsius in Exc. ad Tac. Ann. V., Broterius ad Ann. 5, 4. Ernestius in Exc. 1. ad Suet., Heinsius et Burm. ad Petron. 53. p. 251. Walchius ad Tac. Agr. 2. p. 113. 114. Potiora sunt haec. — Ante C. Iulii Caesaris tempora *Annales* scribi solebant: hic vero mos propter turbas fortasse civiles obsolevisse videtur. Ut itaque aliquis saltem memoriae publicae retinendae modus revocaretur, Caesar *inito honore* h. e. primo consulatu a. U. 695. *primus omnium instituit, ut tam senatus quam populi diurna acta confierent et publicarentur*, Suet. Iul. c. 20. Quae enim cum ab aliis tum a Dodwello in Append. Praelect. Camden. p. 665 sq. Saec. XVII. vulgata sunt fragmenta duo Actorum senatus et populi, quorum alterum ad a. U. 586., alterum ad a. U. 692. pertinet, ea haud dubie impostor aliquis confinxit. v. Ern. l. l. Duk. ad Liv. 44, 18. et Wessel. Probabil. c. 39. Illorum vero actorum nulla fit mentio in libris, qui medio inter Caesaris consulatum primum et Augusti imperium sunt editi, et duae exstant epistolae Ciceronis et Coelii, aliquot annis post primum Caesaris consulatum scriptae, in quarum altera 8, 1. Coelius dicit, se Ciceroni in Ciliciam misisse commentarios rerum urbanarum suo iussu suaque impensa a privato homine confectos; in altera 2, 8. Cicero scriptorem illorum commentariorum reprehendit, quod res privatas minutasque, quas scire sua nihil interesset, consignarit. Hinc Ernestius l. l. suspicatur, actorum senatus populique conficiendorum consuetudinem iam post consulatum primum a Caesare cum invidia optimatium gestum odio auctoris omissam et ab eodem in altero demum consulatu vel in dictatura revocatam. — Augustus, qui occultis artibus imperium firmare solebat, Acta quidem illa confici permisit et iussit, sed auctor fuit senatui, *ne acta eius publicarentur*, (Suet. Oct. c. 36.) scil. ne arcana Patrum vulgarentur. Eandem ob causam Tiberius instituisse videtur, ut quispiam e senatu illa componeret; (v. Tac. Ann. 5, 4. et 5.) et Domitianus, ἵνα μηδεμία μνήμη τῶν θανατουμένων ὑπολειφθῇ, ἐκώλυσε σφᾶς ἐς τὰ ὑπομνήματα ἐγγραφῆναι, Dio 67, 11. — *Acta* erant vel senatus vel populi. Illa plerumque vocabantur *acta senatus* vel *Patrum*, (5, 4.) nonnunquam *commentarii senatus*, (v. 15, 74. et ad 6, 47, 2.) Gr. ὑπομνήματα, (Germ. dixeris Senatsacten, Senatsprotocolle) haec *acta populi*, *acta publica*, (12, 24. Suet. Tib. 5. Plin. ep. 7, 33.) *acta urbana*, *acta diurna*, quoniam in dies conficiebantur, (*diaria*, ἐφημερίδες, Germ. Tagebücher, Taghandlungen, Gall. *Mémoires*) *acta diurna Urbis*, (13, 31.) *diurna actorum scriptura*, (3, 3.) *diurna populi Romani*, (16, 22.) *libri actorum*, (Iuvenal. 9, 84.) vel simpl. *acta* (Suet. Cal. 8. Iuvenal. 2, 136.) et *diurna*, Gr. τὰ δημόσια ὑπομνήματα vel γράμματα, τὰ κοινὰ ὑπομν, (Dio 57, 23.) et simpl. τὰ ὑπομνήματα, Römische Staatszeitung. Illis breviter, quicquid apud Patres diceretur, decerneretur agereturve, consignabatur, ut etiamnunc apud Britannos et Gallos, ab *actuariis* sive *notariis*, ταχυγράφοις, qui adhibitis *notis* h. e. vocum compendiis *acta* et voces Patrum quamvis celerrime loquen-

tium exciperent, (cf. Martial. 14, 208. et Manil. 4, 169.) quorumque opera *senator componendis Patrum actis delectus a Caesare* (5, 4.) usus videtur. cf. Lips. l. l. His (actis populi) continebantur res rationesque populi, comitia, iudicia publica, supplicia, accusationes, decreta, leges, magistratus, honores publice dati et accepti, dies hominum natales et nuptiales, illustres mortes, matrimonia, divortia, incendia, aedificationes, (13, 31.) casus singulares, quin etiam res in senatu gestae; quo Walchius l. l. refert locum Plinii ep. 7, 33. et illum Taciti Ann. 16, 22. *diurna populi Romani per provincias, per exercitus curatius leguntur, ut noscatur, quid Thrasea non fecerit.* Idem vir doctus laudavit verba Quintil. I. O. 9, 3, 17. de stilo horum Actorum: *Ex Graeco vero translata vel Sallustii plurima, quale est* V u l g u s a m a t f i e r i *— et iam vulgatum Actis quoque* s a u c i u s p e c t u s. Magna vero Actorum populi pars vetustate aut incendio periit et iussu Tiberii a. U. 769. reparata est: *ἐπεί τε πολλὰ τῶν δημοσίων γραμμάτων τὰ μὲν καὶ πολυτελῶς ἀπολώλει, τὰ δὲ ἐξίτηλα γοῦν ὑπὸ τοῦ χρόνου ἐγεγόνει, τρεῖς βουλευταὶ προεχειρίσθησαν, ὥστε τάτε ὄντα ἐκγράψασθαι καὶ τὰ λοιπὰ ἀναζητῆσαι,* Dio 57, 16.

2. *super Agrippinam,* praeter A. v. Ind. II. *Agrippina* coniux Germanici, *Claudius* frater G. *Drusus* Tiberii filius, cui nupta Livia, soror G. — *perferre visu* (cf. ad 12, 44, 1.) *non toleravit*: „Haec non ad pleonasmum referenda, sed *non toleravit* ad conatum, (non potuit, quum vellet) et *perferre* ad rem, quam non potuit a se impetrare. Dices Germ. I h r v o n T r a u e r g e b e u g t e s G e m ü t h l i t t n i c h t (v e r s a g t e i h r) d i e G r ö ſ s e d e s U n g l ü c k s m i t d e m A n b l i c k z u e r t r a g e n. Prudenter Tacitus scripsit *visu perferre* pro *videre,* ut exprimeret simul visum illum haud dubie fuisse saevum et crudelem. Nil opus est Subiunctivo *toleraverit,* quem reposuere Ob. Weik. Lün. al.“ *Walth.* — *Tiberio et Augusta — cohibitam,* v. Ind. III. v. *Dativus subiectivus.* — *ut par moeror* sc. *videretur; Ern. esset* intell. Wopk. — *avia* Livia *et patruus* Tiberius *attineri,* v. ad 1, 35, 3.

CAPUT IV.

Dies, quo reliquiae tumulo Augusti inferebantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies: plena Urbis itinera, collucentes per campum Martis faces. Illic miles cum armis, sine insignibus magistratus, populus per tribus, concidisse rem publicam, nihil spei reliquum, clamitabant promptius apertiusque quam ut meminisse imperitantium crederes. Nihil tamen Tiberium magis penetravit quam studia hominum accensa in Agrippinam, quum *decus patriae, solum Augusti sanguinem, unicum antiquitatis specimen* appellarent versique ad coelum ac deos integram illi sobolem ac superstitem iniquorum precarentur.

1. *Dies, quo reliquiae,* cineres Germanici, *tumulo Augusti inferebantur,* v. ad 1, 8, 6. 2, 73, 2. et 3, 9, 1. *Tumulus Augusti,* ut *t. Caesarum* 3, 9. et *t. Octaviorum* 4, 44. Mausoleum ab Augusto in sexto consulatu et in campo Martio inter ripam Tiberis viamque Flaminiam structum. Cf. ad 1, 8, 6. 3, 9. 13, 17. 16, 6. Strabo 5, 3. Suet. Aug. 84. 100. Appian. B. C. 1, 103—106. Rudera eius exhibentur a d'Overbeke Restes de l'ancienne Rome T. I. p. 87. et in: Rom und Latium von Burton und Sickler T. I. p. 260. — *dies vastus per silentium:* nam *vastus,* ut nostrum ö d e, tam de die dicitur quam de loco deserto, de silentio et solitudine. Male vero Pichena coni. *per silentium vastum,* ut 4, 50. H.

3, 13. Agr. 38. „Nam quid est *per silentium inquies?* Immo *vastus dies* vel pars diei silentium habens quasi in vasta solitudine, ut contra c. 9. *dies frequens*, quo hominum frequentia in publico versatur, *dies magna*, quo magna res gesta est, *dies faustus*, quo quid feliciter evenit.“ *Gron.* Cf. ad 4, 50. 6, 51. et Gron. obss. 1, 2. — *plena Urbis itinera*, omnibus undique ad campum Martium confluentibus; *Mur.* — *collucentes per campum Martis faces* funebres. v. Lips. Exc. I. ad Ann. III. et Kirchman. de fun. Rom. 2, 3. *Faces* ferebantur ad ignem subiiciendum rogo: sed tum quoque, quum rogus nullus esset, honoris causa ferebantur; *Mur.* — *illic miles cum armis:* corrigo *sine armis*, quae deposuerat, ut dolorem testaretur, quemadmodum *sine insignibus magistratus*; *Harl.* Immo *cum armis*, ne quis in populo tumultus excitaretur; *Mur.* et *Gron.* v. ad 1, 8, 7. „Sed funeri etiam Drusi milites cum armis affuere, non praesidii causa, verum ut cum populo exsequias celebrarent. v. Pedo eleg. ad Liv. V. 217.“ *Ern.* Cf. ad 3, 2, 1. — *sine insignibus magistratus*, „sine toga praetexta, annulis et lato clavo, ut moerorem testarentur; de quo v. scriptum meum de fun.“ *Lips.* Simul quia iustitium erat, ut ap. Pedon. cons. ad Liviam v. 85. *Iura silent mutaeque tacent sine vindice leges: Aspicitur toto purpura nulla foro*; *Mur.* — *populus per tribus*, „h. l. non in tribus divisus, ut quaevis tribus proprium locum haberet, sed simpl. universus. Modus loquendi adhibitus iste, ut prioribus membris aptius responderet ultimum.“ *Ern.* „Immo *populus per tribus* divisus. Satis enim credibile est, et populum certo quodam ordine nec incondito agmine illum diem celebrasse. Cf. 14, 13. *tribus obviae* venienti Principi.“ *Walth.* — *imperitantium*, Tiberii et Liviae, *meminisse*, contumeliae, qua ita afficerentur. Cf. c. 2. extr. et c. 3 f.

2. *Nihil tamen Tiberium magis penetravit*, ut 1, 69, 2. et ap. Cic. Brut. 38. in eius *animum altius penetravit* et inf. 14, 1. extr. *penetrantia.* — *in Agrippinam*, quam maxime oderat cuiusque gloriae invidebat; *Mur.* — *solum Augusti sanguinem*, cf. ad 6, 42, 2. „Non vere. Plures erant, ut Lepidi et Silani, ex Iulia nepte: sed reliquos e consanguineis Augusti velut degeneres, credo, arguunt, hunc solum sanguinem Augusto dignum.“ *Lips.* — *unicum antiquitatis specimen*, perfectissimum exemplar antiquae virtutis femineae apud Romanos: quam loquendi formam Broukh. ad Prop. 4, 11, 93. p. 487. copiose illustrat; *Ern.* *Unicus* dicitur, qui parem sui non habet, praestantissimus in genere suo, singularis, praecipuus, optimus, ut ap. Suet. Oth. 12. Liv. 1, 21. 2, 58. 3, 33. 55. 6, 6. 22. 7, 1. al. et *unus legum corrector* 45, 32. Cf. Heins. ad Ovid. Met. 3, 454. Passerat. ad Catull. p. 24. et ad Prop. p. 150. — *superstitem iniquorum*, forsitan *inimicorum*; *Rhen.* Sed *iniqui* etiam inimici dicuntur, ut dii *iniqui*, inimici, adversi, irati; *Ern.* „Cf. 4, 68. 14, 52. 16, 21. Plin. ep. 9, 1. (*aequis iniquisque*) Cic. Verr. 5, 69. p. Sulla 19. ep. ad Fam. 11, 27.“ *Walth.*

CAPUT V.

Fuere qui publici funeris pompam requirerent compararentque, quae in Drusum patrem Germanici honora et magnifica Augustus fecisset. *Ipsum quippe asperrimo hiemis Ticinum usque progressum, neque abscedentem a corpore simul Urbem intravisse: circumfusas lecto Claudiorum Iuliorumque imagines: defletum in foro, laudatum pro rostris: cuncta a maioribus reperta, aut quae posteri invenerint cumulata. At Germanico ne solitos quidem et cuicunque nobili debitos honores contigisse. Sane corpus ob longinquitatem itinerum externis terris quoquo modo cre-*

maium. Sed tanto plura decora mox tribui par fuisse, quanto prima fors negavisset. Non fratres nisi unius diei via, non patruum saltem porta tenus obvium. Ubi illa veterum instituta, propositam toro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina et laudationes et lacrimas vel doloris imitamenta?

1. *publici funeris pompam*, „non *publicum funus*, quod Germanico obtigit, sed *pompam*, qualis esse deberet in funere publico qualisque fuisset in funere Drusi, ut e seqq. patet;" *Freinsh. et Ern.* Funeris tam *publici*, quam *censorii*, saepius mentionem facit Tacitus. v. Ind. I. De utroque disputarunt intpp. ad 4, 15. ubi *Lipsius* haec annotavit: „Funeri *publico* opponitur *tacitum*, (Sen. de tranq. 1, 1.) ut *vulgare, plebeium* et *translaticium*, i. e. sine pompa, imaginibus praelatis, ludis, designatore, praecone, indictione, iustitio, laudatione funebri publicisque sumptibus et luctu, silens et quietum. Multi vero putant, idem esse funus *publicum* et *indictivum* et *censorium*. Non audio. Arbitror ego, *funus publicum* et *indictivum* eadem; nec aliud esse, quam quum denuntiatur et *indicitur publicitus* per praeconem. *Censorium* partem eius esse, ita ut omne censorium funus publicum sit, (qui enim aliter honoratum esse potest?) at non omne publicum etiam censorium. Ut inter magistratus honoratissimi Censores, sic inter funera illud primo loco. Hinc et Imperatoribus hoc eorumque cognatis ductum. v. 13, 2. H. 4, 47. Capitol. Pertin. c. 15. Qua ergo nota eximium hoc funus? Credo ista, ut omnia in eo purpurea essent, vestes stragulaque; in aliis tantum purpura praetexta. Non obscure annuere mihi videtur Polyb. 6, 53. ἐὰν μὲν ὕπατος ᾖ στρατηγὸς ᾖ γεγονὼς, περιπορφύρους scil. ἐσθῆτας λαμβάνουσι, ἐὰν δὲ τιμητὴς, πορφυρᾶς, ἐὰν δὲ καὶ τεθριαμβευκὼς, διαχρύσους. Ex his verbis suspicere, distinctum censorium funus a triumphali fuisse et hoc dignius. Mihi ita non videtur: primum quia nemo Latinorum triumphale nominat; deinde quia censorium reperio Principibus ipsis ductum; tertio quia illa ipsa ornamenta, quae triumphali tribuit Polybius, reperire est in isto. v. Xiphil. 74, 4. Currum huic intervenisse ritu triumphantium non opinor, et ἅρμα πομπικὸν ap. Dion. 56, 34. intelligam currum non triumphalem, sed pompalem, carpentum, quo per pompam Circensium dii transvecti. Hoc enim novi honoris genus apposite tributum novo Divo." *Gutherius:* „Arbitratur Lipsius, *funus publicum* et *indictivum* idem esse, quod idem est ac si diceret, publicum a privato nihil differre. Indictiva enim plurima mere privata sunt, licet per praeconem populus evocaretur. Publica quidem funera indictiva fuerunt omnia, sed non omnia indictiva publica, ut nec publica omnia censoria. Funus unicuique privato indicere licuit, et indictivo funere ex aedibus efferri praeco eos dicit, qui e tabernis efferuntur. At tabernae humiles et privatae domus sunt." *Ernesti:* „Casaubonus ad Capitol. Pert. c. 15. idem sentit quod Lipsius, idemque deinde dictum *funus regium* et *imperatorium*. Nempe etiam *censorium* omnino dictum est de eo, quod esset honoratissimum, pulcherrimum, ut docet Salmas. ad Capitolin. Anton. Phil. c. 22. Ryckius tamen sequitur Guther. de iure man. 2, 2. ubi publicum et censorium nil differre putat. Eorum sententia adiuvatur duabus rationibus; prima, quod Dio 58, 19. L. Pisoni Praef. Urbis δημοσίαν ταφὴν, Tacitus Ann. 6, 27. Aelio Lamiae Praef. Urbis *censorium funus* tribuit; altera, quod Praefectus Urbi Ann. 6, 11. *publico funere* et 11, 27. alius Praefectus *censorio* effertur. An dicemus, Dionem genus pro specie posuisse? non eodem funere sepultos Pisonem et Lamiam? Non credo. Clarum autem erit comparanti, Dionem ibi exscripsisse Tacitum." *Oberlinus:* „vide porro Cic. Phil. 9, 7. et Spartian. in Sev. 7." Multi arbitrantur, *funus publicum* pro diversitate honorum defuncti varie

fuisse dictum *praetorium, consulare, censorium, regium, imperatorium.* Cf. Kirchman. de fun. 1, 4. et Meurs. de fun. 16. *Censorium* cogita funus eadem pompa iisdemque caerimoniis ornatum, quibus efferri solebant censores in magistratu defuncti; *Walth.* — *requirerent,* desiderarent, abesse quererentur; *Ern.* Cf. ad 16, 28. et H. 4, 6. — *in Drusum,* in Drusi honorem, honora (v. ad 1, 10, 6) — *Augustus fecisset* cet. cf. Dio 55, 2. Suet. in Tib. 7. in Claud. 1. Valer. Max. 5, 5, 3. — *neque abscedentem a corpore,* v. ad 1, 7, 5. — *circumfusas lecto* ferali *imagines,* circumpositas; *Ern.* — *Claudiorum Iuliorumque* MS. et edd. vet. *Cl. Liviorumque* edd. rec. ex emend. Lips. „Drusus hic in Iuliam familiam ne adoptione quidem venit, nec nisi mater eius deducta in domum Augusti. Scripserim *Cl. Liviorumque* causa duplici. Non praeposuisset Claudios Iuliis Tacitus: quum vero a patre latae imagines, cur omissae a matre, quae praesertim antiquae et multae? Cf. Epist. Quaest. 4, 3." *Lips.* „Certa est emendatio. *Iulii* et *Livii* saepe in MSS. permutantur, nec quisquam poterit docere, vitricorum imagines omissis maternis in funeribus praelatas." *Ern.* Refragantur alii. „Ad primum Lipsii argumentum responderi potest, non agi hic de dignitate gentium Claudiae et Iuliae, sed de ordine, quem cuiuslibet imagines in Drusi funere tenuerint. Similiter temporis intuitu Claudia gens praeponitur Iuliae 6, 8. et ap. Valer. Max. 5, 5. ext. 3. Ad secundum pariter non deest responsum, scil. eo, quod Iuliorum imagines dicantur praesentes fuisse, non excludi imagines Liviorum aliarumque gentium nobilium, quas defunctus contingebat. Plurium enim gentium familiarumque imagines, in funere Marcelli sexcentae, in Sullae sex millia earum, in nobilium funeribus portabantur. v. 3, 76. 4, 9. 16, 11. (Kirchman. de fun. Rom. 2, 7.) Igitur in Drusi funere illarum familiarum imagines praelatae, quas Claudii et Iulii ostendere soliti in suis quique funeribus." *Ryck.* „*Claudiorum* imagines ferebantur propter familiam, quia Drusus Claudiae gentis erat; *Iuliorum* in honorem Augusti, qui Liviam matrem Drusi uxorem duxerat." *Brot.* „Quod postponuntur *Iulii,* ea re significatur, praeter Claudiorum imagines, quae sine dubio ut propriae gentis Druso conveniebant, et Iuliorum honorem accessisse. Est gradatio in verbis. Iam Drusi mater uxor Augusti, ipse Drusus maritus Antoniae sorore Augusti natae, et nisi origine gentili aut adoptione, affinitate tamen et Liviae matrimonio particeps domus imperatoriae et pro summo eiusdem domus viro habitus. Nonne haec potuerunt sufficere ad Iuliorum imagines in funebrem pompam eliciendas? Accedit quod nihil *honoris* aut *magnificentiae* esse potuit in Liviorum imaginibus, quae denegari Druso nequibant. Et quis tandem sibi persuadebit, Augustum in eo quo tum erat cum Claudiis connexu sine Iuliorum imaginibus Drusum extulisse? At desiderantur Liviorum imagines. Nimirum nobilissimae tantum imagines hic ore magnifica admirantium nominantur et vocabulo Claudiorum Livii simul comprehenduntur: nam *Claudiorum imagines* sunt, quas Claudii in suis funeribus ostendere solebant, interque eas tum etiam Livii fuerunt." *Walth.* Speciosa sane argumenta; sed graviora videri possunt contraria, a Lipsio et Ern. prolata. Tum utraque Drusi gens, tum maiorum imagines erant memorandae.

2. *cuicunque nobili,* v. ad c. 55. In MS. *aut Germanico — deditos honores.* — *Sane corpus* cet. ferendum esse, quod corpus *externis terris* (v. 2, 73.) *quoquo modo,* utcunque, sine magnificentia, *crematum,* quia procul Roma id factum sit; *Ern.* „*Sane* non per asseverationem efferendum, sed per concessionem, quasi dicas: ut hoc largiamur, sit sane ita." *Freinsh.* *Sic* 1, 3. 10. 3, 54. 6, 14. 48. 14, 44. — *tanto plura decora — quanto prima fors negavisset,* quanto magis ab initio, statim post mortem, sors negavisset debitos honores sepulturae; *Ern.* Cf. Ind. III.

v. *Comparationis modus* 2. *a. quando* coni. Mur. „Immo saepius ita *quanto* post *tanto* ponitur pro *quod*, ut 4, 48. et al. Contra Suet. Claud. 11. *tanto impensius petere se, quod idem esset* cet.; *Walth.* — *Non fratres* edd. rec. ex emend. Lips. pro vulg. *fratrem.* „Duo enim Germanico superstites fratres, Claudius natura, adoptione Drusus, quem semper nomine fratris Germ. Tacitus insignit. Drusus autem et Claudius Tarracinam usque progressi. v. cap. 2." *Lips.* Non obstat 2, 71. (ubi v. nota 1.) neque sing. *obvium*, qui ad proximum substant. refertur, ut saepe solet; *Oberl.* Vulgatam lect. defendunt Mur. Salin. Boxh. Brot. qui dicunt, Drusum solum et significari h. l. et memorari c. 8. et 12; Claudium enim inter ludibria aulae fuisse et haud dubie ulterius progredi prohibitum a Tiberio: haec autem omnia invidiose in Tiberium a populo dici. „At Claudius, qui supra memoratur, pro homine saltem habendus, neque hoc est invidiam facere, si aperte mentiaris. Una ratio vulgatae defendendae est, si dicas intelligi *ullum, aliquem.* Sed Lipsium verum vidisse puto." Ern. „Immo *non fratrem* dictum est pro *nullum fratrem*, Germ. kein Bruder." *Walth.* Haud crediderim, quia *non patruum*, quod iungitur, haud eodem modo explicari potest neque plures Germanico fratres quam duo, hi vero obviam fuerunt. — *ubi illa veterum instituta*, h. e. mores, qui h. l. et 4, 63. 9, 32. bene *instituta* dicuntur, quia illi idoneis de causis et virtutis studii iniiciendi causa recepti, ut Polybius 6, 51. praeclare demonstrat; *Ern.* *ubi* sc. esse. v. ad 2, 2, 1. — *propositam* (in) *toro effigiem:* „ritum fuisse arbitror, ut, si cadaver adhuc vegetum et coloratum, ipsum in vestibulo domus et in *toro*, lecto eximio, (Paradebett) *proponeretur*, ostenderetur, omnium aspectui exponeretur; sin autem, ut in peregre aut diu funotis, aut non esset cadaver, aut decore proponi non posset, tum *effigies* cerea eius loco in lecto ostenderetur. v. Dio 56, 34. 74, 4. Herodian. 4, 3." *Lips.* *propositam* edd. rec. pro vulg. *praepositam* ex emend. Mur. et aliorum. „*Proponere* est verbum propr. in hac re, ut Gr. προτιθέναι, quo et Herodian. l. l. usus est. Cf. ad H. 1, 78, 7. Suet. Galb. 10 pr. (Plin. 35. s. 4. Suet. Cal. 41.) Gron. Diatr. in Stat. c. 6. Heins. in Obs. Misc. p. 388. et ad Petron. c. 40. Praepositiones *pro* et *prae* in compositis centies permutantur in libris. Saltem longe melius hoc quam Iac. Gronovii *repositam* e Virg. Aen. 6, 220." *Ern.* — *meditata ad memoriam virtutis carmina*, ut in consecratione Imperatorum chori nobilium puerorum et puellarum canere solent ὕμνους τε καὶ παιᾶνας εἰς τὸν τετελευτηκότα σεμνῷ μέλει καὶ θρηνώδει ἐῤῥυθμισμένους, Herodian. 4, 2. Carmen illud *Lutorii* c. 49 pr. non ad *veterum instituta* referendum et serius scriptum videtur. — *et laudationes*, ut paulo ante *laudatum pro rostris*, de quo v. ad 2, 81, 1. et. 12, 21, 2. — *vel doloris imitamenta*, ut 13, 4. pr., *Lips.* „Sensus est, ut, si non vero dolore moverentur, saltem imitarentur simularentque dolorem. *Vel* non disiunctive capio pro *aut saltem*, sed pro simpl. *saltem.*" *Ern.* „Ita *vel* utitur propria sua vi. Sententia inest haec: si verus dolor desit, *doloris imitamenta* saltem deesse non debere." *Walth.*

CAPUT VI.

Gnarum id Tiberio fuit, utque premeret vulgi sermones, monuit edicto: *Multos illustrium Romanorum ob rem publicam obiisse; neminem tam flagranti desiderio celebratum. Idque et sibi et cunctis egregium, si modus adiiceretur: non enim eadem decora principibus viris et imperatori populo, quae modicis domibus aut civitatibus. Convenisse recenti dolori luctum et ex moerore solatia, sed referendum iam animum ad firmitudinem, ut*

in gespannter Erwartung seyn, ut *suspensus* H. 1, 25. 2, 4. 4, 8. *erecti suspensique* ap. Liv. 1, 25. De ellipsi vocis *causa* v. ad 1, 3, 8. — *crebro questu*, cf. Ind. III. v. *Adiectiva in sexto casu absolute posita* et *Ellipsis verbi substant. in Partic.* — *per amoena Asiae* loca. Cf. Ind. III. v. *Adiectiva neutra.* — *arroganti mora*, quam Piso reus arroganter sumpsisset; *Ern.* Cf. ad 1, 8, 6. — *subverteret*, infringeret et eluderet.

2. *missam*, *ut dixi*, (2, 74.) *a Sentio f. v. Martinam subita morte Brundisii* (*Brundusii* edd. vet. de quo v. ad 1, 10, 2.) *exstinctam*, vel sponte sumpta hausto veneno, vel potius illata ei et accelerata iussu Tiberii et Pisonis, ne tormentis dilacerata occultum scelus confiteretur et proderet. — *venenum nodo crinium eius occultatum:* nam *nodus crinium*, qui etiam *tutulus*, Luciano ἐπανάστασις τριχῶν, Statio Silv. 1, 1, 13. *celsae frontis honores suggestusque comae*, Lucano 2, 358. *corona matronae*, Iuvenali 6, 502. *ordines et compages* cincinnorum, quibus *aedificatur altum caput*, Graecis κρώβυλος in viris, κόρυμβος in feminis et σκόρπιος in pueris dicitur, (Germ. Haarwulst, Flechte, Zopf) erat structura vel strues capillorum, qui tum a fronte in verticem reduci et instar turris conive in gradus formari, tum necti solebant acu discriminali, (Schmucknadel, Nestnadel) quae nonnunquam excavata erat et veneno impleta, ut illa Cleopatrae et h. l. Martinae. v. Dio 51, 14. ibique Reimar. p. 644, 24. Winkelm. Sendschr. v. d. Herkulan. Entdek. p. 61. et Boettigeri Sabina p. 106 sq. 127 sq. 131. 135 sq. 147. ed. pr. — *sumpti exitii*, v. ad 1, 5, 3.

CAPUT VIII.

At Piso, praemisso in Urbem filio datisque mandatis, per quae Principem molliret, ad Drusum pergit, quem haud fratris interitu trucem quam remoto aemulo aequiorem sibi sperabat. Tiberius, quo integrum iudicium ostentaret, exceptum comiter iuvenem sueta erga filios familiarum nobiles liberalitate auget. Drusus Pisoni, *si vera forent*, *quae iacerentur*, *praecipuum in dolore suum locum*, respondit; *sed malle falsa et inania nec cuiquam mortem Germanici exitiosam esse.* Haec palam et vitato omni secreto; neque dubitabantur praescripta ei a Tiberio, quum incallidus alioqui et facilis iuventa senilibus tum artibus uteretur.

1. *haud fratris interitu tam trucem quam r. a. aequiorem*, cf. Ind. III. v. *Ellipses* nr. 7. Cort. ad Sall. Iug. 100. Drak. ad Liv. 4, 21, 9. *trucem*, iratum, offensum; *Ern.* — *integrum iudicium*, „ut *integra consultatio*, nullis dolis aut praeiudiciis corrupta, 4, 40. et *integra consulta* Sall. Iug. c. 108.“ *Wopk.* *Integer* propr. dicitur, qui mansit in pristino statu, vel corporis, sanitatis, virium, ut 1, 68 2, 5. 12, 14. 15, 11. H. 3, 2. 4, 12. vel animi, non corruptus vel affectibus, amore, miseratione, ira, odio, ut h. l., vel a seditiosis et delatoribus, alienus a partium studio et coniuratione, non conscius seditionis, 3, 12. 24. 15, 59. pr. (ubi *conscius* opponitur) H. 1, 29. 58. 2, 97. 4, 52. Agr. 4. vel vitiis, libidine cet., probus, sanctus, iustus Agr. 9. Aliis locis *integrae res*, *integra* et *in integro esse* dicuntur, quaecunque nondum decisa et confecta, sed adhuc liberi arbitrii sunt. — *sueta erga filios familiarum nobiles liberalitate auget*, ut 13, 17 extr. Cf. ad 1, 3, 2. et 12, 49, 1, „Mos igitur fuit, Principem donare aliquid filiis praesidum, qui e provinciis redirent atque ipsum adirent. Exempla velim notari.“ *Lips.* *sueta* fortasse Tiberio, non multis omnibusve Principibus. *filios familiarum* MS. ed. Pich. I. Gron. Ob. Bekk. 1. Sed ab iisdem editoribus modo una, modo duabus vocibus scriptum 1, 26. 11, 13. et al.

„Veteribus in usu scribere *filiosfamiliarum*, *filiumfamiliae*, *patresfamiliarum*, *patremfamilias*. Id a Sisenna esse notat Varro L. L. IV. Ita etiam legi in MS. peroptimo Suet. Cal. 26. et Vesp. 11.“ *Merc.* In plerisque libris vet. hae voces non nisi in sing. num. iunctae et si *familias* pro *familiae* dictum est. Eorum vero editores sibi non constant in scriptura harum vocum. *filios familiarium* edd. vet. vulgari errore. v. Oudend. ad Suet. Aug. 59. et Vesp. 11.

2. *si vera forent, quae iacerentur*, v. ad 11, 9, 2. — *falsa et inania* synonyma. — *exitiosam esse* edd. vet. *esse* omissum in multis edd. rec. — *Haec palam* dixit, respondit, (cf. Ind. III. v. *Ellipses* nr. 5.) *et vitato omni secreto* colloquio. Simulabat *palam* dolorem nolebatque conscius videri sceleris. — *praescripta ei* edd. rec. ex emend. Mur. et Lips. *pr. et* MS. et edd. vet. — *facilis iuventa*, v. ad 2, 13, 2. et 6, 15. — *tum:* immo *tamen*; *Mur.*

CAPUT IX.

Piso, Dalmatico mari tramisso relictisque apud Anconam navibus, per Picenum ac mox Flaminiam viam assequitur legionem, quae e Pannonia in Urbem, dein praesidio Africae ducebatur. Eaque res agitata rumoribus, ut in agmine atque itinere crebro se militibus ostentavisset. Ab Narnia, vitandae suspicionis an quia pavidis consilia in incerto sunt, Nare ac mox Tiberi devectus auxit vulgi iras, quia navem tumulo Caesarum appulerat; dieque et ripa frequenti magno clientium agmine ipse, feminarum comitatu Plancina et vultu alacres incessere. Fuit inter irritamenta invidiae domus foro imminens festa ornatu, conviviumque et epulae et celebritate loci nihil occultum.

1. *Flaminiam viam*, v. ad 13, 47. — *legionem, quae e Pannonia — ducebatur*, v. ad 2, 52, 2. — *praesidio Africae ducebatur*, v. ad 11, 10, 3. — *ut in agmine a. i. crebro se militibus ostentavisset*, venditasset ac salutem suam commendasset; *Mur.* Verbis factisque eorum gratiam captasset, ut al. *venditare, iactare; Ern. Ostentavisset*, ut eos corrumperet; *Brot.* Sed v. ad 1, 3, 5.

2. *vitandae suspicionis an quia* cet. v. ad 1, 3, 8. et 2, 38, 5. Vitabat suspicionem quaerendae apud milites potentiae: quare ab Narnia legionis agmen reliquit; *Walth.* — *tumulo Caesarum*, v. ad 3, 4, 1. Ibi conditi erant cineres Germanici. — *frequenti* et *die* et *ripa* Tiberis „hominum undique casu aliquo confluentium concursu, ut ap. Suet. Cal. 15. et πλήθουσα ἀγορά ap. Philostr. de vita Apollonii 7, 29. et Aelian. V. H. 12, 30. ubi v. Perizon.“ *Ern.* „Maluerim capere de ea diei parte, qua ripa erat frequens. Sic *celeberrimo fori* 4, 67. Alii *dieque* per se intelligunt am Tage, bei Tage. Tum vero Tacitum puto scripturum fuisse *dieque et frequenti ripa.*“ *Walth.* Cf. ad 3, 4, 1. — *vultu alacres incessere*, cf. Liv. 2, 61. et Suet. Tib. 2.; *Ern. Incessere* ἀορίστως dictum, et verbum *incedere* tam gravitatis vim habet, ut 4, 23. et *incessus* de itinere militum gravis armaturae 3, 74. 4, 24. Agr. 25., quam superbiae et ostentationis, ut h. l. et 14, 39. 53. H. 3, 31. Virg. Aen. 1, 46. (ubi v. intpp.) Liv. 1, 26. 2, 6. Iuvenal. 12, 126. Sall. Iug. 31. ubi v. Cort. Omnia spirant indolem hominum superborum et populo insultantium, non reorum sceleris sibi consciorum omnibusque invisorum. — *domus* Pisonis *foro imminens* Romano in VIII. regione Urbis Capitolinum inter et Palatinum montes; *Brot. foro imminens*, v. ad H. 2, 58. et 3, 70. — *festa ornatu*, lauro, coronis, frondibus et lucernis apud postes suspensis, indi-

ciis laetitiae ob reditum domini. Sic ap. Arrian. in serm. Epict. 1, 19. 2, 17; *Lips.* Cf. ad G. 40. n. 6. Iuvenal. 6, 51 sq. 79. 226. 9, 85. impr. 12, 83—92. *festo* edd. Lips. et aliae e coni. Mur. *festa, ornata* malebat Pich. Sed *festa ornatu* MS. ed. Ber. Rhen. Ald. et rec. idque exquisitius est; *Ern.* Cf. ad 2, 69, 1. — *convivium* est nostrum Gesellschaft, Gäste, Gasterei, et *epulae* Germ. Tafel; *Walth.* Videntur potius synonyma esse. Sic et Roth. de Synon. ap. Tac. p. 7. — *celebritate*, in cel. vel propter celebritatem *loci*, fori, ubi hominum frequentia est. Cf. ad 4, 59. et H. 2, 64, 1. Sic et *celeber* et *celeberrimum* 1, 51. 2, 47. 4, 67. 13, 47. 14, 33. H. 2, 50. 64. — *nihil occultum*, v. ad 2, 13, 3.

CAPUT X.

Postera die Fulcinius Trio Pisonem apud consules postulavit. Contra Vitellius ac Veranius ceterique Germanicum comitati tendebant, nullas esse partes Trioni; neque se accusatores, sed rerum indices et testes mandata Germanici perlaturos. Ille dimissa eius causae delatione, ut priorem vitam accusaret, obtinuit, petitumque est a Principe, cognitionem exciperet; quod ne reus quidem abnuebat studia populi et Patrum metuens: contra Tiberium spernendis rumoribus validum et conscientiae matris innexum esse: veraque aut in deterius credita iudice ab uno facilius discerni: odium et invidiam apud multos valere. Haud fallebat Tiberium moles cognitionis quaque ipse fama distraheretur. Igitur paucis familiarium adhibitis minas accusantium et hinc preces audit integramque causam ad senatum remittit.

1. *Fulcinius Trio* (v. Ind. I.) *Pisonem postulavit*: (ut 1, 74, 1.) *contra Vitellius ac Veranius* (v. 2, 74. et Ind. I.) *ceterique Germanicum comitati*, (v. ad 1, 29, 2.) memores promissi iuramento firmati (v. 2, 71.) *tendebant*, contendebant, (ut H. 4, 43, 3.) *Trioni nullas esse partes* sc. accusatoris s. in accusando, ideoque eum non esse audiendum. Quaerebatur itaque, quis deberet accusare; quae est *divinatio*, de qua v. Gell. 2, 4. Cic. oratio vel divin. in Caecil. et Ascon. in Argum. eius. *ac Veranius* MS. ed. Ber. Rhen. Ald. Lips. et rec. *ac* omisere Pich. et alii. *Verannius* edd. vet. ante Lips. sed *Veranius* 2, 56. 74. — *rerum indices et testes*: „Valde interest inter utrosque. Pedianus scribit, *indicem esse, qui facinoris, cuius ipse est conscius, latebras indicat impunitate proposita.* Sed *indicium* equidem arbitror ad id pertinere, quod coniectura assequimur et suspicionibus, et quod *indicat* crimen, non probat; *testimonium* vero dicimus de rebus visis aut auditis, ex quibus crimen non indicatur, sed probatur. Abutuntur tamen interdum scriptores." *Ferret.* *Index* est, qui indicat, quod sive consortio delicti sive suspicione sive alio quoque modo rescierit; *Vertr.* — *mandata Germ. perlaturos*, v. ad 1, 26, 1. — *Ille*: in MS. *illa*.

2. *ut priorem vitam* Pisonis *accusaret*, de qua v. cap. 13. Sic Cicero in act. 1. in Verrem: nam huius ratio magni est momenti in cognitione rei. — *petitum est a Principe*, ut *cognitionem exciperet*, admitteret; *Gron.* Sic ap. Suet. Aug. 53. al. Sed h. l. *excipere* est potius recipere s. suscipere, übernehmen; *Ob.* et *Walth.* Cf. Burm. et Ern. ad Suet. Caes. 73. et Aug. 73. Similiter *excipere pugnam* (de integris militibus subsidiisve in locum repulsorum succedentibus) 12, 39. H. 3, 23. Liv. 30, 18. 38, 22. *rem omissam* Liv. 4, 43. *causam* Liv. 38, 43. *orationem alicuius* Liv. 32, 33. *remp.* Liv. 4, 43. Caesares causas iuris extraordinarii, et privatas

et publicas, suae potestatis fecere, ita ut extra ordinem vel ius dicerent, vel quaestiones haberent: unde iis saepe et *iurisdictio* tribuitur et *cognitio*. De utraque v. Ern. Exc. ad Suet. Caes. 43. — *studia populi et Patrum* in Germanicum. — *contra* sc. ratus vel cogitans vel confidens, quale verbum intell. ex praec. *metuens*. Cf. Ind. III. v. *Ellipses* nr. 19. — *Tiberium spernendis rumoribus validum esse*, ut 4, 37. et al. *parem esse*, eos spernere valere s. posse. — *conscientiae matris innexum esse*, ut *conscientia illigare* 15, 51. Ad rem cf. 2, 77. 82. — *iudice ab uno facilius discerni* cet. Similia dixere adolescentes illi ap. Liv. 2, 3. sed veriora Aristol. Polit. 3, 11. sanctior regis praeceptor; *Gron.* et *Ern.* — *odium et invidiam* ad Synonyma referuntur a Roth. p. 7. non a nobis. — *apud multos*, si multi sint; *Ern.*

3. *Haud fallebat Tiberium*, v. ad 15, 66, 1. — *quaque ipse fama distraheretur*, v. ad 1, 4, 3. et ad rem conf. cap. 2. 4. 8. et Suet. Tib. 52. — *minas* inde *accusantium* Pisonem *et hinc preces* eius *audit*, *integramque causam ad senatum remittit*, v. ad 1, 8, 6. et 4, 40, 1.

CAPUT XI.

Atque interim Drusus rediens Illyrico, quanquam Patres censuissent ob receptum Maroboduum et res priore aestate gestas, ut ovans iniret, prolato honore Urbem intravit. Post quae reo L. Arruntium, M. Vinicium, Asinium Gallum, Aeserninum Marcellum, Sex. Pompeium patronos petenti, iisque diversa excusantibus, M. Lepidus et L. Piso et Lividineius Regulus affuere, arrecta omni civitate, quanta fides amicis Germanici, quae fiducia reo: satin' cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius. Ac premeret is haud alias intentior, populus plus sibi in Principem occultae vocis aut suspicacis silentii permisit.

1. *ob receptum Maroboduum* in custodiam. Cf. 2, 62. 63. et Ind. III. v. *Participia Perf. pass. pro Subst. abstr.* — *quanquam Patres censuissent, ut ovans iniret* Urbem, *prolato*, dilato, *honore* ovationis *Urbem* ita *intravit*, v. ad 1, 72, 1. 2, 64, 1. inpr. ad 3, 19, 3.

2. *Post quae* MS. edd. Ald. Pich. et rec. ut 1, 13. 3, 17. et al. *Postquam* edd. Ber. Rhen. et Lips. priores. — *L. Arruntium* edd. rec. ex emend. Nic. Fabri et Lipsii. cf. ad 1, 13, 1. *T. Arrunt.* edd. vet. — *M. Vinicium* scripsi e coni. Ryckii et coll. 6, 15. *Fulnicium* MS. teste I. Gron. Hinc *T. Vinicium* dedere I. Gron. Ern. Ob. èt alii. Utriusque nomen incognitum. *Fulcinium* edd. vet. qui saltem non fuit *Fulcinius Trio*. v. 2, 28. 3, 10. 13. H. 4, 42. Muretus affirmat in MS. legi *Fuscenium* et inde corr. *T. Arellium Fuscum* (cuius nominis tum clari fuere declamatores, pater et filius, quorum aliquoties mentionem facit Seneca in Controv.), *Cneium* (immo Caium) Asinium Gallum. — *C. Asinium Gallum*, v. ad 1, 12, 2. — *C. Claudium Aeserninum Marcellum*, (M. Claudii Marcelli Aesernini cos. a. U. 732. filium.) Asinii Pollionis nepotem. v. Suet. Oct. 43. Male *Aeserninum, Marcellum* edd. vet. neque audiendus Lipsius, qui designari censebat *Eprium Marcellum*, de quo v. Ind. I. Utrumque iam annotavit Freinsh. — *Sex. Pompeium*, cf. 1, 7. 3, 32. Valer. Max. 2, 6, 8. 4, 7. ext. 2. et Ovid. ex Ponto 4, 1. 4. 5.; *Lips.* — *iisque diversa excusantibus*, v. ad 1, 59, 2. — *M. Lepidus*; nisi leg. *M'. Lepidus*. De utroque v. ad 1, 13, 2. „Prioris dignitas et gravitas non patitur credere, eum h. l. designari, nisi forte propinquus Pisonis fuit: alterius socordia vix sinit credere, eum patrocinio suscipiendo idoneum fuisse: sed potest etiam alius ab his esse.“ *Ern.* — *L. Piso*; v. ad 2, 34, 1. — *Livineius Re-*

gulus edd. rec. ex emend. Mur. et Ryck. *Liveneius* MS. (in quo etiam ut paulo ante *Lepedus*) et edd. rec. Cf. ad 14, 17. ubi *Lividineius* MS. Reg. edd. Spir. Put. I. II. Ber. Rhen. tres, Ald. et *libidini eius* MSS. Bud. et Guelf. in quibus tamen cap. extr. *Lividineius* legitur; quae vera nominis scriptura videretur, etsi nomen *Livineius* in numis ap. Ursinum, e quibus etiam *L. Livineius* leg. censebat Mur. Sed de praenomine dubitandum, quum etiam 14, 17. absit et Tacitus in ponendis omittendisque praenominibus variet; *Ern.* — *arrecta omni civitate*, avide praestolante, de intentione animi et exspectatione, ut *erecta multitudine* H. 4, 81. et *suspensa*. cf. ad 3, 7, 1. — *quae fiducia reo* foret, ut ap. Virg. Aen. 2, 75; *Mur.* — *satin' cohiberet ac premeret* (v. ad c. 6. n. 1.) *sensus suos Tiberius. ac premeret is haud alias intentior* cet. „Sic MS. teste Pich. et recte. *Premeret*, quod altero loco positum est, vulgari utitur ratione conditionali et post *plus* intell. *quam alias fecisset*. Germanice exprimas: Und mochte derselbe angestrengter als je sie verstecken, so erlaubte sich doch das Volk nur mehr cet. Inepte *satin'* — *Tiberius an promeret. iis haud alias* cet. edd. vet. usque ad postremam Lipsii. Editores rec. *an promeret* vel alterum *ac premeret* deleverunt et verba seq. varie mutarunt. *Is haud alias intentior; populus plus* cet. Ryck. et Bip. ex emend. Pich. *Iis intentior populus haud alias plus* Brot. *Iis haud alias intentior populus plus* Ern. Ob. Bekk. Kiessl. alii. Quaero, quo spectet pron. *iis*? ad totam rem ante dictam? Ita vult Gron. Sed quomodo tum capies *haud alias*? Num *alias* iisdem rebus populus intentus esse potuit?“ *Walth.* Vera, opinor, lectio ab eo restituta. In MS. tamen eadem, quae in edd. vet. reperitur, exstat, si fides habenda Furiae, nec nisi *an promeret* in eius marg. Neque prorsus damnanda recentior lectio, si pron. *iis* referatur ad *sensus* Tiberii. A librariis vero multa perperam repetuntur. — *suspicacis silentii*: nam est ubi et silentium sit genus libertatis, quod docent apud Nostrum Paetus Thrasea Helvidiusque Priscus; *Gron.*

CAPUT XII.

Die senatus Caesar orationem habuit meditato temperamento: *Patris sui legatum atque amicum Pisonem fuisse adiutoremque Germanico datum a se auctore senatu rebus apud Orientem administrandis. Illic contumacia et certaminibus asperasset iuvenem exituque eius laetatus esset, an scelere exstinxisset, integris animis diiudicandum. Nam si legatus officii terminos, obsequium erga imperatorem exuit eiusdemque morte et luctu meo laetatus est, odero seponamque a domo mea et privatas inimicitias non vi Principis ulciscar: sin facinus in cuiuscunque mortalium nece vindicandum detegitur, vos vero et liberos Germanici et nos parentes iustis solatiis afficite; simulque illud reputate, turbide et seditiose tractaverit exercitus Piso, quaesita sint per ambitionem studia militum, armis repetita provincia, an falsa haec in maius vulgaverint accusatores, quorum ego nimiis studiis iure succenseo. Nam quo pertinuit, nudare corpus et contrectandum vulgi oculis permittere differrique etiam per externos, tanquam veneno interceptus esset, si incerta adhuc ista et scrutanda sunt? Defleo equidem filium meum semperque deflebo; sed neque reum prohibeo, quo minus cuncta proferat, quibus innocentia eius sublevari aut, si qua fuit iniquitas Germanici, coargui possit: vosque oro, ne, quia dolori meo causa connexa est, obiecta crimina*

pro approbatis accipiatis. Si quos propinquus sanguis aut fides sua patronos dedit, quantum quisque eloquentia et cura valet, iuvate periclitantem. Ad eundem laborem, eandem constantiam accusatores hortor. Id solum Germanico super leges praestiterimus, quod in curia potius quam in foro, apud senatum quam apud iudices de morte eius anquiritur. Cetera pari modestia tractentur. Nemo Drusi lacrimas, nemo moestitiam meam spectet nec si qua in nos adversa finguntur.

1. *meditato temperamento* egregie dictum: Tiberius enim ita Pisonem accusat, ut Germanicum aeque urgeat; *Brot. medito, temperamenta patris sui* ed. Ber. — *Patris sui* (Augusti, qui Tiberium adoptaverat) *legatum Pisonem fuisse* in Hispania. v. cap. 13. Idem Piso a. U. c. 731 consul cum Augusto, (v. cap. 16.) non suffectus (quod ex fastis Capitol. colligitur), sed ordinarius fuit, (v. Dio 53, 30 pr.) iterumque a. 747 cum Tiberio, qui eum a. 770. Syriae praefecit. v. Ind. I. Primum consulatum Pighius Annal. T. III. et alii eius patri (de quo v. 2, 43.) tribuendum putant. Quod si verum est, cap. 16 extr. post voc. *consulatus* comma ponendum. — *adiutorem,* ut 4, 7. et ap. Iustin. 13, 6. Liv. 6, 22. Suet. Tib. c. 63.“ *Lips.* — *exitu,* v. ad 2, 71, 1. — *integris animis diiudicandum,* v. ad 3, 8, 1.

2. *Nam si legatus officii terminos* sc. egressus est et *obsequium erga Imperatorem exuit,* quod est Zeugma. v. ad 2, 20, 2. et Ind. III. v. *Syllepsis* N. 2. — *seponamque a domo mea* (v. ad 2, 70, 2.) *et,* sed, (v. ad 1, 13, 2.) *privatas inimicitias* Germanici et Pisonis *vi,* potestate Principis, *ulciscar,* ut 5, 5. *non vi Principis* ex emend. Lipsii recepere Freinsh. Ern. et alii. *novi principis* MS. et edd. vet. *non Pr.* edd. Lips. Grut. Pich. Brot. *non ut Princeps* coni. Urs. Lips. al. *Seponere* est vel vindicare sibi et reservare, ut 2, 59. 6, 19. 13, 19, 44. 54. 15, 60. H. 1, 1. A. 31. vel amovere, removere, ut h. l. et 4, 44. 1, 10. 13. 46. 88. (coll. 2, 63.) 2, 33. Suet. Aug. 65. et *reponere, abdere,* de exsilio honesto et relegatione. — *Sin facinus — detegitur,* occisio Germanici, filii mei adoptivi. — *nos parentes,* Tiberium et Liviam, (cf. ad 2, 71, 1.) *iustis solatiis afficite,* sc. poena Pisonis. — *turbide et seditiose* synon. quod in Adverbiis rarum est. v. Ind. III. v. *Synonyma.* — *in maius vulgaverint,* v. ad 4, 23, 2. — *Nam quo pertinuit,* cuinam usui fuit. — *nudare corpus* cet. cf. 2, 73. — *contrectandum oculis,* „ut ap. Lactant. de opif. dei 1. et *contr. mente* ap. Cic. Tusc. 3, 15.“ *Ern.* Sic *attrectare feralia* 1, 62. *contingere visu* et *oculis* ap. Sil. 13, 506. et Catull. 64, 409. — *differrique,* v. ad 1, 4, 3. *diferique* edd. Ber. Rhen. *deferrique* ed. Ald. — *veneno interceptus,* v. ad 2, 80, 2.

3. *Id solum Germanico praestiterimus,* (v. ad 1, 7, 8.) *super leges,* praeter ea, quae cuivis civium ex lege sunt praestanda; *Ern.* „Nam de caede civis alicuius *anquirere* non omnino est senatus, sed ad id pertinet iudicium, cui ea quaestio demandata est. Tum vero et privatorum maxima apud Patres tractabantur. Cf. 4, 6.“ *Walth.* — *anquiritur,* v. ad 12, 6, 1. — *cetera pari modestia tractentur,* ea aequitate, qua causae privatorum apud iudices solent aut debent agi et tractari: vel, in ceteris nihil praeferatur reliquis civibus et secundum leges iudicetur; *Ern.* Dissimulat Principem in Germanico; *Walth.* — *nec si qua* (aliqua) *in nos adversa finguntur,* adversi rumores, ut H. 2, 26. De his v. 2, 43. 3, 2 extr. 8. *diversa* coni. Gron. ut sensus sit: *nemo Drusi lacrimas et meam moestitiam spectet,* ne incitetur illis ad condemnandum innoxium: nemo *diversa,* contraria, quae in contrarium de nobis falso sparguntur, ne sontem eo facilius absolvat. „Sed idem sensus vulgatae voci inest et multo commodius. *Adversa* sunt, quae nos dicimus Gehässiges,

Nachtheiliges, mala. Sic *adversa fama* H. 1, 73." *Walth.* Aliquid post haec verba excidisse suspicabatur Acid.

CAPUT XIII.

Exin biduum criminibus obiiciendis statuitur, utque sex dierum spatio interiecto reus per triduum defenderetur. Tum Fulcinius vetera et inania orditur, ambitiose avareque habitam Hispaniam: quod neque convictum noxae reo, si recentia purgaret, neque defensum absolutioni erat, si teneretur maioribus flagitiis. Post quem Servaeus et Veranius et Vitellius consimili studio, sed multa eloquentia Vitellius, obiecere: odio Germanici et rerum novarum studio Pisonem vulgus militum per licentiam et sociorum iniurias eo usque corrupisse, ut parens legionum a deterrimis appellaretur: contra in optimum quemque, maxime in comites et amicos Germanici saevisse: postremo ipsum devotionibus et veneno peremisse: sacra hinc et immolationes nefandas ipsius atque Plancinae: petitam armis rem publicam, utque reus agi posset, acie victum.

1. *Exin biduum* cet. Semper plus temporis reo quam accusatori tribui solebat: nam longiore tempore opus est ad sananda vulnera quam ad infligenda; *Mur.* „Tempus causam agendi accusatori et reo non semper idem statutum, sed id iudicis arbitrio definitum puto pro personarum et criminum qualitate: unde et Tiberius *sex dierum* tempus constituit, minime id facturus, si lege cautum fuisset. Cf. Plin. ep. 4, 9. Pedian. in Cic. or. p. Mil. et l. ab hostibus §. final. ex quibus causis maior." *Donat.* — *vetera et inania,* v. ad 1, 2, 6. — *ambitiose avareque habitam Hispaniam,* cf. c. 14 pr. et ad 3, 12, 1. Illud refer ad exercitus, hoc ad socios s. provinciales; *Ern.* Cf. Agr. 30. *si locuples hostis est, avari, si pauper, ambitiosi* Romani; *Walth.* — *quod neque convictum,* (probatum, ut 14, 40.) *neque defensum,* (refutatum) *reo absolutioni erat,* cf. Ind. III. v. *Participia Perf. pass. pro Substant. abstr.* et *Dativus obiectivus.* — *si teneretur maioribus flagitiis,* v. ad 11, 6, 2.

2. *Post quem Servaeus et Veranius et Vitellius,* v. Ind. I. *Postquam* ed. Ber. — *Pisonem vulgus militum per licentiam et sociorum iniurias* cet. cf. 2, 55. et 3, 14. — *in comites et amicos Germanici,* v. ad 1, 29, 2. — *ipsum devotionibus et veneno peremisse,* v. ad 2, 69, 2. — *sacra et immolationes nefandas* cet. cf. 2, 75. *nefandas,* in luctu publico et ob eum factas, ut *nefaria vox,* 3, 59 pr.; *Freinsh.* Quia impie in Caesarum domum factae; *Ryck.* et *Ern.* — *petitam armis rem publ.* — *acie victum.* cf. 2, 79—81. 3, 14.

CAPUT XIV.

Defensio in ceteris trepidavit. Nam neque ambitionem militarem, neque provinciam pessimo cuique obnoxiam, ne contumelias quidem adversum imperatorem infitiari poterat: solum veneni crimen visus est diluisse. Quod ne accusatores quidem satis firmabant, in convivio Germanici, quum super eum Piso discumberet, infectos manibus eius cibos arguentes. Quippe absurdum videbatur, inter aliena servitia et tot adstantium visu ipso Germanico coram id ausum: offerebatque familiam reus et ministros in tormenta flagitabat. Sed iudices per di-

versa implacabiles erant: Caesar ob bellum provinciae illatum, senatus nunquam satis credito, sine fraude Germanicum interiisse. *scripsissent expostulantes: quod haud minus Tiberius quam Piso abnuere. Simul populi ante curiam voces audiebantur: *non temperaturos manibus, si Patrum sententias evasisset:* effigiesque Pisonis traxerant in Gemonias ac divellebant, ni iussu Principis protectae repositaeque forent. Igitur inditus lecticae et a tribuno praetoriae cohortis deductus est, vario rumore, custos saluti an mortis exactor sequeretur.

1. *Defensio in ceteris trepidavit*, non bene successit; *Ern.* — *ambitionem militarem*, apud milites; *Ern.* Cf. ad 4, 2, 2. et H. 1, 1, 5. — *pessimo cuique*: in MS. et ed. Ber. *p. cui.* — *adversum imperatorem* exercitus, Germanicum. — *quum super eum Piso discumberet*: „in dextro stibadii cornu discumbebat Germanicus, in sinistro Piso: itaque, licet secundum locum occuparet Piso, super Germanicum discumbebat: de quo discumbendi ritu v. Sirmond. in Sidon. Apollin. ep. 1, 11.“ *Brot.* „Plutarchus in Sympos. lib. 1. qu. 3. locum honoratissimum in triclinio docet fuisse infimum in medio lecto, qui inde *consularis* dictus; primum in lecto imo hospitis seu convivii domini. Hoc apparet in loco Sall. hist. III. ap. Servium et Nonium: *Igitur discubuere: Sertorius inferior in medio; super eum Tuscus Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis; in summo Antonius, infra scriba Sertorii Versius, alter scriba Maecenas in imo medius inter Tarquitium et dominum Perpennam.* Itaque, si in triclinio, ut videtur, epulati, Germanicus discubuit loco consulari, in infimo medii lecti loco; *super eum* eodem in lecto iacuit Piso, non ad dextram, quod Freinsh. censebat, sed potius sinistram, certe post Germanici in sinistro latere iacentis tergum. Similiter de Agrippina a Nerone *comiter excepta superque ipsum collocata* inf. 14, 4. ubi Lipsius tantum duos accubuisse putat, uti hoc convivio tres; sed putat, non probat. Immo ut ibi aliud suadent sollennitas epularum, iuvenilis Neronis familiaritas et tractus in longum convictus, sic h. l. Germanici comitatus ipsiusque humanitas.“ *Ryck.* Medius imi lecti locus tribuitur domino convivii ab Horat. Sat. 2, 8, 23. *Nomentanus erat super ipsum* Nasidienum hospitem, *Porcius infra.* Germanicus autem in convivio suo honoratiorem potius locum Pisoni concessisse credendus est. Ceterum vel tironibus notum, veteres et Graecos et Romanos in tribus plerumque lectis circa mensam stratis et ternos in quovis lecto discubuisse. Hinc *triclinii* nomen, et inde sordidum plebeiumque habebatur, unum lectum a pluribus occupari. Cf. ad 11, 2, 2. intpp. Suet. Oth. 3. Lips. de ritu conviviorum ap. Rom. et Antiq. Lectt. 3, 1. Wieland. ad Hor. Sat. 1, 4, 86. n. 11. et 2, 8, 20. n. 3. — *infectos* veneno. — *tot adstantium visu*, in eorum conspectu. Cf. Ind. III. v. *Ablativi Substant. absolute positi.* Pichena et Heins. frustra coni. *visus.* — *offerebatque in tormenta*, torquendam, *familiam suam*, servos suos, *et in tormenta flagitabat ministros*, servos Germanici, qui *in convivio* eius ministrassent, ut 4, 10. sqq. *Familia* omnis res familiaris, τὰ χρήματα, saepius servi, quorum magna erat copia ditioribus nobilibusque. v. ad 3, 53.

2. *Sed iudices per diversa implacabiles erant*, v. ad 1, 65, 1. — *ob bellum provinciae* Pisoni demandatae *illatum* ab ipso. Cf. c. 13. et 2, 79 sq. — *nunquam satis credito*, ut ap. Liv. 4, 51. 29, 37. 39, 56; *Woph.* Cf. ad 1, 46, 1. — * *scripsissent expostulantes* MS. et edd. tam vet. quam rec. Locus mutilus, cuius lacunae explendae frustra impendetur opera. Verba haec delenda vel alieno loco inserta, ut et seqq. *quod — abnuere*, videbantur Lipsio et Mur. Mercerus coni. *submisse* (secreto murmure) *expostu-*

lantes, quod — abnueret sc. hoc. Faernus ex MS. (immo ex ingenio) *instabant accusatores, statim scribi sententias expostulantes*. Boxhornius *cur interfecisset expostulantes*. Hillerus (Racem. 26.) *quae Tiberius et Piso scripsissent* (cf. 3, 16. et Suet. Tib. 52.) *expostulantes*, postulantes; v. ad 1, 28, 5. Broterius *et quae scripsissent expostulantes*. Alii: *quae Piso et Plancina scripsissent* (v. 2, 78.) *expostulantes*. Moebius in Seebod. Promptuar. philol. (Archiv für Philol.) I, 1. p. 142. *scripsisse sententias expostulantes*, exprobrantes s. querentes, sententiam ab eo iam fuisse perscriptam. L. G. W. (Wortberg Annalium Taciti locos tres explanatos dedit, Gryphisw. 1817.) *quod scripsissent expostulantes*, quod vero ad id attinet quod Germanicus et Piso, ut accusatores edixerant, literas sibi scripsissent conviciis plenas, (nam *expostulare* pro insimulare et conviciari dictum 13, 37. Ter. Andr. 4, 1, 15. Cic. Tusc. qu. 5, 5. p. Sulla 15.) *haud minus — abnuere*. Omitto Schefferi (in obss. misc. T. VIII. p. 290.) aliorumque commenta.

3. *Simul populi* cet. Cf. 5, 4. — *Temperare* sibi, abstinere *manibus*, a vi, ut ap. Liv. 2, 23. 32, 20. — *Effigies*, sed plerumque ipsa corpora damnatorum et in carcere obtruncatorum, *in*, ad *Gemonias* scalas s. Gemonios gradus unco trahi et in Tiberim proiici solebant. v. ad 2, 32, 1. 4, 70. 5, 9. 6, 19. 25. H. 3, 74. 85. Dio 58, 11. Suet. Vit. 17. et de causa ad 4, 30, 2. De *Gemoniis*, loco praecipiti in Aventino monte et XIII. reg. Urbis vel in ipso clivo Capitol. non longe a carcere Mamertino, v. Donat. de Urbe Roma 3, 13. et Piranesi Antichita Romane T. I. extr. — *divellebant* et iam in eo erant ut divellerent et divellissent *ni* cet. v. ad 1, 35, 3. *divellebant* MS. et edd. vet. „Recte: *traxerant* in Gemonias ibique *divellebant*, discerpebant, κατέκοπτον, — *ni iussu Principis protectae*, a detrimento defensae, *repositaeque forent* in locum suum, unde populus traxerat.“ *Walth. devellebant* (a basibus revellebant) reposuere Brot. et Ern. v. ad 4, 74. Sed iam ad Gemonias tractae erant. Hinc nec *divellebant* h. l. convenit: nam *effigies*, statuae tales, solebant quidem scalis admotis laqueisque iniectis ex basibus vel bigis in terram detrahi, solo affligi et frangi vel conflari, (v. ad 2, 32, 1.) non vero in Gemoniis. Itaque crediderim, legendum esse *devolvebant* sc. de s. e Gemoniis in Tiberim. — *deductus est* domum suam e curia. — *vario rumore*, cf. Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant. in Partic.* — *custos saluti* MS. et ed. Bekk. II. Cf. Ind. III. v. *Dativus obiectivus*. In edd. rel. *c. salutis*. — *mortis exactor*, „praepositus ad exigendum perficiendumque supplicium et quasi custos, ut *exactor supplicii* 11, 37. Liv. 2, 5. Ambros. de Tobia c. 9. *exactor operum* Plin. ep. 9, 37. Gruter. inscr. p. 594, 2. ubi et n. 3. *exactor* ἀπλῶς, ut muneris nomen.“ *Lips.*

CAPUT XV.

Eadem Plancinae invidia, maior gratia; eoque ambiguum habebatur, quantum Caesari in eam liceret. Atque ipsa, donec mediae Pisoni spes, sociam se cuiuscunque fortunae et, si ita ferret, comitem exitii promittebat. Ut secretis Augustae precibus veniam obtinuit, paulatim segregari a marito, dividere defensionem coepit. Quod reus postquam sibi exitiabile intelligit, an adhuc experiretur dubitans, hortantibus filiis durat mentem senatumque rursum ingreditur, redintegratamque accusationem, infensas Patrum voces, adversa et saeva cuncta perpessus, nullo magis exterritus est, quam quod Tiberium sine miseratione, sine ira, obstinatum clausumque vidit, ne quo affectu perrumperetur. Relatus domum, tanquam defensionem in posterum

meditaretur, pauca conscribit obsignatque et liberto tradit. Tum solita curando corpori exsequitur. Dein multam post noctem, egressa cubiculo uxore, operiri fores iussit, et coepta luce perfosso iugulo, iacente humi gladio, repertus est.

1. *quantum Caesari in eam liceret*, v. ad Agr. 17. n. 4. — *donec mediae Pisoni spes* erant, quasi inter absolutionem et condemnationem, non minor illius spes quam metus huius. — *comitem exitii*: Huetius et Paschal. malebant c. *exilii*. Sed verba *si ita ferret* de ultimo malo sermonem esse arguunt; *Ern.* „Si Plancina ante dixit, sociam se fore *cuiuscunque fortunae*, in eo nihil aliud quaeri poterit nisi *exsilium*. Iam vero maiora promittit, *si ita ferret*, (quod extremum est) se etiam *comitem exitii* fore.“ *Walth.* — *si ita ferret* sc. res, Fortuna, ut H. 2, 44. Cf. ad O. 10. n. 5. et Ind. III. v. *Verba activa passive et absolute dicta* p. 842. — *dividere defensionem*, suam a defensione mariti, dissociare causam suam, ut sibi sola salutem quaereret gratiae Augustae confisa. Sic fere *separare* 16, 32. Cf. ad 1, 43, 3.

2. *an adhuc experiretur*, v. ad 3, 36, 2. — *durat mentem*, v. ad 1, 6, 3. — *redintegratamque accusationem* ferri potest, quod et in audiendis criminibus molestia est: sed elegantius foret *redintegrataque accusatione*; *Ern.* Hoc omnino rectius; *Oberl.* Immo maior vis est in vulgata scriptura; *Walth.* — *nullo*, nulla re. — *sine miseratione, sine ira*, ita ut adversus omnes affectus eorumque mutationem firmatus esset. — *obstinatum clausumque*, qui obstinate decrevisse videretur os claudere — *ne quo* (aliquo) *affectu perrumperetur*, cf. ad 4, 40, 2. Aliquem affectum proderet *Ern.* — *liberto tradit*, v. ad 4, 23, 1. *libero* ed. Ald. — *Tum solita curando corpori exsequitur*, lavat, ungitur, fricatur, extergitur, coenat; *Mur.* Ne quis consilium mortis voluntariae agitari suspicaretur et exsecutionem eius impediret. — *operiri fores*, claudi. — *coepta luce*, v. ad 1, 65, 1.

CAPUT XVI.

Audire me memini ex senioribus, visum saepius inter manus Pisonis libellum, quem ipse non vulgaverit, sed amicos eius dictitavisse, *literas Tiberii et mandata in Germanicum contineri; ac destinatum, promere apud Patres Principemque arguere, ni elusus a Seiano per vana promissa foret: nec illum sponte exstinctum, verum immisso percussore.* Quorum neutrum asseveraverim: neque tamen occulere debui narratum ab iis, qui nostram ad iuventam duraverunt. Caesar, flexo in maestitiam ore, suam invidiam tali morte quaesitam, apud senatum; crebrisque interrogationibus exquirit, qualem Piso diem supremum noctemque exegisset. Atque illo pleraque sapienter, quaedam inconsultius respondente, recitat codicillos a Pisone in hunc ferme modum compositos: *Conspiratione inimicorum et invidia falsi criminis oppressus, quatenus veritati et innocentiae meae nusquam locus est, deos immortales testor, vixisse me, Caesar, cum fide adversum te neque alia in matrem tuam pietate, vosque oro, liberis meis consulatis; ex quibus Cn. Piso qualicunque fortunae meae non est adiunctus, quum omne hoc tempus in Urbe egerit, M. Piso repetere Syriam dehortatus est. Atque utinam ego potius filio iuveni quam ille patri seni cessisset! Eo impensius precor, ne meae pravitatis poenas innoxius luat. Per quinque et quadraginta annorum obsequium, per collegium consulatus*

quondam divo Augusto parenti tuo probatus et tibi amicus nec quicquam post haec rogaturus salutem infelicis filii rogo. De Plancina nihil addidit.

1. *literas Tiberii et mandata in Germanicum* (cf. Ind. III. v. *In*) *contineri* sc. eo libello. Cf. Suet. Tib. c. 52. *contineri* MS. et edd. vet. *continere* edd. Lips. Grut. Pich. al. — *immisso percussore*, v. ad 6, 45, 2. — *nostram ad iuventam*, v. ad 1, 3, 8. et Praefat. a nostram de vita Taciti. — *duraverunt*, vitam perduxere vel produxere. Cf. ad G. 30. n. 2. ad Agr. 44. n. 8. O. 17. Plin. 9, 21. Plaut. Trinum. 2, 2, 13.

2. „*Caesar flexo in maestitiam ore* sc. ait, dicit in senatu: (nam in eo res actas, per totum locum satis intelligitur, et alibi etiam noster a rebus quibuscunque subito transit ad res in senatu actas, ut inf. cap. 23.) *suam invidiam tali morte quaesitam apud senatum*. Haec enim iungenda, et *invidia apud senatum* dicta, ut *mirus apud populum favor* 1, 7. Poterat autem Tiberius videri propterea periculis Pisonem pridie exemisse, ut permissa voluntaria morte reum iudicibus eriperet, et nil profecto ingratius accusatoribus accidere potuit, quam subitus Pisonis exitus. *Crebrisque interrogationibus exquirit* sc. ex testibus in tali causa haud dubie accitis et interrogatis in senatu, (ut 16, 32.) *qualem Piso — exegisset. Atque illo* sc. senatu tum *respondente* (sententias dicente) *pleraque sapienter*, h. e. ita ut invidia Tiberii vitaretur, (haec enim erat illa sapientia; cf. 6, 10. 14, 60.) *quaedam inconsultius*, ita ut Tiberium viderentur offendisse, *recitat codicillos* cet.“ *Walth.* Similiter Wolper in Seebodii Archiv für Philol. a. 1825. I, 4. p. 788. Recte, opinor, nisi quod post *quaesitam* distinguere malim hoc sensu: *Caesar, flexo in maestitiam ore, suam invidiam tali morte quaesitam* esse, (quasi ipse percussorem immisisset) *apud senatum* sc. queritur, ait, dicit. Cf. Ind. III. v. *Ellipses* nr. 5. Nonnulli asteriscum ponunt post *senatum* et excidisse putant vel *ait*, *dicit*, vel plura de liberto Pisonis, de quo v. cap. 15. Alii *filio* (Pisonis) pro *illo* legendum censent. — *recitat codicillos*, codicillum (v. ad 1, 6, 6. et Ind. III. v. *Numerus* plur. pro sing.) a Pisone conscriptum et liberto traditum, (v. cap. 15.) a Tiberio autem iam ante perlectum. — *quatenus*, quando, quandoquidem, quoniam, ut O. 5. 19 pr. Plin. ep. 3, 7, 14. Quintil. 2, 4, 13. 4, 2, 66. 6, 2, 12. Duk. ad Flor. 1, 5. Drak. ad Liv. 2, 55. Wolf. ad Hor. Sat. 1, 1, 64. Oudend. et Bremi ad Suet. Claud. 26. Iidem et alii docent, rectius scribi *quatenus* et *protenus*, quam *quatinus* et *protinus*. v. ad G. 43. n. 19. — *veritati*, veracitati. v. ad 1, 75, 1. — *liberis meis consulatis*, cf. ad 3, 46. Hinc ne moriens quidem scelus Tiberii detexisse videtur; *Mur.* — *M. Piso repetere Syriam dehortatus est*, v. 2, 76. — *utinam ego potius filio — cessisset*, cf. ad 1, 55, 2. — *per collegium consulatus*, v. ad 3, 12, 1. — *De Plancina nihil addidit* sc. Piso, neque quo eam sublevaret, quam iam oderat, ut perfidam, neque ut premeret frustra in tanta Augustae gratia; *Mur.* Cf. c. 15.

CAPUT XVII.

Post quae Tiberius adolescentem crimine civilis belli purgavit: patris quippe iussa nec potuisse filium detrectare; simul nobilitatem domus, etiam ipsius quoquo modo meriti gravem casum miseratus. Pro Plancina cum pudore et flagitio disseruit matris preces obtendens in quam optimi cuiusque secreti questus magis ardescebant: *Id ergo fas aviae, interfectricem nepotis aspicere, alloqui, eripere senatui! Quod pro omnibus civibus leges obtineant, uni Germanico non contigisse. Vitellii et Veranii voce defletum Caesarem: ab Imperatore et Augusta*

defensam Plancinam. Perinde venena et artes tam feliciter expertas verteret in Agrippinam, in liberos eius; egregiamque aviam ac patruum sanguine miserrimae domus exsatiaret. Biduum super haec imagine cognitionis absumptum, urgente Tiberio liberos Pisonis, matrem uti tuerentur. Et quum accusatores ac testes certatim perorarent respondente nullo, miseratio quam invidia augebatur. Primus sententiam rogatus Aurelius Cotta consul (nam referente Caesare magistratus eo etiam munere fungebantur) nomen Pisonis radendum fastis censuit, partem bonorum publicandam; pars ut Cn. Pisoni filio concederetur isque praenomen mutaret. M. Piso, exuta dignitate et accepto quinquagies sestertio, in decem annos relegatur, concessa Plancinae incolumitate ob preces Augustae.

1. *Tiberius adolescentem*, M. Pisonem, *crimine civilis belli purgavit*, absolvit. Ratio continetur cap. 16. et 2, 76 sq. — *patris quippe iussa* cet. „Immo talia patris iussa potest ac debet detrectare. Cf. Gell. 2, 7. et Grot. de iure belli ac pacis 2, 26." *Brot. detrectare*, v. ad 14, 52. — *cum pudore et flagitio* per ἓν διὰ δυοῖν dicta, ut H. 4, 62. *rubore et infamia*: nam *pudor* ac *rubor*, qui animi sensus sunt, cum *flagitio* atque *infamia* ita demum iungi possunt, si haec posteriora ex illis prioribus pendere per Genitivum obiecti existimaveris; *Roth.* p. 33. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin*. „*Flagitium* h. l. et 1, 27. proprie dictum de acri turpique efflagitatione. Hinc est id. qd. scelus flagrans, inpr. vitiatio virginis post turpem eiusmodi efflagitationem." *Doederl.* Synon. II. p. 142 sq. Cf. ad G. 12. n. 6. — *interfectricem nepotis*, cf. Ind. III. v. *Metonymia* et *Verba insolentiora*. — *eripere senatui*, eius cognitioni et potestati puniendi. — *quod pro omnibus civibus leges obtineant*, ut interfectores morte puniantur; *Brot.* — *Vitellii et Veranii voce*, cf. cap. 10. 13. — *defletum*, ut c. 49 pr. — *Perinde* MS. edd. Ber. Rhen. 1. Iac. Gron. Ern. et al. *Proinde* edd. Rhen. 2. 3. Ald. et seq. „Ego concedo, promiscuum utriusque voc. usum in plerisque formulis obtinere: unde *perinde ac si* eodem sensu invenitur in inscr. ap. Grut. p. 242. quo *proinde ac si* ap. Muratori Thes. I. p. 362. Neque tamen nego, satis luculentum discrimen intercedere. Nempe utrumque comparationem instituit, diversa tantum ratione. *Perinde* indicat nexum temporis aut loci, (Germ. ebenso) *proinde* nexum causae, demgemäfs. Boni libri satis constantes sibi sunt in hoc utriusque vocis usu. Igitur *perinde verteret* est continuaret vertere; *proinde verteret* id. qd. verteret ratione habita gratiae, qua fruatur apud Imperatorem et Augustam. Utrumque h. l. convenit; sed Tacitus in exhortatione constanter habet *proinde*, ut 1, 11. 16. 26. al." *Walth.* Cf. ad G. 5. n. 8. et Agr. 10. n. 6. Orell. ad Cic. p. Mil. 7. Herzog. ad Caes. B. G. 7, 66. Hofman. in Iahnii Annal. paedag. VII, 1. p. 32. — *venena et artes*, cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin*. — *egregiam aviam*, εἰρωνικῶς, ut 1, 59.

2. *Biduum super haec imagine cognitionis absumptum*: „Recte *super haec*: non enim denotatur argumentum, in quo tractando per biduum versabantur, quod requireret *super his*, (ut ap. Suet. Caes. 5. *habuit et ipse super ea re concionem*) sed res, inter quam vel qua durante aliquid factum est, (ut *super coenam, vinum, epulas* Suet. Iul. 87. Oct. 77. Tib. 56. Plin. ep. 3, 5. 4, 22. Curt. 8, 4.) quod eximie h. l. convenit. Nam *super his* significat, cognitionis illius molem biduo tantum potuisse perfici, quod minime vult auctor; *super haec*, brevius quidem illam consultationem potuisse absolvi, biduum tamen esse consumptum, dum illa consultantur; idque exacte exprimit Taciti mentem. Nam cum indignatione haec eloquitur. Verba *imagine cognitionis* absolute posita sunt hoc

sensu: quum tamen imago tantum cognitionis daretur. Igitur *super haec* non est id. qd. *post haec* vel *praeter haec* vel *in his*, neque leg. *super hac imagine* aut *per haec*, aut *biduum super* (pro *super biduum*) *hac imagine* cet.“ *Walth.* „*Super* cum sexto casu est id. qd. *de*, ut 2, 35. 11, 3. 15. 23. 12, 38. 61. 15, 5. cum sexto et quarto casu id. qd. *propter* et *in*, ut 3, 17. *super haec*, Germ. darüber, deswegen, damit, 6, 49. *tali super casu*, 15, 36. *super ea profectione*, 15, 52. *super eo crimine*, propter hoc crimen, huius criminis specie.“ *Boett.* Lex. Tac. *haec* MS. sed puncto sub *e* posito. *Imago*, ut al. *species*, *umbra*, *nomen* et *inania*, (ὄνομα et κενὸν s. κωφὸν ὄνομα et similia) quae *vi* et *robori* vel ipsi *personae* et *rei* opponuntur. Cf. ad 4, 6, 1. Ind. II. H. 1, 30. (*si res publica et senatus et populus vana s. vacua nomina sunt*) Heins. et Ruhnk. ad Vell. 2, 30. (*imago tribuniciae potestatis sine vi*) Iacobs ad Anthol. Gr. II, 2. p. 330. Sic et H. 4, 15. extr. *nomen magis exercitus quam robur*, et *segnem numerum*: nam *numerus* etiam cum contemptu dicitur 14, 27. Hor. epist. 1, 2, 27. (*Nos numerus sumus et fruges consumere nati*) Aristoph. Nub. v. 1206. ὄντες λίθοι, ἀριθμός, πρόβατ᾽ ἄλλως. — *respondente nullo*, nemine ream defendente. — *miseratio quam invidia augebatur*, v. ad 1, 57, 1.

3. *Primus sententiam rogatus Aurelius Cotta consul* et secundus *Valerius Messalinus* alter consul. Cf. c. 18. et ad 3, 22, 3. — *nam referente* ad senatum *Caesare magistratus etiam eo munere fungebantur* sc. censendi, sententiam dicendi. „Non vane id notat: prisco enim more magistratus a iudicandi onere immunes. v. Cic. Verr. 1, 10. et alii.“ *Lips.* Sententia vero h. l. est potius, *referente Caesare* etiam consules censuisse; nam superior refert et rogat sententias Patrum, inferiores censent et rogantur. Cf. ad 3, 22, 3. Mireris tamen, *magistratus* h. l. esse id. qd. *consules*, et suspicari possis, excidisse *hi* vel *summi*. — *nomen Pisonis* patris *radendum fastis*, ut aboleretur omnis eius memoria. Sic et *nomen fastis eradere*, *eximere*, (c. 18.) *delere*, *evellere*. — *partem bonorum publicandam*, publici iuris faciendam. Nam *publicum* dicitur quod populi est. *Publicare* proprie est *publicum facere*, id. qd. *in publicum*, (*poplicum*) *in* populi usum *redigere*, Germ. das Privateigenthum für den Staat einziehen; deinde et rem sive bona eorumque possessionem, usum et administrationem populo adiudicare, nostrum den Besitz einer Sache dem Staate zu dessen Verfügung zuerkennen, ut *publicare aurarias Marii* 6, 19. *publicare Aventinum* ap. Liv. 3, 30. Cf. Niebuhr Röm. Gesch. T. I. p. 552. 647. T. II. p. 153. 172. 339. ed. 2. — *isque praenomen mutaret*, v. ad 2, 32, 1. Sumpsit praenomen *Lucii*: nam Dio 59, 20. tradit, L. Pisonem, Cn. Pisonis et Plancinae filium, a. U. c. 792. praefuisse Africae sub Claudio; *Lips.* Videtur etiam esse idem qui *L. Calpurnius* dicitur inf. 4, 62. consul a. 780. Cn. Pisoni non nisi duos fuisse filios, e c. 16. intelligitur. — *exuta dignitate* senatoria. — *accepto quinquagies sestertio*, v. ad 2, 37, 1. Vere ergo Sen. cons. ad Helv. 12. *Eo temporum luxuria prolapsa est, ut maius viaticum exsulum sit quam olim patrimonium Principum fuit*; *Lips.* — *relegatur* edd. vet. *religatur* MS. *relegaretur* edd. rec. ex emend. Mur. et Lips. „Sed vulgare est, senatores sententiam dicentes facere dici, quod fieri volunt. Sic *arcebatur* 3, 23. *puniebant*, (h. e. puniendos esse censebant) — *relegabant* — *mulctabant* — *occidunt* — *relegant* ap. Plin. ep. 8, 14. Itaque h. l. *M. Piso relegatur* ab Aurelio Cotta est id. qd. hic censuit, ut ille relegaretur. Inde a *M. Piso* structura a priori forma deflectit, et in verbo *mutaret* finis est sententiae de Cn. Pisone latae. Sequuntur, quae idem de M. Pisone censuit.“ *Walth.* Tacitus ulteriora sententiae a Cotta dictae quasi narrans exsequitur; *Kiessl.* Cf. ad 2, 85, 1.

CAPUT XVIII.

Multa ex ea sententia mitigata sunt a Principe: ne nomen Pisonis fastis eximeretur, quando M. Antonii, qui bellum patriae fecisset, Iuli Antonii, qui domum Augusti violasset, manerent. Et M. Pisonem ignominiae exemit concessitque ei paterna bona, satis firmus, ut saepe memoravi, adversum pecuniam et tum pudore absolutae Plancinae placabilior. Atque idem, quum Valerius Messalinus signum aureum in aede Martis Ultoris, Caecina Severus aram Ultioni statuendam censuissent, prohibuit, *ob externas ea victorias sacrari* dictitans, *domestica mala tristitia operienda*. Addiderat Messalinus, Tiberio et Augustae et Antoniae et Agrippinae Drusoque ob vindictam Germanici grates agendas, omiseratque Claudii mentionem. Et Messalinum quidem L. Asprenas senatu coram percunctatus est, an prudens praeterisset? ac tum demum nomen Claudii adscriptum est. Mihi, quanto plura recentium seu veterum revolvo, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obversantur: quippe fama, spe, veneratione potius omnes destinabantur imperio quam quem futurum Principem Fortuna in occulto tenebat.

1. *ne nomen Pisonis fastis eximeretur*, (v. ad 3, 17, 3.) *quando*, quandoquidem, (v. ad 1, 57, 1.) *M. Antonii* IIIviri et *Iuli Antonii* sc. nomina *manerent* in fastis. E fastis tamen Capitol. erasum M. Antonii cos. nomen et postea restitutum; *Mur*. Cf. Cic. Phil. 13, 12. *iulii*, *antonii* MS. *Iulii Antonii* edd. vet. v. ad 1, 10, 2. — *qui domum Augusti violasset*, v. ad 1, 10, 2. — *satis firmus adversum pecuniam*, eius cupiditatem, ut contra *infirmus adv. pec.* Vespasianus Aur. Vict. de Caes. c. 9. dicitur; *Pich.* — *ut saepe memoravi*, 1, 75. 2, 48. 4, 64. 6, 45. — *et tum pudore*, propter pudorem, *absolutae Plancinae*, quia eum pudebat huius absolutionis. *dum* pro *tum* MS. ut 1, 3. et 2, 36. — *Valerius Messalinus*, v. ad 2, 32, 1. 3, 2, 3. 3, 17, 3. — *signum aureum* sc. Martis Ultoris. — *Caecina S. aram Ultioni statuendam c.*, v. ad 1, 14, 2. *Caecinna* ed. Ald. et paulo post *victoria* ed. Ber. — *domestica mala tristitia operienda*, „ob tristitiam super illis famam eorum silentio abolendam esse, ut *operire luctum* et *quantum eruditorum quies operit ac subtrahit famae* ap. Plin. ep. 3, 16. et 7, 25." *Walth.* Cf. ad 11, 26, 1.

2. *omiseratque Claudii mentionem*, v. ad 2, 71, 1. — *ludibria rerum mortalium* et *Fortunae*, ut *Fortunae ludibria* et *ludibria casus edentis* ap. Cic. parad. 1, 2. et Liv. 30, 30. *Fortunae secretus mimus*, *ludus*, *lusus*, *iocus*, *fortuiti casus* et similia. Cf. ad 6, 22, 1. 14, 5. H. 1, 4, 1. Agr. 3. n. 4. intpp. Iuvenal. 3, 40 sq. 6, 605 sq. Oudend. ad Suet. Tib. 19. Mitscherl.. ad Hor. od. 1, 35, 1. 3, 29, 49 sq. Iacobs. ad Anthol. Gr. II, 3. p. 47. 256.

CAPUT XIX.

Paucis post diebus Caesar auctor senatui fuit Vitellio atque Veranio et Servaeo sacerdotia tribuendi. Fulcinio suffragium ad honores pollicitus monuit, ne facundiam violentia praecipitaret. Is finis fuit ulciscenda Germanici morte, non modo apud illos homines, qui tum agebant, etiam secutis temporibus vario rumore iactata. Adeo maxima quaeque am-

bigua sunt, dum alii quoquo modo audita pro compertis habent, alii vera in contrarium vertunt; et gliscit utrumque posteritate. At Drusus, Urbe egressus repetendis auspiciis, mox ovans introiit; paucósque post dies Vipsania mater eius excessit, una omnium Agrippae liberorum miti obitu: nam ceteros manifestum ferro vel creditum est veneno aut fame exstinctos.

1. *sacerdotia tribuenda*, quae varii generis erant. — *Fulcinio* cet. cf. cap. 13. — *Is finis fuit* (ut H. 14, 4.) *ulciscenda Germanici morte*, ut *explenda simulatione* 14, 4. Sed ap. Liv. 3, 36. *is finis Appio alienae personae gerendae fuit.* Hinc *ulciscendae mortis* vel *morti* coni. Günther in Athen. II, 2. p. 278. Hoc vero significat, eos ultionem non ultra esse exsecutos, quum potuissent; et *ulciscenda morte*, (quod tempus indicat) eum fuisse finem tum, quum hanc mortem ulciscerentur, vel ita ad finem perductam esse actionem de ulciscenda G. morte; *Walth.* Cf. Ind. III. v. *Ablativi pendentes ex omissa praep.* in et *Genitivi ex se pendentes*, et Ramshorn. Gram. p. 444. 445. — *non modo* — sed *etiam*, v. ad 1, 60, 1. — *qui tum agebant*, v. ad 1, 68, 1. — *iactata*, v. ad 11, 9, 2.

2. *Adeo maxima quaeque ambigua sunt:* similis querela Thucyd. 1, 20. nec dubium, quin ad eum locum respexerit Noster; *Lips.* — *alii quoquo* (quocunque) *modo audita pro compertis habent*, v. ad 1, 3, 6. *audita* MS. a m. sec. edd. Gryph. et rec. *audire* MS. a m. pr. et edd. vet. prob. I. Gron. quia Infinit. pro Substant. aut Partic. usurpetur. *audiere* coni. Herrm. quod ferendum, si ante *quoquo* excidit *quae.* — *gliscit* (v. ad 1, 1, 3.) *utrumque posteritate*, per posteros, vel, ut ante dictum, *secutis temporibus vario rumore iactatum.*

3. *At Drusus Urbe egressus repetendis auspiciis*, ut repeteret auspicia, h. e. reciperet imperium, quod Urbem ingressus amiserat. Cf. Ind. III. v. *Gerundia in Dativo.* „More prisco obtinuit, ut, qui e provinciis cum imperio redirent, illud ipsum amitterent, simul intrassent Urbem, quique triumphans ovansve Urbem ingrederetur, cum imperio id faceret in illum diem. Drusus autem imperium amiserat ingressus Urbem ob fratris sui mortem. v. cap. 11 pr. Debuit ergo repetere auspicia et imperium, ut *ovaret.* Hinc Dio 53, 32. tradit, Augusto decretum perpetuum proconsulare imperium, ita ut nec, si intra Urbem venisset, minueretur, neve necessum esset ἀνανεοῦσθαι τὴν ἀρχήν. Cf. et Liv. 26, 9. 21. 45, 35. Cic. ad Att. 7, 1. et 7. Coel. ad Cic. ep. 6. Ulpian. l. ult. de off. proc. *Proconsul portam Romae ingressus deponit imperium.*“ *Lips.* v. et Cuiac. obss. 12, 13. Gruch. refut. poster. disp. Sigon. c. 4. Magistratus autem Romae iniri solebant *auspiciis* rite captis. Hinc Liv. 22, 1. de C. Flaminio, qui ante initum consulatum ab Urbe profectus erat: *Quod enim illi iustum imperium, quod auspicium esse! Magistratus id a domo, publicis privatisque penatibus, Latinis feriis actis, sacrificio in monte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis, secum ferre, nec privatum auspicia sequi, nec sine auspiciis profectum in externo ea solo nova atque integra concipere posse.* Cf. inf. 3, 59, 2. Ceterum *auspicia* etiam *repetenda* erant, si non rite capta et quaedam *vitio*, h. e. contra auspicia s. inauspicato et non auspicato facta essent. Tum *dies* vel *comitia dirimi* s. *diffindi* et *auspiciis repetitis* s. *renovatis* novi magistratus creari iterumque lex ferri et res geri solebant. Cf. ad H. 1, 18, 1. Liv. 5, 17. 6, 27. 8, 23. 30. 9, 38. 39. 10, 3. 23, 19. 30, 39. Saepe autem Patres *mentiebantur* s. *ementiebantur auspicia.* v. Liv. 10, 40. 21, 63. *repetitis auspiciis* coni. Mur. quod quidem aptum videri potest, sed melior lectio vulgata. *Drusus* nunc *Urbe egressus est repetendis auspiciis*: nam *auspicia* vel urbana erant et in omnibus Urbis collibus excepto Aventino haberi poterant ab augure,

vel extra Urbem capiebantur et quidem a maioribus magistratibus in locis septis et sub dio adhibito augure, vel in ipso tabernaculo vel extra illud, et tentorio rite capto sacrisque peractis. — *mox ovans introiit Urbem*, unde *triumphalis* dicitur 3, 56 extr. Cf. ad 1, 72, 1. et 2, 64, 1. — *Vipsania excessit*; v. ad 2, 71, 1. *Vipstania* MS. teste Furia. v. ad 11, 23, 1. — *una omnium Agrippae liberorum miti obitu*: „citra vim et ex fato. M. Agrippae ex tribus uxoribus plures fuere liberi; ex Pomponia Attici filia *Vipsania* Drusi mater, de qua hic; ex Marcella Octaviae filia proles quidem, sed parum nota et fortasse non vitalis; (v. Suet. Aug. 63.) ex Iulia Augusti filia Caius, Lucius, Postumus Agrippa, Agrippina et Iulia. Ex his Caius et Lucius perierunt veneno, (v. 1, 3.) Agrippina fame, (6, 25.) Postumus ferro, (1, 6.) at ex natura non modo Vipsania sed et Iulia, de qua v. 4, 71. Sed forsan haec quoque *fame exstincta* in diuturno miserrimoque exsilio; aut certe id *creditum est*." *Lips*. Haec fame haud dubie periit.

CAPUT XX.

Eodem anno Tacfarinas, quem priore aestate pulsum a Camillo memoravi, bellum in Africa renovat, vagis primum populationibus et ob pernicitatem inultis: dein vicos exscindere, trahere graves praedas: postremo haud procul Pagyda flumine cohortem Romanam circumsedit. Praeerat castello Decrius impiger manu, exercitus militia et illam obsidionem flagitii ratus. Is cohortatus milites, ut copiam pugnae in aperto facerent, aciem pro castris instruit; primoque impetu pulsa cohorte promptus inter tela occursat fugientibus, increpat signiferos, quod inconditis aut desertoribus miles Romanus terga daret. Simul excepta vulnera; et quanquam transfosso oculo adversum os in hostem intendit, neque proelium omisit, donec desertus suis caderet.

1. *Tacfarinas, quem priore aestate pulsum a Camillo memoravi* 2, 52. — *vicos exscindere*: habet Tacitus tum *exscindere*, tum *excidere*; *Iac. Gron.* v. Ind. II. *excincedere* MS. *excindere* ed. Ber. et al. — *Pagyda flumine* in Numidia. „Idem mihi videtur esse quod nunc dicitur *Abead*. Inter fontes fluminum Abead et Mejerda erat castellum Rom. Alius *rivus Pagida* s. *Belus* ap. Plin. 5, 19. s. 17. in Phoenice." *Brot.* qui etiam *Pagyda* ex MS. et edd. vet. restituit. *Pagida* edd. rec. praeter Bekk. II. — *Decrius*, cf. ad 11, 35, 2. — *illam obsidionem flagitii ratus* esse, flagitiosam, turpem, quia probrosum, Romanos ab inconditis praedonibus et militiae rudibus obsideri; *Brot. obsidionem flagitii* esse, v. ad G. 6. n. 14. et Ind. III. v. *Genitivi pendentes ex omissa voce.*

2. *copiam pugnae in aperto* loco s. campo, ut H. 3, 23. et Agr. 36. Liv. 1, 33. 22, 4. 23, 46. 36, 17. ἐν καθαρῷ ap. Hom. Il. 8, 491. Cf. ad H. 3, 23, 3. et Ind. III. v. *Adiectiva neutra*. — *aciem pro castris instruit*, v. ad 2, 81, 1. — *inconditis*, ut *inconditae turbae* 2, 52. de iisdem, non *disciplina et imperiis suetis* barbaris. — *desertoribus*, ad Tacfarinatem profugis, quum prius stipendia meruissent sub Romanis; *Freinsh.* — *Simul excepta vulnera* ab eo sunt, sc. clipeo, vel ut *excipere tela, impetum, pugnam, pericula*. Sic locum recte interpunxere Rhen. aliique veterum, ut et Wopk. Ob. Walth. — *et* — *adversum os in hostem intendit*, vertit, obvertit. „Vocula *et* transitum facit, ut c. 21. *et dum ea ratio* cet." *Walth.*

CAPUT XXI.

Quae postquam L. Apronio (nam Camillo successerat) comperta, magis dedecore suorum quam gloria hostis anxius raro ea tempestate et e vetere memoria facinore decimum quemque ignominiosae cohortis sorte ductos fusti necat. Tantumque severitate profectum, ut vexillum veteranorum, non amplius quingenti numero, easdem Tacfarinatis copias praesidium, cui Thala nomen, aggressas fuderint. Quo proelio Rufus Helvius gregarius miles servati civis decus retulit donatusque est ab Apronio torquibus et hasta. Caesar addidit civicam coronam, quod non eam quoque Apronius iure proconsulis tribuisset, questus magis quam offensus. Sed Tacfarinas, perculsis Numidis et obsidia aspernantibus, spargit bellum, ubi instaretur, cedens ac rursum in terga remeans. Et dum ea ratio barbaro fuit, irritum fessumque Romanum impune ludificabatur. Postquam deflexit ad maritimos locos, illigatus praeda stativis castris adhaerebat. Missu patris Apronius Caesianus cum equite et cohortibus auxiliariis, quis velocissimos legionum addiderat, prosperam adversum Numidas pugnam facit pellitque in deserta.

1. *decimum quemque ignominiosae cohortis sorte ductos fusti necat*, v. ad 2, 85, 1. 4, 24, 2. H. 2, 22, 5. et G. 6. n. 17. Totidem verba Sallustiana Servius ad Virg. Aen. 2, 201. citat; *Lips.* Fuit autem antiquissimum supplicii genus idemque atrocissimum, ut reus damnatus, cruci plerumque seu furcae alligatus, virgis caederetur ad mortem, (*more maiorum puniretur* ap. Suet. Ner. 49.) et deinde securi percuteretur: qui mos servatus est in criminibus gravissimis, (v. Liv. 2, 5. 7, 19. 26, 15. 28, 29.) in perduellibus, (Liv. 1, 26. et al.) in stupratoribus virginum Vestalium (Liv. 22, 47. Dionys. 8, 89. 9, 40.) et in militia. (Liv. 2, 59.) In huius saevitiae locum successit mox lenior ratio, ut reus securi percuteretur ante quam exspiraret sub virgis; cuius prima memorantur exempla a Liv. 2, 5. et 41. Non defuere tamen qui crederent, verberationem fuisse genus quaestionis ante ipsum supplicium adhibitae, aut eo spectasse, ut reus se mori sentiret. Postea lege Valeria de provocatione cautum, ne, qui provocasset, virgis caederetur securive necaretur, et lege Porcia ac Sempronia Ti. Gracchi, ne civem praeter milites virgis caedi liceret. v. Liv. 2, 8. 10, 9. et Cic. p. Rabir. perd. 4. Aevo autem posteriori et praecipue Imperatorum in militia *fustis* occupavit virgae locum et institutum est fustuarium sc. supplicium, (ξυλοκοπία) quod fuit gravissimum et urbanum quoque, sed plerumque militare. Milites flagitii rei, damnati et a tribuno fuste tacti, vel singuli et aliquot, vel *decimus quisque sorte ducti*, (quae *decimatio* est) fustibus saxisque a commilitonibus peti et plerumque ita *necari* vel fustibus ad necem caedi solebant. Diversa ab hac poena capitali erat castigatio, quae fustibus fiebat; haec vero gravior quam quae vitibus, quibus milites ob leviora delicta caedebantur a centurionibus. De hac poena v. ad 1, 23, 2. de fustuario et decimatione Liv. 5, 6. Duk. ad Liv. epit. 57. Lips. de mil. Rom. 5, 18. intpp. Vell. 2, 78. Sil. 6, 43. Cort. ad Plin. ep. 2, 11, 8. inpr. Polyb. 6, 36—38. et Heyne in Opusc. Acad. T. III. p. 184 sq. *fuste* edd. vet. sed *fusti* MS. edd. Pich. et rec. ut 4, 24. 14, 8. 44. et ap. Vell. 2, 78 extr. ubi MS. *fusti*, quod late ibi asserit Heinsius; *Ern.* Sic et *civi, classi, sorti, angui, ungui, imbri, avi, posti, amni, igni* al. Cf. ad G. 45. n. 18. intpp. Sil. 7, 368. 8, 125. 10, 462. Ruddim. inst. Gram. T. I.

p. 85. ed. Stallb. Grotef. Gramm. T. I. §. 31. p. 41. 42. ed. IV. — *Tantumque severitate profectum,* ut Agr. 16. et 19. — *vexillum veteranorum, non amplius quingenti numero,* v. ad Agr. 18. n. 3. — *praesidium,* (v. ad 2, 67, 1.) *cui Thala nomen,* vel *Telepte,* sedes episcopalis medio aevo, quam Shaw Travels in Barbary T. 1. P. 2. Ch. 5. in Byzacio coniicit esse *Ferre-anah; Oberl.* Cf. Sallust. Iug. 75. al. 78. Flor. 1, 3. et Strab. — *servati civis decus retulit,* v. ad 2, 83, 1. — *donatus est torquibus et hasta,* v. ad 1, 44, 2. — *civicam coronam,* v. ad 2, 83, 1. — *quod non eam quoque Apronius* cet. cf Suet. Oct. 25. et Tib. 32. Proconsul is in numo Drusi Caes. ap. Vaillant. in NN. Col. memoratur; *Oberl.*

2. *perculsis Numidis,* perterritis, *et obsidia aspernantibus,* (ut 1, 16.) quum nollent obsidere aut oppugnare ultra praesidia Rom. male bis terque accepti; *Lips.* Quum nollent obsidendis locis bellum gerere; *Ern.* — „*Spargere bellum* est diversis locis vel diviso exercitu, (quod et *distrahere* dicitur) vel vagando gerere; h. l. cum copiis vagari incertis locis et ubique *circumferre bellum,* ut Livius loqui solet. v. Burm. ad Val. Fl. 5, 488. et Lucan. 3, 64.“ Ern. Sic et *spargere arma* dixit Virg. Aen. 7, 551. *circumferre arma* et *bellum* Tac. Ann. 13, 37. Liv. 1, 38. 53. 9, 41. 45. 28, 3. 30, 9. et fortasse *serere proelia* H. 5, 11, 2. nisi dictum ibi pro *conserere,* ut *serere certamina, discordias, lites* cet. pro *movere.* Cf. Agr. 38. Sil. 1, 267. 9, 277. 17, 509. — *in terga remeans,* recedens, insequens; *Ern.* — *ea ratio* bellandi, ludificandi. — *irritum Romanum,* frustra ei instantem, cuius consilia et coepta erant irrita. *irritum fessumque* per ἓν διὰ δυοῖν pro *frustra fessum*; *Roth.* p. 57. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin.* — *illigatus praeda,* impeditus, occupatus, detentus, gravis, ut 15, 1. H. 3, 46. al. — *stativis castris adhaerebat,* in iis haerebat, paulo diutius morabatur. Quod fecit, ne vires deficerent praedaque periret; *Brot. adhaerebat* MS. edd. Pich. et rec. *haerebat* edd. vet. quod sane usitatius elegantiusque dixisset; *Ern.* — *missu* MS. edd. Ber. Pich. et rec. *missuque* edd. Rhen. Ald. al. in quibus etiam maxima distinctio post *adhaerebat* posita. „Fraudi fuit omissio copulae ante *illigatus,* quae est sane h. l. durior, sed a Taciti oratione non aliena. Consequens est *missu patris* cet. Igitur post *adhaerebat* colon posuimus.“ *Ern.* Vel *illigatusque* vel *ac missu* leg. videtur; *Walth. missu patris,* missus a patre. Cf. ad H. 1, 9, 3. — *Caesianus:* in edd. vet. *Cesianus.* — *quis velocissimos legionum* milites *addiderat* cet. *Quîs* pro *quibus* saepissime legitur in utrisque MSS. Flor. e quibus illud etiam pro vulg. *quibus* substitui 11, 34. 38 extr. ut alii h. l. et 11, 31. 14, 5. pr. H. 3, 5. 4, 53. 5, 3. et al.

CAPUT XXII.

At Romae Lepida, cui super Aemiliorum decus L. Sulla et Cn. Pompeius proavi erant, defertur simulavisse partum ex P. Quirino divite atque orbo. Adiiciebantur adulteria, venena, quaesitumque per Chaldaeos in domum Caesaris, defendente ream Manio Lepido fratre. Quirinus, post dictum repudium adhuc infensus, quamvis infami ac nocenti miserationem addiderat. Haud facile quis dispexerit illa in cognitione mentem Principis; adeo vertit ac miscuit irae et clementiae signa. Deprecatus primo senatum, ne maiestatis crimina tractarentur, mox M. Servilium e consularibus aliosque testes illexit ad proferenda, quae velut reticere voluerat. Idemque servos Lepidae, quum militari custodia haberentur, transtulit ad consules, neque per tormenta interrogari passus est de his, quae ad

domum suam pertinerent. Exemit etiam Drusum consulem designatum dicendae primo loco sententiae; quod alii civile rebantur, ne ceteris assentiendi necessitas fieret, quidam ad saevitiam trahebant: neque enim cessurum nisi damnandi officio.

1. *Lepida, cui L. Sulla et Cn. Pompeius proavi erant:* „quod Noris. ad cenot. Pis. p. 257. laboriose et probabiliter demonstrat. Idem tamen perperam carpit Lipsium et Reines. ep. 31. p. 275. lapidemque Bergomensem citat tanquam sui beneficii decus, quum epitaphium hocce exstet ap. Gruter. p. 653. et alibi." *Iac. Gron.* Ad hoc caput conf. Suet. Tib. 49. *et Cn.* MS. et ed. Bekk. II. *ac Cn.* edd. rel. — *P. Quirino*, v. ad 2, 30, 2. *Quirinio* edd. vet. ante Ryck. — *quaesitumque per Chaldaeos in domum Caesaris:* „quod semper capitale: *cui enim opus perscrutari super Caesaris salute, nisi a quo aliquid adversus illum cogitatur vel optatur, aut post illum speratur et sustinetur? non enim ea mente de caris consulitur, qua de dominis*, ait apposite ad hanc rem Tertull. Apol. 35." *Lips.* Cf. ad 2, 27, 1. — *Manio Lepido fratre*, v. ad 1, 13, 2. — *post dictum repudium*, postquam ipse eam repudiasset, quod ante annos XX factum; *Lips.* Cf. Suet. l. l. — *nocenti miserationem* iudicum *addiderat*, commoverat. Longiores gravioresque irae invidiam minuunt, addunt miserationem; *Brot.*

2. *dispexerit — menten Principis*, v. ad Agr. 10. n. 6. — *adeo vertit ac miscuit irae et clementiae signa:* „Quidnam *vertit?* an *irae et clem. signa?* Non putem. Intelligam *se*, (v. ad 4, 41.) mutavit saepe orationem, modum agendi." *Ern.* „Immo *vertit* et *miscuit* sunt synonyma et utrumque spectat ad *signa irae et clementiae*, h. e. ita egit, ut nunc irae, nunc clementiae signa ostenderet. Nam *vertere* inconstantiam denotat; unde *versutus*." *Walth.* — *deprecatus*, precatus, ut c. 24. et 15, 53. — *testes illexit ad proferenda, quae velut reticere voluerat:* in MS. *profenda* (v. ad 2, 63, 3.) et *reicere*. Hinc *ad profanda* emend. Iac. Gron. et Sd. in Ephem. lit. Ien. a. 1824. p. 293, *ad proferenda* (delicta) *quae* (quorum cognitionem) *velut reiicere voluerat* dedit Pich. in ed. I. et *reticeri* Lips. in ed. a. 1607. *voluerant* malebat Mur. Aut delendum esse *velut*, aut leg. *senatum* arbitratur Wagner in prolus. ante catal. lectt. Marburg. 1813. „*proferenda* et *velut reticere* edd. Ber. Rhen. Ald. Lips. priores, Pich. II. Grut. II. et rec. in quibus merito acquiescimus. *Voluerat* respicit ad deprecationem, quam scriptor ante dixerat a Tiberio in senatu factam. *Velut* simulationem denotat, Germ. vorgeblich, ut 1, 8. *milites velut praesidio stetere*, h. e. non praesidii, sed ostentationis imperatoriae causa; 1, 10. *quae velut excusando exprobraret*, h. e. excusationis gratia videbatur ea proferre, sed re vera exprobrabat. Sic verba *quae velut reticere voluerat* significant, quae non re vera eos (testes) reticere voluerat, sed tantum velle simulaverat." *Walth.* — *servos Lepidae, quum militari custodia haberentur, transtulit ad consules*, v. Lips. Exc. II. ad Tac. Ann. III. et ad Ann. 6, 3. ubi haec annotavit: „Praeter *custodiam militarem* alia duplex, apud magistratus (h. l. *consules*) et apud vades. *Apud magistratus*, quum reus Consuli, Praetori, Aedili, interdum et senatori, etiam non e magistratu, committebatur; quod non nisi in reis illustrioribus usurpatum, eaque *custodia libera* dicta. v. 6, 3. Sall. Cat. 47. Liv. 6, 36 extr. Cic. Brut. 96. Dio 58, 3. Sidon. ep. 1, 7. *Custodia apud vades*, quum eorum periculo fideiussoribus reus tradebatur. v. 5, 8. Suet. Vit. 2. Ulpian. l. 1. de cust. reorum et Symm. ep. l. 1. *Statui, ut Felix vadibus, qui Fulgentio non essent cogniti, traderetur.*" Cf. ad 1, 21, 1. 3, 36, 2. 3, 51, 1. 14, 60. H. 3, 12, 4. et 4, 11, 9.

3. *Exemit etiam Drusum consulem designatum dicendae primo loco sen-*

tentiae, cf. Ind. II. v. *Eximere*. Sententias Patrum rogabat, qui vocaverat senatum, consul priori loco creatus vel qui fasces habebat; eo absente alter consul, et utrisque absentibus praetor urbanus. v. ad H. 1, 47, 1. et 4, 9, 2. Primus autem sententiam rogabatur, non consularis, qui plures consulatus gesserat, (quod putabat Reines. var. lect. l. 3. p. 593.) sed vel princeps senatus, qui primus a censoribus in senatum lectus fuerat; vel *consul* primum *designatus*, ut qui ipse proximo anno multa e consultis patraturus esset, unde sperari poterat, eum cautius intentiusque de singulis meditaturum esse; vel aliquis extra ordinem honoris gratia. Reliqui Patres rogabantur secundum gradus honorum; et idem rogandarum sententiarum ordo per totum annum servari solebat. v. loca class. Gell. 4, 10. 14, 7. intpp. Suet. Caes. 21. et de consule designato 3, 49. 4, 42. 11, 5. 12, 9. 14, 48. 15, 74. H. 4, 4. 6. 8. 9. Appian. B. Civ. 2, 5. et Sall. Cat. 50. ubi cf. Cort. *consulem designatum* iterum; primum a. U. 767. v. 1, 14. et 3, 56 extr. — *alii civile rebantur*, (v. ad 1, 62, 2.) *ne ceteris assentiendi necessitas fieret*, „ne, quod ipse censuisset, ceteris necessario censendum videretur, tanquam volente Tiberio, qui filio subiecisset, quid censeret: *quidam ad saevitiam trahebant*; (v. ad 1, 76, 3.) *neque enim cessurum* fuisse primo loco in censendo, vel eum aliis daturum, *nisi damnandi officio*, nisi ad invidiosam causam damnandi, quia damnari vellet Lepidam Tiberius, cuius sententiae primum auctorem nollet esse filium: nam si absolvi vellet, non passurum fuisse, ut gratiam, quam initurus esset primus auctor clementiae, alius occuparet. Boxhornius perperam putat, Drusum primo *cedentem* loco ultimo sententiam dixisse, et quidem *damnandi officio*, i. e. ut sic auctis damnantium suffragiis Lepida damnaretur.“ *Gron.* et *Ern.* Eodem fere sensu Broter. „*ad saevitiam trahebant*, rati, Drusum *non cessurum* officio dicendae primo loco sententiae, nisi ut Lepidam certius damnaret: nam certius damnat, qui postremo loco sententiam dicit: immo penes illum tota iudicii summa, quum in aequas partes dividuntur iudicum sententiae. Ita censuit Drusus, qui Rubellio Blando duriora proponenti assensit.“ „Unde autem constat, Drusum ultimo loco sententiam dixisse? Neque adeo inops erat Tiberius paratorum ad damnandum, quos vellet perdere, ut, quae vinceret absolventes una, Drusi sententiam in postremum differendam haberet.“ *Gron.* Ferrarius Elect. 1, 10. prave et *cessurum* retulit ad Drusum, et coniecit *neque enim assensurum*; *Iac. Gron.*

CAPUT XXIII.

Lepida ludorum diebus, qui cognitionem intervenerant, theatrum cum claris feminis ingressa lamentatione flebili maiores suos ciens ipsumque Pompeium, cuius ea monimenta et adstantes imagines visebantur, tantum misericordiae permovit, ut effusi in lacrimas saeva et detestanda Quirino clamitarent, cuius senectae atque orbitati et obscurissimae domui destinata quondam uxor L. Caesari ac divo Augusto nurus dederetur. Dein tormentis servorum patefacta sunt flagitia itumque in sententiam Rubellii Blandi, a quo aqua atque igni arcebatur. Huic Drusus assensit, quanquam alii mitius censuissent. Mox Scauro, qui filiam ex ea genuerat, datum, ne bona publicarentur. Tum demum aperuit Tiberius, compertum sibi etiam ex P. Quirini servis, veneno eum a Lepida petitum.

1. *ludorum diebus* sc. magnorum s. Romanorum, de quibus v. ad

c. 64. — *theatrum* sc. Pompeii, de quo v. ad 3, 72. et 14, 20. — *ea monimenta*, Plur. pro Sing. (ut 3, 57. 72. 4, 7. Cic. p. Mil. 7.) sc. *theatrum* illud, ut 4, 7. Nam *monimentum* dicitur theatrum, templum, statua, via aliudve opus et aedificium publicum, in alicuius honorem et memoriam (unde *monimentum*, a *monitum* sic dictum, ut Gr. μνημεῖον) vel eius vel publicis sumptibus aut cura exstructum. *monimenta* MS. edd. vet. et quaedam rec. ut 3, 57. 72. 4, 7. et al. *monumenta* (ut *documenta*) quaedam edd. rec. Cf. ad G. 3. n. 7. — *tantum misericordiae permovit*, v. ad 1, 21, 2. *misericordia* MS. et edd. vet. ante Lips. — *effusi in lacrimas*, sc. ii, quorum misericordiam permoverat, homines, multitudo circumfusa; *Walth.* — *cuius senectae atque orbitati — dederetur*, v. ad 1, 7, 8. 3, 25, 1. et cf. cap. 48. — *destinata quondam uxor L. Caesari*, Agrippae filio, *ac D. Augusto nurus*; „nam Augustus Lucium adoptaverat. Cf. 1, 3. et Suet. Oct. 64." *Walth.* Vulgo *nurus* pro *pronurus* accipitur (v. ad 2, 27, 2.) et laudatur inscr. ap. Grut. p. 653. *Pudens M. Lepidi l. grammaticus. Procurator eram Lepidae moresque regebam. Dum vixi, mansit Caesaris illa nurus. Atteius philologus discipulus.* „Ea suspecta est Ryckio, quia non *nurus Caesaris* fuit Lepida, sed tantum destinata, et pater eius non M. sed Q. praenomen habuit. Referenda potius est ad aliam Lepidam, Drusi coniugem et M. Lepidi filiam, damnatam post mortem patris. v. 4, 20. 6, 40. Peschvic. comm. de familia Caesarum August. §. 92. et Noris. ad cen. Pis. p. 257 sq." *Ern.*

2. *Deiñ tormentis servorum* cet. cf. Ind. II. — *flagitia* Lepidae. Cf. verba extr. huius cap. et Suet. Tib. 49. — *itumque in sententiam Rubellii Blandi*; de quo v. Ind. I. et ad 13, 19. „Consul suffectus fuit circa a. U. c. 770. v. lap. vet. in Muratori Thes. inscr. T. I. p. 301." *Brot.* Hinc *consularis* dicitur 3, 51. ubi Ryckius eundem, sed Lipsius huius patrem designari putabat. Fortasse idem qui in aereis numis C. RUBELLIUS BLANDUS IIIVIR A. A. A. F. F. dicitur; *Ursin.* *itum in sententiam*: Senatores a consule rogati aut voce, (sententias dicendo) aut signo, et quidem *vultu manuque*, (v. ad H. 4, 4, 5.) aut *pedibus*, quid censerent, indicabant; nam, ubi SCtum per discessionem fiebat et dictae erant sententiae ab iis, qui earum dicendarum ius habebant, si eam essent rogati, consules iubebant reliquos senatores discedere ad eum curiae locum, quo iverat sententiae alicuius pronuntiatae auctor, ut ita, numeratis capitibus, facile cognosceretur, cuinam sententiae plurimi faverent: unde h. l. *in sententiam* alicuius *ire*, 14, 49, 2. *pedibus ire in sententiam*, 14, 45, 2. *contra ire*, 6, 12, 4. *SCtum per discessionem factum*, et *ire in alia omnia*, in sententiam prorsus aliam, diversam, contrariam, vel simpl. *ire*, *discedere*, *discessionem facere*, ut 3, 69 extr. „Hinc et *pedarii senatores* dicti (v. c. inf. cap. 65. et simpl. *pedarii* Cic. ad Att. 1, 19. 20.) non, quotquot pedibus in sententiam discederent, (nam vix erat quisquam, opinor, senatorum, qui non aliquando id fecisset) sed qui tantum pedibus ita irent aut rarissime aliter, sive ipsi fiduciam non haberent dicendi, sive non rogarentur, ut qui essent nondum aut in postremis scripti." *Gron.* ad loc. class. Gell. 3, 18. cuius haec verba sunt: *Pedarii dicti, qui, nondum a Censoribus in senatum lecti, senatores quidem non erant, sed, quia honoribus populi usi erant, in senatum veniebant et sententiae ius habebant. Nam et curulibus magistratibus functi, qui nondum a Censoribus in senatum lecti erant, senatores non erant; et, quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias, sed, quas principes dixerant, in eas discedebant. Hoc significabat edictum, quo nunc quoque consules, quum senatores in curiam vocant, servandae consuetudinis causa tralaticio utuntur. Verba edicti haec sunt: Senatores quibusque in senatu sententiam dicere licet.* Cf. Liv. 22, 49 extr. 23, 32. 28, 45. 36, 3 pr. Manut. de sen. Rom. c. 1. p. 906. in Thes. Graev. Gell. 4, 10. 14, 7. ubi etiam ex literis Varronianis refert, SCta

facta esse *aut per discessionem, si consentiretur, aut conquisitis sententiis per singulos, si dubia res esset*; Tuberonem vero et Ateium Capitonem vere contendere dicit, *nullum SCtum fieri, non discessione facta, quod in omnibus SC., etiam quae per relationem fierent, discessio esset necessaria.* De eo, qui et rogabat sententias, et primus rogabatur, v. ad cap. 22. n. 3. — *a quo aqua atque igni arcebatur*, v. ad 2, 85, 1. et 3, 68, 2. — *Mox Scauro datum* cet. v. ad 1, 7, 8. — *ne bona publicarentur*, v. ad 3, 17, 3.

CAPUT XXIV.

Illustrium domuum adversa (etenim haud multum distanti tempore Calpurnii Pisonem, Aemilii Lepidam amiserant) solatio affecit D. Silanus Iuniae familiae redditus. Casum eius paucis repetam. Ut valida divo Augusto in rem publicam Fortuna, ita domi improspera fuit ob impudicitiam filiae ac neptis, quas Urbe depulit, adulterosque earum morte aut fuga punivit: nam culpam inter viros ac feminas vulgatam gravi nomine laesarum religionum ac violatae maiestatis appellando clementiam maiorum suasque ipse leges egrediebatur. Sed aliorum exitus, simul cetera illius aetatis memorabo, si effectis, in quae tendi, plures ad curas vitam produxero. D. Silanus in nepti Augusti adulter, quanquam non ultra foret saevitum quam ut amicitia Caesaris prohiberetur, exsilium sibi demonstrari intellexit, nec nisi Tiberio imperitante deprecari senatum ac Principem ausus est M. Silani fratris potentia, qui per insignem nobilitatem et eloquentiam praecellebat. Sed Tiberius grates agenti Silano Patribus coram respondit, *se quoque laetari, quod frater eius e peregrinatione longinqua revertisset: idque iure licitum, quia non senatus consulto, non lege pulsus foret. Sibi tamen adversus eum integras parentis sui offensiones; neque reditu Silani dissoluta, quae Augustus voluisset.* Fuit posthac in Urbe neque honores adeptus est.

1. *Illustrium domuum adversa*, h. e. illustres domus in adversis; *Walth.* Vera verborum distinctio et lectio debetur Mercero. *petitum illustrium d. adversa. At enim — amiserant. Solatio* cet. edd. vet. ante Lips. Parenthesis tamen est in ed. Ber. — *Casum eius paucis repetam*, h. e. memoriam et narrationem eius ante omissam. v. ad H. 4, 48, 1. Hinc et *supra* et *super repetere* 16, 18 pr. et Ovid. Met. 15, 308. ut *altiore initio repetere* H. 2, 27. *alte repetere* O. 19. et simpl. *repetere* 12, 62. *altius disserere, exponere, expedire* (principio rei ulterius repetito) 3, 25. 62. H. 4, 12. Cf. Cort. ad Sall. Cat. 5. et Iug. 5.

2. *Ut D. Augusto valida in rem publicam Fortuna fuit*, ei aspiravit in omnibus consiliis coeptisque, quae ad remp. spectarent, *ita domi improspera fuit* cet. Cf. Plin. 7, 45. et Suet. Oct. c. 65. Malim *in re publica*, cui opponitur *domi*, ut alias *foris* et *publice*: nam *fortuna in remp.* non latine dicitur; *Ern.* „Immo *in* dictum pro *quod attinet ad*, ut Gr. εἰς, v. c. ap. Eurip. Or. 533. ἐγὼ δὲ τἄλλα μακάριος πέφυκ' ἀνήρ, πλὴν εἰς θυγατέρας. Cf. Xen. Oecon. 18, 1. Anab. 2, 6, 30. Hist. Gr. 7, 4. 30.“ *Walth.* Ita vero *valida* Fortuna non bene opponitur *improsperae*. Iungenda videntur *valida in rem publicam*, in eius salutem, ut similia. v. ad 1, 76, 3. et Ind. II. v. *In*. — *ob impudicitiam filiae* Iuliae *ac neptis* Iuliae, quae illius Iuliae et Agrippae filia fuit et nupta Aemilio Paulo;

quas Urbe depulit, cf. 1, 53. 3, 24. 4, 44. 71. Plin. 7, 45. Vell. 2, 10. Schol. Iuvenal. 6, 58. — *adulterosque earum morte aut fuga punivit*, illius Iulum Antonium, C. Sempronium Gracchum, Appium Claudium, Quinctium Crispinum, Scipionem aliosque; huius D. Silanum et alios. Cf. 1, 53. 3, 24. 4, 44. 71. Plin. 7, 45. Vell. 2, 10. Macrob. Sat. 5, 5. de re ipsa ad 2, 50, 2. et 4, 44. *fuga*, exsilio, ut 14, 64. H. 5, 8. et Gr. φυγή, φυγαδεία, φυγάς, φυγαδικός, φυγαδεύειν, φυγαδοθήρ. — *culpam*, adulteria, stupra. — *nomine laesarum religionum*, quibus matrimonium consecrabatur, *ac violatae maiestatis* in filia et nepti; *Brot.* Cf. ad 2, 50, 1. — *suas ipse leges egrediebatur*, modum ab ipso definitum legibus, de quibus v. ad 3, 25, 1. *Egrediebatur*, ut 3, 30. 16, 10. H. 4, 51. et *excedere*, de quo v. ad Agr. 42. n. 5. „*Leges suas egrediebatur* fortasse, quod *laesarum religionum et violatae maiestatis nomine culpam appellaret*, non vero quod morte puniret. v. Anton. August. de leg. p. 71 sq.“ *Brot.* — *aliorum exitus*, v. ad 2, 71, 1. — *simul cetera*, ut 4, 16. et Gr. τὰ δὲ ἄλλα. Cf. Buttman. Gr. §. 137. p. 581.; *Walth.* — *in quae tendi* MS. et edd. omnes ante Ern. qua Praeteriti forma etiam usi sunt Sen. Herc. fur. 538. Liv. 37, 53. (ubi v. Drak.) et Prop. 3, 8. al. 6, 37. *in quae tetendi* dedere Ern. et alii; quae *intendi* (ut ap. Sall. Iug. 104.) Kiessl. e coni. Wopk. *in quae intendi* (ut 3, 73. H. 2, 67. 4, 2.) corr. Heins. et *in quae tendo* (quod ceteris praeferendum videtur) Groslot. *Tendere* in s. *ad aliquid* sc. *se* vel *animum* vel *iter* et *cursum* id. qd. *contendere* vel *intendere* mentem in aliquid, vel *operam dare*, *conari*, ut 1, 19. *tenderent tentare*, (ap. Liv. 6, 38. *leges imponere tendent*) 2, 74. H. 1, 13. Sic Livius *tendere* dixit 9, 37. 10, 36. 21, 31. 23, 34. 24, 5. 28. 25, 32. *intendere* 4, 18. *intendere se* 4, 19. 10, 43. 21, 29. 30. *intendere iter* 10, 43. 21, 29. 22, 9. *intendit pergere* cet. 27, 42. 36, 44. 45. 38, 2. — *plures ad curas vitam produxero*, ad plura scribenda, edenda. Cf. Praefat. nostram de scriptis Taciti p. XV. XVI. *Curae* dicuntur opera ingenii, scripta, libri cum cura et studio conficiendi, ut 4, 11. (ubi Gron. laudavit Ovid. ex P. 2, 4, 16. 4, 16, 39. Mart. 1, 108, 5. 10, 2.) Agr. 10 pr. O. 3. 6. Cf. Burm. ad Phaedr. Epil. 2, 10. et Iacob. ad Lucilii Aetnam v. 23. Locutio petita a Graecis, qui μελετᾷν dicebant oratores et rhetores ad dicendum praeparatos et meditate locuturos, nec non pueros ad ludos et milites ad proelia exercendo se parantes. Inde μελέται (*curae*) orationes et declamationes rhetorum sophistarumque, (ut διαλέξεις orationes eorum) magna cura elaboratae. v. Demosth. p. 328. et 1414. ed. Reisk. Thucyd. 1, 142. 2, 86. al. Hinc fortasse O. 3. *studia curarum*, artis oratoriae, vel *orationum et curarum* συνονύμως dicta, ut permulta in oratione Apri et in scriptis Taciti: nisi rectius ibi Osann. *curas* accepit de clientelis atque omnis generis laboribus muneribusque aliorum commodo suscipiendis, quae paulo post memorantur; aut Moser in Annal. Heidelb. a. 1829. XXII, 9. p. 937. de rebus curandis, ut *cura* ap. Virg. Ecl. 1, 5. Synonyma saltem propria et tropica non simpliciter iungi solent et *curarum studia* insolenter dicta videri possunt; unde O. 3. Lipsius *orationum et rerum*, Gronovius *et causarum studiis* legendum censebat.

3. *in nepti Augusti adulter*, cf. Ind. II. v. *In* et Ind. III. v. *Praepos.* in. — *ut amicitia Caesaris prohiberetur*, v. ad 2, 70, 2. — *deprecari senatum*, v. ad 3, 22, 2. — *potentia*, ob potentiam. Cf. Ind. III. v. *Ablativi Substantivorum absoluti*. — *qui per insignem nobilitatem et eloquentiam praecellebat*: Acidalius coni. *qui super i. n. et* (etiam) *eloquentia pr.* et Wopkens. *qui praeter i. nobilitatem* (dignitatis splendorem, ut 6, 29.) *et* (etiam) *eloquentia pr.* ut 14, 19. Sed idem sensus vulgatis inest verbis: nam qui super insignem nobilitatem et eloquentia praecellit, is per insignem nobilitatem et eloquentiam praecellit; *Walth.* — *grates agenti* pro fratris reditu. *gratis* MS. et ed. Bekk. II. — *peregrinatione* per

locum pro *exsilio.* — *longinqua*, v. ad 1, 53, 1. — *idque iure licitum, quia non SCto, non lege pulsus foret:* „Triplex h. l. ut et ap. Ovid. Trist. 2, 131 sq. memoratur ratio s. via a patria abeundi: Prima *SCto*, iussu decretoque senatus, quasi rei publicae interesset; quae validissima nec facile veniam aut indulgentiam inveniebat: unde Augustus, *ut exsilium eius* (Agrippae Postumi) *SCto sanciretur, perfecerat* 1, 6, 2. Altera ratio *lege*, per iudices et sententiam ex lege; quae etiam firma et olim usurpata. At tertia novicia, quum Princeps in exsilium mittebat. Haec levissima ac lenissima, quae auctoritate magis quam iure constabat et verius relegatio tantum erat a parente velut publico facta: nam et patribus domi ac privatim hoc ius. Quum tamen edicta Principum vim legis haberent, verbo *legis* et hanc speciem Tacitus est complexus; et quum nulla harum intervenisset, aperte quidem Tiberius redeundi merito gratiam fecit.“ *Lips.* Broterius adiicit quartam rationem: voluntate propria, quum quis, ut legum severitatem iramve Principis declinaret, sponte proficiscebatur. „Ei, qui ex SCto vel lege aliqua esset exsul, opus beneficio senatus aut Principis fuit; ei, qui sponte secessisset, non item. Itaque D. Silano redire per leges licuit.“ *Vertran.* — *integras parentis sui offensiones*, v. ad 3, 8, 1. — *dissoluta*, irrita facta.

CAPUT XXV.

Relatum deinde de moderanda Papia Poppaea, quam senior Augustus post Iulias rogationes incitandis caelibum poenis et augendo aerario sanxerat: nec ideo coniugia et educationes liberum frequentabantur, praevalida orbitate. Ceterum multitudo periclitantium gliscebat, quum omnis domus delatorum interpretationibus subverteretur; utque antehac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur. Ea res admonet, ut de principiis iuris et quibus modis ad hanc multitudinem infinitam ac varietatem legum perventum sit, altius disseram.

1. *Relatum deinde* a Tiberio vel consulibus ad senatum *de moderanda* lege *Papia Poppaea* de maritandis ordinibus, qua maxime immutata est universa iurisprudentia. Augustus enim iam a. U. c. 737. lege lata id in primis egerat, ut cives ad iustas nuptias ineundas, a quibus eos nimis abhorrere sciret, et ad augendum eorum numerum bellis civilibus valde imminutum praemiis poenisque propositis alliceret adigeretque exemplo Caesaris, de quo v. Dio 43, 25. Haec est *lex Iulia de adulteriis*, quae etiam a singulis capitibus lex Iulia *de pudicitia*, (v. Suet. Oct. 34. et L. 9. cod. de adult., L. 29. §. 1. D.) *de lenocinio, de stupris, de fundo dotali* nominatur, cuiusque poena in adulteris viris fuit relegatio in insulam cum publicatione dimidiae partis bonorum, in mulieribus relegatio in insulam cum publicatione dimidiae partis dotis et tertiae bonorum: quod solus tradidit Paul. Sent. 2, 26, 14. v. ibi intpp. et Lips. Exc. ad Tac. Ann. 4, 42. Brisson. et Ioh. Guil. Hofman. in comm. de hac lege, Gerh. Noodt. Dioclet. et Maxim. c. 15. Idem Augustus aliam *legem Iuliam de maritandis ordinibus* iam ante illam, in sexto fortasse consulatu a. U. 727., (v. cap. 28.) et deinde a. U. 737. severius emendatam rogavit, sed perferre non potuit prae tumultu recusantium. Perlata demum est a. U. 757. concessa primum triennii, deinde biennii vacatione, et auctis praemiis, poenis vero lenitis. Quum tamen Equites eam postea abrogari postulassent, *senior Augustus* vel potius eius iussu M. Papius Mutilus et Q. Poppaeus Secundus Coss. suffecti eandem *sanxerunt* a. U. c. 762. unde etiam *lex Papia Poppaea de maritandis ordinibus* dicitur. v. ad G. 19. n. 14. 15. Suet. in Oct. 34. in Claud. 19. 23. in Ner. 10.

Gell. 2, 15. 5, 19. Plin. 14, 1. Sen. cons. ad Marc. 19. In ea severius sancita lex Iulia et *aeraria* potissimum *augendo*, h. e. ut illud augeretur, adiecta nova capita de caelibum bonis legatisque *caducis*, in aerarium fiscumve cadentibus, *vacantibus*, sine herede et domino, (c. 28.) *erepticiis* cet. unde partes eius fuerunt duae, *nuptialis* et *caducaria*. Ipsa vero lex ICtis a singulis capitibus varie appellatur, v. c. *lex Iulia caducaria*, *lex Iulia decimaria* cet. De hac lege egerunt Brot. ad 3, 28. Lips. in Exc. III. ad Tac. Ann. III. Balduin. et Augustin. in comm. de legibus. Sed accuratius et historiam legis explicarunt et capita eius LIX distinxerunt Heinecc. in comm. ad leg. Papiam Popp. Amst. 1728. Iac. Gothofr. in quatuor fontibus iuris civilis, Bach. hist. iurispr. Rom. III, 1. p. 316—343. Fr. Ramos del Manzano in comm. de hac lege, (in Meermanni Thes. iuris civ. et can. T. V.) Gravina orig. iur. civ. p. 556 sq. et Rudorff. de caducorum vindicatione in: Zeitschrift für geschichtl. Rechtswiss. herausg. von v. Savigny, Eichhorn u. Goeschen Vol. VI. fasc. 6. — *incitandis caelibum poenis et augendo aerario sanxerat*, cf. Ind. III. v. *Dativus Gerundii* et *Gerundia in Dativo*. Lipsius *incitandis* exponit *augendis atque intendendis*. *Incitare* esse id. qd. promovere incrementum, inpr. plantarum, putabant Gron. obss. 2, 16. et Ern. clav. Cic. sed Pichena, leges *incitandas* dici, quae iacuerint nec fuerint in usu. Alii coni. *invitandis*, *irritandis*, *intentandis*, *iterandis*, *excitandis*. „Sed sine causa haerent. Nam quae languida et remissa agunt, *incitari* dicuntur, idque cadit in poenas lege Iulia constitutas, quae non satis acres videbantur eludebanturque vario modo. Si plane iacuissent, Noster scripsisset *excitandis*. At non iacebant, sed languescebant: erant igitur *incitandae*.“ *Walth.* — *nec ideo coniugia* cet. cf. Suet. Oct. 34 extr. — *educationes*, v. ad 12, 49, 1. — *praevalida orbitate*, quia orbitas plurimum gratiae et honoris conferebat: nam illis temporibus et usque ad Saec. V. p. Chr. n. exercebantur nefariae heredipetarum artes legibus frustra coercitae, quibus illi gratiam favoremque hominum utriusque sexus, qui tum caelibes et orbi, tum divites senesque erant, aucupabantur hereditatem eorum captantes; quare orbi senes et opulenti plurimum *valebant* gratia permultorum et patrocinio. Cf. 13, 52. (*valuit pecuniosa orbitate et senecta*) 14, 40. 15, 19. H. 1, 73. (*potens pecunia et orbitate*, *quae bonis malisque temporibus iuxta* (aeque, pariter; v. ad 1, 6, 6.) *valent* G. 20. O. 6. Sen. cons. ad Marc. c. 19. (*In civitate nostra plus gratiae orbitas confert quam eripit: adeoque senectutem solitudo, quae solebat destruere, ad potentiam ducit, ut quidam odia filiorum simulent et liberos eiurent et orbitatem manu faciant.*) Iuvenal. 4, 15 sq. 5, 132 sq. 6, 548 sq. 12, 93—120. Horat. Sat. 2, 5. (ubi v. Heindorf.) Martial. 6, 7. Petron. c. 106. (ubi v. Burm.) Luciani dial. mort. V—IX. Lindenbrog. ad Ammian. Marc. 14, 6, 22. Gebauer vestig. iur. Germ. antiq. p. 301—339. De structura verborum *praevalida orbitate* v. Ind. III. v. *Adiectiva in sexto casu absolute posita* et *Ellipsis verbi substant. in Partic.*

2. *quum omnis domus subverteretur* callidis *interpretationibus delatorum* et praemiis. v. ad c. 28. n. 4. *subverteretur* MS. edd. Ber. Rhen. tres Ald. Gryph. Pich. Gron. Ern. et rec. *subverterentur* edd. Lips. et al. Cf. Ruddim. inst. Gram. T. I. p. 90. 91. — *utque antehac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur*, ut *laboratum discordia* Agr. 16. *laborantes res* H. 2, 24. *laboratum annona* Liv. 3, 31 pr. Nam *laborare* et *laborari* proprie dicuntur, quae grave aliquod onus vix tolerant, eo premuntur, ei aegre obnituntur et paene succumbunt. „*Labor* et *laborare* dicitur, ut Gr. πόνος et πονεῖν, de periculo, et Agr. 16. *discordia laboratum* pro: verendum, ne propter eam amitterentur expugnata. Cf. Gottleber ad Thucyd. 2, 49., Cort. ad Sall. Cat. 60. intpp. Tibull. 1, 1, 3.“ *Walch.* ad Agr. 16. — *altius disseram*, v. ad 3, 24, 1.

CAPUT XXVI.

Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere eoque sine poena aut coercitionibus agebant: neque praemiis opus erat, quum honesta suopte ingenio peterentur; et ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At postquam exui aequalitas et pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat, provenire dominationes multosque apud populos aeternum mansere. Quidam statim, aut postquam Regum pertaesum, leges maluerunt. Hae primo, rudibus hominum animis, simplices erant, maximeque fama celebravit Cretensium, quas Minos, Spartanorum, quas Lycurgus, ac mox Atheniensibus quaesitiores iam et plures Solo perscripsit. Nobis Romulus, ut libitum, imperitaverat: dein Numa religionibus et divino iure populum devinxit, repertaque quaedam a Tullo et Anco: sed praecipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, quis etiam[1] reges obtemperarent.

1. *Vetustissimi mortalium* cet. Sic et Horat. Sat. 1, 3, 96—111. Plato de leg. III. P. III. Vol. II. p. 278. 283. ed. Bekk. et Sen. ep. 90. (*Primi mortalium — naturam incorruptam sequebantur; eandem habebant et ducem et legem. — Illo ergo saeculo, quod aureum perhibent, penes sapientes fuisse regnum Posidonius iudicat. — Sed postquam surrepentibus vitiis in tyrannidem regna versa sunt, opus esse coepit legibus.*) „Quod sicuti fabulosum et ex aureo saeculo apud poetas haustum, ita perperam ex illo desumitur origo civitatum; et rectius Aristoteles ad Nicom. 10, 9. plerosque dicit non sic factos natura esse, ut pudori pareant, sed timori.“ *Ryck.* At v. Wieland. ad Hor. 1. l. nota 9. et 10. — *eoque*, v. ad 1, 16, 1. — *coercitionibus* et paulo post *dominationes*, v. ad 12, 49, 1. In MS. *coercitationibus*, sed syllaba *ta* punctis notata. — *agebant*, v. ad 1, 68, 1. — *quum peterentur honesta suopte ingenio*, h. e. quae per se vel sua natura et indole honesta sunt. Cf. ad 3, 55 extr. „Recte Gron. iungit *honesta suopte ingenio*, ut ita honesta propter se ipsa peti dicantur, non ob praemia. Commode affert Liv. 2, 30. *ut imperium suo vehemens mansueto permitteretur ingenio*: nam *ingenium* est nostrum Natur, Gr. φύσις, ut 6, 4. H, 2, 4. 5, 14. (*camporum suopte ingenio humentium*) Ernestius iungit *suopte ingenio peterentur*, ut *suopte ingenio* sit *sponte* et opponatur *praemiis*: non enim quaeri iam de rebus per se honestis, sed de honestis sine praemiorum spe petitis, insito amore honesti. Iam vero satis recte quidem aliquis *suopte ingenio* aliquid petere dici potest, ut sit *sponte*; neque tamen video, quomodo *honesta suopte ingenio peti* possint, ut *suopte ingenio* trahatur non ad ea, quae petantur, sed ad eos, qui petant. Id plane contortum est. Honesta petuntur, quae, si suo ingenio petuntur, non aliorum peti ingenio intelligi possunt. Ex interpretatione Ern. necessario cum Acid. scribendum erat *peterent*.“ *Walth.* Saepissime *ingenium*, ut φύσις, pro natura et indole dicitur, non modo 6, 4. H. 2, 4. 5, 14. sed etiam 6, 41. 45. 13, 53. 16, 20. H. 2, 71. Plin. 14, 1. 17, 2. (*ingenium soli* et *loci*) Liv. 28, 12. 37, 54. 40, 35. Plin. pan. 49. et al. — *morem*: in MS. *mortem*. — *At postquam exui aequalitas — mansere*, cf. H. 2, 38. Sall. Cat. 2, 6. 7. *exui* Infin. hist. — *modestia ac pudore* synonyma, ut paulo post *religionibus et divino iure*; *Roth*. de synon. ap. Tac. p. 7. „Sed non omnia sunt synonyma, quae natura seu arte coniuncta esse solent. *Modestia* cernitur in eo, quod animus altiora cupiens abest; *pudor* in aspernandis flagitiis. Neque synonyma *religiones* et *divinum*

ius, etsi hoc ex illis oritur." *Walth.* — *ambitio et vis incedebat*, oriebatur, ingruebat, ut 15, 37. aut invaserat animos, grassabatur, ut ap. Liv. saepe; *Ern.* Cf. ad 1, 5, 1. 2, 51. 55. 3, 36. 4, 46. 68. 6, 23. 15, 37. inpr. ad 1, 35, 3. et Gron. ad Liv. 29, 24. *incidebat* MS. et edd. vet. Cf. ad 2, 55, 2. — *provenire*, oriri, Germ. sich gestalten. *provenire* edd. vet. ante Lips. quod revocavi. Est Infin. hist. ut paulo ante *exui*. *provenere* edd. rec. — *aeternum*, v. ad 4, 27. extr.

2. *leges maluerant*, liberam rem publicam legibus constitutam. Cf. Liv. 2, 3. — *rudibus hominum animis*, cf. Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant. in partic.* — *maxime fama celebravit* leges *Cretensium*, *quas Minos* II. nepos primi, *Spartanorum*, *quas Lycurgus*, *ac mox Atheniensium*, *quas quaesitiores iam et plures Solon perscripsit*: ita legendum censebat Wopk. Sed Tacitus orationem variare amat. De horum populorum legibus v. Polyb. 6, 10. 11. 43. 45. 50. et Aristot. de rep. 2, 9. *quaesitiores*, exquisitiores, ut 2, 53. 3, 57. 5, 3. 6, 50. 12, 26. 15, 44. *Solo* MS. edd. Kiessl. et Bekk. II. *Solon* edd. rel. quae est Graeca quidem scriptura, sed apud Romanos a poetis demum saeculi Augustei ascita. v. Gron. ad Sen. Agam. 514. et ad Valer. Max. 8, 9. ext. 1. Heindorf. ad Hor. Sat. 2, 3, 254. Zumpt. Gram. p. 48. Grotef. Gram. T. I. §. 28. Sic quoque *Iaso* in MS. 6, 34. et *Sino* H. 5, 9. et 12. in quatuor MSS. sed semel tantum c. 12. in c. Flor. et ed. pr. unde suspicari possis, in hisce vocibus a librariis omissam esse lineolam, qua litera *n* significatur. — *Nobis Romulus*, *ut libitum*, *imperitaverat*, cf. Pompon. de orig. iur. l. 2. §. 1. 2. 3. D. *Initio civitatis nostrae populus sine certa lege*, *sine iure certo agere instituit omniaque manu a regibus gubernabantur*. Nonnullae tamen leges Romulo tribuuntur a Dionys. Hal. l. II. et IX., *Mur.* — *repertaque quaedam*, iura, instituta, leges, *a Tullo et Anco*, cf. ad 12, 8. Dionys. Hal. 3, 22. Liv. 1, 26. 32. et Niebuhrii hist. Rom. T. I. p. 330. T. II. p. 319. — *praecipuus sanctor*, sancitor, (cf. Ind. III. v. *Verba insolentiora*) *legum fuit Servius Tullius*, v. Liv. 1, 42. 44. Dionys. l. IV.

CAPUT XXVII.

Pulso Tarquinio adversum Patrum factiones multa populus paravit tuendae libertatis et firmandae concordiae; creatique decemviri et accitis, quae usquam egregia, compositae duodecim tabulae, finis aequi iuris. Nam secutae leges etsi aliquando in maleficos ex delicto, saepius tamen dissensione ordinum et apiscendi illicitos honores aut pellendi claros viros aliaque ob prava per vim latae sunt. Hinc Gracchi et Saturnini turbatores plebis, nec minor largitor nomine senatus Drusus; corrupti spe aut illusi per intercessionem socii. Ac ne bello quidem Italico, mox civili omissum, quin multa et diversa sciscerentur, donec L. Sulla dictator, abolitis vel conversis prioribus, quum plura addidisset, otium eius rei haud in longum paravit, statim turbidis Lepidi rogationibus, neque multo post tribunis reddita licentia, quoquo vellent, populum agitandi. Iamque non modo in commune, sed in singulos homines latae quaestiones, et corruptissima re publica plurimae leges.

1. *multa populus paravit tuendae libertatis et firmandae concordiae* sc. causa. v. ad 1, 3, 8. Haec in primis referenda ad leges tam a P. Valerio Poplicola et P. Servilio latas, quam sacratas, de nexis, agrarias et tribunicias. v. Liv. 2, 8. 24. 31. 33. 41. 54. 56. 3, 1. 9. 10. 30. 31. — *creatique decemviri et accitis* institutis, legibus iuribusque, *quae usquam*

egregia fuere, compositae XII tabulae, quae notissima vel ex Liv. 3, 31—34. Falsam vero esse traditionem de legibus his e Graecia petitis, bene docuit Lelièvre in commentat. praemio ornata de legum XII tabularum patria, Lovan. 1827. — *finis aequi iuris,* cf. Ind. III. v. *Appositio.* „Designatur extremum ius aequum, consensu ordinum introductum, ut contra *secutae leges dissensione ordinum latae:* nam *finis* est extremum tempus, ut 2, 34. 15, 50. et in secutis legibus per vim latis aequitas desiderata est.“ *Freinsh.* et *Hiller.* racem. 27. „Immo absolutio et perfectio iuris aequi: nam *finis* est summum in quavis re, et tabulis XII perfectis absolutum quoddam iuris aequi corpus extitit. Hanc ei laudem Cicero et alii tribuunt, neque ei quicquam accessit magnopere novis legibus. Sic Ciceroni p. Planco 25. consulatus dicitur *finis honorum populi,* et in Tuscul. qu. 2, 1. *finis sperandi* est summum, quod quis sperare potest.“ *Ern.* Sic et τέλος summum, extremum; unde Cicero inscripsit librum suum de *finibus bonorum et malorum.* v. Cic. de fin. 1, 12. „Huic interpretationi favent loca Cic. de or. 1, 44. ubi leges XII tabularum *bibliothecas omnium philosophorum et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare* dicit, et Livii 3, 34. qui eas *fontem unicum omnis publici privatique iuris* vocat.“ *Oberl.* Ex hoc Livii loco coniicere possis *fons aequi iuris.* „*Aequum ius* est σύστημα legum, quae aequitate nituntur, (nam opponitur iuribus *per vim* paratis) et vocab. *finis* ad tempus respicere, satis patet ex oppositis *secutae leges.* Hoc sibi vult, leges post XII tabularum confectionem secutas non pertinuisse ad *aequum ius,* et has tabulas esse *fontem unicum omnis publici privatique iuris,* uti vocat Liv. 3, 34. Etenim de legum latione iurisque constitutione hic esse sermonem, non de iuris legumque usu, e contextu patet.“ *Walth.* Si vero *finis* ad tempus refertur, *aequum ius* haud σύστημα eius dici poterit. Ceterum legibus XII tabularum non ea laus tribuitur a Montesq. esprit des loix 6, 15. quae a Livio et Cic. — *in maleficos ex delicto — latae sunt,* cf. Ind. II. v. *Ex.* Designantur lex Calpurnia repetundarum a. U. 605. Hostilia de furtis incerto anno, Peducaea de incestu a. 641. lata et aliae; *Walth.* — *dissensione ordinum,* cf. Ind. III. v. *Ablativi Substantivorum absoluti.* „Tales fuere leges Valeria Horatia a. U. 305. (*ut, quod tributim plebs iussisset, populum teneret*) repetita a. 425. lege Publilia, lex Canuleia de connubiis plebis a. 309. et potissimum *leges agrariae* diversi temporis. *apiscendi illicitos honores,* ut lex Sextia Licinia de consule plebeio creando a. 387. et aliae huius generis: *pellendi* in exsilium *claros viros,* ut Camillum aliosque. Coriolani exsilium, quod huc trahunt, ante XII tabulas fuit.“ *Walth. apiscendi* et *pellendi,* v. ad 1, 3, 8.

2. *Hinc* Tib. et C. *Gracchi fratres,* L. Apuleius *Saturninus turbatores plebis* sc. fuere s. facti sunt. Res nota ex Flor. 3, 14—16. Liv. epit. LXIX. Cic. in Cat. 1, 2. et aliis. *Saturnini,* cf. Ind. III. v. *Numerus Plur. pro Sing.* — *nec minor largitor,* propr. turbator ob largitiones *nomine senatus* factas, fuit M. Livius *Drusus* trib. pl. latis legibus a. U. 603. quibus civitatem Latinis, plebi agros, Equitibus curiam, senatui iudicia permisit et infregit gratiam Gracchorum; *Pich.* v. Flor. 3, 16. 17. Cic. p. Mil. 7. et de leg. 2, 6. Vell. 2, 13. 14. Liv. epit. LXXI. — *corrupti spe* vana civitatis adipiscendae, *aut illusi per intercessionem* tribunorum plebis *socii* a Gracchis, Saturnino et Druso: unde enatum *bellum* sociale sive *Italicum* a. U. 664—666. v. Flor. 3, 17. 18. — *Ac ne bello — omissum, quin multa aciscerentur,* cf. ad H. 2, 40, 2. Per id tempus latae sunt leges Iulia de civitate cum sociis et Latinis communicanda, Plotiae, iudiciaria, de vi armatis hominibus, de civitate; *Walth.* — *mox civili* bello, inter Marium et Sullam. v. Flor. 3, 21. — *otium eius rei,* finem legum ferendarum; *Brot. eius rei* MS. edd. Ber.

Iac. Gron. Brot. Walth. *ei rei* edd. rel. „Sed *otium eius rei* dictum est ut ap. Cic. Cat. 4, 4. *mors laborum ac miseriarum quies est.*“ *Walth.* — *haud in longum paravit* tempus. v. ad 1, 69, 3. et Ind. II. v. *In.* — *statim turbidis* M. Aemilii *Lepidi rogationibus*, lege ab eo in consulatu a. U. 675 lata de actis Sullae rescindendis; quae magni tumultus bellique civilis causa fuit. v. Flor. 3, 23. et Sall. fragm. lib. I. *statim*, v. ad 11, 22, 1. *turbidis* active ponitur pro *turbantibus*, et Ablativi exprimunt causam, cur non longius *eius rei otium* fuerit, scil. propter turbidas Lepidi rogationes et licentiam tribunis redditam; *Walth.* Cf. Ind. III. v. *Adiectivi in sexto casu absolute posita* et *Ellipsis verbi subtant. in Partic.* Sic et paulo post *corruptissima re publica.* — *neque multo post tribunis* plebis *reddita licentia, quoquo* sc. modo (quod excidisse putabat Iac. Gron.) *vellent, populum agitandi*, scil. lege tribunicia a Pompeio in primo consulatu a. U. c. 684. lata, qua lex tribunicia Corn. Sullae abrogata et pristina potestas, ab eo tribunis erepta, illis restituta est. v. Cic. Verr. 1, 15. 16. de leg. 3, 7. et 9. *agitandi*, concitandi ad seditionem. Cf. H. 1, 6. Sall. Cat. 38. Flor. 1, 6, 7. — *Iamque non modo in commune*, (v. ad 15, 12. et Ind. II. v. *In*) *sed* etiam (v. ad 1, 60, 1.) *in singulos homines*, de re ad singulos homines spectante et in eorum vel commodum vel incommodum, *latae quaestiones*, rogationes, quae a *privis*, singulis, hominibus *privilegia* appellabantur. *Vetant leges sacratae, vetant XII tabulae, leges privis hominibus irrogari*, (de iis rogari) *id est enim p r i v i l e g i u m*, Cic. p. domo 17. Cf. Cic. p. domo c. 10. Brut. 21. 23. de leg. 3, 4. 19. p. Sext. 30. post red. in sen. c. 11. Gell. 10, 20. Eadem lex est apud Platonem; *Mur.* — *corruptissima re publica plurimae leges*, cf. O. 36. et verba Macrob. Sat. 2, 13. *Vetus verbum est: l e g e s b o n a e e x m a l i s m o r i b u s p r o c r e a n t u r.*

CAPUT XXVIII.

Tum Cn. Pompeius tertium consul corrigendis moribus delectus et gravior remediis quam delicta erant, suarumque legum auctor idem ac subversor, quae armis tuebatur, armis amisit. Exin continua per viginti annos discordia, non mos, non ius. Deterrima quaeque impune ac multa honesta exitio fuere. Sexto demum consulatu Caesar Augustus potentiae securus, quae triumviratu iusserat, abolevit, deditque iura, quis pace et Principe uteremur. Acriora ex eo vincla, inditi custodes et lege Papia Poppaea praemiis inducti, ut, si a privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret. Sed altius penetrabant Urbemque et Italiam et quod usquam civium corripuerant, multorumque excisi status; et terror omnibus intentabatur, ni Tiberius statuendo remedio quinque consularium, quinque e praetoriis, totidem e cetero senatu sorte duxisset, apud quos exsoluti plerique legis nexus modicum in praesens levamentum fuere.

1. *Tum Cn. Pompeius tertium consul* a. U. 702. sine collega primis septem mensibus, deinde cum Q. Metello Scipione socero suo. Haec potestas ei data, non interregis vel dictatoris, quod nonnulli suaserant, ut *corrigeret mores* et sedaret turbas, in primis a Clodio, Milone, Hypsaeo et Metello, consulatus candidatis, motas. v. Plut. in Pomp., Appian. B. C. I. II. Gell. 10, 1. Caes. Iul. 26. et potissimum Dio 40, 50 — 57. — *gravior remediis*, (cf. ad 1, 10, 3.) latis rogationibus severis de vi, de ambitu, de iudiciis, de potestate tribunicia, de petitione Caesaris absen-

tis, de iure magistratuum cet. et poenis gravioribus constitutis. Cf. O. 38. et Dio l. l. — *suarum legum auctor idem ac subversor* in suum amicorumque commodum. v. Dio 40, 55. 56. Caes. B. C. 1, 5. et 7. (ubi cf. intpp.) Suet. Iul. 26. 28. — *quae armis tuebatur, armis amisit* a Caesare victus. cf. Caes. B. C. 1, 7.

2. *Exin continua per XX annos discordia* — usque ad *sextum consulatum Caesaris Augusti*; rotundus numerus: nam anni XXIV intersunt; *Lips.* „Immo exactus numerus hic est a tertio Pompeii consulatu et a. U. 703. usque ad victoriam Actiacam a. 723. qua *discordiae* finis impositus est. Nam *sextum Augusti consulatum* a. U. 726. Tacitus minime posuit ut discordiae terminum, sed ut principatus constituendi initium." *Walth.* Cf. ad 1, 9, 1. — *non mos maiorum, non ius scriptum fuit, quod vim aliquam haberet. Mos s. mores maiorum* appellabatur ius ex more et usu hominum, ex spontanea et diuturna rerum eodem modo actarum observatione, (*Germ.* Observanz) natum et tacite receptum, quo populi rudes unice reguntur, et cuius magna deinde pars ubivis variis temporibus iuri scripto inseritur. v. Bach. hist. iurispr. Rom. 2, 2, 6. et Ioh. Godofr. Richteri diss. de moribus maiorum, Lips. 1744. — *deterrima quaeque impune fuere*, v. ad 1, 72, 2.

3. *Augustus potentiae securus*, cf. ad H. 3, 41, 4. — *quae in triumviratu iusserat*, quae temporum magis quam iustitiae, praesentis et paucorum quam perpetuae publicaeque utilitatis fuerant; *Gron.* — *abolevit* uno edicto. v. Dio 53, 2. — *dedit iura, quis pace et Principe uteremur*, re publ. sub uno Principe constituta; *Huet.* et *Brot.* Quibus aleremur, regeremur, viveremus, *pace* iam reducta et *Principe* instituto, exorto, summae rei praeposito, velut eorum vindice ac defensore; *Gron.* Iura ita comparata, ut eorum beneficio certa restitutae tranquillitatis bonique Principis utilitas ad civitatem pertingeret; *Freinsh.* Maluerim: quae erant comparata s. facta in usum pacis et principatus; *Walth.* Immo *iura, quis*, secundum quae, *p. et P. uteremur*; *Roth.* ad Tac. Agr. p. 177. 178. Cf. ad 1, 28, 3. et inpr. Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant. in Partic.* Leges Augusti *Iuliae* dicuntur et maxime laudantur ab Horat. od. 4, 15. et Epist. 2, 1. De iis v. 2, 50. 4, 42. inpr. 4, 16. Suet. Oct. c. 24. 32—34. Dio 54, 18. 55, 3—6. Flor. 4, 12. 65. — *Acriora ex eo tempore vincla* legis s. legum *fuere. artiora* malebat Pich. prob. Lips. „*Vincula* sc. legum, h. e. earum severitas, necessitas iis parendi, *artiora* sunt, si leges propter diligentiam, qua conceptae sunt, spatium non relinquunt effugiendi ultionem; *acriora*, si leges strenue exercentur atque custodiuntur: quod hic agitur. Sic ap. Suet. Iul. 67. *punitor acerrimus*, h. e. qui non connivet. *Acerioribus* opp. *mitiora, artioribus solutiora.*" *Walth.* Cf. ad 1, 5, 5. *Vincula* tamen aptius *artiora s. arctiora* (artius stringentia et impedientia leges) dici possunt, ut contra paulo post *exsoluti legis nexus*, (quae dictio petita est a *nexis* vel *nexu vinctis* et *solutis*, de quibus v. intpp. Liv. 2, 23. et Niebuhrii hist. Rom. T. I. p. 636. sq.) et *vincla exsoluta* (soluta) c. 38 extr. (*legibus constrictae nunc vinclis exsolutis* cet.) H. 3, 12. — *custodes* legum, ut 4, 30. observatores, s. delatores, accusatores, *inditi*, impositi legibus, ut 4, 46. 11, 1. 32. 15, 56. et *custodes additi* 6, 14. 13, 18. H. 3, 59. *quis additus miles* 4, 67. *custodes appositi* 1, 6. 2, 68. 4, 60. ubi v. nota 1. *custodes legum severi* ap. Cic. div. in Caec. 5. 20. 21. — *et lege Pap. Pop. praemiis inducti*, scil. *ut, si non utilitate publica moverentur, saltem ob suam mercedem transgressorem earum deferrent*, quae sunt verba Cic. p. Rosc. Am. 20. De hisce praemiis v. 4, 20. 30. H. 1, 2. Suet. Tib. 61. Ner. 10. et ipsa legis Pap. Pop. verba in cap. 58. (vel c. 14. in altera legis parte) ap. Heinecc. cap. 36. ap. Gothofr. (v. ad 3, 25, 1.) *Si quis incapaci relictum ad aerarium detulerit et convicerit, is praemii nomine — partem*

bonorum consequitor. v. leg. 12. 15. 16. D. de iure fisc. „Copulam *et* Tacitus explicative posuit pro *nimirum*; (v. ad G. 17. n. 5.) *custodes* autem dicit respiciens magis conditionem illorum hominum sequenti tempore, quam quae esset sub Augusto: nam pergit *altius penetrabant* cet. praecipiens illa voce, quae dicturus erat.“ *Walch*. emend. Liv. p. 67. Copula tamen h. l. vulgari quoque sensu accipi poterit. — *ut, si a privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret*: ita edd. rec. ex emend. Lipsii. *inducti nisi a priv. par*. MS. edd. Ber. et Ald. *inducti* * *nisi* edd. Rhen. 2. 3. et cet. ante Gron. Interpretatio huius Gron. et Ern. a plerisque ascita est: *ut, si a privilegiis parentum* s. iuribus, (de quibus v. Lips. Exc. III. ad Ann. III. et viri docti ad 3, 25, 1. laudati) per matrimonia et susceptos liberos appetendis, caelibes *cessarent*, vel emolumenta haec ineundis matrimoniis (intra diem centesimum) capessere cunctarentur homines, eorum in relicta et legata iuri populus omnium parens succederet atque iis ut *vacantibus* s. caducis (v. ad c. 25. n. 1.) frueretur. „At quis unquam *cesso a privilegiis* dixit pro *cunctor privilegia consequi*? *Cessare ab aliqua re* est potius *abstinere ab ea*, Germ. abstehen von einer Sache, dieselbe aufgeben. Etenim lege Pap. Pop. lata videndum erat, ne privilegia in ea lege parentibus constituta retinerentur ab iis, qui contra legem in caelibatu et orbitate permanerent, postquam temporis spatium ad ineunda matrimonia concessum praeterierat, utque, si a privilegiis illis cessaretur, vacantia ad populum deferrentur.“ *Walth*. Sed quomodo caelebs *privilegia parentum* retinere potest? Idem vir doctus olim coni. *praemissis inducti, iussi* scil. videre ut *a priv. par. cessaretur* et *velut — teneret*: quod tamen non multis arridebit et postea ipsi minus arrisit. Neque probabiliores aliorum coniecturae; Rhen. *inducti, si vel sicubi a priv.* vel *inducti vi*; Salin. et Herrm. *inducti, vi, si a pr.*; Vertran. *inducti, ne, si*; Danesii *inducti, nisi a pr.* Praeferenda Lipsii emendatio, quae tamen non prorsus satisfacit. *ut — populus vacantia teneret*: ita lex insigniter invitavit delatores, sed minore invidia et magna specie aequitatis, quum populus in partem praedae vocaretur et tanta *privilegia* maritatis patribusque essent proposita; *Gron. populus*, aerarium publicum, non fiscus Caesaris. Cf. Spartian. Hadrian. c. 7.

4. *Sed altius penetrabant*, intell. quam iussi erant; *Walth*. Plus sibi arrogabant, quam lex et consilium legislatoris volebat; *Ern*. Velut altius introspicientes et penitius scrutati vim et sententiam legis casus et criminum genera infinita commenti erant, ut propemodum nemo insons esset; *Gron*. Cf. ad 2, 36, 2. et ad 12, 46, 2. — *corripuerant* falsis accusationibus. — *multorumque excisi status*: nam calumniae multae in hac lege circa ingenuitatis iura et similia; *Lips*. Cf. ad 3, 25, 2. et haec verba Plin. pan. c. 34. *Vidimus delatorum iudicium quasi grassatorum, quasi latronum. Non solitudinem illi, non iter, sed templum, sed forum insederant. Nulla iam testamenta secura, nullus status certus: non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum Principum avaritia* cet. „*Status* vitae, rei publ. et civitatis Ciceroni vel simpl. conditio et ratio dicitur, vel commoda rerum conditio et salus, quoniam e *statu* maxime spectantur gladiatores ac milites iique salvi sunt, quamdiu statum obtinent. v. intpp. Sil. 16, 21. Est etiam conditio hominum civilis ratione libertatis.“ *Ern*. clav. Cic. „*Status* h. l. tranquilla et secura conditio, ut Agr. 7. O. 11. Liv. 34, 61. Vell. 2, 2. et 72. ubi v. Ruhnk. p. 313.“ *Walch*. ad Agr. 7. p. 164. „In loco Agr. 7. est potius conditio rerum, qualis usque ad hoc tempus fuerat, ut *status Britanniae* Ann. 14, 39.“ *Boett*. in Lex. Tac. *status excisi*, eversi. Contra *integer status*. Cf. ad 12, 49, 1. de conditione rerum vel corporis 6, 26 pr. — *et terror omnibus intentabatur, ni Tiberius — duxisset*, v. ad 1, 36, 3. — *Statuendo remedio*, v. Ind. III.

v. *Gerundia in Dativo*. — *exsoluti plerique legis nexus*, v. nota 3. „*Plerique* saepius, ut 6, 7. 15, 63. A. 1. 40. O. 17. et apud antiquiores etiam scriptores, non *plurimi*, *οἱ πολλοί*, sed *multi* s. *admodum multi*, *πολλοί*, ut *plerumque* H. 3, 85. Gr. *πολλάκις*, non *εἰς τὸ πλεῖστον*, etsi refragatur Bentl. ad Hor. od. 1, 34, 7. In priscis enim linguis Superlativus, cuius notio in *plerique* et *plerumque* semper inesse creditur, saepe auctam Positivi vim habet, saltem habere videtur. Cf. Schaefer melet. crit. p. 8. Heusing. obss. antib. p. 424. et Forcell. qui tamen loca non accurate secernit.“ *Walch.* ad Agr. 1. p. 106. Sic et *plerique*, ut putant, 4, 9. 6, 5. 22. 32. 11, 8. 12, 35. 13, 6. 25. H. 1, 86. 4, 61. G. 14. A. 16. 28. 29. et *plerumque* 4, 57. 71. 14, 53. H. 3, 63. O. 16. sed et *pleraque* 4, 20. pro *plerumque*, ut Gr. *τὰ πολλὰ* et *cetera* saepius pro *ceterum*. Ita iam dixisse Nep. Timoth. 4. Cic. de inv. 1, 36. de off. 1, 14. et p. Sext. 35. Wopk. annotavit ad Ann. 4, 9. — *in praesens*, v. ad 1, 1, 2.

CAPUT XXIX.

Per idem tempus Neronem e liberis Germanici iam ingressum iuventam commendavit Patribus, utque munere capessendi vigintiviratus solveretur et quinquennio maturius quam per leges Quaesturam peteret, non sine irrisu audientium postulavit. Praetendebat, sibi atque fratri decreta eadem petente Augusto: sed neque tum fuisse dubitaverim, qui eiusmodi preces occulti illuderent. Ac tamen initia fastigii Caesaribus erant, magisque in oculis vetus mos et privignis cum vitrico levior necessitudo quam avo adversum nepotem. Additur pontificatus et, quo primum die forum ingressus est, congiarium plebi admodum laetae, quod Germanici stirpem iam puberem aspiciebat. Auctum dehinc gaudium nuptiis Neronis et Iuliae Drusi filiae. Utque haec secundo rumore, ita adversis animis acceptum, quod filio Claudii socer Seianus destinaretur. Polluisse nobilitatem familiae videbatur suspectumque iam nimiae spei Seianum ultra extulisse.

1. *Per idem tempus Neronem* cet. cf. Suet. Tib. 54. et de morte Neronis inf. 5, 3 sq. — *iam ingressum iuventam*, v. ad 1, 3, 8. — *utque munere capessendi vigintiviratus solveretur:* „Non enim aditus ad maiores honores nisi illo adepto. v. Dio 60, 5. *Vigintiviri* autem erant triumviri monetales, triumviri capitales, quatuorviri viales et decemviri stlitibus, hoc numero ab Augusto instituti a. U. 741. nam antea ad XXVI erant. v. Dio 54, 26. et Festus v. *Praefectura*, cuius locum emendavit Cuiac. obss. 11, 24.“ *Lips.* Cf. et Grut. inscr. p. 381, 3. — *et quinquennio maturius quam per leges* liceret (ut ap. Suet. Cal. 1.) *quaesturam peteret*, qui primus honorum gradus fuit. Olim legibus annariis s. annalibus, (cf. Cic. Phil. 5, 17.) e quibus clarissima fuit Villia a L. Villio trib. pl. a. U. 374. rogata, anni videntur constituti quaesturae XXXI. aedilitati XXXVII. praeturae XL. consulatui XLIII: nam his annis eos magistratus gessit Cicero, qui suo se anno quemque gessisse gloriatur Agr. 2, 2. et al. Cf. intpp. Liv. 25, 2. 40, 44. Suet. Cal. 1. Polyb. 6, 17. Periz. ad Val. Max. 1, 1. p. 13. Ern. clav. Cic. in Ind. Leg. p. 7. Imperatorum vero temporibus res ita videtur immutata, ut exacto aetatis anno XXV quaestura, XXVII tribunatus plebis, XXIX praetura, XXXIX consulatus peti posset. v. Dio 52, 20. (qui id diserte tradit de quaestura et praetura) Lips. Exc. IV. ad Tac. Ann. III. Walch. ad Agr. 44 pr. (ubi ex Dionis l. l. colligit, scribendum esse *C. Caesare primum consule*)

Massoni vita Plin. p. 47 sq. Ceterum primis temporibus neque aetatis neque graduum magnopere ratio habebatur. v. 11, 22. *quaesituram* MS. et edd. vet. ante Ern. quae scriptura a Kiesl. revocata. Cur vere ea non nisi h. l. reperitur? — *non sine irrisu audientium postulavit*, quae ipse posset concedere; *Brot.* — *sibi* a. U. 730. *atque fratri* Druso a. 735. maturius *decreta eadem* quaestura *petente Augusto*, ut et Germanico. v. Dio 53, 28. 54, 10. et Suet. Cal. 1.

2. *Sed neque tum*, etiam tum, Augusti temporibus, non *dubitaverim fuisse, qui eiusmodi preces occulti illuderent: ac tamen* cet. „Tres causas Tacitus affert, quibus ostendit, Augusti preces pro minimis etiam privignorum honoribus fuisse excusabiliores minusque dignas quae illuderentur. Prima, quia ipsius imperium recens, (*initia fastigii Caesaribus erant*) Tiberii contra diuturnitate firmatum. Secunda, quia tum *magis in oculis*, in conspectu et recenti memoria, *vetus mos* liberae rei publicae, ut scil. honores a senatu tribuerentur et leges annales observarentur. Tertia, quia minus incongruens Augusto *vitrico* ob *leviorem necessitudinem privignis* Tiberio et Druso, honores, quam Tiberio *avo*, eos *nepoti* petere Neroni Germanici filio. (Hic tamen non nisi adoptione eius nepos erat.)" *Pich.* *occulti illuderent* pro vulg. *occulte* i. quod frustra coni. Heins. „Cf. 4, 12. 40. 67. 14, 32. Sall. Iug. 61. Frontin. 2, 5, 8. Vopisc. Aurel. 24." *Wopk.* „Sic *prima* 14, 10. A. 19. 24. *properi* 16, 11. *subitus* H. 3, 47; *rariis navibus* G. 2. Alia laudavit Oudend. ad Suet. Claud. 28 extr." *Walch.* ad Agr. 24 pr. Cf. ad 4, 60, 1. et Ind. III. v. *Adiectiva pro Adverbiis posita.* — *ac tamen* „h. l. et 6, 30 pr. exprimit Graecorum καί τοι, quo in argumentando utuntur, *ac tamen initia* cet. h. e. enimvero tum facilius ferri tales preces poterant, quod in recenti imperio mollius tractandi hominum animi et occultanda dominatio, memoresque adhuc erant homines veteris rei publicae, qua peterentur talia a senatu." *Ern.* „Sensus est: tamen alii non illudebant, sed attendebant, haec initia et gradus ad principatum esse, quaesturam extra ordinem et aetatem datam et solutionem a vigintiviratu: itemque attendebant vetus et ab Augusto institutum, non recens a Tiberio. Quod si ille fecisset, qui vitricus tantum istorum erat, Tiberii et Drusi, cur non Tiberius in nepotibus usurparet magis iunctis? Nepotibus tamen adoptione, quum sanguine propatruus eorum esset." *Lips.* *initia fastidii* MS. teste Furia.

3. *Additur pontificatus* a Patribus, quanquam non peteretur; *Freinsh.* Sed de hoc Neronis honore nihil aliunde constat. In inscriptt. ap. Grut. p. 237. et Murat. Thes. T. I. p. 188. non dicitur *Pontifex*, sed Flamen Augustalis, Sodalis Aug., Sodalis Titius, Frater Arvalis, Fetialis, Quaestor ex SC. Subvereor, ne in cognato honore Tacitus aberrarit; *Lips.* „Immo a senatu decretum videtur, ut primus locus, qui in collegio Pontificum vacaret, Neroni concederetur. Quum autem nemo Pontificum statim post hoc SCtum moreretur, factus est interea Flamen Augustalis." *Ryck.* — *quo primum die forum ingressus est* (ut O. 33.) Nero. „Hic est dies *tirocinii* s. togae virilis, quo auspicii causa tirones a patre proximisque sollenni officio in forum et inde in Capitolium deduci, munera etiam sportulaeque vel *congiaria* dari solebant. v. Plut. in Bruto, Val. Max. 5, 4, 4. Suet. in Oct. 26. in Tib. 15. 54. in Ner. 7. in Cal. 10. Plin. ep. 10, 117." *Lips.* Cf. Boettigeri prolus. de orig. tirocinii apud Romanos et ei. Griech. Vasengem. 1, 2. p. 37—67. — *congiarium plebi*, v. ad 12, 41. — *nuptiis Neronis et Iuliae Drusi filiae*, v. ad 2, 43, 2. et Ind. III. v. *Genitivi ex se pendentes.* *Iulia Drusi filia* nupta primum Neroni, deinde Rubellio Blando; sed interempta. v. 6, 27. 13, 33. 43. Dio 60, 18. Suet. Claud. c. 29. — *secundo rumore*, fama, laude et plausu, vel studio et favore populi, ut H. 2, 91. Cic. de Div. 1, 16.

Horat. epist. 1, 10, 9. Similiter *claro rumore* inf. 15, 48. *adverso rumore* (ut h. l. *adversis animis*) 14, 11. H. 2, 26. Liv. 27, 20. Cf. Heyne ad Virg. Aen. 8, 90. *secundorum more* MS. teste Furia. — *filio Claudii* Druso *socer Seianus destinaretur*, cf. 4, 7. 39. Suet. Claud. 27. Dio 58, 11. 60, 32. — *videbantur* MS. et edd. vet. sc. ii, quibus auctoribus id factum erat; *Freinsh.* Quae ratio dura est. *videbatur* (Tiberius) edd. rec. ex emend. Gron. „Sed unde hic statim Tiberii nomen legenti succurrere possit, non satis video. Immo *familiae* est Nominat. et intell. Claudia et Iulia, quae per Liviae aliasque adoptiones ita coaluerant, ut eaedem fere essent. Cf. 1, 26. (*filios familiarum*) et inpr. 6, 8." *Walth.* Sed h. l. non nisi de Claudia familia agitur, et sic verba *polluisse* et *extulisse* non ad idem subiectum, quod in *videbantur* latet, referri possunt. Solus Tiberius illud concedendo et *extulerat* Seianum et *nobilitatem familiae*, gentis Claudiae, *polluerat*. Eius vero nomen legenti facile succurrere potest, quia de eo eiusque factis in toto cap. sermo est et ad eundem referenda verba praec., tam Activa *commendavit*, *postulavit*, *praetendebat*, quam Pass. *additur* et *destinaretur* sc. a Tiberio. — *ultra extulisse*: „Satis clare, si id negotium totum sic gubernatum fuit ab Tiberio ipso vel consortibus Augusteae familiae. Haud dubie reor etiam ipsum Seianum ursisse pro viribus, *ultra* sc. quam oportuit, aut illi sperandum fuit. *ultra* recte MS. et ed. Ber." *I. Gron.* „*ultra*, ulterius iusto, vel *ultra* quam satis esset, quam oporteret; quae interdum adduntur ab auctoribus, interdum omittuntur. *ultro* Rhen. tres, Ald. al. quod Latinitati et sententiae melius convenire pronuntiat Broterius, sed non docet." *Ern.* At v. ad 3, 36, 2. Malim tamen exponere: *ultra nimiam spem*, quam ipse alebat. Cf. c. 66. extr. Sic et Walth.

CAPUT XXX.

Fine anni concessere vita insignes viri L. Volusius et Sallustius Crispus. Volusio vetus familia neque tamen praeturam egressa. Ipse consulatum intulit, censoria etiam potestate legendis Equitum decuriis functus opumque, quis domus illa immensum viguit, primus accumulator. Crispum equestri ortum loco C. Sallustius, rerum Romanarum florentissimus auctor, sororis nepotem in nomen ascivit. Atque ille, quanquam prompto ad capessendos honores aditu, Maecenatem aemulatus sine dignitate senatoria multos triumphalium consulariumque potentia anteiit, diversus a veterum instituto per cultum et munditias, copiaque et affluentia luxu propior. Suberat tamen vigor animi ingentibus negotiis par, eo acrior, quo somnum et inertiam magis ostentabat. Igitur incolumi Maecenate proximus, mox praecipuus, cui secreta Imperatorum inniterentur, et interficiendi Postumi Agrippae conscius, aetate provecta speciem magis in amicitia Principis quam vim tenuit: idque et Maecenati acciderat fato potentiae raro sempiternae, an satias capit aut illos, quum omnia tribuerunt, aut hos, quum iam nihil reliquum est, quod cupiant.

1. *L. Volusius* Saturninus, cuius filius videtur fuisse *L. Volusius* Cos. et praef. Urbi, homo ditissimus, qui vixit XCIII annos et post LXII. annum genuit *Q. Volusium* Cos. a. U. 810. v. 13, 25. 30. 14, 56. Plin. 7, 14. 49. 11, 38. s. 90. Colum. 1, 7. Rutil. itin. v. 169 sq. *Volusius* al. *Volusus*, *Volesus* et *Valesus*, unde *Valesius* et deinde *Valerius*. Sabinus, pater P. Valerii Poplicolae gentisque Valeriae auctor, qui cum Tatio

Romam venit. v. Dionys. 2, 46. 49. Sil. 2, 8. Liv. 1, 59. 2, 30. Spanh. de usu et pr. num. p. 60. Heins. ad Ovid. ex P. 3, 2, 105. — *ipse consulatum intulit*, qui in fastis cons. non reperitur. „Debet ergo Volusius annumerari suffectis consulibus, quorum plurimi desiderantur. Ab Harduino sel. opp. p. 21. 624. et Vaillant. fam. Rom. T. II. p. 575. laudatur numus Antioch. cusus sub praeside Syriae *Saturnino Volusio* a. XXXV. aerae Antioch. Quae quum ab Actiacis annis incipiat, numus ad a. U. 758. referri debet. De huius Volusii posteris v. 13, 25. 30.“ *Brot.* — *censoria etiam potestate legendis Equitum decuriis functus*: „Equites Romani per turmas dividebantur et turma decurias complectebatur tres. Quare ordinem equestrem nunc *turmas equitum* dicunt, ut Suet. Oct. c. 37. 38. nunc *decurias equitum*, ut Suet. Tib. c. 41. ubi has decurias perperam alii de re militari, alii de iudicum decuriis accipiunt, quum potius de ordine equestri supplendo ibi sermo sit, ut hic.“ *Walth.* Cf. ad 2, 35, 1. et intpp. Suet. Tib. 41. — *immensum*, v. ad 4, 27, 2 extr. — *accumulator*, v. Ind. III. v. *Verba insolentiora.*

2. Sallustium *Crispum C. Sallustius rerum Romanarum florentissimus auctor*, (v. ad 2, 42, 1. et 3, 3, 1.) *in nomen* et gentem *ascivit*, adoptavit. v. ad 1, 6, 5. et 1, 8, 2. *Romanorum* MS. et ed. Ber. *Romanarum* edd. Rhen. et cet. — *Maecenatem aemulatus*, qui dignitate equestri contentus fuit, et de cuius potentia et luxu v. 1, 54. 6, 11. 15, 39. O. 36. — *munditias*, v. ad 12, 49, 1. *cultum et munditias* synon. ut *copia et affluentia, somnum et inertiam*, Roth. p. 8. v. Ind. III. v. *Synonyma.* — *luxu propior* pro *luxui pr.* Cf. Ind. III. *Dativus* N. 7. Gell. 4, 76. Drak. ad Liv. 9, 37. Cort. ad Sall. Iug. 52. Ruddim. inst. gr. T. I. p. 103. 104. Oudend. ad Caes. B. G. 1, 16. Ramsh. Gr. p. 51. *luxui propior*, propensior ad luxum quam ad antiquam parcimoniam; *Freinsh.* Cf. Ind. II. v. *Propior* et ad Agr. 6. n. 7. — *incolumi*, vigente ac florente, *Maecenate proximus* ei gratia apud Augustum. — *interficiendi Postumi Agrippae conscius*, cf. 1, 6. et 2, 40. — *speciem magis in amicitia Principis quam vim tenuit*, ut 13, 31. v. ad 3, 17, 2. — *idque et Maecenati acciderat*, cf. Suet. Aug. c. 66. — *fato potentiae r. s. an quia satias capit*, v. ad 2, 38, 5.

CAPUT XXXI.

Sequitur Tiberii quartus, Drusi secundus consulatus patris atque filii collegio insignis: nam biennio ante Germanici cum Tiberio idem honor neque patruo laetus neque natura tam connexus fuerat. Eius anni principio Tiberius quasi firmandae valetudini in Campaniam concessit, longam et continuam absentiam paulatim meditans, sive ut amoto patre Drusus munia consulatus solus impleret. Ac forte parva res magnum ad certamen progressa praebuit iuveni materiem apiscendi favoris. Domitius Corbulo praetura functus de L. Sulla nobili iuvene questus est apud senatum, quod sibi inter spectacula gladiatorum loco non decessisset. Pro Corbulone aetas, patrius mos, studia seniorum erant: contra Mamercus Scaurus et L. Arruntius aliique Sullae propinqui nitebantur. Certabantque orationibus et memorabantur exempla maiorum, qui iuventutis irreverentiam gravibus decretis notavissent, donec Drusus apta temperandis animis disseruit; et satis factum Corbuloni per Mamercum, qui patruus simul ac vitricus Sullae et oratorum ea aetate uberrimus erat. Idem Corbulo plurima per Italiam

itinera fraude mancipum et incuria magistratuum interrupta et impervia clamitando exsecutionem eius negotii libens suscepit; quod haud perinde publice usui habitum quam exitiosum multis, quorum in pecuniam atque famam damnationibus et hasta saeviebat.

1. *biennio ante Germanici cum Tiberio idem honor — fuerat*, v. 2, 53. — *neque natura* utriusque consulis *tam connexus*: nam Germanici natura recedebat multum a Tiberii, Drusus vero et Tiberius invicem similiores; *Walth.* *connexis* malebat Gron. et paulo ante *Germanico*. Hoc magis arridere potest quam illud. — *quasi firmandae valetudini*, v. Ind. III. v. *Gerundia in Dativo*. — *continuam absentiam paulatim meditans*, non cogitans, sed in antecessum experiens, praetentans, praegustans et ei quasi praeludens, ut *meditari* vel *discere* dicimur, in quo nos exercemus ad discendum, v. c. *mortem* et alia; *Gron.* ad h. l. ad Sen. Herc. fur. 1076. et ei. epist. 54. Similiter *meditari pugnas* dixit Sil. 5, 315. pro: se ad eas parare s. exercere, proludere. Cf. ad 14, 15. et 20. Heyne ad Virg. Ge. 3, 234. et Aen. 10, 455. 12, 106. — *sive ut amoto* cet. Desideratur alia portio alternativae orationis; *Ferret.* Non desideratur, etsi non apparet *sive* priori parti praepositum; *Gron.* Cf. ad 2, 24 extr. — *amoto patre*, eo absente. — *materiem* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. et rec. *materiam* edd. Lips. Pich. al.

2. *Domitius Corbulo praetura functus*, v. ad 2, 33, 1. — *de L. Sulla — questus est — quod sibi inter spectacula gladiatorum*, in illis, *loco non decessisset*, cessisset. „In theatro olim loca discreta et utrique ordini propriae sedes, nondum in circo, amphitheatro, septis aliisque locis, quibus spectacula gladiatorum edebantur et primus ea discrevit Claudius. v. Suet. Claud. 21. Decretum illud Patrum ap. Suet. Aug. c. 44. extra Urbem duntaxat fuit firmum.“ *Lips.* — *L. Sulla*, v. ad 6, 15, 1. Cn. *Domitius Corbulo* (v. Dio 59, 15.) senex, cuius forsan filius fuit Domitius Corbulo, summus dux et sollers naturae indagator, de quo v. Ind. I. et Plin. 2, 70. 5, 24. 6, 8. Huius tamen patrem fuisse Pomponium aut Orfitum, ex Plin. 7, 5. s. 4. colligebat Lipsius ad 13, 38. — *Certabantque* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. I. Gron. Walth. Bekk. II. *certabant* edd. Lips. Pich. et rel. — *et memorabantur exempla maiorum* cet.“ cf. Plut. Gracch. p. 856. et Electa mea 1, 23.“ Lips. De honore maioribus natu olim habito v. Iuvenal. 13, 54 sq. Heyne ad Virg. Ecl. 6, 66. Koenig ad Claudian. 21, 48. intpp. Gell. 2, 15. et inpr. Klotz. ad Tyrt. p. 139. — *irreverentiam*, ut 13, 26. et H. 3, 51. — *patruus simul ac vitricus Sullae*: itaque post damnationem Lepidae uxorem duxit fratris sui uterini viduam, Sexitiam, (v. 6, 29.) et hae nuptiae tunc non fuerunt incestae, ut postea ab Impp. christianis factae; *Ryck.* Mamercus Scaurus fratrem uterinum habuit L. Sullae patrem eoque mortuo Sexitiae, L. Sullae matri, nupsit; *Brot.* — *oratorum ea aetate uberrimus*, et poeta. cf. 6, 29. et Dio 58, 24. „*uberrimus* in dicendo copiosissimus, cui ubertim afflueret oratio: quo uno perfecti oratoris laus minime absolvitur. v. Cic. or. 28.“ *Freinsh.* *ea* ante *aetate* inseruerunt editores rec. quod suaserat Ferret. — *Idem Corbulo plurima per Italiam itinera fraude mancipum — impervia clamitando — suscepit* brevius dicta pro: clamitando perfecit, ut exsecutio eius negotii ipsi traderetur, quam libens suscepit. „Non nunc tantum, sed et postea iterum sub Caio, sub quo ita consulatum meruit. Vir cetera magnus haesit in his calumniae sordibus, bonis omnibus invitis, et a Claudio mulctatus est. v. Dio 59, 15.“ *Lips.* „*Mancipes* viarum et *magistratus* curatores viarum, vectigalia et munitiones earum certis hominibus locantes: quae qui redimerent, *mancipes* sunt dicti. v. Panvinii inscr. in Graevii Thes. Ant. Rom. T. III. p. 262.“

Brot. Cf. Lipsii Exc. V. ad Ann. III. et Heubach de politia Rom. §. 68. Hic suspicabatur, Quatuorviris viarum curandarum, quorum in Inscriptt. mentio fiat, viarum non in Urbe, sed per Italiam fuisse curam. — *exsecutionem eius negotii,* ultionem fraudis et incuriae, qua itinera corrupta esse dicebantur; *Walth.* Procurationem, ut 15, 25. *exsecutio Syriae* pro administratione; *Ern.* Cf. Ind. III. v. *Verba insolentiora.* — *haud perinde,* v. ad 3, 17, 1. G. 5. n. 8. A. 10. n. 6. — *quorum in pecuniam — saeviebat,* scil. possessorum, qui agros haberent viae vicinos: finitimi enim, ut vulgo hodie, quasdam vias tueri debebant pecunia collatitia; *Lips.* „Immo *saeviebat in pecuniam* eorum, qui viarum curam habuerant ac pecunias in eam rem acceptas non videbantur insumpsisse. v. Dio 59, 15.“ *Walth.* Eodem Dione teste Claudius haec damna tam ex aerario, quam a Corbulone ipso resarcienda curavit. — *hasta,* bonorum publicatione: nam *hasta* palam et potissimum in foro posita signum erat auctionis publicae; unde *sub hasta vendere* et *venire, ad hastam locare* et *accedere, subhastare, subhastatio.*

CAPUT XXXII.

Neque multo post missis ad senatum literis Tiberius motam rursum Africam incursu Tacfarinatis docuit, iudicioque Patrum deligendum pro consule gnarum militiae, corpore validum et bello suffecturum. Quod initium Sex. Pompeius agitandi adversus M'. Lepidum odii nactus ut socordem, inopem et maioribus suis dedecorum eoque etiam Asiae sorte depellendum incusavit, adverso senatu, qui Lepidum mitem magis quam ignavum, paternas ei angustias et nobilitatem sine probro actam honori quam ignominiae habendam ducebat. Igitur missus in Asiam. Et de Africa decretum, ut Caesar legeret, cui mandanda foret.

1. *motam rursum Africam incursu Tacfarinatis:* de initiis belli v. 2, 52. — *deligendum pro consule gnarum militiae* MS. edd. Ber. Rhen. 1. Ald. Iac. Gron. Ern. et rec. *proconsulem* edd. Rhen. 2. 3. et cet. v. ad 2, 52, 2. — *bello suffecturum,* v. ad 1, 13, 1.

2. *M'. Lepidum* recte pro *M. Lepidum* scripsere Ryck. et Walth. v. ad 1, 13, 2. — *dedecorum,* ut 12, 47. — *eoque* (v. ad 1, 16, 1.) *etiam Asiae sorte depellendum:* „Disputant Freinsh. et Mercerus, utrum iam sortitus fuerit, an adhuc debuerit sortiri. Ego vero non sortitum nec sortiendum habuisse censeo. Sortiri solebant *Asiam* et *Africam.* Sed quia extra ordinem deligebatur cui mandaretur Africa, restabat Asia sola. Quid igitur *sorte* opus? Porro de his sortiebantur duo consularium omnium vetustissimi. Horum priorem fuisse M'. Aemilium Lepidum accipimus: ita ad hunc iam Asia sine sortitione pertinebat. Hactenus etiam obtinuisse potest dici, nempe spe ac destinatione et sua et omnium, qui non essent ei malevoli; et ea si careret veniente anno, *sorte depellebatur.* Freinshemium impedivit voc. *sors,* quod putavit locum non habere, nisi utique urna intercessisset. At *sors* h. l. est id. qd. provincia, sive sorte sive sine sorte haberetur, quia rite ac sollenniter non nisi per sortem habebatur. Sic ap. Cic. ep. 2, 19. et Liv. 42, 31. Frustra etiam captatur *depellere,* quod eodem sensu dicitur, quo *deiicere honore* et *detrudere* ap. Liv. 4, 44. 39, 41. (add. 3, 35. 38, 35. 47.) et Suet. Iul. 24. non sane honore, quem iam habebant, in cuius possessione erant, sed quem petebant, spe tantum et votis sibi despondebant.“ *Gron.* Cf. ad 3, 58, 1. 3, 71. extr. 4, 27, 2. 11, 21, 1. 16, 27. Agr. 6. n. 3.

cap. 42. n. 1. *Asia* et *Africa* his et aliis locis sunt Asiae et Africae partes, quae a Romanis in formam provinciarum redactae erant et hinc *provinciae* dicebantur. Haec erat Africae regio, quam Poeni olim ditione tenuerant, hod. regnum Tunetanum; illa vero exigua Asiae minoris pars, tractus litoralis a Pergamo in Mysia ad Cariam, inter Halyn fluvium et Taurum montem, subiectus quondam regum imperio, quorum ultimus Attalus populum Romanum testamento heredem instituerat. Utraque autem provincia in sortem simul coniici solebat. v. Agr. 42 pr. Strabo XVII. extr. et Noris. ad cen. Pis. c. 11. p. 205. Ceterum consules aut sortiebantur provincias, aut comparabant inter se, aut extra ordinem et sine sorte accipiebant; quod notissimum ex Liv. 3, 2. 41. 4, 46. 6, 30. 8, 16. 20. 37, 1. et al. — *paternas ei angustias* sc. esse, h. e. non sua culpa ortas, sed a patre acceptas, *et nobilitatem actam sine probro* sc. mali quaestus, quo opes parare posset; *Walth.* — *honori quam ignominiae habendam*, v. ad 1, 57, 1. et Ind. III. v. *Dativus*.

CAPUT XXXIII.

Inter quae Severus Caecina censuit, *ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur*, multum ante repetito, *concordem sibi coniugem et sex partus enixam, seque, quae in publicum statueret, domi servavisse, cohibita intra Italiam, quanquam ipse pluris per provincias quadraginta stipendia explevisset. Haud enim frustra placitum olim, ne feminae in socios aut gentes externas traherentur: inesse mulierum comitatui, quae pacem luxu, bellum formidine morentur et Romanum agmen ad similitudinem barbari incessus convertant. Non imbecillum tantum et imparem laboribus sexum, sed, si licentia adsit, saevum, ambitiosum, potestatis avidum: incedere inter milites, habere ad manum centuriones: praesedisse nuper feminam exercitio cohortium, decursu legionum. Cogitarent ipsi, quotiens repetundarum aliqui arguerentur, plura uxoribus obiectari: his statim adhaerescere deterrimum quemque provincialium: ab his negotia suscipi, transigi: duorum egressus coli, duo esse praetoria, pervicacibus magis et impotentibus mulierum iussis, quae Oppiis quondam aliisque legibus constrictae nunc vinclis exsolutis domos, fora, iam et exercitus regerent.*

1. *Inter quae Severus Caecina* (*Caecinna* ed. Ald. h. l. et al.) *censuit* scil. egressus relationem, quod patet ex c. 34 pr. Cf. ad 2, 33, 2. — *ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur:* „quod olim insolens nec in crebro usu etiam temporibus Augusti. v. Sen. contr. 25. et Suet. Oct. 24. Sed irrepsit, et Germanico Agrippina in provinciis comes, ipsi Augusto Livia.“ *Lips.* Sic et Pisoni Plancina, Agricolae Decidiana. Cf. et evang. Matth. 27, 19. — *repetito*, v. ad 1, 46, 1. — *in publicum* et *domi* sibi opponuntur. v. ad 3, 70, 2. — *cohibita* scil. coniuge. — *quadraginta stipendia explevisset*, v. ad 1, 64, 2. — *inesse mulierum comitatui, quae pacem luxu* cet., quae impedirent, quo minus et pacis et belli tempore praesides officio satisfaciant ratione legum, rei publicae et sociorum. Cf. ad 4, 20, 3. et Iuvenal. 8, 127 sq. — *ad similitudinem barbari incessus*, comitatus et agminis: nam Germani, Galli, Persae uxores et concubinas secum in bella ducebant; *Mur.* Ad haec omnia cf. Iuvenal. 1. 1.

2. *imbecillum* edd. Ber. Pich. Bern. et rec. ut 1, 56. 3, 34. 6, 49.

et al. *imbecillem* edd. Rhen. 2. 3. et cet. — *praesedisse nuper feminam exercitio cohortium, decursu legionum,* sc. Plancinam. v. 2, 55. „In ed. Ber. *et* ante *nuper* additum haud inepte. Vox *cohortium* ex oppositione *legionum* intell. de auxiliaribus, inter quos et equites erant: unde *alaeque et auxilia cohortium* 4, 5. Contra 2, 55. cohortes equitibus opponuntur, ut intelligas et auxiliares pedites et legionarios." *Walth. decursu legionum,* v. ad 2, 7, 2. *decursu* pro *decursui,* ut *luxu* 3, 30. ubi v. nota 2. „Pro *praesedisse* sup. 2, 55. *interesse,* quo invidiose augetur res, nisi capias lenius pro praesentem esse et loco ac sede insigni spectare. v. ad Suet. Tib. 6." *Ern.* Ita et capiendum *interesse.* Cf. 12, 37.

3. *cogitarent ipsi,* v. ad 11, 6, 1. — *quotiens,* v. ad Agr. 30. n. 1. — *plura uxoribus obiectari* sc. quam viris, maritis. Cf. Ind. III. v. *Comparationis usus* 2. 5. — *duorum egressus* in publicum *coli,* decorari, coniugum a domesticis, familiaribus, clientibus, virorum ab aliis, qui officii et honoris causa eos prosequantur et deducant. Cf. 1, 77. 2, 42. 4, 34. 68. 11, 12. 15, 53. O. 6. n. 4. — *duo esse praetoria:* „non tentoria s. tabernacula: nam de bello aut castris haud sermo est, ut ap. Liv. 25, 22. ubi tria praetoria memorantur; nec credibile, duobus diversis palatiis in provincia habitasse praesidem et uxorem. Nisi *praetoria* per αὔξησιν dicta, (duo prope praetoria) intell. turba hominum, quae versari ante praetorium solet, ut praesto sit, si quid velit praeses, ut appareat, deducat, comitetur. v. Periz. de praetorio p. 120." *Ern.* „*Praetorium* in castris est tabernaculum s. tentorium, in quo *praetor* h. e. summus dux (a *praeeundo* sic dictus) habitat; in provincia domus proconsulis aut propraetoris et ad habitandum et ad res praetorias agendas: hinc locus iurisdictionis, vel ipsa iurisdictio rerumque administratio, ut h. l. Id patet e sqq. *pervicacibus — iussis,* quibus significatur non solum *duo esse praetoria,* sed praevalere etiam mulieris praetorium, ut ita maior sit potentia apud hanc quam apud maritum." *Walth.* Haec praeferenda iis, quae Ern. dixit. — *pervicacibus magis et impotentibus mulierum iussis,* cf. Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant. in Partic.* et de *impotentia* mulierum ad 4, 57. et Iuvenal. 6, 161 sq. 219 sq. — *Oppiis legibus* de una, ut *leges Voconiae, Iuliae* et sim. Cf. ad 12, 60, 2. et Ind. III. v. *Numerus Plur. pro Sing.* De Oppia lege v. Liv. 34, 1. 2. 5. 8. — *nunc vinclis exsolutis,* solutis, ut H. 3, 12. Hinc *exsolutae* frustra coni. Acid. Tacitus etiam variare solet orationem. *non* Rhen. 1. vitiose pro *nunc.* — *fora,* iudicia.

CAPUT XXXIV.

Paucorum haec assensu audita: plures obturbabant, *neque relatum de negotio, neque Caecinam dignum tantae rei censorem.* Mox Valerius Messalinus, cui parens Messala ineratque imago paternae facundiae, respondit: *Multa duritie veterum melius et laetius mutata: neque enim, ut olim, obsideri Urbem bellis aut provincias hostilis esse. Et pauca feminarum necessitatibus concedi, quae ne coniugum quidem penates, adeo socios non onerent; cetera promiscua cum marito nec ullum in eo pacis impedimentum. Bella plane accinctis obeunda: sed revertentibus post laborem quod honestius quam uxorium levamentum? At quasdam in ambitionem aut avaritiam prolapsas. Quid? ipsorum magistratuum nonne plerosque variis libidinibus obnoxios? Non tamen ideo neminem in provinciam mitti. Corruptos saepe pravitatibus uxorum maritos. Num ergo omnes caelibes integros? Placuisse quondam Oppias leges, sic temporibus rei publicae postulantibus: remissum*

aliquid postea et mitigatum, quia expedierit. Frustra nostram ignaviam alia ad vocabula transferri: nam viri in eo culpam, si femina modum excedat. Porro ob unius aut alterius imbecillum animum male eripi maritis consortia rerum secundarum adversarumque. Simul sexum natura invalidum deseri et exponi suo luxu, cupidinibus alienis. Vix praesenti custodia manere illaesa coniugia. Quid fore, si per plures annos in modum discidii oblilerentur? Sic obviam irent iis, quae alibi peccarentur, ut flagitiorum Urbis meminissent. Addidit pauca Drusus de matrimonio suo: *nam Principibus adeunda saepius longinqua imperii. Quotiens divum Augustum in Occidentem atque Orientem meavisse comite Livia? Se quoque in Illyricum profectum et, si ita conducat, alias ad gentes iturum, haud semper aequo animo, si ab uxore carissima et tot communium liberorum parente divelleretur.*

1. *plures obturbabant*, interpellabant Caecinam contra dicentes, *neque relatum* esse *de negotio* hoc. v. ad 2, 33, 2. et 3, 33, 1. — *neque Caecinam dignum tantae rei censorem*, reprehensorem esse et correctorem. — M. *Valerius Messalinus, cui parens Messala* erat *ineratque*, cuique inerat, *imago paternae facundiae*, v. ad 2, 32, 1. et 3, 17, 2.

2. *Multa duritie veterum melius et laetius mutata* cet. Est imitatio Virg. Aen. 11, 425 sq. *duritie* MS. edd. Rhen. Ald. et rec. tantum non omnes, pro *duritiei*, ut *die, fide, spe, pernicie, segnitie*. v. Gell. 9, 14. intpp. Liv. 5, 13. Hor. od. 3, 7, 4. et Sat. 1, 3, 95. Virg. Ge. 1, 208. Ovid. Met. 3, 341. Sil. 3, 88. Struve über die lat. Declin. und Coniug. p. 38. *duritiae* (ut 6, 34.) edd. Ber. Pich. Brot. Walth. *duritiae veteris* coni. Heins. *e duritie* Ern. *a duritie* Mur. et Acid. — „*melius et laetius mutata* edd. vet. ut ap. Liv. 1, 47. *eo nunc peius mutata est res*. Hermannus non male exponit: multa melius et laetius, quam durities esset veterum, mutata. Sic 6, 16. *ne quis unciario fenere amplius exerceret*, 3, 64. *inferius maiestate Principis*, 14, 43. in MS. Flor. *quae converterentur, deterius mutari*, Sall. Iug. 53. *Metellus amplius opinione morabatur.*“ *Walth*. *in melius et laetius mutata* dedere Ern. Ob. et alii; quae vulgaris dictio est. v. Ind. II. v. *In*. — *aut provincias hostiles esse*, in quas propter bella vel gerenda vel metuenda praesides cum imperio mittantur; *Ern*. — *quae ne coniugum quidem penates*, rem familiarem, (v. ad G. 15. n. 2.) *adeo non*, nedum, multo minus, *socios onerent*, his oneri, molesta, gravia sint. Ita *adeo non* H. 3, 39. et *adeo* pro eo magis, multo magis H. 1, 9. 3, 64. 4, 39. 80. *adeo nunquam* pro *nedum unquam* 6, 15. *adeo nemo* pro multo minus quisquam Vell. 2, 67. Cf. Handii Tursell. T. I. p. 140 sq. 151 sq. — *cetera promiscua cum marito* esse, communia; *Ern*. quae maritis darentur, etiamsi non adessent uxores; *Freinsh*. — *Bella plane*, quidem vel sane, *accinctis obeunda*: nam *sed* sequitur; *Ern*. Iunge potius *plane accinctis* sc. gladio, cingulo cet. ad bellandum. Sic *plane eruditus* ap. Cic. Brut. 81. et sim. — *post laborem* insititium putabat Bongars. et sane nemo desideraret, si abesset; *Ern*. Sed non frustra tibi videbuntur adesse, si coniunxeris *revertentibus quod levamentum post laborem honestius quam uxorium*; *Walth*. *uxorium*, quod ab uxoribus exspectatur daturque. — *pravitatibus*, v. ad 12, 49, 1. — *Oppias leges*, v. ad c. 33. n. 3. — *mitigatum, quia expedierit*: nam *usus est unus legum corrector* Liv. 45, 32.; *Brot*. — *Frustra nostram ignaviam alia ad vocabula transferri*, in alios quam nos eius culpam transferri; *Ern*. — *nam viri in eo culpam* esse, *si femina modum excedat*, v. ad Agr. 6. n. 2. — *exponi suo luxu*, v. ad 3, 30, 2. — *praesenti custodia* maritorum. —

per plures annos, quibus mariti absint. — *discidii* (divortii) MS. edd. Ber. Rhen. Bern. et rec. *dissidii* edd. Ald. Lips. Pich. Grut: v. ad 2, 86, 2. — *obliterentur*, oblivioni quasi tradantur, ut 1, 51. 6, 4. 11, 15. 15, 73. H. 2, 66. O. 8. 12. — *Sic obviam irent*, cf. ad 11, 6. — *ab uxore carissima*, Livia Germanici sorore, *et parente tot communium liberorum*, non plus trium; *Lips.* v. cap. 56. et ad 2, 84, 1.

CAPUT XXXV.

Sic Caecinae sententia elusa. Et proximi senatus die Tiberius, per literas castigatis oblique Patribus, quod cuncta curarum ad Principem reiicerent, M. Lepidum et Iunium Blaesum nominavit, ex quis pro consule Africae legeretur. Tum audita amborum verba, intentius excusante se Lepido, quum valetudinem corporis, aetatem liberum, nubilem filiam obtenderet, intelligereturque etiam, quod silebat, avunculum esse Seiani Blaesum atque eo praevalidum. Respondit Blaesus specie recusantis, sed neque eadem asseveratione, et consensu adulantium haud iutus est.

1. *Sic Caecinae sententia elusa;* verbum *eludere* aptissimum huic rei: non enim vi aperta aut impudenti aspernatione reiectam ostendit, verum specie moris antiqui et publicae utilitatis circumventam atque frustratam; *Freinsh.* Cf. ad 2, 52, 2. — *cuncta curarum*, omnes curas. Cf. Ind. III. v. *Adiectiva neutra pro Substant.* — *ad Principem reiicerent*, cf. cap. 32. et ad 1, 26, 3. — *M. Lepidum*, v. ad 1, 13, 2. — *Iunium Blaesum*, v. ad 1, 16, 1. — *ex quis pro consule Africae legeretur* MS. edd. Ber. I. Gron. Bekk. II. *proconsul* edd. cet. „Rectius forsitan illud. Non enim *proconsul*, h. e. vir proconsulatu praeditus, sed unus ex illis *pro consule* legendus erat." *Walth.* Cf. ad 2, 52, 2.

2. *intentius excusante se*, v. ad 1, 52, 1. — *aetatem liberum*, liberorum, aptam liberis procreandis; *Ern.* Aetatem teneram, non adultam, quod ad excusationem nihil faceret; *Freinsh.* — *nubilem filiam*, de qua v. ad 11, 37, 2. — *eo* (ideo) *praevalidum*, quia Seianus apud Tiberium gratia plurimum valebat. — *sed neque* (non vel et non) *eadem asseveratione* (v. ad 4, 9, 2.) scil. respondit. — *et consensu adulantium* (v. ad 12, 41, 1.) *haud iutus est:* „Etenim si adulatores iuvissent Blaesum in recusanda provincia, tum recusatio vera potuisset videri. Quum vero uno consensu tacerent vel etiam recusanti reniterentur, nemo ignorabat, Blaesum prae se ferre tantum speciem recusantis." *Walth.* *haut iustus est* MS. *auditus est* edd. vet. *adiutus est* corr. I. Fr. Gron. et *haud nisus est* Croll. sed felicius *haud iutus est* Iac. Gron. quod recepere editores rec. Tacitus verbis simplicibus non admodum usitatis uti amat. Cf. Ind. III. v. *Verba simplicia pro compositis*, et *Verba composita pro simplicibus*; nam haec quoque in deliciis habet, nec minus quae perperam *frequentativa* dicuntur. Eius tamen regulae ususque loquendi exempla non nimis cumulanda sunt. v. Wolf. ad Suet. Aug. 42. et Günther in Athenaeo II, 2. p. 265 — 268. In universum aestimanti ea seriorum scriptorum consuetudo deprehenditur, ut, quae verba ob frequentem usum eviluisse viderentur, illis insolenti aliqua flexione gratiam vel novitatem conciliarent; *Drück.* (kleinere Schriften, herausg. von Conz. Tüb. 1811. T. II. p. 4.) Cf. Ind. III. v. *Verba frequentativa.*

CAPUT XXXVI.

Exin promptum, quod multorum intimis questibus tegebatur. Incedebat enim deterrimo cuique licentia impune probra et in-

vidiam in bonos excitandi arrepta imagine Caesaris, libertique etiam ac servi, patrono vel domino quum voces, quum manus intentarent, ultro metuebantur. Igitur C. Cestius senator disseruit: *Principes quidem instar deorum esse; sed neque a diis nisi iustas supplicum preces audiri, neque quenquam in Capitolium aliave Urbis templa perfugere, ut eo subsidio ad flagitia utatur. Abolitas leges et funditus versas, ubi in foro, in limine curiae, ab Annia Rufilla, quam fraudis sub iudice damnavisset, probra sibi et minae intendantur, neque ipse audeat ius experiri ob effigiem Imperatoris oppositam.* Haud dissimilia alii et quidam atrociora circumstrepebant precabanturque Drusum, daret ultionis exemplum, donec accitam convictamque attineri publica custodia iussit.

1. *Exin promptum* est, prolatum, vulgatum, ut saepissime *promere* et *expromere*, quae occulta erant et *tecta*, ut 1, 6. 8. 4, 57. 6, 28. 12, 59. 65. 15, 60. H. 2, 90. — *intimis questibus*, occultis, tacitis. — *Incedebat deterrimo cuique licentia*, v. ad 3, 26, 1. „Ne coniunge *incedebat det. cuique*, sed *det. cuique licentia.* Sic 2, 55. *intra decora feminis se tenebat*, 1, 22. *plures seditioni duces*, 1, 51. *per quos exercitui regressus.* Cf. Ramsh. Gr. p. 199. n. 2.“ *Walth.* Sed exempla haec haud apta sunt et iungenda potius *incedebat det. cuique licentia.* Haec vero eodem sensu dicta quo *incessit seditio legiones* 1, 16. et *Civilem cupido* H. 5, 23. vel ap. Curt. 3, 1, 16. 7, 11, 4. *incessit animo cupido*, ap. Liv. 4, 57. *gravior cura Patribus incessit:* nam *incedere* et tertio et quarto casui iungitur, ut pleraque verba composita. — *probra et invidiam* ἓν διὰ δυοῖν pro *invidiam per probra*; *Roth.* p. 51. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin.* — *arrepta imagine Caesaris*, v. ad 3, 60. et Lips. Exc. VI. ad Tac. Ann. III. — *ultro metuebantur*, sponte, non iniuria lacessiti neque provocati; *Freinsh.* „Sic 4, 68. H. 1, 62. 4, 79. (G. 14. Agr. 31. O. 5. 36.) Sed h. l. *ultro* est potius id. qd. *adeo, insuper, praeterea*, nostrum s o g a r, et aliis locis u m s o m e h r, n o c h d a z u, o b e n e i n. Ita 4, 67. 6, 23. 30. 31. 11, 1. 29. 13, 26. 14, 7. 14. 15, 55. 16, 2. H. 1, 9. 71. 74. 82. 2, 48. 60. 65. 69. 70. 4, 16. 25. G. 28. Cf. Drak. ad Liv. 40, 12, 4. et Doederl. Synon. III. p. 103 sq. 108.“ *Boett.* in Lex. Tac.

2. *C. Cestius*, v. ad 6, 7, 2. — *senator:* „sed quis nesciat, in senatu non nisi senatorem disseruisse, et quid hic opus, inter titulos id addere? An leg. *senior*, ad discrimen, quia illo aevo duo Cestii fuere, pater et filius, (v. 6, 7.) aut *senatu*, h. e. quod esset in senatu?“ *Lips.* Titulus hic additus fortasse ad differentiam aliorum eiusdem nominis et cognominis, qui senatores non erant; *Pich.* „Ita vero non tollitur Lipsii dubitatio; sed additur *senator*, ut distinguatur a consularibus, praetoriis cet. Solet enim alibi tale quid addere, v. c. *praetura functus* 2, 33. 3, 31. Sic *senator* 1, 75. 2, 27. 6, 7. 38. 11, 35. 12, 42. Suet. Aug. 53.“ *Ryck. Ern.* et *Oberl.* Titulus hic indicat, non gessisse magistratum, qui *senator* dicatur. v. cap. 65. — *subsidio*, ut al. *perfugium*, (v. Ind. II.) et h. l. de templis, tanquam asylis, ut 3, 60. — *funditus versas*, eversas. Cf. Ind. III. v. *Verba simpl. pro comp.* — *quam fraudis sub iudice damnavisset*, i. e. perfecisset, ut ea ab iudice damnaretur fraudis; *Ern.* v. ad 2, 85, 1. *sub iudice*, in iudicio. Sic *sub iudice* et *sub crimine cadere, sub iudice dicere* et *sub teste canere* dixit Iuvenal. 4, 12. 7, 13. 10, 69. 15, 26. Supra 1, 26 extr. *praemia sub dominis esse*, penes eos esse, ex arbitrio senatus pendere, *poenas sine arbitrio esse*, H. 2, 26. *sub eodem crimine vincire fratrem*, 3, 68. et 4, 12. *sub exemplo.* — *ius experiri*

formula sollennis de controversiis iuris forensibus, ut *experiri ius* et *iure* et *iudicio* ap. Cic. p. Caec. 7. 12. p. Quint. 11. p. Rosc. Com. 9. Sic et simplex *experiri* 3, 15. ap. Cic. p. Coel. 8. Quint. 16. 23." *Experiri ius* h. l. est uti potestate per leges concessa abducendi fraudis convictam, donec iudicatum solveret: nam hic non de intendenda actione, sed de ducenda iudicata agitur. Sic *ius experiri* et *addictum iudicatumque ducere* saepius ap. Cic." *Gron.* obss. 2, 11 extr. *Experiri*, tentare exsecutionem *iuris*, quod sibi sit in fraudis damnatam; *Walth.* — *convictamque:* „scil. non fraudis, cuius iam ante convicta fuerat, sed novi delicti, *probrorum et minarum*, quas Cestio intenderat. Hinc non addicta Cestio, ut alias factum esset iuxta leges, sed *publicae custodiae*, h. e. carceri adiudicata." *Ryck.* — *attineri publica custodia*, v. ad 1, 35, 3. et 3, 22, 2.

CAPUT XXXVII.

Et Considius Aequus et Coelius Cursor Equites Romani, quod fictis maiestatis criminibus Magium Caecilianum praetorem petivissent, auctore Principe ac decreto senatus puniti. Utrumque in laudem Drusi trahebatur: *ab eo in Urbe inter coetus et sermones hominum obversante secreta patris mitigari.* Neque luxus in iuvene adeo displicebat. *Huc potius intenderet, diem aedificationibus, noctem conviviis traheret, quam solus et nullis voluptatibus avocatus maestam vigilantiam et malas curas exerceret.*

1. *Coelius* edd. Lips. et rec. *Caelius* edd. vet. — *quod fictis maiestatis criminibus* (v. ad 1, 72, 2.) *praetorem petivissent*, quasi invasissent, adorti essent, ut H. 4, 56. et al.

2. *secreta patris mitigari*, secretam saevitiam; *Brot.* Invidiam tristis vitae et secretae, qua pater offenderet cives, leniri versando inter homines et civiliter vivendo; *Ern.* — *Huc potius intenderet*, v. ad 2, 6, 1. — *diem aedificationibus* cet. Cf. Iuvenal. 4, 150 sq. et Sen. de ben. 7, 20; *Gron.* *diem aedificationibus* edd. vet. *diem editionibus* edd. rec. ex emend. Lips. qui haec annotavit: „Si vera lectio illa, non exponam cum Ferretto de emendandis rebus, sed de studio aedificandi et crebris insanisque substructionibus, de quibus v. Suid. v. *Οἰκοδομήματα*. (ut et Iuvenal. 14, 86 sq. Martial. 9, 47.) Quis vero apud Romanos viro principi aedificationes vitio dedit? laudi potius, ut M. Agrippae, Augusto aliisque. Et ut vitium sint, quis scriptor id prodidit de Druso? Lego *editionibus* sc. spectaculorum munerumque. His enim delectabatur Drusus, nec minus *conviviis* ac potatione. v. 1, 76, 3. Dio 57, 13. 14. et Exc. VII. ad Tac. Ann. III." Sed illo sensu *editio* non simpl. dicitur, nisi Flav. Vopisco vita Carini c. 20. nec satis probabilis haec vocis corruptela. „Aedificandi studium in publicis operibus tuendis reficiendisve positum, ut Agrippae, Augusti aliorumque, sane laudi quam vituperio illis fuit. Sed in privatis aedificationibus parcum laudabant iuxta eum, qui magnificus esset in publicum; et in aedificando profusum vituperabant. Cf. 6, 45. Plin. pan. 51. et Suet. Ner. 31. Quare miror, quomodo illa Lipsio excidere potuerint et coni. *editionibus*. Iam licet Drusi nomen publicis operibus non innotuerit, potuit tamen aedificator esse in privatis, uti tum solebant luxuriosi. Cf. c. 53. Nep. Att. 13. Iuvenal. 14, 86. Flor. 1, 8. Vox *editiones* hic nihili est, nec ita nude posita dici potest de spectaculis, ubi nulla earum mentio praecessit: neque aptiora, quae alii coniecerunt, *aditionibus* (ad coetus, circulos, amicos, amicas, coenas, ludos) et *ambulationibus*. Aptissime autem *aedificationes* conveniunt luxui, de quo hic sermo est." *Walth.* — *traheret* edd. Lips. et rec. *trahere* MS. et edd. vet. quod penderet ex *intenderet*. — *quam solus* (in secreto) cet. ut pater et accusatores.

CAPUT XXXVIII.

Non enim Tiberius, non accusatores fatiscebant. Et Ancharius Priscus Caesium Cordum pro consule Cretae postulaverat repetundis, addito maiestatis crimine, quod tum omnium accusationum complementum erat. Caesar Antistium Veterem e primoribus Macedoniae absolutum adulterii, increpitis iudicibus, ad dicendam maiestatis causam retraxit ut turbidum et Rhescuporidis consiliis permixtum, qua tempestate, Cotye fratre interfecto, bellum adversus nos volverat. Igitur aqua et igni interdictum reo appositumque, ut teneretur insula neque Macedoniae neque Thraciae opportuna. Nam Thracia, diviso imperio in Rhoemetalcen et liberos Cotyis, quis ob infantiam tutor erat Trebellienus Rufus, insolentia nostri discors agebat, neque minus Rhoemetalcen quam Trebellienum incusans, popularium iniurias inultas sinere. Coeletae Odrusaeque et alii, validae nationes, arma cepere, ducibus diversis et paribus inter se per ignobilitatem; quae causa fuit, ne in bellum atrox coalescerent. Pars turbant praesentia, alii montem Haemum transgrediuntur, ut remotos populos concirent; plurimi ac maxime compositi regem urbemque Philippopolim a Macedone Philippo sitam circumsidunt.

1. *Non enim Tiberius, non accusatores fatiscebant*, fatigabantur, (ut 6, 7. 14, 24. 16, 5. H. 3, 10.) hi delationibus, ille damnatione reorum. *enim* spectat ad verba extrema cap. 37. *Fatiscere* a *fatim* et *hiscere*, ut *fatigare* a *fatim* et *agere, castigare* a *castum agere, purgare* a *purum agere*, si Servio fides habenda. — *Cordum:* in MS. et ed. Ber. *Cordium*, sed *Cordus* c. 70. — *pro consule Cretae* MS. edd. Ber. et Iac. Gron. *proconsulem* edd. Rhen. et rec. Cf. ad 2, 52, 2. et 3, 35, 1. „*Creta* inter provincias senatui populoque ab Augusto permissas. v. ad 1, 74, 1. Post Caesium Cordum quaestorum Cretae mentio est apud scriptores. Suet. Vesp. 2. Mox iterum sunt proconsules sub Hadriano.“ *Walth.* — *postulaverat repetundis*, v. ad 1, 74. 6, 29. — *maiestatis crimine, quod tum omnium accusationum complementum erat*, v. ad 1, 72, 2. — *e primoribus Macedoniae*, ut 3, 41. 6, 18. Nomine quidem et origine Romana Antistius Vetus; at potuit degere in Macedonia et inter primores haberi; *Brot.* Vulgatum tuetur etiam Gron. coll. Suet. in Aug. 79. et Tib. 49. „Sed hoc non tollit dubitationem Mureti, quam sine dubio movit nomen Romanum et res ipsa: nempe inter primores provinciarum plures tum cives Romani. Sed tamen nec hoc sufficit. Homo Romae iudicatus est, quod provinciali non satis convenit.“ *Ern.* „Intellige virum Macedonem civitate donatum simul addito nomine Romano, uti moris erat, sive per adoptionem id nactus est. Quod autem Romae iudicatus est, id non miror. Nam cives Romani in crimine capitali a magistratibus provincialibus non debebant iudicari, sed mitti Romam;“ *Walth.* *e provincia* coni. Mur. et *e praetoribus* Petav. rati scriptum fuisse *e pr.* In MS. *veterrime primoribus* teste Furia. — *ad dicendam causam retraxit* Romam ex provincia, ut *retrahere* ab exsilio et provincia 4, 28. et 45. *in aliquam invidiam aut crimen vocati sua voce respondendum habebant* O. 36 extr. — *Rhescuporidis consiliis permixtum:* nam eleganter homines rebus *mixti, immixti, permixti* dicuntur, ut 4, 40. 11, 24. al., non res hominibus; *Walch.* emend. Liv. p. 166. — *Cotye fratre interfecto* cet. cf. 2, 64 sq. et Vell.

2, 129. His locis traditur, Cotyn non fratrem fuisse Rhescuporidis, sed fratris filium secundum. Hinc viri docti delendum censent *fratre*, aut leg. *fr. s. fratr. f.* h. e. *fratris filio* vel *et fratre* vel *fraude*. „Sed Cotys Rhescuporidis *frater* nominari potuit latiori sensu, ut hebr. אָח et Gr. ἀδελφός etiam de consanguineo et fratre patrueli dicitur, potissimum apud barbaros. Cf. Liv. 35, 10. Ovid. Her. 8, 27. id. Met. 13, 31. Sic et inf. 11, 9. Gotarzes et Bardanes fratrum nomine veniunt, licet testante Iosepho A. I. 20, 3. Bardanes ex Artabanò Gotarzis fratre genitus. Non verò causa erat, cur accuratius Tacitus h. l. Cotyis et Rhescuporidis cognationem exponeret, quoniam de hac re locutus erat 2, 64.“ *Walth.* — *volverat*, v. ad 1, 64, 2.

2. *Igitur aqua et igni interdictum reo*, v. ad 3, 68, 2. — *appositumque*, adiectum sententiae, *ut teneretur*, contineretur, cohiberetur, (Germ. eingesperrt werden) *insula* aliqua — *opportuna*, remota tam a Macedonia, quam a Thracia, ne ad has terras perfugere posset et opportunitatem consiliorum cum rebellibus sociandorum nancisceretur. — *Nam Thracia, diviso* cet. Cf. 2, 67. *Thraecia* et *Threcia* MS. et ed. Bekk. h. l. et 4, 46. 48. 6, 10. alibique, ut in aliis MSS. *Threce, Threx, Threcius, Threicius*, Gr. Θρᾴκη, Θρήκη, Θρήκιος, Θρηΐκιος. — *diviso imperio in*, inter, *liberos*, cf. ad 2, 8, 1. — *insolentia nostri*, propter insolentiam intolerantiamque imperii nostri. Cf. Ind. III. v. *Ablativi Substantivorum absoluti*. Similiter *insolens*, intolerans vel non adsuetus, 6, 34. H. 3, 53. Cf. ad 15, 67. — *discors agebat*, v. ad 1, 68, 1.

3. *Coeletae* edd. Ryck. et rec., ut dicuntur Plin. 4, 11. s. 18. et Κοιλητικὴ στρατηγία Ptol. 3, 11. sed corrupte Σιαλέται Dioni 54, 34. Cf. intpp. Liv. 38, 40. *Coelaletae* MS. edd. vet. et Bekk. II. — *Odrusae*, qui aliis *Odrussae* et *Odrysae* dicuntur. — *et alii* MS. et edd. vet. ante Ern. Recte *et alii, validae nationes*, quae in appositione adduntur illis, non *aliae validae nationes*: nam tum *validas nationes* Tacitus opposuisset Coeletis Odrusisque tanquam non validis; *Walth.* Immo utrumque eodem fere sensu dicitur, et neutrum ab h. l. alienum. Ingeniosae tamen coniecturae Lipsii *Astii* et (quod editores rec. receperunt) *Dii* pro *alii*. Δῖοι, τὴν Ῥοδόπην οἱ πλεῖστοι οἰκοῦντες Thucyd. 2, 96. Cf. ad Agr. 32. n. 5. ubi *dii* leg. pro *alii*. *Astii*, ut ap. Liv. 38, 40. Ἀστοὶ Strab. VII. p. 222. al. 320. et Steph. unde Ἀστικὴ regio Thraciae maritima et στρατηγία ap. Plin. 4, 11. s. 18. et Ptol. 3, 11. In horum quoque Astiorum regione sita Philippopolis, quae mox memoratur. v. Strab. l. l. — *ne in bellum atrox coalescerent*, iungerentur: nam *coalescere* proprie dicuntur arbores, quae surculis aliarum arborum insitis et crescunt et concrescunt; hinc homines et res, quae vel augentur et crescunt, ut 13, 26. 14, 1. H. 1, 21. 4, 55. vel coniunguntur, ut h. l. et 6, 44. 11, 24. H. 2, 7. 37. 4, 74. — *praesentia* loca, ut contr. *remotos populos*. — *Haemum montem* Thraciae. — *compositi*, v. ad 1, 1, 4. — *regem* (Rhoemetalcen) *urbemque* pro *regem in urbe*; *Roth.* p. 51. Cf Ind. III. v. *Hendiad.* — *urbem Philippopolin a Macedone Philippo* Amyntae filio *sitam*, positam, conditam, exstructam, cf. ad 2, 7, 2. 6, 41, 2. H. 3, 72. 4, 22. Hinc *Philippopolis* dicta, antea Calybe, Trimontium, Dulonpolis, Poneropolis; ὑπέρκειται τοῦ Βυζαντίου τὸ τῶν Ἀστῶν (fort. Ἀστίων) ἔθνος, ἐν ᾧ πόλις Καλύβη, Φιλίππου τοῦ Ἀμύντου τοὺς πονηροτάτους ἐνταῦθα ἱδρύσαντος, Strab. l. l. Cf. Plin. 4, 11. s. 18.

CAPUT XXXIX.

Quae ubi cognita P. Vellaeo (is proximum exercitum praesidebat) alarios equites ac leves cohortium mittit in eos, qui praedabundi aut assumendis auxiliis vagabantur. Ipse robur

peditum ad exsolvendum obsidium ducit. Simulque cuncta prospere acta, caesis populatoribus et dissensione orta apud obsidentes regisque opportuna eruptione et adventu legionis: neque aciem aut proelium dici decuerit, in quo semermes ac palantes trucidati sunt sine nostro sanguine.

1. *P. Vellaeo* MS. edd. Ber. et Bekk. *Velleio* edd. Rhen. et cet. Similiter *Cnaeus* et *Cneius*. „Dubitant, an sit hic Velleius ille, cuius historiam habemus Romanam. Et aetas et homo satis quadrant: nam historicus ille plurima sub Tiberio aliisque ducibus stipendia fecit ac praetura functus a. U. 768. (v. Vell. 2, 124.) videtur ex Caesaris legatione exercitui praefuisse annis insequentibus. Praenomen viri in optimis MSS. (ut a Prisciano) *M.* scribitur, in aliis *C.*, sed in cod. Burerii *P.* Ipse quidem nihil de hac expeditione dixit in historia sua: sed sub finem operis 2, 129. tam brevi absolvit res sub Tiberio gestas, ut arrogantiae arguendus esset, si de hac sua expeditiuncula quicquam admiscuisset.“ *Walth.* — *is proximum exercitum praesidebat*, ut 4, 5. 72. 12, 14. 29., *Ern.* „Contra *exercitui* et *signis praesidere* 1, 58. 2, 86. 12, 37. 14, 58. H. 4, 74. Eodem modo variat usus verbi *assidere*. v. ad 4, 58 extr.“ *Walth.* Sic et usus verborum *insidere, irrepere* et aliorum. Cf. Ind. III. v. *Verba diversis casibus iuncta* et Ramsh. Gram. p. 214. 215. — *alarios equites*, v. ad 4, 73, 1. — *levis cohortium* MS. et edd. vet. ante Lips.

2. *adventu legionis*, v. ad 12, 44, 1. — *semermes* omnes edd. *semerme* MS. Variat usus verborum *semermis* et *semermus*, *inermis* et *inermus*, *exanimis* et *exanimus*, *semisomnis* et *semisomnus*.

CAPUT XL.

Eodem anno Galliarum civitates ob magnitudinem aeris alieni rebellionem coeptavere, cuius exstimulator acerrimus inter Treveros Iulius Florus, apud Aeduos Iulius Sacrovir. Nobilitas ambobus et maiorum bona facta, eoque Romana civitas olim data, quum id rarum nec nisi virtuti pretium esset. Ii secretis colloquiis, ferocissimo quoque assumpto aut quibus ob egestatem ac metum ex flagitiis maxima peccandi necessitudo, componunt Florus Belgas, Sacrovir propiores Gallos concire. Igitur per conciliabula et coetus seditiosa disserebant de continuatione tributorum, gravitate feneris, saevitia ac superbia praesidentium; et discordare militem audito Germanici exitio. Egregium resumendae libertati tempus, si ipsi florentes, quam inops Italia, quam imbellis urbana plebes, nihil validum in exercitibus, nisi quod externum, cogitarent.

1. *maiorum bona facta*, „ἀρχαϊκῶς pro *bene facta*, quod frustra coni. Rhen., ut *pravis dictis factisque* 3, 65.“ *Ern.* *Bona facta*, quibus bene de Romanis meruerant, ut 1, 58. *bona societas*; *Walth.* — *eoque*, v. ad 1, 16, 1. — *quum id rarum adhuc nec nisi virtuti* (cf. Ind. III. v. *Dativus* nr. 2.) *pretium esset*, ut postea adulationi, opibus ipsisque sceleribus; *Brot.* Cf. ad 11, 23, 1.

2. *peccandi necessitudo*, v. ad 1, 9, 3. — *componunt*, inter se de eo conveniunt, clam paciscuntur, consensu decernunt, *concire*, cf. Ind. III. v. *Infinitivi* nr. 7. „*Componunt* sc. foedus, ut *ἐλευθέρους μὲν ἀμφοτέρους ἀπ᾽ ἀλλήλων εἶναι συνετίθεντο* ap. Xenoph. Cyr. 3, 2, 23.“ *Walth.* — *conciliabula et*

coetus synonyma. *Conciliabula* sunt loca, ubi quid componitur, ubi fit conventio de aliqua re: nam a *concire* fit *concilium*, a *concilium conciliare*, a *conciliare conciliabulum*, ut *habitaculum* ab *habitare*; *Walth.* — *disserebant de continuatione tributorum* et *gravitate feneris*: „nam provinciales et oppida quum tributis gravibus premerentur aliisque extra ordinem oneribus, pecuniam mutuam capiebant a divitibus Romanis idque grandi *fenere*; unde haec querela. Cf. Dio 62, 2. Cic. ad Att. 6. et al.“ *Lips.* cf. ad 6, 16, 2. et de *tributis* ad 1, 11, 3. — *egregium resumendae libertati tempus*: Pichena malebat *libertatis*: sed Dativus pendet ex *egregium*, h. e. aptissimum, bonum; *Walth.* — *si ipsi florentes, quam inops Italia*, cf. ad 1, 58, 1. et Ind. III. v. *Comparationis usus* nr. 2. *a.* — *plebes*: in ed. Ber *plebis*.

CAPUT XLI.

Haud ferme ulla civitas intacta seminibus eius motus fuit; sed erupere primi Andecavi ac Turoni. Quorum Andecavos Acilius Aviola legatus, excita cohorte, quae Lugduni praesidium agitabat, coercuit. Turoni legionario milite, quem Visellius Varro inferioris Germaniae legatus miserat, oppressi, eodem Aviola duce et quibusdam Galliarum primoribus, qui tulere auxilium, quo dissimularent defectionem magisque in tempore efferrent. Spectatus et Sacrovir intecto capite pugnam pro Romanis ciens ostentandae, ut ferebat, virtutis; sed captivi, ne incesseretur telis, agnoscendum se praebuisse arguebant. Consultus super eo Tiberius aspernatus est indicium aluitque dubitatione bellum.

1. *civitas intacta seminibus*, durior modus loquendi; *Ern.* „Sed nil in se habet absurdi. *Semina* si non tangunt agrum, ager seminibus intactus manet. Iam civitates sunt pro agro, seditiosi coniuratorum sermones pro seminibus. *Semina rebellionis* 11, 19.“ *Walth.* — *erupere*, propr. motus eorum. — *Andecavi* s. *Andicavi*, *Andegavi*, *Andi* et *Andes*, quorum caput Iuliomagus, hod. Angers, in Gallia interiori, Lugdunensi s. Celtica, ut et *Turoni* s. Turones, quorum opp. Caesarodunum, nunc Tours. *Turoni* et c. 46. *Turonum* MS. et ed. Bekk. *Turonii* edd. rel. — *Acilius Aviola legatus*: „Hic ille ipse, quem Plinius 7, 53. insigni exemplo elatum in rogo revixisse tradidit et, quia subveniri non potuit, vivum exustum. Id Onufrius aliique ad M'. Acilium Aviolam referunt, qui consul extremus Claudio a. U. 808. v. 12, 64. Sed Valerius Max. 1, 8, 12. eandem historiam recensuit scripsitque Tiberio imperante. Quomodo autem ille operi suo inseruit, quod post Claudium gestum?“ *Lips.* Hic illius pater aut avus fuisse videtur; *Ryck.* — *Visellius Varro*, forsan *L. Visellius C. f. Varro curator riparum et alvei Tiberis* ap. Gruter. p. 197. 3; *Lips.* „Videtur idem qui *C. Visellius C. f. C. n. Varro* in fragm. Capitol. consul suff. a. U. 765. pater L. Visellii Varronis cos. a. 777. Hic fortasse filius illius, de quo Valer. Max. 8, 2, 2. *Ryck.* Cf. ad 4, 17, 1. — *legionario milite*, a parte, cohorte legionis. Cf. cap. 46. — *oppressi*, v. ad 1, 2, 2. — *magisque in tempore*, v. ad 1, 1, 2. — *efferrent* quasi in lucem et vulgus.“ *Efferre*, cui h. l. *dissimulare* opponitur, est palam facere, ostendere, ut 6, 9. et ap. Terent. Ad. 4, 4, 17. Cf. Cort. ad Plin. ep. 5, 6, 34. Sic et Gr. ἐκφέρειν, v. c. ἐξενεγκεῖν ap. Xenoph. Cyr. 6, 1, 5.“ *Walth.*

2. *pugnam pro Romanis ciens*, ut *arma ciere* 15, 59. Pugnans, non serio, sed tantum *ostentans* operam; *Freinsh.* — *ostentandae virtutis* causa. v. ad 1, 3, 8. — *ut prae se ferebat*, dicebat, vel iactabat. Cf. ad 6, 49, 2. — *aluitque dubitatione bellum*, cunctatione, deliberans, quid

agendum esset, et in neutram partem decernens; *Freinsh.* „Dubitatio, ut 1, 7. 6, 43. Plin. ep. 10, 120. est Gr. ἀπορία, nostrum Unschlüssigkeit, Bedenklichkeit. Nam si Sacrovirum opprimere non dubitasset, belli auctorem et cum eo bellum ipsum abolevisset.“ *Walth.*

CAPUT XLII.

Interim Florus insistere destinatis, pellicere alam equitum, quae conscripta e Treveris militia disciplinaque nostra habebatur, ut caesis negotiatoribus Romanis bellum inciperet: paucique equitum corrupti, plures in officio mansere. Aliud vulgus obaeratorum aut clientium arma cepit, petebantque saltus, quibus nomen *Arduenna*, quum legiones utroque ab exercitu, quas Visellius et C. Silius adversis itineribus obiecerant, arcuerunt: praemissusque cum delecta manu Iulius Indus e civitate eadem, discors Floro et ob id navandae operae avidior, inconditam multitudinem adhuc disiecit. Florus incertis latebris victores frustratus postremo, visis militibus, qui effugia insederant, sua manu cecidit. Isque Treverici tumultus finis.

1. *pellicere alam equitum,* tentare, sollicitare; *Ern.* — *conscripta e Treveris,* recte ed. Bekk. nam *conscriptae treveris* in MS. *conscripta Treveris* edd. rel. — *caesis negotiatoribus Romanis,* qui provincialibus invisi erant. v. ad 2, 87, 1.

2. *Aliud vulgus obaeratorum aut clientium,* „quorum summa fides in patronos motus auctores. v. Caes. B. G. 1, 4. et 7, 40.“ *Ern.* — *saltus, quibus nomen Arduenna* s. *Ardenna,* hod. Ardenner Wald. v. Caes. B. G. 6, 3. 6, 29. (ubi cf. Morus et Oberl.) et 33. Strab. 4, 3, 5. 6. Barth. Teutschl. Urgeschichte §. 420. — *Visellius* Varro inferioris et C. *Silius* superioris Germaniae legatus. — *adversis itineribus,* contrariis, ut saltus a contrariis partibus et tam ingressus quam egressus obsiderent: unde paulo post *militibus, qui effugia insederant.* — *adhuc,* v. ad 1, 17, 2. — *incertis latebris,* saepe mutatis; *Ern.* — *visis militibus,* „ut H. 3, 62. (*visa caede*) Virg. Aen. 1, 326. 10, 787. Ovid. Met. 12, 220.“ *Walth.*

CAPUT XLIII.

Apud Aeduos maior moles exorta, quanto civitas opulentior et comprimendi procul praesidium. Augustodunum caput gentis armatis cohortibus Sacrovir occupaverat et nobilissimam Galliarum subolem liberalibus studiis ibi operatam, ut eo pignere parentes propinquosque eorum adiungeret: simul arma occulte fabricata iuventuti dispertit. Quadraginta millia fuere, quinta sui parte legionariis armis; ceteri cum venabulis et cultris quaeque alia venantibus tela sunt. Adduntur e servitiis gladiaturae destinati, quibus more gentico continuum ferri tegimen: *Cruppellarios* vocant, inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles. Augebantur hae copiae vicinarum civitatum, ut nondum aperta consensione, ita viritim promptis studiis et certamine ducum Romanorum, quos inter ambigebatur, utroque bellum sibi poscente. Mox Varro invalidus senecta vigenti Silio concessit.

1. *Apud Aeduos maior moles* (defectionis, motus) *exorta, quanto civitas opulentior* (v. Ind. v. *Comparationis usus* nr. 2.) *et* quanto *procul* erat *praesidium*, remedium, *comprimendi* eius, nempe exercitus Romanus. — *Augustodunum caput gentis*, Aeduorum, (hod. *Autun*) ut ap. Mel. 3, 2. v. Lipsii Exc. VIII. ad Tac. Ann. III. — *et nobilissimam Galliarum subolem* edd. Oberl. Bekk. al. *Augustodunum caput gentis, nobilissimarum G. s.* MS. et edd. vet. quod revocavit Walth. sed maxima distinct. post *gentis* posita pro virgula, ut *Galliae* per enallagen dictae sint pro *Gallis* et *nobilissimarum Galliarum suboles* pro iuventute nobilissimarum familiarum Gallicarum. *nobilissimamque* coni. Pich. et *ob nobilissimam* Acid. — *liberalibus studiis* (v. ad Agr. 4. n. 4.) *ibi operatam*, cf. nota 2. Strab. IV. p. 195. intpp. Iuvenal. 1, 44. 7, 148. 15, 111. et Lipsii Exc. VIII. ad Tac. Ann. III. *ibi* edd. Rhen. et deinde omnes. *sibi* ed. Ber. *operatam*, v. ad 2, 14, 1. et Ind. III. v. *Participia perf. depon. pro Part. praes.* — *pignere*, v. ad 6, 16, 1. — *adiungeret* sc. sibi. Cf. Ind. III. v. *Ellipsis Pronominum*.

2. *Quadraginta millia fuere:* numerus ingens et fortasse corruptus. „Lutetiae Parisiorum vixisse aliquando triginta studiosorum millia, Ioh. Filesacus scribit; et frequentabantur olim plures Gallorum scholae, Massiliensis, (v. 4, 44. et Agr. 4.) Burdigalensis, Tolosana, Narbonensis, Montispessulana. v. Auson.“ *Ryck.* Cf. nota 1. Quintil. 10, 1. Voss. de Rhet. in Praef. — *quinta sui parte* (cf. Ind. III. v. *Pronomen reciprocum*) cum *legionariis armis*, v. ad 12, 16, 1. — *Adduntur e servitiis*, servis, *gladiaturae destinati*, Gallorum mirmillones, quorum arma hic descripta; *Lips.* in Saturnal. Cf. et Iuvenal. 8, 200 sq. — *more gentico*, ut 6, 33. Cf. Gron. ad Liv. 2, 58. 3. — *cruppellarios vocant* sc. Galli. *cruppellarios* edd. vet. et Oberl. Bekk. Kiessl. Walth. *crupellearios* MS. quod enotavit Iac. Gron. non Furia. *crupellarios* edd. Pich. et cet. ante Oberl. Est vox ἁπαξλεγ. et ne constat quidem, utrum hi fuerint pedites an equites. *Ferrati* dicuntur c. 45. a *continuo ferri tegmine*, thorace, quo induti erant. Broterius eos ita dictos censebat a Celt. *cropet*, (unde Gall. *croupir*) torpere, propter ferreae loricae molem; Hillerus a Germ. Krüppel, Kroepel, Angl. *cripple*, Wallis. *crupl*, paralyticus; Oberl. in Gloss. Scherz. a γρυπάλιον, senecio; Boxhorn. ab hebr. כרבל, vestimentum fibulis arcte constrictum. Lipsius in marg. notavit *cruppes*, παχύς, et coni. *clibanarios*, de quibus v. ad H. 1, 79, 5. — *ut nondum aperta consensione, ita* cet. ut ap. Liv. 4, 31. *quum tamen nullam publici consilii societatem novissent, voluntarios undique ad spem praedae asciverunt.* — *ducum Romanorum*, Visellii Varronis et C. Silii v. ad c. 42. n. 2.

CAPUT XLIV.

At Romae, non Treveros modo et Aeduos, sed quatuor et sexaginta Galliarum civitates descivisse, assumptos in societatem Germanos, dubias Hispanias; cuncta, ut mos famae, in maius credita. Optimus quisque rei publicae cura maerebat: multi odio praesentium et cupidine mutationis suis quoque periculis laetabantur, increpabantque Tiberium, quod in tanto rerum motu libellis accusatorum insumeret operam. *An et Sacrovirum maiestatis crimine reum in senatu fore? Exstitisse tandem viros, qui cruentas epistolas armis cohiberent. Miseram pacem vel bello bene mutari.* Tanto impensius in securitatem compositus, neque loco neque vultu mutato, sed, ut solitum, per illos dies egit altitudine animi, an compererat, modica esse et vulgatis leviora.

1. *At Romae* scil. creditum est et vulgatum. — *quatuor et sexaginta Galliarum civitates* s. gentes. „In certas gentes videntur Galliam divisisse. Strabo l. IV. p. 192. Lugduni aram Augusto exstructam ait a communi Galliae cum inscriptione LX gentium, et ad gentium, non annorum coloniae conditae numerum retulerim *Lugduni a. XL*, quod in nummis M. Antonii legimus. Appianus in Celt. 4, 2. ampliore numero ἔθνη τετρακόσια in Galliis ponit, πόλεις ὑπὲρ ὀκτακοσίας.“ *Lips.* „Omnes Galliae civitates indicari putat Freinsh. usus locis similibus Liv. 4, 23. Cic. N. D. 2, 37. et aliis, ubi numerus rerum ponitur pro universitate. Sed numerus civitatum Gallicarum incertus est. Petrus de Marca de primatu Lugd. p. 278. vult legi *quatuor et septuaginta* ratus, Tacitum loqui de populis Galliae, quippe qui Turonos quoque et Andecavos in civitatibus ponat, et de universo Galliarum corpore, quod LXXIV populis constiterit, additis ad LX populos trium Galliarum XIV Narbonensis provinciae, quas ei tribuerit Ptolemaeus.“ *Ern.* Licet in numero civitatum Gallicarum paulum differant auctores, verba tamen sequentia satis docent, hunc numerum de omnibus Galliarum civitatibus intelligendum esse, quia fama Germanos quoque in societatem assumptos dubiasque Hispanias ferebat; *Walth.* — *dubias Hispanias*, in quas transiturae sint partes. — *in maius credita*, v. Ind. II. v. *In*.

2. *An et Sacrovirum* MS. et ed. Bekk. *An Iulium Sacr.* in marg. MS. et in edd. rel. — *exstitisse tandem viros*, Florum et Sacrovirum. — *cruentas epistolas*, sanguinolenta rescripta et decreta Tiberii de reorum damnatione. — *vel bello*, etiam bello, etsi periculoso. — *in securitatem*, vacuitatem a timore, constantiam et tranquillitatem, (ut 11, 3 extr.) *compositus*, speciem eius praebens arte et dissimulatione. Cf. ad 1, 1, 4. et Ind. II. v. *Componere*. — *altitudine animi an compererat* cet. v. ad 2, 38, 5. *Altitudo animi* non magnitudo eius, sed profunda dissimulatio et taciturnitas, ut H. 4, 86. et ap. Sall. Iug. 95. (al. 105.) Liv. 4, 6 extr. (ubi v. Drak.) et Cic. off. 1, 25. „Sic et βάθος dicitur Polyb. 27, 10. βαθύτης Cic. ad Att. 4, 6. 5, 10. 6, 1. *ex alto dissimulare* Ovid. Am. 2, 4, 16. ubi cf. Burm.“ *Ern.* Tiberio φρόνησις βαθεῖα tribuitur a Philone; *Vales.* ad Polyb. l. l.

CAPUT XLV.

Interim Silius cum legionibus duabus incedens, praemissa auxiliari manu, vastat Sequanorum pagos, qui finium extremi et Aeduis contermini sociique in armis erant. Mox Augustodunum petit propero agmine, certantibus inter se signiferis, fremente etiam gregario milite, ne suetam requiem, ne spatia noctium opperiretur: viderent modo adversos et aspicerentur; id satis ad victoriam. Duodecimum apud lapidem Sacrovir copiaeque patentibus locis apparuere. In fronte statuerat ferratos, in cornibus cohortes, a tergo semermos. Ipse inter primores equo insigni adire, memorare veteres Gallorum glorias, quaeque Romanis adversa intulissent: quam decora victoribus libertas: quanto intolerantior servitus iterum victis.

1. *qui finium extremi:* „*qui* e Sequanorum pagis *extremi* erant *finium* sc. Sequanorum, h. e. qui in extremis Sequanorum finibus (Gebiet) erant. Non igitur omnes Sequanorum pagos vastavit, sed eos tantum, qui Aeduis contermini et quos vicinitas ad societatem et arma pellexerat.“ *Walth.* Cf. ad 1, 60, 1. — *certantibus inter se signiferis* de celeritate. — *viderent modo adversos*, hostes ex adverso sibi stantes, (ut *ad-*

versa legionum signa ap. Liv. 30, 8. *adversus sol* et similia, quibus *aversa* opponuntur) *et aspicerentur: id satis ad victoriam;* nota Caesaris verba *veni, vidi, vici.*

2. *Duodecimum apud lapidem*, v. ad 1, 45, 1. — *In fronte statuerat ferratos*, cruppellarios, *in cornibus cohortes*, octo millia hominum cum legionariis armis. Cf. cap. 43. — *a tergo semermos*, cf. cap. 39 extr. — *veteres Gallorum glorias*, decora, τὰ κλέα, ruhmvolle Thaten, sive gloriam saepius reportatam; *Walth.* Cf. ad 12, 49, 1. Gell. 1, 2. 2, 27. Sall. Iug. c. 41. Cic. p. Planco 24. Plaut. Truc. 4, 4, 36. Ruddim. inst. Gr. T. I. p. 147. ed. Stallb. Similiter *infamias* 4, 33. — *quanto intolerantior servitus* MS. et edd. omnes, i. e. intolerabilior, ut 11, 10. ap. Gell. 13, 8. „Sic *intolerantes curae* pro *intolerandis* ap. Gell. 19, 7. ex Livio et *intolerantia morum Tiberii* ap. Suet. Tib. 51. qui ferri nequirent.“ Gron. ad h. l. et in obss. 1, 14. *intoleratior* (ἀτλητότερος) corr. Grot. et Oberl. h. l. et 11, 10. ob locum 12, 11. „Ibi *toleratiora* habent MS. Flor. edd. Ber. Pich. sq. *tolleratiora* MSS. Vat. 1863. 1864. *tolerantiora* codd. Vat. 1958. Reg. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Rhen. et cet. ante Pich. *tollerantiora* edd. Spir. Put. 1. 2. Sed *intolerantior servitus* est, quae tolerari nequit, *intoleratior*, quam tolerare nolunt. *Tolerantiora* sunt, quae satis tolerari possunt, tolerabilia; *toleratiora*, quae tolerari solent lubenter, grata, accepta. Etenim haec adiectiva, sicuti alia quaedam, et activo et passivo significatu utuntur.“ *Walth.* Cf. Ind. III. v. *Enallage* p. 818. et ad 4, 1, 3.

CAPUT XLVI.

Non diu haec nec apud laetos; etenim propinquabat legionum acies inconditique ac militiae nescii oppidani neque oculis neque auribus satis competebant. Contra Silius, etsi praesumpta spes hortandi causas exemerat, clamitabat tamen: *Pudendum ipsis, quod Germaniarum victores adversum Gallos tanquam in hostem ducerentur. Una nuper cohors rebellem Turonum, una ala Treverum, paucae huius ipsius exercitus turmae profligavere Sequanos. Quanto pecunia dites et voluptatibus opulentos, tanto magis imbelles Aeduos evincite et fugientibus consulite.* Ingens ad ea clamor, et circumfudit eques frontemque pedites invasere; nec cunctatum apud latera. Paulum morae attulere ferrati, restantibus laminis adversum pila et gladios. Sed miles, correptis securibus et dolabris, ut si murum perrumperet, caedere tegmina et corpora: quidam trudibus aut furcis inertem molem prosternere, iacentesque nullo ad resurgendum nisu quasi exanimes linquebantur. Sacrovir primo Augustodunum, dein metu deditionis in villam propinquam cum fidissimis pergit. Illic sua manu, reliqui mutuis ictibus occidere. Incensa super villa omnes cremavit.

1. *inconditique*, v. ad 3, 20, 2. — *neque oculis neque auribus satis competebant*, „h. e. neque oculorum satis compotes erant, ut legiones propinquantes intrepide aspicerent, neque aurium, ut ducis adhortationes laeto animo exciperent. Nam Sall. fragm. 1, 18. p. 953. ap. Non. 4, 110. scripsit *neque animo neque auribus aut lingua competere* et eodem sensu in alio fragm. *neque animo neque lingua satis compotem.*“ *Walth.* Sic et Liv. 5, 42. *Romani ne auribus quidem atque oculis satis constare poterant.* Cf. H. 3, 73 pr. — *in hostem*, in hostes, ut paulo post *eques* et

miles. Cf. ad G. 6. n. 5. — *una nuper cohors* cet. cf. cap. 41. 42. 45. — *Turonum* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. Bekk. v. ad c. 41. n. 1. et Ind. III. v. *Numerus Sing. pro Plur.* — *profligavere* — *evincite* — *consulite*. Cf. Ind. III. v. *Oratio obliqua in rectam et haec in illam mutata*, Liv. 1, 13. 47. 57. 2, 2. 7. 3, 9. 19. 48. 6, 24. 21, 10. 35, 49. Wessel. ad Diodor. 4, 26. — *Quanto pecunia dites* — *tanto magis* cet. v. ad 1, 57, 1. *tanto magis imbelles Aeduos evincite*, v. ad H. 3, 74, 4. „Accipiunt hoc verbum pro simpl. *vincite*. Verum *evincite* est Germ. überführt sie, beweiset vel erweiset ihnen, sc. Aeduos; quid? eos tanto magis esse imbelles, quanto pecunia dites et voluptatibus opulentos. Sic *tam nefariis criminibus, tam multis testibus evictus* Cic. Verr. 1, 1.“ *Walth.* — *fugientibus consulite* MS. edd. Gron. Ern. et rec. *consilite* edd. Ber. Rhen. Ald. al. quod nihili est neque firmatur locis 6, 36. et Liv. 24, 28. extr. Verba haec varie exponunt; I. Fr. Gron. trepidos et tantum non iam fugientes exuite detractisque armis et insignibus militaribus leviores et fugae paratiores reddite; I. Gron. occidite, ne cogantur fatigari fuga; Boett. in Lex. Tac. fugientes persequimini, et cum studio quidem; Heinsius, Ryck. Ern. et Wopk. fugientibus parcite, coll. 3, 16. 13, 40. 14, 38. 15, 18. 61. H. 3, 82 pr. Curt. 4, 1. Lucan. 7, 318. Hoc ceteris praeferendum. „Is verbi sensus luculenter probatur loco H. 3, 82. *ratio cunctandi, ne asperatus proelio miles non populo, non senatui, ne templis quidem ac delubris deorum consuleret*. Nam uti *non consulere* ibi est *non parcere*, ita h. l. *consulite fugientibus* erit *parcite fug*. Ratio huius praecepti neminem fugiet: nam inter Sacroviri copias invita aderat iuventus nobilissimarum familiarum, quam trucidari Silius nolebat. Similiter Caesar ap. Lucan. 7, 318.“ *Walth.*

2. *apud latera*, in lateribus, ut 2, 41. 3, 71. 4, 5. 6, 10. 11, 16. 14, 26. 15, 23. Cf. Ind. II. v. *Apud*. — *ferrati*, v. ad c. 45. n. 2. — *restantibus*, resistentibus. v. Drak. ad Liv. 4, 58, 4. — *tegmina* ferrea. v. cap. 43. — *trudibus*, contis, perticis, quarum acuta cuspide *truditur*. v. intpp. Virg. Aen. 5, 208. — *nullo ad resistendum* nisu, sine viribus ad resist. *nixi* ed. Ald. — *in villam propinquam*, nunc *Sarvau*, ubi effossos ingentes lapides laceros et semiustos dicit Londoneus antiq. Aeduorum p. 115. et 118.; *Brot.* — *incensa super villa omnes cremavit*, v. ad 12, 49, 1. „*Villam* alius castellum, alius vicum reddit. Neuter male: nam et villas in castellorum speciem exaedificari solitas scimus, et casis circum eas exstructis vicos enatos.“ *Freinsh. incensa* edd. Rhen. 2. 3. Ald. I. Gron. et rec. *ingressa* MS. edd. Ber. Rhen. 1. *ingesta* emend. I. Gron. „Bene, si sequeretur *omnes obruit, oppressit* aut simile quid. Nunc *omnes cremavit* desiderat mentionem incendii.“ *Ern. incensa villa* Nominat. *Super* Germ. ihnen über dem Kopfe; *Ern.* Sic ap. Liv. 21, 14 extr. *domos super se ipsos concremaverunt*. *Super* h. l. est Adverb. Germ. oberhalb, in partibus superioribus.

CAPUT XLVII.

Tum demum Tiberius ortum patratumque bellum senatui scripsit, neque dempsit aut addidit vero, sed fide ac virtute legatos, se consiliis superfuisse. Simul causas, cur non ipse, non Drusus profecti ad id bellum forent, adiunxit, magnitudinem imperii extollens, neque decorum Principibus, si una alterave civitas turbet, omissa Urbe, unde in omnia regimen. Nunc, quia non metu ducatur, iturum, ut praesentia spectaret componeretque. Decrevere Patres vota pro reditu eius supplicationesque et alia decora. Solus Dolabella Cornelius, dum anteire ceteros parat, absurdam in adulationem progressus,

censuit, ut ovans e Campania Urbem introiret. Igitur secutae Caesaris literae, quibus se non tam vacuum gloria praedicabat, ut post ferocissimas gentes perdomitas, tot receptos in iuventa aut spretos triumphos, iam senior peregrinationis suburbanae inane praemium peteret.

1. *patratumque bellum*, v. ad 2, 26, 1. — *se consiliis superfuisse*, affuisse, opem tulisse; *Ern.* Rem confecisse; *Brot.* Potius vicisse, superasse; *Hiller.* racem. 28. Cf. Gell. 1, 22. et ei. intpp. sic et περιγενέσθαι ap. Xenoph. Cyrop. 1, 6, 9. 3. 1, 19.; *Walth.* — *neque decorum Principibus* sc. hoc esse, *proficisci ad id bellum*; *Pich.* Supple *ire*, omissum ob seq. *iturum*; Hiller. l. l. Sed Freinsh. paulo post legendum censet *omisisse Urbem*, et Heins. *omissam Urbem*. Pro Heinsio facit, quod saepe librarii lineolas finalibus vocalibus loco literae *m* imponere neglexerint; *Oberl.* „Sed unice audiendus Pichena. Cf. H. 1, 89. 90. 91." *Walth.* *Omittere urbem*, ea exire, cum adiunctione neglectus; *Ern.* Ita saepius *omittere* res, provinciam, bellum cet., ut Gr. ἀφιέναι, pro praetermittere; vel negligere, vel relinquere. Cf. ad 1, 36, 1. 1, 47, 1. 4, 51. 74. 6, 36. 11, 8. 14, 61. 15, 5. 6. 69. H. 2, 65. 3, 4. 4, 6. — *civitas turbet:* „absolute pro *turbas moveat*, ut 4, 1. H. 1, 85. 2, 86." *Ern.* Cf. ad 1, 64, 2. — *quia non ducatur*, moveatur, metu periculi ex eiusmodi turbis in remp. redundaturi. „*quia* non propter quod, sed quomodo: *nunc*, ubi non dici possit metu duci." *Walth.* — *iturum*, cf. 1, 47 extr.

2. *Dolabella Cornelius*, cf. ad 3, 66, 1. et 3, 75, 1. *Dolobella* scribitur a nonnullis. v. ad O. 34. n. 6. — *absurdam in adulationem*, abhorrentem et ab omni more, et a maiestate senis Principis; *Freinsh.* — *post ferocissimas gentes perdomitas*, v. Ind. III. v. *Participia Perf. Pass. pro Substant. abstr.* — *peregrinationis suburbanae*, in Campania. Cf. cap. 59. et ad 13, 43.

CAPUT XLVIII.

Sub idem tempus, ut mors Sulpicii Quirini publicis exsequiis frequentaretur, petivit a senatu. Nihil ad veterem et patriciam Sulpiciorum familiam Quirinus pertinuit, ortus apud municipium Lanuvium; sed impiger militiae et acribus ministeriis consulatum sub divo Augusto, mox, expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis, insignia triumphi adeptus datusque rector C. Caesari Armeniam obtinenti, Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat. Quod tunc patefecit in senatu, laudatis in se officiis et incusato M. Lollio, quem auctorem C. Caesari pravitatis et discordiarum arguebat. Sed ceteris haud laeta memoria Quirini erat ob intenta, ut memoravi, Lepidae pericula sordidamque et praepotentem senectam.

1. *publicis exsequiis*, v. ad 3, 5, 1. *Sulpicii Quirini:* in edd. vet. ante Ryck. *Quirinii*. v. ad 2, 30, 2. — *impiger militiae*, cf. ad H. 3, 41, 4. et G. 5. n. 4. — *consulatum sub D. Augusto adeptus* a. U. 742. Cf. Dio 54, 28. — *expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis*, v. Strab. XII. p. 569. 679. Plin. 5, 27. Flor. 4, 12, 41. ubi cf. Duk. *onomadensium* MS. *Homonadenses* s. *Homonadi* et *Homonades* in Tauro monte, finitimi Lycaoniae et Isauriae, in *Cilicia* aspera s. Trachea. v. Cellar. G. A. T. II. p. 176. — *insignia triumphi*, v. ad 1, 72, 1. — *datus* ab Augusto *rector C. Caesari Armeniam obtinenti* a. U. 752. Cf. nota 2. et ad 1, 3, 4. 2, 4, 1. — *obtinenti*, tenenti, ei praefecto. Cf. Ind. II. — *Tiberium Rhodi agentem coluerat*, v. ad 1, 4, 6. et 2, 42, 1.

2. *Quod tunc patefecit in senatu* Tiberius, nunc demum, neo coram, (nam absens tunc erat et in Campania) sed per literas; *Freinsh.* — *incusato M. Lollio* Paulino, primo C. Caesaris rectore. „*Lollio* scripsi pro vulg. *Folio:* nam Lollius fuit C. Caesari rector, quo more Principibus iuvenibus etiam nunc dantur, et post illum P. Sulpicius Quirinus, Tiberio amicus. v. Suet. Tib. 12. Vell. 2, 102. Plin. 9, 33. s. 58. Causa errori, quod in priscis libris sine geminatione fere *Lolio.*“ Lips. Cf. Suet. Tib. 13. Vell. 2, 97. intpp. Hor. od. 4, 9. Hic Lollius *infamatus spoliis provinciarum regumque muneribus in toto oriente, interdicta amicitia à C. Caesare Augusti filio, venenum bibit, ut neptis eius quadringenties HS. opera spectaretur ad lucernas,* Plin. l. l. Haec *neptis est Lollia Paulina,* filia Lollii, qui, incertum quo anno, consul fuit. De ea v. 12, 1. 2. 22. 14, 12. Dio 59, 12. Plin. 9, 35. *Paulina* cognominatur, quemadmodum M. Lollius *Paulinus* cos. suff. a. U. 748. in Fastis cons. ab Almeloveeno editis, fort. pronepos illius M. Lollii. Sed *Palicanus* fuit cognomen Lolliae gentis. v. Valer. Max. 3, 8, 3. Ern. clav. Cic. Burm. ad Quintil. inst. 4, 2. Patin. de fam. Rom. p. 158. et Rasche Lex. r. num. II, 2. p. 1815. Hinc suspicari licet, a posteris viri *infamati* cognomen mutatum, ut ab aliis praenomen, vel iis duplex fuisse. Cf. ad 2, 32, 1. 6, 10, 1. Grotef. Gram. T. 2. p. 282. Obbarius in comm. de Hor. epist. 1, 2. Halberst. 1728. et Ephem. schol. Darmst. a. 1828. p. 1066. 1067. — *pravitatis et discordiarum,* ut ap. Liv. 4, 26. *pravitas consulum et discordia; Gron.* qui ad locum Liv. praeter alia annotavit haec: „*Pravum* est proprie vitium corporis quodque in eo est perversum, male distortum, adversum recto, bene apto ac locato: inde ad animum translatum, inpr. ad invidiam et malignitatem“. Docte etiam disputavit *Roth.* p. 25. (v. Ind. III. v. *Hendiad.*) et quidem haec: „Recte Liv. 4, 26. comparavit Gron. In utroque loco non alia *pravitas* indicari videtur, nisi quae per *discordias* apparebat. Saepius hac voce Tacitus utitur, Ann. 3, 16. 14, 38. H. 3, 85. 5, 5. etc. Sed proxime accedit ad huius loci sensum Ann. 12, 41. *nisi arceatur pravitas tam infensa docentium,* i. e. pravitas educatorum, qui Britannicum infensa doceant; quod idem Lollio crimini dabatur. Hic enim idem fecisse credebatur in Tiberium, quod educatores Britannici in Neronem; quo tempore Tiberius ad salutandum in Chio insula Caium venerat, nec iuvene tantum ipso, sed etiam comitibus eius, in iisque haud dubie Lollio, inferiorem se gesserat. Testis Dio 65, 11. qui conf. cum iis, quos ad Ann. 3, 48. laudat Lips.“ — Ceterum idem Quirinus a. U. 759. praeses Syriae factus est post Quintilium Varum et censum egit, de quo v. evang. Luc. 2, 2. et Ioseph. A. J. 18, 1 sq. Cf. ad 2, 30, 2. — *obtinenta* (v. ad 1, 28, 3.) *Lepidae pericula, ut memoravi* c. 22. — *praepotentem senectam;* ut *orbitas praevalida* 3, 25. nam Quirinus praedives et orbus erat. v. Suet. Tib. 49.

CAPUT XLIX.

Fine anni C. Lutorium Priscum Equitem Romanum post celebre carmen, quo Germanici suprema defleverat, pecunia donatum a Caesare corripuit delator obiectans, aegro Druso composuisse, quod, si exstinctus foret, maiore praemio vulgaretur. Id C. Lutorius in domo P. Petronii socru eius Vitellia coram multisque illustribus feminis per vaniloquentiam legerat. Ut delator exstitit, ceteris ad dicendum testimonium exterritis, sola Vitellia nihil se audivisse asseveravit. Sed arguentibus ad perniciem plus fidei fuit, sententiaque Haterii Agrippae consulis designati indictum reo ultimum supplicium.

1. *C. Lutorium Priscum* cet. Cf. Dio 57, 20. et Plin. 7, 39. s. 40. quem locum Brot. e V MSS. ita corrigit: *sed hoc pretium belli, non hominis fuit: tam hercule, quam libidinis, non formae Paronetemes spadonis, Seiano II^I D mercante a Lutorio Prisco. Quam quidem iniuriam lucrifecit ille mercatus in luctu civitatis, quoniam arguere nulli vacabat.* In edd. vet. *Clutorium Priscum*, ut et cap. 50. quod emendavit Lips. ut similia 12, 7. 13, 22. *corripuit delator*, v. ad 4, 3, 1. — *aegro*, aegrotante, *Druso*, Tiberii filio. — *composuisse* eum aliud carmen. v. Dio 57, 20. — *legerat*, praelegerat, ut H. 4, 25.

2. *celeris ad dicendum testimonium exterritis*, v. ad 2, 62, 2. — *sententia Haterii Agrippae consulis designati*, v. ad 3, 22, 3. — *indictum reo ultimum supplicium*, mors, ut *ultima poena* ap. Liv. 3, 58 extr. Alibi *ultima s. extrema poena, supplicium, crudelitas* cet. pro *maxima*, ut ap. Liv. 6, 20. 9, 16. 42, 7. Sic et *summum supplicium* inf. 6, 3.

CAPUT L.

Contra M. Lepidus in hunc modum exorsus est: *Si, Patres conscripti, unum id spectamus, quam nefaria voce C. Lutorius Priscus mentem suam et aures hominum polluerit; neque carcer neque laqueus, ne serviles quidem cruciatus in eum suffecerint. Sin flagitia et facinora sine modo sunt, suppliciis ac remediis Principis moderatio maiorumque et vestra exempla temperant, et vana a scelestis, dicta a maleficiis differunt; est locus sententiae, per quam neque huic delictum impune sit, et nos clementiae simul ac severitatis non poeniteat. Saepe audivi Principem nostrum conquerentem, si quis sumpta morte misericordiam eius praevenisset. Vita C. Lutorii in integro est, qui neque servatus in periculum rei publicae, neque interfectus in exemplum ibit. Studia illi ut plena vecordiae, ita inania et fluxa sunt; nec quicquam grave ac serium ex eo metuas, qui suorum ipse flagitiorum proditor non virorum animis, sed muliercularum arrepit. Cedat tamen Urbe et bonis amissis aqua et igni arceatur. Quod perinde censeo ac si lege maiestatis teneretur.*

1. *M. Lepidus*, v. ad 1, 13, 2. — *nefaria voce*, carmine recitato. Cf. c. 49. — „*Sin*, sed si, *flagitia et facinora* (quidem) *sine modo sunt*, omnem excedunt modum, *suppliciis* (vero) *et remediis — differunt*; (tum carcere, laqueo servilibusque cruciatibus omissis) *est locus sententiae* cet. Post *differunt* male puncti notam ponunt Oberl. et alii.“ *Walth.* — *vana*, per vaniloquentiam praelecta. Cf. cap. 49. — *nos clementiae — non poeniteat*, v. ad H. 2, 19, 6.

2. *Saepe audivi Principem* cet. cf. 2, 31. — *si quis sumpta morte misericordiam eius praevenisset*, v. ad H. 4, 67, 2. — *Vita C. Lutorii in integro est*, ille vivit adhuc neque sumpta morte misericordiam Principis praevenit. *C. Lutorii* dedere I. Gron. et Brot. pro vulg. *Lutorii*, quia *Clutorii* legitur in edd. vet. — *neque servatus*, conservatio vitae, longior vitae usus, *neque interfectus*, interfectio eius, (ut *occisus* 1, 8. ubi v. nota 7.) *in exemplum ibit*, cedet, erit, fiet, quod aliis sit documento et terrori, vel iudicibus imitamento. Cf. ad 1, 38, 1. et Ind. III. v. *Participia formae pass. pro Substant. abstr. Omnis poena non tam ad delictum pertinet quam ad exemplum* Quintil. declam. 274. — *inania et fluxa* synonyma, ut *grave ac serium*; *Roth.* de Synon. ap. Tac. p. 14. *Studia fluxa*, vana, vel mollia, de poesi. *Fluere* et *fluxa* dicuntur, quae vel dissolvuntur et mol-

lescunt, minuuntur et labant, vel ita fugiunt et abeunt, ut vix sentias. Cf. Ind. II. intpp. Virg. Aen. 2, 169. Gron. ad Liv. 27, 17. *plena vecordiae*, de vaniloquentia c. 49. — *non virorum animis, sed muliercularum arrepit*, cf. cap. 49. et ad 1, 74, 1. — *aqua et igni arceatur*, v. ad 3, 68, 2. — *quod perinde censeo ac si l. m. t*, qua poena ad rem publicam idem effici arbitror ac si ultimum supplicium indiceretur; *Walth. perinde*, v. Ind. II. — *ac si lege maiestatis teneretur*, v. ad 11, 6, 2.

CAPUT LI.

Solus Lepido Rubellius Blandus e consularibus assensit; ceteri sententiam Agrippae secuti, ductusque in carcerem Priscus ac statim exanimatus. Id Tiberius solitis sibi ambagibus apud senatum incusavit, quum extolleret pietatem quamvis modicas Principis iniurias acriter ulciscentium, deprecaretur tam praecipitis verborum poenas, laudaret Lepidum neque Agrippam argueret. Igitur factum senatus consultum, ne decreta Patrum ante diem decimum ad aerarium deferrentur idque vitae spatium damnatis prorogaretur. Sed non senatui libertas ad poenitendum erat, neque Tiberius interiectu temporis mitigabatur.

1. *Rubellius Blandus*, v. ad 3, 23, 2. — *ductusque in carcerem Priscus ac statim exanimatus*, cf. 6, 39 pr. Romae primum Anci Marcii iussu aedificatus est *carcer publicus* foro imminens et auctus deinde in loco inferiore a Servio Tullio firmissima parte, quae hinc dicta tum *locus inferior*, tum *robur Tullianum*, vel simpl. *robur*, quia, olim certe, roboreis parietibus cincta erat. v. 4, 29. ubi a Lipsio iam laudata sunt loca Liv. 38, 59. *ut in carcere instar furis et latronis vir clarissimus includatur et in robore ac tenebris exspiret, deinde ante carcerem nudus proiiciatur*; Festi: *Robur in carcere is locus, quo praecipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robusteis includebatur*; Calpurn. declam. 4. *Video carcerem publicum saxis ingentibus structum, angustis foraminibus tenuem lucis umbram recipientem. In hunc coniecti robur Tullianum prospiciunt, et quoties iacentes ferrati postis stridor excitat, exanimantur et alienum supplicium aspectando suum discunt*. Cf. Liv. 1, 33. 29, 22. 34, 44 extr. Varr. L. L. 4, 32. Donat. de Urbe Roma 2, 9. inpr. Sall. Cat. 55. ibique Cort. ut et vir doctus in Ephem. Darmstad. schol. a. 1826. N. 101. Hic *carcer* diu Romae unicus fuit, (v. Iuvenal. 3, 312.) postea plures exstructi, e quibus lapidei dicebantur *lautumiae*. Praeerant iis triumviri capitales (Liv. 39, 17.) et custodes illorum erant primum servi publici, deinde urbani milites. Praeter *carceres publicos*, in quibus servabantur malefici, donec supplicium de iis sumeretur, Romae erant *privati* in singulis patriciorum aedibus et custodiae liberae, Staatsgefängnisse. His tradebantur rei honoratiores in perpetua habendi custodia, ut et in municipiis. v. ad 3, 22. Liv. 6, 36 extr. Sall. Cat. 43. 50. „*Carcer*, quasi *coarcer*, nomen habet a *coercendo* et continendo. In eum coniecti, clusi, non tamen in vinculis omnes fuere. v. Ulpian. CCXVI. D. de verb. signif. In reos, qui alicuius nominis essent, in carcere, in eos, qui humilioris fortunae, palam animadvertebatur. In carcere reus cervicem securi subiiciebat, carnifex reum decollabat. Ita h. l. et 6, 39. ap. Sen. decl. 9, 2. et multis Livii locis. Habuit autem carcer et locum inferiorem, (*robur Tullianum*) et alium vinculorum in plano, *ergastulum*, opinor, Nonio dictum.“ *Vertran*. „Nonii loco vehementer diffido. De *ergastulis* v. Lips. Elect. 2, 15.“ *Gron*.

2. *quum extolleret pietatem* in Principem. „Sic vocabatur tum tem-

poris, quae verius *saeva adulatio* dicitur 4, 20. Cf. H. 2, 69. Suet. in Oct. 68. in Dom. 11. Ovid. Met. 1, 204.“ *Gron.* — *tam praecipites*, festinatas, *verborum poenas*, non factorum. — *Igitur factum SCtum, ne decreta Patrum ante diem decimum ad aerarium deferrentur:* *καὶ δόγμα τι παραδοθῆναι ἐκέλευσε* Tiberius, *μήτ' ἀποθνήσκειν ἐντὸς δέκα ἡμερῶν τὸν καταψηφισθέντα ὑπ' αὐτῶν, μήτε τὸ γράμμα τὸ ἐπ' αὐτῷ γενόμενον ἐς τὸ δημόσιον ἐντὸς τοῦ αὐτοῦ χρόνου ἀποτίθεσθαι, ὅπως καὶ ἀποδημῶν προπυνθάνηται τὰ δόξαντα σφίσι καὶ ἐπιδιακρίνῃ* Dio 57, 20. „Ex h. l. *decimum*, numeri notam, quae interciderat in edd. vet., restitui. Cf. etiam Dio 58, 27. Suet. Tib. 75. et Sen. de tranq. an. 1, 14. Mansisse videtur id decretum, donec Theodosius Imp. convicto et damnato reo indulsit XXX vitae annos in l. 20. C. de poenis. Ergo falsus Sidonius ep. 1, 7. *Ex vetere* inquit *SCto Tiberiano XXX dierum vitam post sententiam trahit.* Sed Quintilianus, quem Augusti aevo vixisse volunt, in declam. 313. *mihi videtur ideo constituta esse lex, quae damnatum post tricesimum diem puniri voluit, quoniam videbat legum lator posse fieri, ut deciperetur accusator*; item Calpurn. Flaccus declam. 25. *poena raptoris in diem trigesimum differatur*. An igitur exolescentem retulit duntaxat ratamque habuit legem Tiberianam Theodosius, et in Tacito, Dione, Seneca suspicamur de mendo? An potius declamatores illi in transscribendo vitiati a posteris sunt et ad posteriorem illam legem aptati? Mehercle haereo.“ *Lips.* „Haec non bene conciliant Cuiac. obss. 5, 9. et Gothofred. ad l. 20. C. de poenis, sed optime Iac. Sirmondus ad Suet., qui existimat, ad dies X veteris SCti accessisse postea (quo tempore incertum) dies alios XX et tamen eidem SCto tributos fuisse, ut legibus Iuliis aliisque multa, quae postea illis adiecta; distinguendum autem inter SCtum Tiberianum, quo senatus iudicia, et Theodosii legem, qua solius Principis sententiae coercitae.“ *Ryck.* Cf. ad 11, 5. 13, 28. et Ernestii Exc. XXIV. ad Suet. Ceterum *decreta Patrum* rata demum erant et *ad aerarium deferebantur*, (v. ad 13, 28.) quum nemo tribunorum plebis intercessisset et Patres tum legitimo edicto vocati, tum iusto loco, tempore (ante occasum solis) et numero (centum ante Augusti dominatum et quadringenti post eius initia) coiissent. Alioqui decretum aliquod Patrum vel placitum et sententia non dicebatur *senatus consultum*, (Senats Schluss) sed *senatus auctoritas*, (Senats Gutachten) et perscribebatur quidem, ut memoria eius servaretur, non vero vim legis obtinebat. Vid. locus class. Dionis 55, 3. et cf. Dio 54, 35. Cic. epp. ad div. 8, 8. intpp. Suet. in Caes. 29. in Oct. 94. et Liv. 2, 20. 3, 55. 38, 44. inpr. 39, 4. 18. 42, 28. Schweigh. ad Polyb. 3, 26, 1. — *non senatui libertas ad poenitendum erat, neque T. i. t. m.*, senatus delicti post damnationem gratiam facere non poterat, et Tiberius nolebat; *Ryck.* *libertas ad poenitendum*, poenitendi. v. Ramshorn. Gram. p. 446.

CAPUT LII.

C. Sulpicius, D. Haterius consules sequuntur: inturbidus externis rebus annus, domi suspecta severitate adversum luxum, qui immensum proruperat ad cuncta, quis pecunia prodigitur. Sed alia sumptuum quamvis graviora dissimulatis plerumque pretiis occultabantur; ventris et ganeae paratus assiduis sermonibus vulgati fecerant curam, ne Princeps antiquae parcimoniae durius adverteret. Nam incipiente C. Bibulo ceteri quoque aediles disseruerant, sperni sumptuariam legem vetitaque utensilium pretia augeri in dies; nec mediocribus remediis sisti posse. Et consulti Patres integrum id negotium ad Prin-

cipem distulerant. Sed Tiberius, saepe apud se pensitato, an coerceri tam profusae cupidines possent? num coercitio plus damni in rem publicam ferret? quam indecorum attrectare, quod non obtineret, vel retentum ignominiam et infamiam virorum illustrium posceret, postremo literas ad senatum composuit, quarum sententia in hunc modum fuit.

1. *C. Sulpicius et D. Haterius coss. sequuntur* cet. h. e. sequitur annus, quo hi consules fuere; *Ern.* Sic *consules* pro consulatu vel eius anno 6, 40. 13, 9. H. 1, 1. Liv. 10, 31. 21, 53. 39, 56. al. *C. Sulpicius* Galba, Galbae Imp. frater. Cf. 6, 40. Suet. Galb. 3. *D. Haterius* Agrippa. v. Ind. I. *D. Harius* MS. Cf. ad 2, 63, 2. — *inturbidus externis rebus annus, domi,* Romae, *suspecta severitate* sc. turbidus; (v. ad 12, 16, 2.) nisi ad Ablat. *suspecta* intell. Partic. verbi substant. Cf. Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant.* — *immensum proruperat,* ut al. *in immensum* v. ad 4, 27. extr.

2. *alia sumptuum,* cf. Ind. III. v. *Adiectiva neutra pro subst. posita.* Spectat ad vestimenta, picturas et alia; *Walth.* — *dissimulatis:* in ed. Ber. *dissimilatis.* Cf. Ind. II. — *ventris et ganeae* synonyma, ut paulo post *ignominiam et infamiam*; *Roth.* de synon. ap. Tac. p. 8. — *paratus,* apparatus. — *fecerant curam* et metum, *ne Princeps antiquae parcimoniae* (de qua v. 4, 6. 7. et Suet. Tib. 34.) *durius adverteret,* animadverteret in eos, in luxum. Cf. ad 2, 32, 3. „*Princeps antiquae parcimoniae,* ut *provincia splendidae inprimis dignitatis* Agr. 9. *mater Iulia Procilla fuit, rarae castitatis* Agr. 4. *exercitus veteris gloriae* Liv. 3, 62. *tumulus longinquae aquationis* Liv. 30, 29. Pro his Genitivis qualitatis etiam Ablativi ponuntur, ut *matrem muliebri impotentia* 1, 4. *Ostorius multa militari fama* Ann. 16, 15. Iunguntur nonnunquam tales Genitivi et Ablativi, ut *femina expertae fecunditatis, integra aetate* Ann. 12, 2. Cf. 4, 61. 6, 15. H. 2, 84, 5. *Poenum hostem, Veteranum XXIII stipendiorum, durissima militia* Liv. 21, 16. Quin et hae dictiones reperiuntur: *ipse compositus alias et velut eluctantium verborum — promptius eloquebatur* Ann. 4, 31. *epistolas, sermonis tamen nec inelegantis, dictorum interdum notabilium* Suet. Dom. 20. *Domitianus maculosae adolescentiae* Aurel. epit. 11. Cf. Wopk. in Act. Traiect. 2. p. 98.“ *Walch.* ad Agr. 9. p. 168. Cf. Ind. III. v. *Ablativi* et *Genitivi qualitatis.* „Hi Genitivi et Ablativi (Substant. et Adiect., addito vel intell. verbo substant. *esse*) iunguntur quidem, sed differunt ita, ut Genitivus Adiectivi, Ablativus Adverbii loco sit et illo exprimatur qualitas propria, ad ipsam essentiam et characterem pertinens, hoc ea, quae in aliquo animadversa vel ei tributa est.“ *Ramshorn.* Gram. p. 164. et 254.

3. *C. Bibulo,* C. Publicio L. F. Bibulo Aed. pl. de quo v. Inscr. Gruteri; *Ryck. Aediles disseruerant* cet. v. ad 2, 85, 1. — *sperni sumptuariam legem* Iuliam a Caesare dict. latam et ab Augusto renovatam. v. Gell. 2, 24. Dio 54, 2. et 16. Suet. in Caes. 43. in Oct. 34. Cic. ad Att. 13, 7. ad div. 7, 26. 9, 15. „Hanc Tiberii curam intellexit Plin. 33, 2. s. 8. hoc diversus, quod C. Sulpicium Galbam Aedilem nominat, non C. Bibulum, reiicitque in annum sequentem. Fieri tamen potest, ut iterata tunc ea inquisitio.“ *Lips.* — *vetitaque utensilium pretia augeri in dies,* supellectilium prohibitam taxationem non modo retineri, verum etiam in dies augescere; *Freinsh.* „Mirum hoc omnibus partibus. Tu accipe: in cibaria et convivia plus plusque in dies, quam concessum sit, impendi. Nam de *ganeae paratibus* agunt, et *utensilia* quae sint, v. ad 1, 70, 3.“ *Gron.* „Cf. Suet. Tib. 34. et quae ibi dixi in Exc. In eo loco planum est, ad ea, quae hoc anno in senatu acta sunt, respici maxime, neque solum ad 2, 33. ut videbatur ibi Burmanno, hinc vocem *mulloq* ap. Suet. tentanti,

quod 2, 33. nulla macelli mentio." *Ern.* Ex Suet. Tib. 34. intelligitur, verba Taciti de annona macelli accipienda esse; *Walth.* — *nec mediocribus remediis sisti posse,* coerceri, inhiberi, cohiberi sc. *rem* (nisi id excidit ante *remediis*) sive *pretia,* vel rem sustineri et remp. salvam incolumemque servari, aufrecht erhalten werden. Dictio concisa et sollennis Tacito Livioque, translata vel ab iis, qui feras hominesve eorumque impetum ense, telis, vulnere cohibent efficiuntque, ut subsistant et inhibeant cursum; (quo sensu et *sistere* et *subsistere,* ὑποστῆναι, ὑφίστασθαι dicitur) vel ab iis, qui ex lubrico aut palustri solo extrahuntur et ad solidum emergunt, in quo firmum pedem ponere possint. Deinde *sistere* intransitive dicitur pro *consistere, subsistere,* se continere ut 4, 40. Cf. Ind II. Liv. 2, 29. (ubi v. Stroth.) 44. 3, 9. 16. 20. 4, 12. (ubi cf. Gron.) 16. 39, 10. 40, 19. 45, 19. *remediis sisti* edd. rec. ex emend. Pich. *remedii isti* MS. *remediis resisti* edd. vet. ante Pich. — *integrum id negotium ad Principem distulerant,* differentes remiserant, ut ap. Liv. 26, 51.; *Wopk.* Cf. ad 1, 26, 3. *Integra* et *in integro esse* dicuntur, quae nondum decisa et confecta sunt, sed adhuc liberi arbitrii, ut 15, 17. H. 3, 2. et al. Cf. Ind. II. — *num coercitio* earum *plus damni in remp. ferret,* ei inferret, (cf. Ind. II. v. *In*) scil. e numero periclitantium, ex malitia delatorum et infamia tot virorum illustrium; *Lips.* — *quam indecorum* sibi esset, foret, *attrectare,* inchoare, conari, tentare, *quod non obtineret,* perfecturus esset et perficere posset. *obtineret* MS. edd. Ber. Iac. Gron. Ern. et rec. *obtineretur* edd. Rhen. et cet. Est vero h. l. illa ipsa doctrina Marcelli ap. Liv. 24, 19 med. *multa magnis ducibus sicut non aggredienda, ita semel aggressis non dimittenda esse, quia magna famae momenta in utramque partem fiant; I. Gron.*

CAPUT LIII.

Ceteris forsitan in rebus, P. C., magis expediat, me coram interrogari et dicere, quid e re publica censeam: in hac relatione subtrahi oculos meos melius fuit, ne denotantibus vobis ora ac metum singulorum, qui pudendi luxus arguerentur, ipse etiam viderem eos ac velut deprenderem. Quod si mecum ante viri strenui aediles consilium habuissent; nescio an suasurus fuerim, omittere potius praevalida et adulta vitia, quam hoc assequi, ut palam fieret, quibus flagitiis impares essemus. Sed illi quidem officio functi sunt, ut ceteros quoque magistratus sua munia implere velim: mihi autem neque honestum silere, neque proloqui expeditum, quia non aedilis aut praetoris aut consulis partes sustineo. Maius aliquid et excelsius a Principe postulatur, et quum recte factorum sibi quisque gratiam trahant, unius invidia ab omnibus peccatur. Quid enim primum prohibere et priscum ad morem recidere aggrediar? Villarumne infinita spatia? familiarum numerum et nationes? argenti et auri pondus? aeris tabularumque miracula? promiscuas viris et feminis vestes? atque illa feminarum propria, quis lapidum causa pecuniae nostrae ad externas aut hostilis gentes transferuntur?

1. *quid e rep. censeam* esse. v. ad 2, 33, 2. *e* non est in MS. et in marg. *de.* — *subtrahi oculos meos,* rem non in meo conspectu agi; *Ern.* Cf. ad Agr. 45. n. 4. — *denotantibus vobis ora ac metum,* „non designantibus, sed observantibus, ut *denotare* et *notare* ap. Cic. l. Manil. 3. in Catil. I, 1. et Virg. Ecl. 3, 68." *Ern.* Immo coniicit Tiberius, se

ex Patrum denotatione eorumque oculis observandi causa in hunc illumve defixis deprehensurum esse nocentes; *Walth.* Cf. ad Agr. 45. n. 4. *ora ac metum* pro metum in ore, sive ora metum prae se ferentia; *Roth.* p. 51. Cf. Ind. III. v. *Hendiad.* — *deprenderem* MS. (ut 4, 8. 15, 61.) edd. I. Gron. Ern. et rec. Sic et *prensa, prensare* et sim. *deprehenderem* edd. vet.

2. *viri strenui Aediles,* epitheton honoris et ornamenti causa additum; *Freinsh. strenui* sunt acres, vigilantes, intenti, suique muneris et officii memores, ut ap. Liv. 28, 40. et Curt. 7, 2.; *Gron.* Cf. ad 2; 85, 1. de aedilibus. — *nescio, an suasurus fuerim,* recte, et male dicitur *nescio an non* et *dubito an non:* clare est affirmative; *Ern.* Idem et alii (v. intpp. Corn. Nep. in Timol. 1, 1. Duk. ad Flor. 3, 12. Drak. ad Liv. 37, 54. quique ab his laudantur) contendunt, formula *nescio* vel *haud scio an* et *dubito an, an nullus, an nemo* non dubitationem negationemve, sed modestam affirmationem exprimi, idque dici pro *fortasse, meâ opinione, vereor ne nullus* vel *ut ullus sit.* Hinc multis locis *nullus* et *nulli* pro *ullus* et *ulli* scribitur aut vox inseritur v. c. *nihil* ab Ern. in Cic. Lael. cap. 6 pr. Rectiora docuere Ramshorn. Gramm. p. 478. et Ephem. lit. Hall. a. 1825. p. 262. Nuper etiam de hoc genere dicendi disputarunt Gernhard. ad Cic. Lael. 6. et in Seebodii Archiv für Philol. I. 1. p. 104 seq. Neues Archiv für Philol. u. Paedag. a. 1826. I, 1. p. 18 — 36. et Matthiae in Seebod. Archiv f. Philol. II, I. p. 26 — 29. in Miscell. crit. ed. a Friedem. et Seeb. I, 4. p. 679 seq. Hic putat, semper dicendum esse *haud scio an nullus* aut *nulli* et *nemini,* ut v. c. *an nemini* Cic. de off. 2, 3, 3. ep. ad div. 9, 14, 13. ad Qu. fr. 1, 1, 10 *haud scio,* ullane maior sit, *an nulla sit maior* Cic. Or. 2, 4, 18. *haud scio,* utrum nonnunquam, *an nunquam elucet* Cic. Or. 2, 7. Permultis tamen locis omnes codices mss. et editi *ullus* et *ulli* exhibent; in aliis legitur *haud scio an maximum,* (Cic. ad div. 9, 14 pr.) *an gravissimum,* (Cic. Off. 3, 29.) *an satis, an magis — sit* (Cic. Off. 1, 11 pr. 1, 21.) *an omnium praestantissimus* (Cic. nat. D. 2, 4.) et sim. Ceterum *haud* intentius negat quam *non,* et hinc distinguendum inter *haud scire* et *nescire.* v. Stallb. ad Ruddim. inst. gr. p. 237. Weber symbola II. ad Gram. lat. Hal. 1826. Handii Tursell. I. p. 312 sq. — *quibus flagitiis* coercendis *impares* essent Principes et leges, quae impune committi possent.

3. *Sed illi quidem,* omnino. v. ad Agr. 17. n. 3. — *quia non aedilis — sustineo,* hoc ad proxime praec. *neque proloqui expeditum* pertinet tantum; *Walth.* — *maius et excelsius* synonyma; *Roth.* de syn. ap. Tac. p. 14. — *quum recte factorum* cet. cf. cap. 54 extr. 5, 3. — *peccatur ab omnibus* cum *unius invidia,* Principis, qui *prohibere* et debeat et solus queat. — *recidere* et *resecare,* propr. ferro, cultro, falce. — *villarum infinita spatia* non capiendum de amplitudine fundorum, quae nihil ad leges sumptuarias pertinet, sed de aedificiis villarum magnitudinem urbium habentibus; *Ern.* De his v. Iuvenal. 14, 86 sq. Sen. de ben. 7, 10. Lips. de magnit. Rom. 3, 14. et singulares libros, quos vulgarunt Castell. Lond. 1728. Zuggeri Ven. 1746. Adam Lond. 1746. Contini, Felibien et alii. — *familiarum,* servorum, in *familias,* urbanam et rusticam, varii generis, descriptorum, (v. ad G. 25. n. 2.) *numerum et nationes.* Cf. 1, 23. 3, 14. 53. 12, 65. 15, 35. inpr. 14, 43. 44. Iuvenal. 5, 52 sq. 11, 147. et loca a Lipsio iam laudata Plin. 33, 6. 47. Athen. 6, 20. Thucyd. 7, 27. Sen. de ben. 7, 10. et de tranq. an. 8. *Nationes* intell. de servis e variis nationibus, non de multitudine eorum, quae verbo *numeri* indicatur: nam in illo quoque magnificentia quaesita; *Ern.* „*Nationes* sunt Tacito agmina gentium incomposita, lingua, nomine, solo, origine, non legibus aut communitate reip. iuncta, ut 13, 30. et al. Fuere autem apud Romanos quaedam ministeria, quae singularum gentium ser-

vis praecipue delegarentur. Cf. Boettigeri Sabina T. 2. p. 192. 202. 203. Itaque verba h. l. per ἓν διὰ δυοῖν dicta pro: familiarum numerum in sive secundum nationes divisum; aut, si Athenaeum a Boettigero laudatum sequi malis: familiarum numerum, ad quem explendum nationes Romam commigrant." *Roth* de synon. ap. Tac. p. 80. 81. — *argenti et auri pondus*, ut ap. Virg. Aen. 1, 359. 3, 49. 10, 527. Sil. 1, 523. 6, 355. 11, 278. 13, 356. De re ipsa v. Liv. epit. l. 14. Gell. 4, 8. 17, 25. Plut. in Sulla; *Mur.* — *aeris miracula* „Corinthia vasa et signa. v. Suet. Tib. 34. et Plin. 3, 6. Sed alia quoque ornamenta supellectilis ex aere, de quibus v. Meurs. de luxu." *Ern.* — *promiscuas*, non diversas, *viris et feminis vestes*, sericas, Coas et bombycinas. v. ad 2, 33. „Potest tamen simul cogitari de *tunicis* in *modum* muliebrium factis. v. Gell. 7, 12." *Walth.* *promiscas* MS. et ed. Bekk. ut et cap. 10. — *illa feminarum propria* — *lapides*, v. Lips. Exc. IX. ad Tac. Ann. III. — *quis*, a quibus, sc. feminis, *pecuniae* — *transferuntur*, v. Ind. III. v. *Dativus subiectivus*.

CAPUT LIV.

Nec ignoro, in conviviis et circulis incusari ista et modum posci; sed si quis legem sanciat, poenas indicat, iidem illi civitatem verti, splendidissimo cuique exitium parari, neminem criminis expertem clamitabunt. Atqui ne corporis quidem morbos veteres et diu auctos nisi per dura et aspera coerceas. Corruptus simul et corruptor, aeger et flagrans animus haud levioribus remediis restinguendus est quam libidinibus ardescit. Tot a maioribus repertae leges, tot quas divus Augustus tulit, illae oblivione, hae, quod flagitiosius est, contemptu abolitae securiorem luxum fecere. Nam si velis quod nondum vetitum est, timeas, ne vetere: at si prohibita impune transscenderis, neque metus ultra neque pudor est. Cur ergo olim parcimonia pollebat? quia sibi quisque moderabatur, quia unius urbis cives eramus, ne irritamenta quidem eadem intra Italiam dominantibus. Externis victoriis aliena, civilibus etiam nostra consumere didicimus. Quantulum istud est, de quo aediles admonent! quam, si cetera respicias, in levi habendum! At hercule nemo refert, quod Italia externae opis indiget, quod vita populi Romani per incerta maris et tempestatum quotidie volvitur; ac nisi provinciarum copiae et dominis et servitiis et agris subvenerint, nostra nos scilicet nemora nostraeque villae tuebuntur. Hanc, P. C., curam sustinet Princeps: haec omissa funditus rem publicam trahet. Reliquis intra animum medendum est. Nos pudor, pauperes necessitas, divites satias in melius mutet. Aut si quis ex magistratibus tantam industriam ac severitatem pollicetur, ut ire obviam queat, hunc et laudo, et exonerari laborum meorum partem fateor. Sin accusare vitia volunt, dein, quum gloriam eius rei adepti sunt, simultates faciunt ac mihi relinquunt, credite, P. C., me quoque non esse offensionum avidum. Quas quum graves et plerumque iniquas pro re publica suscipiam, inanes et irritas neque mihi aut vobis usui futuras iure deprecor.

1. *in conviviis et circulis*, conventibus hominum consistentium con-

fabulantiumque, ut Agr. 43. Cic. ad Att. 2, 18. Liv. 7, 12. 34, 37. 61. 44, 22. — *civitatem verti*, everti, perdi, ut 2, 42. 3, 36. 54. 12, 45. aut potius eius statum prorsus mutari. Cf. ad 2, 42, 1. Mox *clamitabant* MS. — *per dura et aspera* remedia *coerceas*, v. ad G. 14. n. 5. *dura et aspera* synonyma; *Roth.* p. 14. — *timeas ne vetere*, veteris, h. e. ne res illae vetentur; *Brot.* Vera h. l. sententia. Paulo ante *luxum facere* MS. — *parcimonia pollebat*, usitata erat; *Ern.* Mox in MS. *quia sibique moderabatur qua.* — *quia unius urbis cives eramus*, „quasi dicat: at nunc ex omni orbe mixtio sumus; undique gentes civitate et honoribus donatae itemque non donatae confluximus. v. Sen. ad Helv. c. 6.“ *Lips.* Cf. ad 2, 55, 1. Dionys. Hal. 4, 23 sq. Iuvenal. 3, 60—72. — *ne irritamenta quidem eadem* erant gulae s. luxus. Cf. Iuvenal. l. l. et ad Agr. 20. n. 2.

2. *quam* — *in levi habendum*, ut H. 2, 21. Cf. ad 4, 7. et Ind. II. v. *In.* — *nemo refert* sc. ad senatum, *quod Italia* cet. Nam e Sicilia, ex Africa, ex Aegypto frumentum advehebatur; *Ern.* Cf. 2, 59. 4, 6. 11, 20. 12, 43. H. 4, 81. Iuvenal. 8, 117. 118. 12, 57 sq. Hinc classis Alexandrina ab Augusto et Africana a Commodo instituta. — *per incerta maris et tempestatum*, ut 4, 6. *aspera maris.* — *volvitur ac, nisi* — *tuebuntur*, ita distinxi, ut omnia ex *quod* pendeant. Vulgaris interpunctio est: *volvitur. Ac nisi* — *tuebuntur?* Hanc defendit Walth. quia *ac* plane sic ponatur in transitu; de quo v. Ramshorn. Gram. p. 523. 7. Ernestius coni. *nam nisi.* Enimvero Tacitus neque transit ad alia, neque rationem reddit eorum, quae modo dixerat, sed haec continuat. Cf. ad 4, 6, 3. — *provinciarum copiae*, commeatus, frumentum. Cf. 2, 60. 15, 5, 16. H. 2, 32. 87. 3, 15. 60. 4, 22. 35. G. 30. n. 11. Duk. ad Flor. 4, 2. — *scilicet*, v. ad 1, 8, 7. — *tuebuntur*, alent. Cf. G. 14. et Heusing. ad Cic. de off. 1, 4. *tuebantur* ed. Ald.

3. *haec omissa*, huius curae omissio. v. Ind. III. v. *Participia formae pass. pro Subst. abstr.* — *funditus rem publ. trahet* in perniciem, perdet, v. ad 4, 13, 3. — *Reliquis* vitiis *intra animum medendum est*, bonis consiliis, vel mutatione animi, cupiditatum et desideriorum. — *Aut si quis* „Ernestius malebat *quodsi quis*, quod tamen ab h. l. alienum est. Commodius foret *at si quis.* Verum est *aut.* Cf. Virg. Ecl. 7, 23. et Aen. 9, 425.“ *Walth.* — *exonerari laborum meorum partem fateor*, ut H. 4, 37. *ad liberandum obsidium*, nisi leg. *parte me fateor*; *Woph.* Sed ita langueret *meorum.* „*Exonerari* etiam dicuntur res, quae auferuntur, ut H. 5, 2. *multitudinem proximas in terras exoneratam.* Potest tamen *partem* et accipi pro accusativo graeco.“ *Walth.* — *simultates faciunt*, „offensiones et invidiam excitant et ipsi ferre nolunt, (ut ap. Ovid. Am. 1, 8, 82.) *ac mihi relinquunt* ferendas: nam perstringit Tiberius senatum, quod illud negotium ad Principem distulerant. v. cap. 52.“ *Walth.* Lipsius coni. *simultates iaciunt*, Mercerus et Gron. *sim. faciundas mihi relinquunt*, eo sensu ut Tiberius ambigua primum oratione excuset in universum mores emendari posse, et sub finem iisdem, qui gloriam ex reprehensione vitiorum quaesivissent, relinquat emendationem singulorum. Paulo ante *gloria* MS. — *iniquas*, immeritas, a pravis causis animisque ortas, non ex merito meo; *Lips.* — *inanes et irritas* synonyma; *Roth.* p. 14. Opponuntur iis, quae rei publ. causa suscipiuntur; *Ern.* — *neque mihi aut vobis usui futuras*, cf. ad 1, 32 extr.

CAPUT LV.

Auditis Caesaris literis, remissa Aedilibus talis cura, luxusque mensae a fine Actiaci belli ad ea arma, quis Ser. Galba rerum adeptus est, per annos centum profusis sumptibus exerciti paulatim exolevere. Causas eius mutationis quaerere

libet. Dites olim familiae nobilium aut claritudine insignes studio magnificentiae prolabebantur: nam etiam tum plebem, socios, regna colere et coli licitum. Ut quisque opibus, domo, paratu speciosus, per nomen et clientelas illustrior habebatur. Postquam caedibus saevitum et magnitudo famae exitio erat, ceteri ad sapientiora convertere. Simul novi homines e municipiis et coloniis atque etiam provinciis in senatum crebro assumpti domesticam parcimoniam intulerunt, et quanquam fortuna vel industria plerique pecuniosam ad senectam pervenirent, mansit tamen prior animus. Sed praecipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque. Obsequium inde in Principem et aemulandi amor validior quam poena ex legibus et metus; nisi forte rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut, quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur: nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque aetas multa laudis et artium imitanda posteris tulit. Verum (haec nobis maior res) certamina ex honesto maneant.

1. *Caesaris literis:* „His nihil prudentius, nihil acutius. In illis tota se prodit Tiberii mens arsque Taciti. Earum sensum haud assecutus est Montesq. esprit des loix VII, 4. T. I. p. 168. Contendit enim, Tiberium existimasse luxum in regnis esse necessarium; illum in his literis approbasse. Inde adstruit luxus necessitatem in regnis; nullas in iis debere esse leges sumptuarias: et concludit, res publicas luxu, regna egestate perire." *Brot.* — *aedilibus talis cura remissa*, vel permissa, Germ. überlassen, vel ad eos reiecta a Principe et senatu, vel imminuta, vel condonata, gratia eius facta, Germ. erlassen, überheben. Posterius praeferendum putat Walth. neque tamen ad omnem curam aediliciam circa legem sumptuariam et ad omne tempus referendum, sed levius et modestius hoc dictum pro: *tali cura* non esse opus neque amplius referendum de illa re ad senatum. Cf. ad 1, 8, 6. et Suet. Tib. 34. quem locum cum nostro non congruere censebat Casaubonus, et ad primos imperii Tiberiani annos referebat *Ern.* Neutrum videtur probandum, neque etiam quod annotavit *Brot.* „*Talis cura remissa* vel permissa est *aedilibus*, concessumque, ut veteribus uterentur legibus, i. e. divitibus ganeonibus parcerent, in plebem aliquando saevirent: quod patet ex Suet. Tib. 34. Quum Equites acerrimi essent luxuriae institores et dignitate sua defenderentur, equestrem ordinem in arctiorem formam redegit Tiberius, ut minor esset licentia. Id contigit teste Plinio 33, 2. anno seq. et miror, Tacitum rem adeo gravem in Annalibus suis siluisse." — *ad ea arma*, bella, (v. Ind. II.) *quis Ser. Galba rerum adeptus est*: faciebam olim *rem Romanam ad. est:* sed est archaismus et sic dictum, ut *dominationis apisci* 6, 45 extr. et *rerum potiri*; *Lips.* Sic more Graecorum Genitivo iunguntur verba *abstineo, adipiscor, condico, credo, desino, desisto, frustror, fruor, furo, laudo, libero, levo, participo, potior, prohibeo, quiesco, regno* et alia. v. ad 1, 5, 5. Ruddim. inst. gram. T. II. p. 120. 196. Ramsh. Gram. §. 112. p. 191. — *per annos centum:* nam bellum Actiacum a. U. 722. gestum et Galba a. U. 823 occisus est; Brot. — *profusis sumptibus exerciti*, v. ad 14, 2.

2. *Causas eius mutationis* tres affert Tacitus, primam *Dites olim familiae — convertere*; alteram *Simul novi homines — animus*; tertiam *Sed praecipuus — maneant.* — *studio magnificentiae prolabebantur*, Germ. sinken, herabsinken. Cf. ad 2, 38, 5. et 11, 17, 2. — *plebem, socios, regna*, reges, (v. ad 2, 13, 2.) *colere*, demereri, *θεραπεύειν*, (unde ἡ τοῦ πλήθους θεραπεία ap.

Dion. 45, 2.) conciliare sibi omnis generis artibus, officiis, beneficiis, et *coli* ab illis; *Freinsh.* „Nobiles Romani *colebant plebem*, ut ea suffragante ad magistratus promoverentur; *socios* vero ac *reges colebant*, ut eorum negotiorum cura sibi demandaretur. Plebs quoque nobiles Romanos colebat propter munera. Eos etiam colebant socii ac reges, ut res suas diligentius curarent. Hisce *clientelis* Romani plurimi regibus ipsis ditiores illustrioresque exstitere." *Brot.* — *ut quisque opibus, domo, paratu speciosus* erat, haec species, qua pollebat, *illustrior* est facta accessu *nominis* celebrati et *clientelarum*, et propterea tantopere magnificentiae operam dabat, ut *nomen* (famam, gloriam) et *clientelas* sibi pararet et illustriorem speciem inde oriundam; *Walth.* „*Ut quisque opibus d. p. speciosior* respondent verbis *plebem, socios, regna colere*, ut *per nomen et client. ill. hab.* verbo *et coli*, sc. a *plebe, sociis, regnis*. Atqui socii et regna sunt *clientelae*. Unde fit, ut alterum verbum videatur debere respondere *plebi*, veniatque in mentem *per urbem*. Sed potest *per nomen et clientelas* accipi pro *nomine et clientelis* et *habebatur* pro *erat* (v. Ind. II.) neque necessarium est, omnia sibi accurate respondere." *Ern.* Contra Roth. de Synon. ap. Tac. p. 34. *clientelas* h. l. pro *clientibus* dici censet (v. ad 2, 13, 2.) et *per nomen et clientelas* per ἓν διὰ δυοῖν pro *per nomen clientium*, ut sensus sit: quo magis conspicui apud suos essent et quo pluribus imperarent, quos quis clientes habebat, eo plus splendoris ipsi accedebat. Quod tamen huic interpretationi officiat, peti posse putat a similitudine loci in Dial. de orat. c. 36. ubi auctor libelli dividat *nomen* et *clientelas*, atque ita ut confundi nequeant. „Haec explicatio longe a vero abesse videtur." *Walth.* Ceterum *dites familiae nobilium*, ut et oratores, erant patroni tam *plebis*, quam urbium, gentium, *sociorum*, coloniarum, *regnorum* et regum. Cf. 13, 37. 14, 61. H. 2, 72. O. 3, 36. 37. 39. Sall. Iug. 4. Cic. Verr. 1, 1, 51. 55. p. Pis. 11. p. Sulla 21. ep. ad div. 15, 4. de off. 1, 11. 3, 18. Hinc etiam *tot coloniarum et municipiorum clientelae* Maternum *in forum vocasse* dicuntur O. 3. ubi Brot. et Oberl. contulere Gori inscr. ant. T. I. p. 65. et Tomasin. de tesseris hospitalitatis Amst. 1670. 12. De *clientibus* et *patronis* v. Creuzer Abriss der Röm. Alterth. p. 91—93. — *ceteri ad sapientiora convertere* se. *Ceteri*, ut Gr. *οἱ ἄλλοι*, h. e. quibus magnitudo famae nondum exitio fuerat, hi aliorum periculis monebantur, ne magnitudinem famae sectarentur; *Walth.*

3. *novi homines* dicuntur, qui primi e gente familiave sua gesserant magistratus maiores s. curules, (ut fere *ex se natus* 11, 21.) *ignobiles*, si nec ipsi nec maiorum aliqui, *nobiles*, si aliquis maiorum, *nobiles una imagine*, si unus eorum, *nobiles multis imaginibus*, si plures gesserant. Cf. ad 11, 35, 1. et 14, 53. — *domesticam parcimoniam*, frugalitatem. — *pervenirent:* immo *pervenissent*, sed rectius *pervenerant*; *Ern.* At v. Ind. III. v. *Coniunctiones* et *Verborum Modi*. — *adstricti moris*, *ut contra mores dissoluti*. v. ad O. 2. n. 3. — *auctor Vespasianus fuit*; cf. H. 2, 5. 77. Suet. Vesp. 10. 16. 17. 18. 21. et ad Agr. 9. n. 4. — *obsequium inde in Principem* cet. Simillimum illud Paneg. in Theodos. 14. *Lips.* — *aemulandi amor validior quam poena ex legibus et metus:* „haec per ἓν διὰ δυοῖν dicta pro *quam poena ex legibus metus:* nam *amori* non *poena* respondet, qui sensus animi non est, sed *metus*; metuere autem, qui delinquunt, poenam ex legibus coguntur." *Roth.* p. 34. Olim coniiciebam *quam ex legibus et poena metus*. — *apud priores*. v. ad 1, 1, 3. — *multa laudis et artium* id. qd. alibi *bonae artes:* nam de moribus sermo est; *Roth* p. 26. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin*. — *Verum haec nobis maiores certamina ex honesto maneant* MS. et omnes edd. Haec praeter Salin. et Heins. frustra explicare conati sunt alii. Herrmannus: quoad *haec*, vel: qui *nobis maiores* sunt. Walther *certamina* accipit pro aemulis, quibuscum certatur, Germ. **Gegenstand des Wetteifers.** Wortbergius (v. ad 3, 14, 2.) haec ger-

man. reddit: Möge s. es müsse aber immerhin zwischen uns und euch, o ihr Väter der Vorwelt, der Wettkampf über wahres Ehrgefühl bestehen! Similiter *Ricklefs*. Sed preces ad maiores conversae quam poterant vim habere? Boxhornius, Paschal. Rothius ad Agr. p. 222 sq et Brot. verba haec ita distinguunt: *Verum haec* (immensi luxus et dein parcimoniae exempla) *nobis maiores* sc. tulere, reliquere tradidere: *certamina ex honesto maneant*, h. e. honesta, vel pergamus cum illis de honesto ac virtute certare. Alii ante *maiores* aut plura excidisse putant, quod asterisco ibi posito significant, aut certe *in* s. *erga* s. *adversus*. Hinc Strombeccius: Uns bleibe aber mit den Vorfahren lediglich Wettkampf im Ehrenvollen. Vix tamen invenias *certare in quem*; *Oberl.* Alii verba emendant. Crollius coni. *meliora*, magis profutura; Hillerus racem. 2. *maiora c. ex h.*, de virtute; Acidalius *quorum* (posterorum) *haec nobis in maiores c. ex h. m.*; Huetius: *verum haec nobis maior res*, hoc sensu: verum in pristina honestate retinenda vel recuperanda plus nobis erit laborandum, quod plura luxus et corruptelae exempla habeamus. Optima utique est correctio haec, a nobis quoque recepta, sed verba aliter et distinguenda et explicanda. Quod animadvertit *Walch.* in Melet. crit. Ien. 1809. p. 22 — 24. ubi ea sic interpretatur: „Fortasse in *cunctis rebus inest velut orbis*, (Germ. Kreislauf) ut, quemadmodum tempora se vertant, ita mores immutentur. Unde *nec omnia apud priores*, maiores, (v. ad 1, 1, 3.) *meliora* fuerint, *sed nostra quoque aetas*, quibus maioribus praestet, tulerit *multa laudis et artium*, multas laudabiles artes, *imitandas posteris*. Attamen *nobis maior res* exoptabiliorque *honestum* est s. virtus: (ut 3, 26. 16, 32. H. 4, 5. ubi cf. nota 4.) quare *certamina ex honesto*, de virtute, porro ut *maneant* quaeso; quippe nondum in iis ita vicimus priores, ut imitandi simus posteris. *Honestum aut ipsa virtus est aut res gesta virtute* Cic. de fin. bon. lib. 5. et *honestum per se esse expetendum, quod ex virtutibus exoriatur et in his haereat* id. alio loco. *Laudabiles artes* quaecunque intelligi possunt ad ingenii sive vitae humanae cultum comparatae, quibus, etsi ad honestas referuntur, proprie tamen cum honesto s. virtute nihil commune est."

CAPUT LVI.

Tiberius fama moderationis parta, quod ingruentis accusatores represserat, mittit literas ad senatum, quis potestatem tribuniciam Druso petebat. Id summi fastigii vocabulum Augustus reperit, ne *regis* aut *dictatoris* nomen assumeret ac tamen appellatione aliqua cetera imperia praemineret. M. deinde Agrippam socium eius potestatis, quo defuncto Tiberium Neronem delegit, ne successor in incerto foret. Sic cohiberi pravas aliorum spes rebatur; simul modestiae Neronis et suae magnitudini fidebat. Quo tunc exemplo Tiberius Drusum summae rei admovet, quum incolumi Germanico integrum inter duos iudicium tenuisset. Sed principio literarum veneratus deos, ut consilia sua rei publicae prosperarent, modica de moribus adolescentis neque in falsum aucta retulit: esse illi coniugem et tres liberos eamque aetatem, qua ipse quondam a divo Augusto ad capessendum hoc munus vocatus sit. Neque nunc propere, sed per octo annos capto experimento, compressis seditionibus, compositis bellis, triumphalem et bis consulem noti laboris participem sumi.

1. *potestatem tribuniciam Druso petebat:* huc Vaillant in NN. Col. sub Tiberio refert numum, quo Tarraconenses Iuliae recuperatam valetudinem et Druso potestatem tribun. gratulari videntur; *Oberl.* — *Id summi fastigii vocabulum Augustus reperit* — *praemineret*, v. ad 1, 2, 4. et 3, 37, 1. — *cetera imperia praemineret:* nam hoc verbum quarto etiam casui iungitur more Graecorum ut 12, 12. 33. 15, 34. et *praecellere* 2, 43 extr. sed dativo 12, 15. Cf. Ind. III. v. *Verba diversis casibus iuncta. praemineret* MS. et omnes edd. vet. et rec. praeter Ald. in qua *praeminerent.* Cf. ad 12, 12. 33. et 15, 34. *praemuniret* perperam coni. Guther. de off. dom. Aug. 1, 39. — *M. deinde Agrippam* cet. cf. Dio 54, 12. — *Ti. Neronem delegit*, v. ad 1, 3, 5. — *ne successor in incerto foret* cet. v. ad 1, 3, 1.

2. *Drusum summae rei admovet*, v. ad 2, 45, 2. — *integrum inter duos*, Germanicum et Drusum, *iudicium tenuisset*, ad neutrum inclinasset; *Ern.* Cf. ad 3, 8, 1. — *neque in falsum aucta*, v. Ind. II. v. *In.* — *eamque aetatem, qua ipse* cet. anno aetatis XXXV. nam natus est a. U. 712. (v. Suet. Tib. 5.) et a. U. 747. potestatem tribun. accepit; *Lips.* Cf. ad 1, 2, 4. — *triumphalem et bis consulem*, v. ad 3, 19, 3. et 3, 22, 2.

CAPUT LVII.

Praeceperant animis orationem Patres; quo quaesitior adulatio fuit. Nec tamen repertum, nisi ut effigies Principum, aras Deum, templa et arcus aliaque solita censerent, nisi quod M. Silanus ex contumelia consulatus honorem Principibus petivit dixitque pro sententia, ut publicis privatisve monimentis ad memoriam temporum non consulum nomina praescriberentur, sed eorum, qui tribuniciam potestatem gererent. At Q. Haterius quum eius diei senatus consulta aureis literis figenda in curia censuisset, deridiculo fuit senex foedissimae adulationis tantum infamia usurus.

1. *Praeceperant* (v. ad 1, 55, 1.) *animis orationem Patres;* vel Principis orationem, odorati, quid dicturus esset et petiturus, vel potius suam, praeparati praemeditatique, quid ipsi dicturi essent et censituri, quum facile intelligerent, Tiberio nunc plura esse in votis; *Freinsh.* — *quaesitior adulatio*, v. ad 3, 26, 2. — *nisi ut* — *nisi quod* negligenter dictum; *Brot.* Illud est Germ. ausser dem dass, hoc als nur dass; *Walth.* Cf. Ind. II. — *publicis privatisve monimentis*, v. ad 3, 23, 1. *privatisque* corr. Mur. Pich. et Acid. „Male: nam *monimenta* quum publica vel privata esse possent, (tum enim nondum erant) debuit dicere *publicis privatisve*, h. e. sive forent publica sive privata. Eodem sensu *ve* frequentatur in legum verbis." *Walth.* „Ryckius ante *publicis* intell. *vel*, quod non licet. Particula *ve* videtur significare oder auch." *Kiessl.* — *ad memoriam temporum non consulum nomina praescriberentur*, v. ad H. 3, 13, 5. Ita anni a Romanis designabantur.

2. *At Q. Haterius:* „id recte Lipsius fecit ex *Atque Haterius*, quod est in MS. et edd. vet. Nam duo sunt illius aetatis Haterii accurate distinguendi, *Q.* et *D. Haterius Agrippa.* De illo v. 1, 13. 2, 33. de hoc 1, 77. 2, 51. 3, 49. 52." *Walth.* — *eius diei SCta aureis literis figenda in curia*, quae *foedissima adulatio* fuit: nam tunc temporis et SCta, et orationes Principum aeri tantum incidebantur, nonnunquam et argento, (ut oratio Neronis, a Seneca composita; v. 13, 3.) et illa plerumque in curia, interdum et in templis, in foro et ad statuas figebantur. „v. Dio 60, 10. 61, 3. Plin. pan. 75. et ICti. Nec ab alia causa evenisse credi-

derim, quod Claudii oratio Lugduni nostro aevo reperta in tabula aeris." *Lips.* ad 13, 4. Cf. ad 3, 63. 11, 14 extr. 11, 24, 1. 12, 53. 13, 3. 14, 10. H. 4, 40. Virg. Aen. 6, 622. ibique Heyne. — „*derisiculo fuit*, scilicet quod *senex*, cui ob aetatem neque spes neque metus necessitatem imponeret *foedissimae adulationis*, nihilominus ea uti vellet, quanquam nullum inde fructum nisi *infamiam* percipere posset. Simili modo ponitur particip. *iturum* 3, 63. et *usurum* 4, 39. Nonnulli editores virgulam ponunt post *fuit*, alii post *senex* et alii post *adulationis*." *Walth.*

CAPUT LVIII.

Inter quae provincia Africa Iunio Blaeso prorogata, Servius Maluginensis flamen Dialis, ut Asiam sorte haberet, postulavit, *frustra vulgatum* dictitans, *non licere Dialibus egredi Italia; neque aliud ius suum quam Martialium Quirinaliumque Flaminum: porro si hi duxissent provincias, cur Dialibus id vetitum? Nulla de eo populi scita, non in libris caerimoniarum reperiri. Saepe Pontifices Dialia sacra fecisse, si flamen valetudine aut munere publico impediretur. Duobus et septuaginta annis post Cornelii Merulae caedem neminem suffectum, neque tamen cessavisse religiones. Quod si per tot annos possit non creari nullo sacrorum damno, quanto facilius abfuturum ad unius anni proconsulare imperium? Privatis olim simultatibus effectum, ut a pontificibus maximis ire in provincias prohiberentur: nunc Deum munere summum pontificum etiam summum hominum esse, non aemulationi, non odio aut privatis affectionibus obnoxium.*

1. *provincia Africa* C. *Iunio Blaeso prorogata*, avunculo Seiani. Cf. cap. 29. et 35. — *Servius* Cornelius Lentulus *Maluginensis*: „is consul suff. fuit cum C. Iunio Blaeso a. U. 765. eiusque familiae praenomen *Servius*, ut e Livio notum est, non *Sergius*, quod Reinesius in margine adscripserat; *Ern.* Cf. 3, 71. et 4, 16. *maliginensis* MS. — *ut Asiam sorte haberet*: „Scribendum *ut Asiae sortem haberet* h. e. Asiam provinciam sine sortitu, ut *sors Asiae* c. 71. Asia et Africa in sortem mittebantur et de illis sortiebantur duo consularium vetustissimi. Quum vero altera harum provinciarum *Africa Iunio Blaeso prorogata* esset et sic neutra in sortem mitteretur, *postulavit, ut Asiam*, alteram provinciarum, quas sortirentur consulares, ipse consularium vetustissimus ante omnes alios citra sortem haberet. His non adversantur verba seqq. *si hi duxissent provincias*. Loquitur enim, ut more atque ex instituto fiebat, nisi necessario aliquid praeter morem statuendum esset; et ex antecedente intelligitur consequens. Nam si Dialibus flaminibus sortiri concessum, sequebatur ut, quoties sine sorte transibat alterutra harum provinciarum ad primum consularium, si flamen is Dialis esset, non posset excludi." *Gron.* „Non dubito quin recte docuerit Gron. legendum *Asiae sortem*. Erant enim duae tantum ex constitutione Augusti provinciae consulares, Africa et Asia. Quum ex his Africa prorogata esset Blaeso, restabat sola Asia. De hac sortiri non poterat Maluginensis, quia de una provincia non sortiebantur duo, sed de duabus; tum quia moris erat, ut, si una tantum consularis esset, haec extra ordinem daretur consularium vetustissimo. v. 3, 71. Praeterea incongrue aliquis peteret, ut *sorte haberet* aliquid: sors enim dubia et, antequam ducta, fortuna illius in occulto est. Potest quis *postulare*, ut liceat sibi cum alio sortiri, non, ut aliquid *sorte habeat*. Similiter autem *sors Asiae in eum, qui consularium Maluginensi proximus erat, collata* inf. cap. 71. Ex eo enim quod pro-

vinciam, de qua sors ducta esset, temporibus rei publicae appellarent *provinciae sortem*, ut ap. Liv. 42, 31. *sors Macedoniae*; deinceps factum, ut obventio vel delatio provinciae, in qua nulla sors intervenerat, *sors* appellaretur." *Ryck.* „*Asiae sortem* alii quoque scribi malunt secundum c. 71. quoniam de sortitione, quae proprie dicitur, hic non sit sermo. Sed *sorte habere* ad extremum idem est ac *sortiri*, quod saepissime omissa sortitionis notione simpliciter significat nancisci, acquirere. Olim sorte solebat decerni, quae cuique consulari provincia contingeret; deinde ipsa provincia, quae contingeret alicui, *sors* eius dicta est. Hinc *Asiam sorte habere* nil aliud erit nisi Asiam pro sua provincia habere, Asien zum Loose bekommen. Ceterum *sorte* et *missu Principis provinciam habere* et *obtinere* sibi opponuntur, ut 2, 43, 1." *Walth.* Cf. ad 3, 32, 2. — *frustra*, v. ad 11, 7, 2. — *Dialibus* scil. flaminibus, de quibus v. ad 4, 16, 1. Dio 54, 36. Suet. in Iul. 1. et in Oct. 31. — *non licere Dialibus egredi Italia*; et olim non noctem unam, ex instituto Augusti non plus quam binoctium Urbe abesse. v. ad 3, 71, 2. — *neque aliud ius suum*, vitiose *iussum* ed. Ber. — *quam Martialium Quirinaliumque flaminum*: „atqui nec his quidem antiquitus egredi Italia concessum. v. Valer. Max. 1, 1, 2. Liv. 37, 51. et Epit. 19. Cic. Phil. 11, 8. Idem de pontifice maximo traditur in Liv. epit. 59. Sed scire licet, quaedam ex his cum aevo fuisse mutata. Alias aperte falsis exemplis se iuvet hic flamen." *Lips.* — *si hi duxissent provincias* sc. *sorte*, ut ap. Cic. ad div. 1, 18. *oracula*, *quae aequatis sortibus ducuntur*; *Oberl.* Commode omitti potuit *sorte*, quum e contextu satis constet de sensu formulae; *Walth.* Cf. ad 1, 64, 2. et verba Gron. paulo ante laudata. Rutgersius lect. Venus. c. 25. et Brot. putant, *duxissent* dictum esse pro *rexissent* et expressum e Thucydidis ἡγεῖσθαι et ἐξηγεῖσθαι τὴν πόλιν, τὴν Πελοπόννησον, *Ern.* Lipsius coni. *si hi duo rexissent* vel *si hi direxissent*, nisi *duxissent* sit id. qd. sorte extraxissent.

2. *duobus et septuaginta annis post* L. *Cornelii Merulae caedem neminem suffectum* sc. flaminem Dialem. Merula flamen Dialis creatus est et consul in locum Cinnae; quo iterum res turbante voluntariam mortem obiit a. U. 667. vel 668. v. Vell. 2, 22. Appian. B. C. 1, 65. 70. 74. Flor. 3, 21, 16. Flaminium Diale cum aliis caerimoniis antiquis restituit Augustus anno demum U. c. 743. vel 744. v. Dio 54, 36. et Suet. Oct. 31. „Ita constat ratio, neque turbat, quod Caesar iam puer a. U. 671. flamen Dialis destinatus fuerit teste Suet. Iul. 1. quia tantum destinatus, non inauguratus propter aetatem puerilem et a Sulla eodem sacerdotio mox mulctatus est." *Lips.* Cf. Plut. Caes. p. 707. intpp. Suet. Iul. 1. Burm. ad Vell. 2, 43. et Wessel. obss. 2, 18. „Sed non capio, quomodo Lipsius dicere potuerit, rationem constare: nam ex anno 667. usque ad a. 743. non sunt LXXII anni, sed aliquanto plures. Vossius ad Vell. 2, 43. suspicabatur, Tacitum scripsisse *VI et LXX* vel LXXVI. non *II. et LXX* vel LXXII. et illud dedit Brot. Sed hoc temerarium: nam facilius concedes, Dionis quam Taciti contextum de tempore falsum esse. At ne Dionem quidem falsum esse puto. Si quid recte video, Servius LXXII annos ita numeravit, ut omitteret IV annos ad Caesaris flaminium pertinentes. Etenim verba eius non sunt ita comparata, ut necessario de LXXII annis continuis cogitemus; possunt etiam intelligi ita, ut inter eos annos, qui *post Merulae caedem* usque ad flaminium ab Augusto restitutum sint praeterlapsi, LXXII anni dicantur fuisse, quibus nemo fuerit Dialis." *Walth.* Ita vero nodus haud solutus videtur: nam si nulla ratio habetur flaminii Caesariani, non LXXII anni, sed LXXVI numerandi sunt.

3. *Privatis olim simultatibus effectum, ut — prohiberentur* sc. flamines. Cf. cap. 71. Liv. 24, 8. 37, 51. epit. libri XIX. et 51. Val. Max. 1,

1, 2. Cic. Phil. XI, 8. *nunc deum munere — esse,* Principem. Cf. ad 1, 3, 1. Verba adulatoris. — *non aemulatione, non odio aut privatis affectionibus obnoxium:* „Recte *aemulatione* MS. et edd. vet. non *aemulationi,* quod substituerunt edd. rec. ex emend. Mur. Nimirum triplici ratione Tacitus utitur vocabulo *obnoxius.* Ponitur cum dativo rei, ut significet eum, in quem illa res vim suam exercet, ut 2, 75. 13, 45. 14, 40. 16. 5. Deinde nude et sine ullo casu, ut indicet eum, qui sui non est compos, quia aut indulget studio alicui, aut alieno arbitrio tenetur, ut H. 1, 1. 2, 56. Suet. Tib. 12. Sen. de ira 3, 8. Sall. Cat. 14. Verum ut constet de causa, quae ita obnoxium aliquem reddat, ea additur in sexto casu, ut 2, 75. 14, 40. 15, 38. et h. l. ubi intelligitur is, qui neque ob aemulationem, nec ob odium aut privatas affectiones sibi insitas obnoxius (befangen) sit. Contra *aemulationi — obnoxius* est, qui aemulos habet, quem alii odere, invisus, et qui non ipse afficitur aliqua cupiditate in alios, sed aliorum in se cupiditates patitur. Hoc vero minime vult Servius; immo dicit, Tiberium, ut summum, in neminem uti aemulatione, odio aut priv. aff. Ceterum *privatae affectiones* sunt, quae Agr. 19. dicuntur *studia privata,* favor ex necessitudine aut gratia privata oriundus, Parteilichkeit; quo sensu aptissime opponuntur *aemulationi* et *odio.*“ *Walther.* Eiusdem fere sententiae est Kritz. ad Sall. Cat. 48, 5. et p. 14. Sed *obnoxius* nusquam Ablativo iungitur et perperam laudantur loca 2, 75. 14, 40. 15, 38. neque *aemulationi obnoxius* est id. qd. *aemulis obn.* sed *obn. aemulationi* adversus alios. Cf. ad H. 2, 56, 4.

CAPUT LIX.

Adversus quae quum augur Lentulus aliique varie dissererent, eo decursum est, ut pontificis maximi sententiam opperirentur. Tiberius, dilata notione de iure Flaminis, decretas ob tribuniciam Drusi potestatem caerimonias temperavit, nominatim arguens insolentiam sententiae aureasque literas contra patrium morem. Recitatae et Drusi epistolae, quanquam ad modestiam flexae, pro superbissimis accipiuntur: *Huc decidisse cuncta, ut ne iuvenis quidem, tanto honore accepto, adiret Urbis deos, ingrederetur senatum, auspicia saltem gentile apud solum inciperet. Bellum scilicet, aut diverso terrarum distineri litora et lacus Campaniae quum maxime peragrantem. Sic imbui rectorem generis humani: id primum e paternis consiliis discere. Sane gravaretur aspectum civium senex Imperator fessamque aetatem et actos labores praetenderet: Druso quod nisi ex arrogantia impedimentum?*

1. *Augur* Cn. *Lentulus,* v. ad 4, 44, 1. — *pontificis maximi,* Principis absentis. Cf. c. 64. 71. et ad 1, 3, 1. — *dilata notione,* cognitione, ut 6, 12. ap. Cic. p. domo 13. ad Att. 11, 29. Gell. 17, 18. Liv. 27, 25. ubi v. Gron. *delata notitione* MS. — *decretas ob trib. Drusi pot. caerimonias,* v. cap. 56. — *insolentiam sententiae* Haterii de *aureis literis* v. cap. 57.

2. *Huc decidisse cuncta* MS. et edd. Ber. Rhen. Ald. Lips. I. Iac. Gron. et rec. *recidisse* edd. Lips. poster. Pich. Grut. Bern. prob. Ern. „Sed *recidere* significat ad pristinam calamitatem redire, *decidere* simpl. mutari in peius: nec absurde Baumgarten-Crusius scribit, hoc adiectam habere loci, illud temporis notionem. Cf. hic et alii intpp. ad Suet. Iul. 17. et Claud. 9.“ *Walth.* — *adiret Urbis deos,* ut *dii loci* 12, 13. et H. 2, 70. Notissimi locorum dii, tutelares et genii, dii patrii et penates. — *auspicia saltem* tribuniciae potestatis *apud solum gentile,* patrium,

Romae, *inciperet*, cf. ad 3, 19, 3. et 3, 46, 2. — *Bellum scilicet*, bellum esse scilicet, quod *distineat*, moretur Drusum; *Gron.* v. ad 11, 12, 1. „Intell. *esse*; qua dicendi brevitate Noster delectatur. Germ. es sei wohl Krieg. Aegre ferunt, quod in tanta rerum tranquillitate nec ulla absentiae necessitate in Urbem venire negligat.“ *Walth.* Non alii id aegre ferunt, sed ipse Drusus; cuius amaram irrisionem et *scilicet*, (v. ad 1, 8, 7.) et cetera spirant. Hinc fortasse leg. *Bellum*, (adiect.) egregium, praeclarum esse, *haud* (pro quo saepissime librarii substituerunt *aut*) *diverso terrarum* (cf. ad 2, 60, 1.) *distineri* se a Roma, vel occupari negotiis levissimis. *Bello* coni. Lips. et *bello eum* Pich. non male. *tractu* post *terrarum* adiectum in quibusdam edd. med. Sed cf. Ind. III. v. *Adiectiva neutra.* — *lacus Campaniae quum maxime peregrinantem*, cf. cap. 47 extr. *quum maxime* vel, ut h. l., nunc quam maxime, (hoc ipso tempore, quo tantum honorem acceperit) gerade jetzt, eben jetzt, Gr. ἀκμήν, vel ut quam maxime, so sehr als irgend jemals. Cf. 4, 27. H. 1, 29. 84. 3, 4, 55, 58. 65. O. 16. 37. Cort. ad Plin. ep. 6, 31, 15. 9, 13. Duk. ad Flor. 2, 16. Drak. ad Liv. 27, 4. 29. 17. 40, 13. Spald. ad Quintil. 6, 1, 23. Ern. clav. Cic. et Boett. Lex. Tac. v. *cum maxime* et Ramshorn. Gram. p. 319. *cum maxime* MS. edd. Pich. et rec. *tum maxime* edd. vet. — *e paternis consiliis* cet. haec increpat non ex animi sententia, sed ut senatus exprimat sensus suos. — *Sane*, v. ad 3, 5, 2.

CAPUT LX.

Sed Tiberius, vim principatus sibi firmans, imaginem antiquitatis senatui praebebat postulata provinciarum ad disquisitionem Patrum mittendo. Crebrescebat enim Graecas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi: complebantur templa pessimis servitiorum: eodem subsidio obaerati adversum creditores suspectique capitalium criminum receptabantur. Nec ullum satis validum imperium erat coercendis seditionibus populi, flagitia hominum ut caerimonias Deum protegentis. Igitur placitum, ut mitterent civitates iura atque legatos. Et quaedam, quod falso usurpaverant, sponte omisere: multae vetustis superstitionibus aut meritis in populum Romanum fidebant. Magnaque eius diei species fuit, quo senatus maiorum beneficia, sociorum pacta, regum etiam, qui ante vim Romanam valuerant, decreta ipsorumque numinum religiones introspexit, libero, ut quondam, quid firmaret mutaretve.

1. *vim principatus sibi firmans imaginem antiquitatis senatui praebebat*, v. ad 1, 2, 6. 3, 17, 2. 3, 69, 3. — *Crebrescebat* (v. ad 6, 20.) *Graecas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi*, quod per ἓν διὰ δυοῖν dictum pro: licentia impune statuendi asyla; *Roth.* p. 51. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin.* De *asylis* et eorum iure v. 3, 36. 4, 14. Thucyd. 1, 126 sq. Lips. Exc. VI. ad Tac. Ann. III. Potteri Archaeol. Gr. II, 2. Spanhem. de usu et pr. num. IX, 5. Eckhel. doctr. num. T. IV. p. 306. — *complebantur templa* cet. „Tribus ergo generibus hominum perfugium in asylis, servis, obaeratis, maleficis. v. Plut. de vitandis usuris p. 828. et περὶ Δεισιδαιμ. p. 166. Sall. ep. ad Caes. I, 2. et Pollux 1, 10.“ *Lips.* — *flagitia hominum ut caerimonias deûm protegentis*, ut c. 62. *Triviae religionem tuebantur.* Cf. ad 1, 62, 2. et ad 3, 62, 2. *seditionibus: populi* — *protegentes* ed. Ber.

2. *iura atque legatos* pro *iura per legatos*; Roth. p. 51. Cf. Ind. III.

v. *Hendiadyoin.* — *Iura*, tabulas, literas, monumenta, quibus iura niterentur, inspicienda senatui, ut iudicaret, utrum ius asyli esset nec ne; *Ern. Iura* sunt privilegia; *Walth.* — *libero*, ut *periculoso* 1, 6. ubi v. not. 6.

CAPUT LXI.

Primi omnium Ephesii adiere memorantes, *non, ut vulgus crederet, Dianam atque Apollinem Delo genitos. Esse apud se Cenchrium amnem, lucum Ortygiam, ubi Latonam partu gravidam et oleae, quae tum etiam maneat, annisam edidisse ea numina; deorumque monitu sacratum nemus. Atque ipsum illic Apollinem post interfectos Cyclopas Iovis iram vitavisse. Mox Liberum patrem bello victorem supplicibus Amazonum, quae aram insederant, ignovisse. Auctam hinc concessu Herculis, quum Lydia potiretur, caerimoniam templo; neque Persarum ditione deminutum ius: post Macedonas, dein nos servavisse.*

1. *Primi omnium Ephesii adiere* senatum. „Ab his Diana culta celebri templo; et de eorum asylo v. locum class. Strab. XIV. p. 641.“ *Lips.* „Ibi legendum videtur Ἀντωνίου διπλασιάσαντος τοῦτο. Istam Antonii indulgentiam Ephesius celebrat numus, quem ex Vaillantio exhibet Chishull p. 152. Statua autem Dianae sustentari solita ferreis fulcris, *verubus* ap. Minuc. Fel. c. 21. ut signa Dioscurorum ap. Prudent. c. Symm. 1, 319. v. Holsten. ep. ad Card. Barberin. de fulcris s. verubus Dianae Ephesiae Rom. 1688. Numus Otaciliae ap. Vaillant. praefert epigraphen *ΑΡΤΕΜΙϹ ΕΦΕϹΙΑ ΑϹΥΛΟϹ.*“ *Oberl.* — *Dianam atque Apollinem non* in *Delo genitos* cet. Haec mirifice illustrant numi Ephesini ap. Eckhel. doctr. num. Vol. II. p. 512 sq. in quibus Apollo et Diana, item Cenchrius fluvius, Amazones duae Ephesia et Smyrnaea iungentes dextras, porro templa quatuor, Dianae, Apollinis, Liberi et Herculis; *Oberl.* Cf. Brunck. Anal. 1, 194. 2, 16. (ubi v. Iacobs) et Strab. XIV. p. 639. ubi dicit, *Cenchrium amnem* per *Ortygiam, lucum* non longe ab Epheso situm, fluere et Latonam gemellos partus enixam in eo lavisse; ut lib. X. p. 480. al. 485. Ortygiam esse insulam prope Delum. Eadem Latona Apollinem in Delo, Dianam in Ortygia peperisse fingitur. v. Spanhem. ad Callim. H. in Delum v. 255. *cenchreum amnem* MS. — *lucum* ex emendat. Lipsii recepere Pich. et editores rec. *locum* MS. et edd. vet. Cf. ad 2, 25, 1. *et lucum Ortygiam: ibi Latonam* cet. malebat Pich. „Perperam: nam verba *ubi — edidisse* non adsunt, ut explicent notionem praecedentem, sed *ubi* hic et saepissime aliam sententiam priori annectit, ut *quippe, quia, quanquam* et alia. v. Ramshorn. Gram. p. 616.“ *Walth.* — *oleae — annisam,* „acclinatam, se acclinantem, (v. Heins. ad Virg. Aen. 4, 690.) et quidem parturientem, ut h. l. et ap. Callim. H. in Del. 209. (ubi v. Spanh.) sed post partum demum quietis causa ap. Strab. XIV. p. 639.“ *Lips.* et *Ern.* Cf. intpp. Ovid. Met. 6, 335. *adnixam* ed. Ald. — *quae tum etiam maneat,* v. ad 2, 9, 2.

2. *Atque ipsum* illic *Apollinem post interfectos Cyclopas Iovis iram vitavisse,* cf. Diodor. 4, 71. Eurip. Alcest. pr. Hygin. fab. 49. Apollod. 1, 9, 15. 3, 10, 4. ubi v. Heyne. — *Liberum patrem bello victorem,* Bacchum, Dionysum Indicum, de cuius expeditionibus Indicis et triumpho v. H. 5, 5. Sil. 3, 615. 15, 79 sq. 17, 647 sq. Heyne ad Virg. Aen. 6, 805. Hermanni Mythol. Lyric. p. 262. inpr. Creuzeri Symbol. III, 1. p. 131—140. ed. pr. ubi etiam de nominibus *Liber* et *Libera,* Κόρος et Κόρη, agitur p. 385 sq. — *supplicibus Amazonum,* Hyperborearum, quarum frequens mentio, ubi de cultu Dianae Ephesiae agitur. Cf. Callim.

H. in Dianam in Delo v. 133. Pausan. 1, 18. 4, 31. 9, 27. 10, 5. Creuzer l. l. T. II. p. 111 sq. 162 sq. intpp. Iustin. 2, 4. — *quae aram insederant* more supplicum. „Sic ἐπὶ τοὺς βωμοὺς ὅμως καθίζουσι Thucyd. 3, 28. καθέζεσθαι ἐπὶ τῆς ἑστίας Palaeph. c. 41. et simpl. καθέζεσθαι Demosth. de cor. 31." *Ern.* — *Auctam hinc* — *caerimoniam templo*, v. ad 1, 3, 2. et 1, 62, 2. — *potiretur:* in MS. et ed. Bekk. *poteretur*, ut c. 73. Ita et alter cod. Flor. constanter, ut et *oreretur; Walth.* Cf. Burm. ad Ovid. Met. 13, 130. et Broukh. ad Prop. 2, 7, 64. — *deminutum* edd. Pich. et rec. *diminutum* edd. vet. Cf. ad 1, 14, 1. — *ius* sacrum templi et asyli.

CAPUT LXII.

Proximo Magnetes L. Scipionis et L. Sullae constitutis nitebantur, quorum ille Antiocho, hic Mithridate pulsis fidem atque virtutem Magnetum decoravere, uti Dianae Leucophryenae perfugium inviolabile foret. Aphrodisienses posthac et Stratonicenses dictatoris Caesaris ob vetusta in partis merita et recens divi Augusti decretum attulere, laudati, quod Parthorum irruptionem, nihil mutata in populum Romanum constantia, pertulissent. Sed Aphrodisiensium civitas Veneris, Stratonicensium Iovis et Triviae religionem tuebantur. Altius Hierocaesarienses exposuere, Persicam apud se Dianam, delubrum rege Cyro dicatum: et memorabantur Perpennae, Isaurici multaque alia imperatorum nomina, qui non modo templo, sed duobus millibus passuum eandem sanctitatem tribuerant. Exin Cyprii tribus delubris, quorum vetustissimum Paphiae Veneri auctor Aerias, post filius eius Amathus Veneri Amathusiae et Iovi Salaminio Teucer Telamonis patris ira profugus posuissent.

1. *Proximo* scil. loco vel tempore, ut ap. Cic. ad Att. 4, 17. et mox *posthac* et *exin*. Nonnulli corr. *proxime* et *proximi*, ut 2, 47. et *primi omnium Ephesii* c. 61. pr. „*Proximo* est Gr. ἐγγυτάτω ap. Xenoph. Cyr. 5, 3, 45. et Germ. demnächst. Brevius autem dictum *proximo Magnetes — nitebantur* pro *Magnetes, qui proximo senatum adiere, nitebantur.* Sic et paulo post *Aphrodisienses posthac — attulere* et *Exin Cyprii* adiere *tribus delubris*, τριῶν τεμενῶν ὄντων." *Walth.* Cf. nota 4. — *fidem atque virtutem Magnetum decoravere*, eo honore affecere, *ut* cet. „Sic Agr. 46. *admiratione et immortalibus laudibus et aemulatu te decoremus*, Ennius in epitaph. p. 161. ed. Hessel. *Nemo me lacrumis decoret*, Cato ap. Gell 3, 7. *Gratiam praecipuam claritudinis inclutissimae decoravere monimentis, signis, statuis, elogiis* cet. Sall. Cat. 12. *illi delubra deorum pietate, domos suas gloria decorabant*, Virg. Aen. 11, 24. *egregias animas — decorate supremis muneribus*, Thucyd. 2, 46. καὶ ἔργῳ οἱ θαπτόμενοι τὰ μὲν ἤδη κεκόσμηνται, Plato Menex. p. 248. c. Τὰ μὲν γὰρ ἡμέτερα τελευτὴν ἤδη ἕξει, ἥπερ καλλίστη γίγνεται ἀνθρώποις, ὥστε πρέπει αὐτὰ μᾶλλον κοσμεῖν ἢ θρηνεῖν." *Walch.* ad Agr. p. 431. Cf. ad 4, 44, 1. *decoraverint* vel *decoravissent* scribendum putabat Freinsh. Sed cf. Index III. v. *Verborum Modus Indicat.* N. 2. — *Dianae Leucophryenae* edd. vet. ante Pich. quod restituit Brot. *leucophine* MS. cf. ad 2, 63, 2. *Leucophrynae* edd. rec. ex emend. Lips. Diana plerumque Λεύκοφρυς et Λευκοφρύνη, sed in MSS. Strab. et in numis etiam Λευκοφρυήνη dicta, et fortasse a λευκὸς et ὀφρὺς, a candidis superciliis, non, ut alii putant, a Tenedo insula vel Mileto vel Magnesia ad Maeandrum, locis, quibus pulcherrima eius templa fuere et quae olim sic appellata censnte, neque a femina huius nominis in Magnetum templo sepulta, neque eodem sen-

eu quo φωσφόρος, Ilithyia, Lucina vocata est. v. Strabo XIII. p. 901. et XIV. p. 647. al. 958. Pausan. 1, 26. 3, 18. 10, 14. Appian. B. C. 5, 9. Diodor. 5, 83. Xenoph. rer. Graec. 3, 14. Plin. 5, 31. s. 39. Clemens Protrept. c. 3. p. 29. 39. Arnob. l. VI. Suid. et Hesych. Buonarotti osserv. sopra alc. medagl. p. 89. 90. Harduini sel. opp. p. 97. Marm. Oxon. p. 14. 43. Eckhel doctr. num. T. II. p. 525, 19. Heyne antiq. Aufs. I. p. 109. Creuzeri Symbol. T. II. p. 180 sq. T. IV. p. 32. ed. 1.

2. *Aphrodisienses posthac*, post haec, deinde, (v. Ind II.) — *attulere*, cf. nota 1. *Aphrodisias* ad Maeandrum et *Stratonicea* Cariae oppida, hod. *Geyra* et *Eski — hissar*. v. Plin. 5, 29. *attulere, laudati* cet. Ita locum interpunxere Bekk. et Walth. Vulgaris nec plane damnanda distinctio est *attulere. Laudati.* Lipsius et Acid. malebant *attulere laudantis*, sc. in decreto. „A Sherardo Britanno Saec. XVIII. ex oriente allata sunt et a Chishullo in Antiq. Asiat. T. I. p. 152 sq. et 156. edita, inde vero ad calcem nostrae edit. Tac. descripta, *decretum* S. P. Q. R., quo confirmantur concessa Plarasensibus et Aphrodisiensibus a Caesare dict. et Triumviris, Epistola Antonii triumviri eodem spectans et antiquissimum ψήφισμα Stratonicensium pertinens ad cultum Iovis et Hecates, in quo mentio iuris asyli e decreto Romanorum.“ *Ern.* — *in partis* (Caesaris) MS. edd. I. Gron. et Walth. *in parteis* edd. rel. — *quod Parthorum irruptionem — pertulissent* a. U. 713. v. Dio 48, 26. Strabo XIV. p. 660. et Plut. Anton. p. 927 sq. — *Sed Aphrodisiensium civitas — religionem tuebantur*, cf. ad 3, 60, 1. *pertulissent*; *seque Aphrod. — tuebantur* coni. Acid. *religione se tuebantur* Heins. et *religione nitebantur* (ut c. 63. et 4, 55.) *Wopkens*. Vulgata tamen non sollicitanda. „*Sed* ἐπανόρθωσιν efficit, ut nostrum j e d o c h vel a b e r, ne intelligas, utrosque eadem tuitos esse. Eodem modo c. 63. *sed cultus numinum* cet. Cf. Ramshorn. Gram. p. 538. Aptissime autem dicuntur *tueri* rem, qui documenta pro ea tuenda afferunt. Civitates illae non sese religione suorum numinum, sed potius eorum religionem tueri voluerunt.“ *Walth.* „*Veneris* cultum prodit ipsum *Aphrodisiensium* nomen, et conspirant numi. v. Eckhel doctr. num. T. II p. 576.“ *Oberl.* — „*Stratonicea* templa duo in suburbano agro habuit, *Iovis* Chrysaoris et *Triviae* s. *Hecates*, in Laginorum pago. v. Strabo XIV. p. 660. Hinc et Chrysaoris et Hecatesia olim dicta. v. Pausan. 5, 21. et Steph. Byz.“ *Lips.* Cf. Pellerini in Mel. I. p. 9. et Eckhel. l. l. p. 590. de utriusque numinis cultu; *Oberl.* Stratonicenses teste Strab. ad sacrificia et deliberationes de republ. conveniebant et conventus ille *Chrysaoreus*, σύστημα Χρυσαορέον dicebatur; *Brot.*

3. *Altius Hierocaesarienses* in Lydia *exposuere* cet. sc. ut postulata firmarent. Cf. cap. 60. et ad 2, 47, 3. 3, 24, 1. — *Persicam apud se Dianam* esse et *delubrum* eius *rege Cyro dicatum*. „Pausanias 5, 27, 3. *Sunt*, inquit, *Lydis, qui P e r s i c i cognominantur*, (Hierocaesariensibus ita cognominatis a Persicis fortasse sacris vel origine) *templa in Hierocaesarea oppido et Hypaepis. In utroque templo aedicula sive cella est cum aris, super his cinis: eoque ingressus sacerdos sive magus* (ad magicam enim hoc miraculum refertur) *tiara caput velatus foco arida ligna imponit et deum nescio quem barbarico sermone* (Persico, opinor) *invocat. Ubi desiit, statim e lignis sponte purissima flamma emicat et assurgit.* Id se vidisse Pausanias testatur, et non dubie hinc templo religio et ius mox asyli.“ *Lips.* „Caput Ἀρτέμιδος Περσικῆς et ara ignita, miraculi index, in numo conspiciuntur. v. Eckhel doctr. num. T. III. p. 103. et Spanhem. ad Callim. H. in Dian. v. 37.“ *Oberl.* — *rege Cyro*, regnante Cyro, qui Lydos vicit et colonos eo misit, ideoque antiquissimis temporibus structum; *Ern.* „Accipio, Cyro auctore et sub eius auspiciis, ut *Principe Augusto* c. 71 extr. *regi Cyro* malunt Freinsh. et Ryck. ut sit a rege Cyro, quoniam sic validius ius asyli astruatur. Sed a Cyro

delubrum hoc dicatum minime credibile, et illa verborum ambiguitas intolerabilis est." *Walth.* Cf. ad 2, 7, 2. — *memorabantur* M. *Perpennae* cos. qui a. U. 623. Aristonicum devicit, et *Isaurici*, P. Servilii Vatiae proc. Ciliciae a. 676. qui piratis victis oppidisque Lyciae munitissimis captis Isauriam expugnavit et *Isauricus* inde cognominatus est, vel filii, qui cos. cum Caesare fuit et proc. Asiae. De illo v. Iustin. 36, 4. Vell. 2, 4. al. de his Cic. Verr. 1, 21. ep. ad div. 1, 1. 10, 12. 12, 2. 13, 66. 69. ad Att. 1, 19. 2, 1. 4, 15. 11, 5. *Perpernae* edd. omnes; sed *Perpennae* MS. Utraque scriptura deprehenditur in lapp. et MSS. tam Graecorum quam Rom. scriptorum, et illa praefertur propter auctoritatem fastorum Capitol. et plerorumque numorum a Drak. ad Liv. 44, 27. Graev. ad Cic. p. Rosc. Com. 1. et aliis, haec ab Heinrich. ad Cic. oratt. ined. p. 10. et 109. — *non modo templo, sed* etiam. v. ad 1, 60, 1.

4. *Exin Cyprii tribus delubris* sc. petiere ius asyli, ut c. 63. *Petere et Cretenses.* Cf. nota 1. — *quorum vetustissimum Paphiae Veneri auctor Aerias* sc. posuisset. v. H. 2, 2. et 3. — *post filius eius* et Amathusae *Amathus* posuisset Amathunte Cypri oppido, *Veneri Amathusiae* vel Amathuntiae. v. Holsten. ad Steph. de urb. p. 29. et intpp. Ovid. Met. 10, 220 sq. Virg. Aen. 10, 51. Catull. 36, 14. 68, 51. — *Teucer,* qui sine Aiace fratre Troia redierat in patriam, Salamina ins., *Telamonis patris ira profugus* Salamina condidit in Cypro. v. intpp. Horat. od. 1, 7, 21. et Heyne Exc. XXIII. ad Virg. Aen. 1. — *Iovi Salaminio*: „quem cur in numis Cypriorum agnoscere dubitet Eckhel. doctr. num. T. III. p. 88. non video. Locus hic noster rei favet." *Oberl.* — *posuissent* condidissent, ut saepius *ponere, statuere, τιθέναι, στῆσαι, ἱστάναι, ἱδρύειν.* „Est optativus aoristi, qui significat, rem e coniectura pendere neque in certo esse positam certisque documentis confirmari nequivisse, ut *θύσωσι* et *γενοίατο* ap. Herodot. 2, 47. Diversum igitur sensu est a *posuerint.*" *Walth.* Sed ipsi saltem Cyprii de rei certitudine persuasi fuisse videntur. „Ceterum *tria delubra* illa in tribus Cypri insulae oppidis cognominibus posita: templum *Paphiae Veneris* Paphi, nunc *Baffo*; *Amathusiae* Amathunte, cuius rudera exstant prope urbem *Limisso*; *Iovis Salaminii* Salamine, nunc *la vieille Famagouste.*" Brot.

CAPUT LXIII.

Auditae aliarum quoque civitatium legationes. Quorum copia fessi Patres, et quia studiis certabatur, consulibus permisere, ut perspecto iure, et si qua iniquitas involveretur, rem integram rursum ad senatum referrent. Consules super eas civitates, quas memoravi, *apud Pergamum Aesculapii compertum asylum,* retulerunt; *ceteros obscuris ob vetustatem initiis niti. Nam Smyrnaeos oraculum Apollinis, cuius imperio Stratonicidi Veneri templum dicaverint; Tenios eiusdem carmen referre, quo sacrare Neptuni effigiem aedemque iussi sint. Propiora Sardianos: Alexandri victoris id donum. Neque minus Milesios Dario rege uti. Sed cultus numinum utrisque Dianam aut Apollinem venerandi. Petere et Cretenses simulacro divi Augusti.* Factaque senatus consulta, quis multo cum honore modus tamen praescribebatur, iussique ipsis in templis figere aera sacrandam ad memoriam, neu specie religionis in ambitionem delaberentur.

1. *civitatium* edd. Ber. et Bekk. ut 4, 14 pr. omnes edd. vet. ante Lips. *civitatum* edd. rel. — *Quorum* scil. Ephesiorum, Magnetum cete-

rorumque omnium; *Walth.* Intell. negotiorum vel legatorum; *Ern.* Immo scribendum videtur *Quarum.* — *studiis certabatur* scil. Patrum, quorum alii alias civitates gratia iuvabant, quod bene Strombeckius animadvertit; *Walth.* — *si qua,* aliqua, *iniquitas involveretur,* inesset, subesset.

2. *super eas civitates,* v. ad 1, 59, 1. — *apud* (cf. Ind. II.) *Pergamum Aesculapii compertum asylum* ad templum. „v. Eckhel doctr. num. T. II. p. 468.“ *Oberl.* — *ceteros* sc. populos, *Smyrnaeos, Tenios* et rel. nisi scrib. *ceteras.* — *Smyrnaeos oraculum Apollinis* Clarii, *cuius imperio,* mandato, *Stratonicidi Veneri templum dicaverint, referre,* memorare, ut 4, 55. „In decreto Smyrnaeorum in Marmor. Oxon. p. 6. Seleucus Callinicus dicitur declarasse τὸ ἱερὸν τῆς Στρατονικίδος Ἀφροδίτης ἄσυλον εἶναι. v. Spanhem. de usu et pr. num. Diss. IX, 5. p. 668. (398.) Wessel. Probab. 333.“ *Ern.* „Eandem cum Urania Venere putat esse Wessel. Ita dictam in honorem Stratonices aviae Seleuci II. Callinici, qui id asylum sanciverit, coniectat Brot. Cf. Patini comm. in Monum. Ulpiae Marcellinae ap. Polen. in Thes. T. II. p. 1124.“ *Oberl. Smyrnaeos* omnes edd. ut Gr. Σμύρνη et Σμυρναῖος, σμύρνα et σμυρναῖος. *Zmirneliis* MS. ut *Zmyrnaei* et *Zmirnei* 4, 43. 55. 56. et sic ed. Bekk. II. Eadem scriptura reperitur in lapp. et numis; sed est serioris aevi, ut *zmaragdus,* Gr. σμάραγδος. Cf. Luciani iudic. vocalium, Pier. in castig. ad Virg. Aen. 7, 648. Verheyk. ad Anton. Liber. p. 299. Grotef. Gram. T. II. §. 159. 162. *Stratonicidi* edd. Rhen. et deinceps omnes. *strato nici divae* MS. *Stratonici divae* ed. Ber. Sed repetita prima syll. vocis *Veneri.* — *Tenios eiusdem* Apollinis *carmen,* oraculum: nam *carmen* dicitur vaticinium, ut *canere* de vatibus, quoniam oracula et vaticinia versibus olim exprimi solebant. „*Tenus,* Τῆνος, hod. *Teno,* insula, quae inter Cycladas. Ea oppidum habet non magnum, sed extra illud in luco *templum Neptuni* dignum sane quod spectetur. Ita Strabo X. p. 487. ubi et de magno ibi conventu addit.“ *Lips.* In numis quoque Teniorum Neptunus vel eius attributa; *Oberl.* Cf. Plin. 4, 12. s. 22. ibique Hard. — *Propiora Sardianos* sc. referre. „De hac *Venere* sic memorat Tacitus, tanquam Sardiani et Milesii attulerint *propiora* vel non adeo vetusta, quam erant ea quae praetexebantur a Smyrnaeis. Quae autem erant ista *propiora?* nempe quae ab Alexandro et Dario tradebantur orta. Igitur haec, quae de Venere Stratonicide proferuntur, ex doctrina Taciti sunt ultra Alexandri et Darii aetatem: et tamen Spanhem. l. l. p. 398. scribit, Stratonicidi Veneri inditum cognomen ab uxore Antiochi Soteris apud Tacitum.“ *Iac. Gron.* — *id donum* esse, sc. ius asyli. — *Dario rege uti,* eius auctoritate, ad eum provocare. Cf. Gron. ad Plaut. Trin. 2, 1, 26. *uti* omnes edd. vet. ante Pich. *niti* edd. rec. ex emend. Lips. quae minus dubia esset, nisi modo praecessisset *niti. Dareo* MS. edd. vet. ante Lips. et ed. Bekk. — *Sed cultus numinum utrisque Dianam aut Apollinem venerandi,* v. ad 2, 43, 2. „*Sed* pro *et:* nam *sed* sententiam continuat, non incipit novam. v. Cort. ad Sall. Cat. c. 43.“ *Brot.* At v. ad 3, 62, 2. *Dianam aut Apollinem,* pro *et Dianam et Apollinem.* v. ad 1, 16, 1. „Sardiani Dianam Colöenen, τὴν Κολοήνην Ἀρτέμιδα, cuius templum μεγάλην ἁγιστείαν ἔχει, Milesii Apollinem Didymaeum venerabantur. v. Strab. XIII. p. 626. XIV. p. 634. et Suet. Cal. 21.“ *Lips.* De Apolline Didymaeo s. Didimeo v. ad 2, 54, 2. — *Petere et Cretenses* scil. ius asyli. Cf. ad c. 62. n. 4. *Petiere* edd. Lips. Pich. Grut. et aliae.

3. *multo cum honore* tum deorum, tum populorum; *Brot.* — *modus tamen praescribebatur:* ergo non *abolevit ius moremque asylorum, quae usquam essent,* quod non satis considerate Suetonio Tib. 37. elapsum: duntaxat moderatus est et temperavit; *Lips.* Suetonius, sicut in aliis plurimis, calumniatus est Tiberium; *Brot.* Immo ap. Suet. pro *ius* scrib.

vim, quod tum in multis probatisque MSS. tum in edd. vet. ante Erasm. legitur. Itaque Suet. non tradit, Tiberium *abolevisse* ipsa et omnia asyla eorumque *ius*, sed eorum *vim* priscam et pravum *morem* iuris eorum in quavis etiam levissima re usurpandi, ita coercito hoc iure et ad res paucas restricto, iis denique conditionibus adstricto, ut nemo fere auderet iure illo uti idque adeo haberetur pro abolito, *vi adempta*, ut loquitur Liv. 1, 17. in simili re, sive pro *imagine sine re*, ut Vell. 2, 30. dicit de tribunatu plebis, quem sublatum quidem dicunt scriptores veteres a Sulla, restitutum a Pompeio, Sulla vero non plane sustulit, sed ita restrinxit ad paucas res, ut merum nomen esset et vix auderent tribuni plebis intercedere in ulla re, ne id contra legem Corneliam aut per calumniam fecisse arguerentur, ut Opimius, de quo v. Cic. Verr. 1 extr. Ita Ern. in Exc. XIII. ad Suet. cui adstipulantur Oudend. et Wolf. — *iussique ipsis in templis*, ad eorum parietes, *figere aera*, haec SCta in aes incisa. v. ad 3, 57, 2. *figere aera* edd. rec. ex emend. Pich. *fiere aera* MS. *facere aras* edd. vet. — *sacrandam ad memoriam:* „*sacrare* hic non est sacram facere rem, quae ante vulgaris fuit, sed constituere, instituere rem sacram, ut 1, 73. *ludos sacravit* est: instituit ludos, rem sacram. Ne igitur interpreteris um das Andenken zu heiligen, sed zur Stiftung eines geheiligten Andenkens.“ *Walth.* Immo *sacrare* h. l. videtur dictum pro: consecrare immortalitati, h. e. perpetuum et aeternum reddere, Germ. verewigen, ut ap. Liv. 39, 40. (*vivit eloquentia Catonis sacrata scriptis omnis generis*) Horat. od. 1, 26, 11. Ovid. Fast. 4, 8, 64. Virg. Aen. 12, 141. Hinc et supra 1, 73. *sacrare ludos in memoriam alicuius* id. qd. in honorem alicuius et in perpetuum instituere ludos, ut memoria eius sacretur, h. e. in aeternum conservetur. — *neu specie religionis*, sub praetextu eius, in ambitionem, concertationem de maiori minorique asylorum sanctitate, ex perverso honoris studio ortam *delaberentur*, v. ad 2, 38, 5. et H. I, 1, 5. „Germanice *neu* reddunt damit, ut ita aera ad sacrandam memoriam fixa esse dicantur, ne specie — delaberentur. Quod contortum est. Immo duo Patres iusserunt vel monuerunt, primum ut aera figerentur, alterum ne specie — delaberentur. Ad alterum membrum e verbo *iussi* ἀναλόγως intell. *moniti*.“ *Walth.* Patres aera potius figenda censuere, ut sacraretur memoria rei, et *neu*, et ne, specie — delaberentur.

CAPUT LXIV.

Sub idem tempus Iuliae Augustae valetudo atrox necessitudinem Principi fecit festinati in Urbem reditus, sincera adhuc inter matrem filiumque concordia sive occultis odiis. Neque enim multo ante, quum haud procul theatro Marcelli effigiem divo Augusto Iulia dicaret, Tiberii nomen suo postscripserat; idque ille credebatur ut inferius maiestate Principis gravi et dissimulata offensione abdidisse. Sed tum supplicia diis ludique magni ab senatu decernuntur, quos Pontifices et augures et quindecimviri septemviris simul et sodalibus Augustalibus ederent. Censuerat L. Apronius, ut Fetiales quoque iis ludis praesiderent. Contradixit Caesar, distincto sacerdotiorum iure et repetitis exemplis: neque enim unquam Fetialibus hoc maiestatis fuisse. Ideo Augustales adiectos, quia proprium eius domus sacerdotium esset, pro qua vota persolverentur.

1. *Iuliae Augustae*, Liviae. v. ad 1, 8, 2. — *in Urbem reditus*, e Campania. Cf. c. 47. et 59. — *sincera — concordia sive occultis odiis*,

Cf. Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant. in Partic.* — *Marcelli effigiem D. Augusto dicaret Iulia,* Livia. „Nota morem statuas effigiesque alicuius dedicandi certis diis vel divis Caesaribus. v. Gruteri inscr. p. 227, 3. Strab. XIV. p. 667. Dionys. Hal. 2, 54. Diog. vita Plat. 3, 20.“ *Lips.* Immo iungenda *haud procul theatro Marcelli.* De Marcello v. ad 1, 3, 1. et de theatro eius, quod ipse Augustus exstruxerat, Suet. Oct. 29. 43. Dio 53, 30. Liv. epit. 138. — *Tiberii nomen suo postscripserat* in hac aut simili inscriptione AUGUSTO IULIA ET TIBERIUS P. P. vel D. D. D. *Freinsh.* — *gravi et dissimulata offensione abdidisse* more Tiberii. Cf. 1, 7. 11. 4, 1. 21. 29. 52. inpr. 1, 69 extr. et 4, 71. *gravi et diss. off.* cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin.* — *abdidisse,* penitus in pectus demisisse et alta mente condidisse, ut in tempore promeret; *Freinsh.* et *Walth.*

2. *Sed tum,* aegrotante Livia, *supplicia diis — decernuntur,* h. e. supplicationes, quae vel laetae erant, quibus gratiae diis agebantur, vel tristes, quibus placabatur ira eorum et vota concipiebantur; unde et illae dicebantur *gratulationes,* hae *obsecrationes.* Cf. ad 14, 12, 1. *Supplicia* id. qd. *supplicationes.* v. Drak. ad Liv. 22, 57, 5. et 27, 50, 5. Cort. ad Sall. Iug. 66, 2. et Cat. 9, 2. — *ludi magni* s. *maximi* et *Romani,* (Romanae originis) qui primum in circo maximo, postea et in scena, a pridie Nonas Sept. ad pridie Idus in honorem *magnorum* deorum, Iovis, Iunonis et Minervae, maximaque cum dignitate, religione et magnificentia pro salute populi quotannis agebantur. „Quia autem ludi plerique sacri diis et instituti ad eos placandos, visum est, ut cura eorum editioque sacerdotibus esset; non omnibus tamen, sed quatuor sacerdotum collegiis, *pontificibus, auguribus, quindecimviris* et *septemviris* epulonibus. Cf. 11, 11. Dio 53, 1. et 58, 12.“ *Lips.* His nunc *adiecti sodales Augustales, quia proprium* hoc *sacerdotium esset eius domus,* Iuliae, *pro qua* hi ludi ederentur et *vota persolverentur.* v. ad 1, 15, 3. *quindecimviri* sc. sacrorum s. sacris faciundis, a Sulla primum creati, quum antea duumviri et ab a. U. 386. decemviri fuissent. Ab his libri Sibyllini custodiri, inspici et consuli solebant. Cf. ad 11, 11. *et qui decemviri* MS. *Septemviri* sc. epulones s. epulonum, prius tresviri s. triumviri, de quibus v. Liv. 33, 42. 40, 42. Cic. or. 3, 19. et de harusp. resp. 10. — *simul,* ut *una, pariter,* ἅμα, ὁμῶς, ὁμοῦ, omisso σὺν et *cum* vel addito, pro *cum* et *una cum:* quod etiam substantivo postponitur, ut h. l. 4, 55. 6, 9. A. 6. 7.

3. *Fetiales* XX sacerdotes a Numa instituti, qui singulari ritu bellum indicebant; *Fetiales,* Φετιαλεῖς, Φητ. et Φιτ., non *Feciales.* Sic dicti putantur a *facere* vel *ferire foedus,* vel *fari,* vel ant. *fedus* s. *fetus* pro *foedus.* De iis v. Dionys. Hal. 2, 72. Plut. Numa p. 68. Liv. 1, 24. 32. 8, 39. Cic. de leg. 2, 9. *foeciales* et *foecialibus* edd. Ber. Rhen. Ald. *feciales* et *fecialibus* aliae. — *Ideo Augustales* sodales *adiectos* cet. Hisce verbis cavet Tiberius, ne fetiales in deminutionem sui accipiant, quod ipsi arceantur, Augustales admittantur; *Walth.*

CAPUT LXV.

Exsequi sententias haud institui nisi insignes per honestum aut notabili dedecore, quod praecipuum munus annalium reor, ne virtutes sileantur utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit. Ceterum tempora illa adeo infecta et adulatione sordida fuère, ut non modo primores civitatis, quibus claritudo sua obsequiis protegenda erat, sed omnes consulares, magna pars eorum, qui praetura functi, multique etiam pedarii senatores certatim exsurgerent foedaque et nimia conse-

rent. Memoriae proditur, Tiberium, quotiens curia egrederetur, Graecis verbis in hunc modum eloqui solitum: *o homines ad servitutem paratos!* Scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam proiectae servientium patientiae taedebat.

1. *Exsequi sententias haud institui* cet. „Germanice: Ausführlicher Bericht über die Abstimmungen gehört nicht zu meiner Einrichtung, (zu meinem Plan) sind sie nicht ausgezeichnet etc. Alii alia. Est sententia, quae in universum quidem valet, cuius tamen hic potissimum locus fuit, ut brevior in antecedentibus expositio excusaretur.“ *Walth.* *Exsequi*, fusius et accuratius exponere, recensere, ut 4, 4. 11, 21. 12, 58. — *nisi insignes per honestum*, libertate et gravitate, *aut notabili dedecore*, turpiori adulatione; *Ern.* Cf. ad 1, 7, 8. *notabili*, v. ad Agr. 40. n. 3. — *pravis dictis factisque*, v. ad 3, 40, 1. 12, 49, 1. et Ind. III. v. *Abstracta pro Concr.* — *ex posteritate et infamia* per ἓν διὰ δυοῖν dictum pro *ex infamia apud posteritatem* s. *posteros*; *Wopk.* et *Roth.* de Synon. ap. Tac. p. 52.

2. *tempora adeo infecta*, „non tantum variata, (v. ad G. 4, 1.) sed in peius mutata, penitus corrupta, ut 2, 2. 85. 6, 7. 11, 6. *Diu in istis vitiis iacuimus, elui difficile est: non enim inquinati sumus, sed infecti*, Sen. ep. 59.“ *Boett.* in Lex. Tac. p. 261. — *claritudo sua*, maioribus periculis et odio Tiberii obnoxia, *obsequiis protegenda erat*, cf. Iuvenal. 4, 84 — 93. — *sed* etiam *omnes*, v. ad 1, 60, 1. — *pedarii senatores*, v. ad 3, 23, 2. — *quotiens*, v. ad Agr. 30. n. 1. — *eloqui*, v. ad H. 3, 74, 4. — *tam proiectae servientium patientiae*, v. ad 1, 42, 2.

CAPUT LXVI.

Paulatim dehinc ab indecoris ad infesta transgrediebantur. C. Silanum proconsulem Asiae, repetundarum a sociis postulatum, Mamercus Scaurus e consularibus, Iunius Otho praetor, Brutidius Niger aedilis simul corripiunt obiectantque violatum Augusti numen, spretam Tiberii maiestatem: Mamercus antiqua exempla iaciens, L. Cottam a Scipione Africano, Ser. Galbam a Catone Censorio, P. Rutilium a M. Scauro accusatos. Videlicet Scipio et Cato talia ulciscebantur aut ille Scaurus, quem proavum suum opprobrium maiorum Mamercus infami opera dehonestabat. Iunio Othoni literarium ludum exercere vetus ars fuit: mox Seiani potentia senator obscura initia impudentibus ausis propolluebat. Brutidium artibus honestis copiosum et, si rectum iter pergeret, ad clarissima quaeque iturum festinatio exstimulabat, dum aequalis, dein superiores, postremo suasmet ipse spes anteire parat; quod multos etiam bonos pessum dedit, qui spretis, quae tarda cum securitate, praematura vel cum exitio properant.

1. *ab indecoris ad infesta transgrediebantur*, a turpi adulatione ad delationes. Infestabant, quem ante turpiter coluerant; *Ern.* — *C. Silanum Proc. Asiae* cet. „Videtur hic *C. Silanus* non alius quam C. Iunius C. F. M. N. Silanus consul cum P. Cornelio Dolabella a. 763. v. Fasti et Gruter. p. 176. Cf. etiam Gruter. p. 25. 310. et Spon. Miscell. rer. ant. p. 150. quibus locis soror eius Iunia *Torquata*, (de qua v. inf. c. 69.) C. Silani filia dicitur. Etsi enim Tiberius c. 69., ubi sententias adversus Silanum prolatas mitigat, consulatus non meminerit, sed *ordinis* tantum senatorii

faciat mentionem, inde parum sequitur, eum non fuisse consulem, ut putabant Rupertus et Reines. ep. 27. 48. 50.“ *Ryck.* Tiberius c. 69. loquitur in senatu et vult misericordiam commovere ex eo quod *ordinis eiusdem* fuerit: in quo parum referebat, utrum consularis an praetorius pedariusve senator esset; *Ern.* Cf. ad c. 69. n. 1. *Sillanum* edd. vet. ante Lips. — *repetundarum a sociis*, provincialibus, *postulatum*, v. ad 1, 74, 1. et 3. — *Mam. Scaurus e consularibus*, v. ad 1, 13, 3. — *Brutidius Niger aedilis*, historicus et rhetor. cf. Iuvenal. 10, 83. et Sen. Suasor. VII. *Bruttedius* et mox *Bruttedium* MS. *Brutedius* edd. Ber. et Ald. *Brutidius* edd. Rhen. Lips. et rec. *Bruttidius* fortasse vera scriptura. — *corripiunt*, v. ad 3, 49, 1. — *violatum Augusti nomen*, v. ad 1, 73, 2. — *Mamercus antiqua exempla iaciens* sc. instituti sui, accusationis susceptae defendendae causa; *Ern. iaciens*, v. ad 11, 9, 2. — *L.* Aurelium *Cottam a Scipione Africano* min. circa a. U. 622. *accusatum*, v. Appian. B. C. 1, 22. Valer. Max. 8, 1, 11. et Cic. divin. in Caecil. c. 21. ibique Ascon. — *Ser.* Sulpicium *Galbam* oratorem, cos. a. U. 610. et propraet. Hispaniae, maximae in Lusitanos perfidiae *a* M. Porcio *Catone Censorio* et Libone trib. pl. *accusatum*, sed absolutum. v. O. 18. 25. Suet. Galb. 3. Cic. Brut. 20. 21. 24. 25. or. 1, 53. 3, 7. Valer. Max. 8, 1, 2. Quintil. 2, 15, 8. Ellendt hist. eloq. Rom. p. XXXIII. De *Galba* et *Catone* v. ad O. 18. n. 1. et 2. — *P. Rutilius* Rufus historicus, Panaetii auditor, Stoicus philosophus et orator, propter iuris scientiam a P. Mucio commendatus, sed *a M.* Aemilio *Scauro* consulatus competitore ambitus *accusatus* a. U. 638. v. Cic. Brut. 30. de off. 1, 22. 2, 13. or. 2, 69. Liv. epit. 70. Oros. 3, 17. Idem Rutilius deinde in Asia quaestor vel legatus Q. Mucii proc. fuit et repulit iniurias publicanorum a sociis. Hinc repetundarum damnatus ab Equitibus, penes quos tum iudicia erant, in exsilio vixit Smyrnae et, quum posset, Romam redire noluit. v. ad 4, 1, 2. 4, 43. Agr. 1. O. 18. 25. Valer. Max. 6, 4, 4. 8, 1, 2. Vell. 2, 7. 13. (ubi *Rutilium virum non saeculi sui, sed omnis aevi optimum* fuisse dicit) Ovid. ex P. 1, 3, 63 sq. Sall. Iug. 15. 28. 50—53. Sen. ep. 24. 79. Cic. Brut. 29. 30. p. Font. 13. p. Sext. c. 47. de or. 1, 53. 2, 64. et alia eius loca laudata in Ern. Ind. Cic. hist. — *Videlicet Scipio et Cato talia ulciscebantur*, v. ad 1, 8, 7. et 2, 85, 1. Tacitus loquitur haec indignabundus: quasi vero talia tamque nefariis artibus ulti fuissent Scipio et Cato; *Brot.* — *ille Scaurus*, scil. *M.* (Aemilius) *Scaurus* modo laudatus, *proavus* huius *Mamerci* Scauri, consul a. U. 638. princeps senatus, censor, orator et Stoicus, qui singulari severitate fuit. v. ad Agr. 1. n. 1. Cic. p. Scauro filio, (ubi cf. Ascon.) p. Murena 7. p. Sext. 47. p. domo 19. de harusp. resp. 20. p. Deiot. 11. or. 2, 46. in Bruto 30. de N. D. 2, 23. de off. 1, 30. Wessel. obss. 1, 11. De filio eius v. ad O. 39. n. 6. — *opprobrium maiorum Mamercus* Sallustianum est; *Lips.*

2. *Iunio Othoni*, tum *praetori*, ut ante dictum, *literarium ludum exercere vetus ars fuit:* „nam declamator fuit eo aevo notus, quem Seneca controv. 2, 1, 9. ait usum tecto genere dicendi et suspicioso, quum aperte liceret agere. *Bene*, inquit, *de hoc vitio illius Scaurus aiebat, illum acta in aurem legere;* nam ita scribendum, non *tegere*. Sunt *acta* publica; nec aliud tam vulgo promptum notumque, adeo ut proverbii loco Seneca filius alibi dixerit *beneficia in acta non mitto*, i. e. non publico, non divulgo. Quid autem magis ridiculum, quam acta publica alicui recitare in aurem? Hunc iocum belle aemulatus est Martialis 1, 90. *garris in aurem semper omnibus illud — et saepe in aurem Cinna Caesarem laudas.*“ *Lips.* Idem Iunius scripsit *libros colorum*, h. e. ornamentorum orationis, quae ex triplici eius genere, sublimi, medio et tenui, oriuntur. v. intpp. Iuvenal. 6, 280. et 7, 155. *literarium*, non *literarum*, omnes edd. ante Oberl. — *obscura initia vitae*, ut *primordia et*

contr. *exitus, excessus, finis, suprema.* — *propolluebat*: „ἅπαξ λεγόμενον, ut *provixisse* 6, 25. nam *pro*, ut πρό, in compositione inter alia significat *porro, ulterius, longius*, ut *progredi*, προβαίνειν, *provehere*, προάγειν. Uti vero clara initia impudentibus ausis haud dubie videntur *pollui*, μιαίνεσθαι, ita obscura initia satis iam habent sordium, quam ut pollui dici possint. At si quis ex humili loco in altiorem evectus in tantum impudentiae procedit, ut ne obscuris quidem initiis suis, nedum claris digna patret, sed pudenda initia impudentia superet, tum haud inepte diceretur *obscura initia impudentibus ausis propolluere*, in polluendis ulterius progredi. Ita fere sensit Gruterus. Unum considero, nempe quod *polluere* omni compositioni repugnet, quippe et ipsum compositum; et si quid recte video, *propolluebat* ortum est ex *proluebat* et aliquis super syll. *pro* scripsit *pol*, ut ostenderet, legendum esse *polluebat*. Sed *proluere* est Gr. ἀποκλύζειν, nostrum hinwegwaschen, abspülen, et acerbe hoc dictum: nam *obscura initia* sunt pro sordibus et debuisset potius egregie factis sordes proluere. Alii coniecere *porro polluebat*, *perpolluebat, praeter polluebat, propalabat, provolvebat, praepollebat, protegebat, protollebat* et Groslot. *propellebat*, quod a Gron. Ryck. aliisque editum est. Sed quis unquam *propellere obscura initia* dixit pro obliterare, abolere, obtegere?" *Walth.* Sordes vero egregie quidem factis *prolui* possunt, non *impudentibus ausis*.

3. *si rectum iter pergeret* edd. rec. ex emend. Rhen. v. ad 1, 28, 2. *perageret* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. Lips. 1. — *iturum*, v. ad 3, 57, 2. — *suasmet spes anteire*, plura et maiora appetere quam quae iure poterat sperare et ante sperare ausus erat; *Ern.* Cf. cap. 29 extr. et Ind. II. *anteire parat* edd. Rhen. et deinde omnes. *ante reparat* MS. *antere parat* ed. Ber. — *quae tarda sunt.* — *properant*, accelerant. v. Ind. II. et ad G. 20. n. 7.

CAPUT LXVII.

Auxere numerum accusatorum Gellius Publicola et M. Paconius, ille quaestor Silani, hic legatus. Nec dubium habebatur, saevitiae captarumque pecuniarum teneri reum: sed multa aggerebantur etiam insontibus periculosa, quum super tot senatores adversos facundissimis totius Asiae eoque ad accusandum delectis responderet solus et orandi nescius proprio in metu, qui exercitam quoque eloquentiam debilitat, non temperante Tiberio, quin premeret voce, vultu, eo quod ipse creberrime interrogabat. Neque refellere aut eludere dabatur, ac saepe etiam confitendum erat, ne frustra quaesivisset. Servos quoque Silani, ut tormentis interrogentur, actor publicus mancipio acceperat, et ne quis necessariorum iuvaret periclitantem, maiestatis crimina subdebantur, vinclum et necessitas silendi. Igitur petito paucorum dierum interiectu defensionem sui deseruit, ausis ad Caesarem codicillis, quibus invidiam et preces miscuerat.

1. *Gellius Publicola* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. Bekk. II. Walth. *G. Poplicola* edd. rel. *Poplicola* est *populum colens* Liv. 3, 18. δημοχηδής ap. Dionys. et Plut. Ita legitur in libris vet. et inscriptt. sed et *Publicola, Poblicola* et *Plebicola*: nam a *populus* formatur *populicus* et *populicola*, pro quo olim non modo *poplicus* et *Poplicola*, sed et molliore forma *poblicus* s. *publicus* et *Publicola* s. *Poblicola* dicebatur, quod iam annotavit Priscianus. Cf. Duk. ad Flor. 1, 9, 4. Drak. ad Sil. 2, 8. et Liv. 2, 8.

Vorst. ad Valer. Max. IV, 1. ex. 1. — *M. Paconius*, v. ad 16, 28. — *teneri reum*, v. ad 11, 6, 2. — *multa aggerebantur*, v. ad 4, 42, 1. — *orandi nescius*, v. ad 3, 1, 1. — *proprio in metu*, v. ad Agr. 16. n. 2. — *non temperante* sibi *Tiberio*, *quin premeret*, urgeret Silanum, *voce*, *vultu*, scil. *eo quod* cet., nam ita explicat *voce premere*; *Ern.* — *Neque refellere aut eludere*, diluere Tiberium, *dabatur*, licebat, scil. ob metum, quo turbatus impeditusque obticuit, ne cum ipso Principe sibi altercandum isque magis etiam irritandus esset refellendo et eludendo; nam, ut est ap. Curt. 6, 10. *non supervacua solum*, *sed etiam invisa defensio est*, *quae iudicem non docere videtur*, *sed arguere*; *Freinsh.* — *confitendum erat* Silano, *ne frustra quaesivisset* Tiberius. Cf. Ind. III. v. *Constructio verborum insolentior* nr. 5.

2. *Servos quoque Silani*, *ut tormentis interrogentur*, *actor publicus mancipio acceperat*, v. ad 2, 30, 2. *interrogentur* MS. et edd. vet. *interrogarentur* edd. rec. „Sed in temporum consecutione Noster eandem cum Graecis rationem diligentiamque usurpat. Optativus *interrogarentur* significaret *ut interrogari possent*. Utrum interrogati sint nec ne, incertum relinquitur. At hic non est res, quae cogitari tantum posse dicatur, sed iubetur: sie sollen befragt werden; igitur *ut interrogentur*, um befragt zu werden. Sic ap. Herodot. 9, 51. ἵνα ἔχωσι, at μὴ σινοίατο ex mera cogitatione pendet, ut inf. 13, 27. *quotiens a patronis arguerentur*, argui possent, ut contra iubetur *in commune nihil derogent*. Cf. *meditentur* 1, 19. et Herman. de emend. rat. gram. 2, 21. p. 212. Idem vero ad Viger. sub 359. negligentiam dicit, quam diligentiam esse puto.“ *Walth.* Sed his regulis ab eo effictis non adversatur saltem *interrogarentur*, neque sententia eius *ut interrogari possent* ab h. l. aliena, ubi etiam iungitur verbo *acceperat*. Cf. 2, 30. *mancipari singulos actori publico iubet*, *scil. ut in Libonem ex servis quaereretur*. — *maiestatis crimina subdebantur*, v. ad 1, 6, 6. et 1, 72, 2. — *vinclum et necessitas* vel synon. vel per ἓν διὰ δυοῖν dicta pro *vinclum ἀδαμάντινον*, *Roth.* p. 21. v. Ind. III. v. *Appositio* et *Hendiadyoin*. — *ausis ad Caesarem codicillis*, v. ad 1, 6, 6. Participium *ausus* alibi non reperitur; unde viri docti coni. *missis* et *orsis codicillis* et *ausus codicillos*, ut 12, 28. 32. H. 1, 48. „Ast et verbum ipsum *audere* et eius participia passive et substant. sumpta occurrunt, ut 3, 66. 13, 47. Liv. 39, 8. 55. Nep. 1, 4. Vell. 2, 56. Ovid. Met. 2, 328. 11, 242. Virg. Aen. 6, 624.“ *Oberl. Audere codicillos* sensu praegnante est audere mittere, ut 6, 30. plenius; *Wopk.* — *quibus invidiam et preces miscuerat*, v. ad 4, 53, 1.

CAPUT LXVIII.

Tiberius, quae in Silanum parabat, quo excusatius sub exemplo acciperentur, libellos divi Augusti de Voleso Messala eiusdem Asiae proconsule factumque in eum senatus consultum recitari iubet. Tum L. Pisonem sententiam rogat. Ille multum de *clementia Principis* praefatus aqua atque igni Silano interdicendum censuit ipsumque in insulam Gyarum relegandum. Eadem ceteri, nisi quod Cn. Lentulus separanda Silani materna bona, quippe alia parente geniti, reddendaque filio dixit, annuente Tiberio.

1. *de* L. Valerio *Voleso Messala* cos. a. U. 757. et proc. Asiae sub Augusto. v. Sen. de ira 2, 5. *Messala* MS. et edd. vet. *Messalla* edd. rec. v. ad 2, 82, 1.

2. *aqua atque igni Silano interdicendum*, ut 3, 38. 68. 4, 21. 6, 18. 30. 12, 42. 16, 12. et *aqua atque igni arceri*, prohiberi, 3, 23. 50. 16, 12.

πυρὸς καὶ ὕδατος (καὶ στέγης vel ἀγορᾶς καὶ τῶν ἱερῶν) εἴργεσθαι ap. Dionys. Hal. 4, 11. Plut. in Mario p. 420. A. et al., h. e. in exsilium mitti s. eiici, edicto proposito, ne quis alicui aquam et ignem, quorum usu carere non possit, in Urbe praebeat, ne eum domum recipiat, celet, adiuvet. Alia vero est interdictio certorum locorum, alia omnium locorum et praeter unum, alia omnium locorum intra imperii fines, quae proprie est interdictio aquae et ignis, et cui atrociora deinde adiecta. v. Dio 55, 18. 20. 56, 27. De eadem re et de *relegatione in insulam desertam* v. ad 1, 3, 6. *Niebuhr's* Röm. Gesch. T. II. p. 74. Heynii opusc. acad. Vol. IV. p. 278—284. *igni* edd. Ber. Lips. et rec. *igne* ed. Rhen. et Ald. v. ad 3, 21, 1. — *Cn. Lentulus*, v. ad 4, 44, 1. — *separanda Silani bona*, ut 13, 43. — *quippe alia parente geniti*; mater Silani ignota est: maternam autem originem Silani referebant ad Augustum. v. ad 13, 1. et Plin. 7, 13. s. 11. Hinc pro *alia* viri docti coni. *alta*, *illa*, *tali*, *Iulia*, *Dia*, (Iulia in deos relata) *Aelia*, *Cornelia*, *Mallia* s. *Manlia*. „Silani mater non e gente Iunia, sed ex *alia*, fortasse Manlia. Eius certe soror Torquata appellatur c. 69. Quum vero Principum adulatores quascunque nocendi causas praetexant, Lentulus bona haec separanda censet et filio Aemiliae Lepidae, Augusti proneptis marito, reddenda. Annuit Tiberius in austeriora et duriora promptus, maxime quum alii suaderent. Ceterum ubi quis miser, illi quacunque de causa nocetur.“ *Brot.* „C. Silanus si fuit frater M. et L. et D. Silanorum, (3, 24. 12, 4. 8. 13, 1.) mater eius fuit Aemilia Lepida, proneptis Augusti ex Iulia, Agrippae et Iuliae filia. Id certum est, hunc Silanum fuisse fratrem Iuniae Torquatae, (v. cap. 69.) et Iunius Torquatus, qui abavum ferebat Augustum, legitur 15, 35. Connexus igitur haud dubie fuit domui Caesarum per matrem. Neque haerendum in voce *alia*, quae hic, ut saepissime, praegnanti significatu est id. qd. *diversa*, *dissimilis*, sc. in bonam partem. Cf. 1, 43. H. 1, 89. 3, 55. Liv. 44, 18. Igitur *quippe alia parente geniti* dictum pro *meliore*, a C. Silano dissimili, cuius memoria non sit digna, ut ignominiose tractetur. Adulatione haec iactabantur. v. cap. 69 pr. Nonnulli tamen haud absurde suspicantur, duas Silano fuisse matres, veram et novercam.“ *Walth.* Haec est coniectura Pichenae et Lipsii. Ille suspicatur, *materna bona* esse verae matris, separanda a novercae bonis ac filio danda, ut aviae paternae; hic, novercam Silano bona sua reliquisse maxima ex parte in gratiam mariti vel obsequiis privigni captam; nunc censere Lentulum separanda ea bona, quippe cum *non ea parente genitus* esset, sed adventicia illa et ex indulgentia data filio item indulgenda.

CAPUT LXIX.

At Cornelius Dolabella, dum adulationem longius sequitur, increpitis C. Silani moribus, addidit, ne quis vita probrosus et opertus infamia provinciam sortiretur, idque Princeps diiudicaret: nam a legibus delicta puniri. Quanto fore mitius in ipsos, melius in socios, provideri, ne peccaretur! Adversum quae disseruit Caesar: *non quidem sibi ignara, quae de Silano vulgabantur: sed non ex rumore statuendum. Multos in provinciis, contra quam spes aut metus de illis fuerit, egisse. Excitari quosdam ad meliora magnitudine rerum, hebescere alios. Neque posse Principem sua scientia cuncta complecti; neque expedire, ut ambitione aliena trahatur. Ideo leges in facta constitui, quia futura in incerto sint. Sic a maioribus institutum, ut, si anteissent delicta, poenae sequerentur. Ne verterent sapienter reperta*

et semper placita. Satis onerum Principibus, satis etiam potentiae. Minui iura, quotiens gliscat potestas; nec utendum imperio, ubi legibus agi possit. Quanto rarior apud Tiberium popularitas, tanto laetioribus animis accepta. Atque ille prudens moderandi, si propria ira non impelleretur, addidit, *insulam Gyarum immitem et sine cultu hominum esse: darent Iuniae familiae et viro quondam ordinis eiusdem, ut Cythnum potius concederet. Id sororem quoque Silani Torquatam, priscae sanctimoniae virginem, expetere.* In hanc sententiam facta discessio.

1. *Cornelius Dolabella* olim collega *C. Silani* in consulatu fuisse videtur. v. ad c. 66. n. 1. Neque obstat, quod nunc sententiam adversus eum dicit: nam *absurdam in adulationem progressus censuit* iterum, ut paulo ante in alia re. Cf. cap. 47. — *dum adulationem longius sequitur:* „Sic 1, 49. *sequitur ardorem militum Caesar,* h. e. ei indulget, et similiter transitive dictum G. 38. *capillum retro sequi,* quod est fere id. qd. ita componere capillum, ut retro sequatur. Cf. Ovid. Met. 1, 529. *Et levis impexos retro dabat aura capillos;* Quintil. 11, 3, 160. *capillos a fronte contra naturam retro agere.* Intransitive *sequi* refertur ad ea quae, quum facile moveantur, sponte cadunt, ut ap. Varr. *herbae aridae factae celerius rumpuntur quam sequuntur.* v. Forcell.“ *Boett.* in Lex. Tac. p. 425. Cf. ad G. 38. n. 4. — *a legibus delicta puniri,* cf. ad 2, 85, 1.

2. *quae de Silano vulgabantur,* cf. Ind. III. v. *Verborum Modus Indicat.* nr. 2. *statuendum,* censendum de alicuius moribus. — *hebescere* et *hebere* pro torpere et in otio languere, studio et ardore imminuto: metaphora a ferro petita, ut 1, 30. H. 2, 77. 99. G. 15. — *ut ambitione aliena trahatur,* gratiae aliorum studio moveatur. — *anteissent* edd. rec. in quibus tamen retentum *antibo* 5, 6. et cur ibi tantum? *antissent* edd. vet. et Bekk. II. ut et aliis locis, et H. 5, 12 pr. *ambibatur* in MS. Flor. — *satis etiam potentiae,* — *quoties gliscat* (v. Ind. II.) *potestas,* potentia singulorum; *Ern.* Sed v. ad H. 1, 1, 3. — *minui iura* ex emend. Lipsii. *minutura* MS. et edd. vet. quod male defendit Salin. *minus tuta* coni. Ursin.

3. *Atque ille prudens moderandi* sc. sententias senatorum, non se: nam quem *propria ira non impellit,* huic eximia *prudentia* non opus est ad moderationem sui; *Walth.* — *propria ira,* v. ad Agr. 16. n. 2. — *insulam Gyarum immitem et sine cultu hominum,* parvam ac sterilem, egenam aquae asperrimamque fere Cycladum insularum in mari Aegaeo, hod. *Calairo* s. *Caloiera* vel potius *Iura* inter Andrum et Ceam ins. Dicebatur *Gyarus, Gyara* et *Gyari.* v. Tournefort voyage au Levant lettre VIII. — *darent Iuniae familiae* — *ut* cet. v. ad 1, 7, 8. et 11, 6, 1. — *Cythnum* „recte coniecit Lips. nam in MS. testante Iac. Gron. est *Cythenum,* ut *Leucophryenae* pro *Leucophrynae* 3, 62. et 4, 43. *Limenatidis* pro *Limnatidis.* Cf. et ad H. 2, 8, 3.“ *Walth.* *Cytheram* omnes edd. rel. *ut* ante *Cythnum* e MS. bene inseruit Pich. Deest in edd. vet. — *sororem quoque Silani Torquatam priscae sanctimoniae virginem,* v. ad 3, 66, 1. et lapp. ibi laudatos, quorum inscriptio est *Iuniae C. Silani* (qui huius C. Silani pater fuisse videtur) *f. Torquatae vir.* (virgini) *Vestali maximae* et *sacerdoti Vestali.* — *In hanc sententiam* Tiberii *facta discessio,* v. ad 3, 23, 2. Ernestius non dignum censebat Caesare, per discessionem experiri, Caesaris an alius sententia sit sequenda. Sed causa huius rei continetur primis verbis cap. 60. et digna Caesare discessio in solam eius sententiam.

CAPUT LXX.

Post auditi Cyrenenses et accusante Anchario Prisco

Caesius Cordus repetundarum damnatur. L. Ennium Equitem Romanum, maiestatis postulatum, quod effigiem Principis promiscuum ad usum argenti vertisset, recipi Caesar inter reos vetuit, palam aspernante Ateio Capitone quasi per libertatem: *non enim debere eripi Patribus vim statuendi, neque tantum maleficium inpune habendum. Sane lentus in suo dolore esset; rei publicae iniurias ne largiretur.* Intellexit haec Tiberius, ut erant magis quam ut dicebantur, perstititque intercedere. Capito insignitior infamia fuit, quod humani divinique iuris sciens egregium publicum et bonas domi artes dehonestavisset.

1. *Post auditi Cyrenenses — damnatus*, cf. cap. 38. pr. „Ex eo loco coniicere possis, pro *Cyrenenses* substituendum esse *Cretenses*. Sed Creta cum Cyrenaica eiusdem proconsulis provincia fuit. v. Strab. XVII extr. et Suet. Vesp. 2.“ *Lips. repetundarum damnatus*, v. ad 1, 74, 1. et 3. — *maiestatis postulatum*, v. ad 1, 74, 1. — *quod effigiem Principis promiscuum ad usum argenti vertisset*, ad omne id, quo usus argenti extenditur, adhibuisset aut creditoribus dedisset; *Freinsh. promiscum* MS. et ed. Bekk. ut et cap. 53. — *palam aspernante*, improbante, *Ateio Capitone*, de quo v. ad cap. 75. — *quasi per libertatem*; nam speciosa erat παῤῥησία, manifesta adulatio. — *Sane lentus in suo dolore esset*: „patiens, non ulciscendi cupidus: nam *lentus* est tardus in sentiendo eo, quod vindictae cupiditatem, iram odiumque movere potest. Hinc Cicero or. 2, 45. *lente* (nimis patienter) *ferre* opponit τῷ *irasci* et *lentitudo* est nimia lenitas et patientia ap. Cic. Tusc. qu. 4, 19. et ad Q. Fr. 1, 1. Dicitur fere in malam partem, quia est signum stuporis. v. Burm. ad Ovid. Trist. 2, 514. Drak. ad Liv. 22, 14. Graev. ad Cic. Verr. 4, 61. et de varia vocis *lentus* vi Voss. ad Catull. p. 213 sq.“ *Ern.* ad h. l. et in clave Cic. „v. etiam inf. 4, 71. Suet. in Aug. c. 21. in Tib. 57. Tibull. 4, 11.“ *Pich.* et *I. Gron.* Cf. ad 3, 1, 3. — *rei publicae iniurias ne largiretur*: „ne condonaret iniurias rei publ. illatas. Alias ista forma significat condonare alicui iniurias rei publ. causa, quod ab h. l. alienum est.“ *Ern.* Cf. ad 1, 7, 8.

2. *Capito insignitior infamia fuit* MS. edd. Pich. et rec. *insignior* edd. vet. — *humani divinique iuris sciens*, ut 6, 26. et al. De Capitone v. ad cap. 75. — *egregium publicum et bonas domi artes dehonestavisset* scil. adulatione, v. cap. 75. *Egregium* substantive dictum, ut 6, 24. et *egregium publicum*, ut *bonum publicum* 14, 38. Liv. 2, 44. 9, 38. 28, 41. 33, 46. 34, 5. *divinum publicum* Liv. 8, 10. *optimum publicum* Gell. 7, 3. et contra *malum publicum* Liv. 4, 44. *pessimum publicum* Liv. 2, 1. Varr. R. R. 1, 13 extr. Sed *egregium publicum* h. l. non, ut plerumque *bonum publicum*, id. qd. salus rei publicae. „*Egregium* constanter a Tacito opponitur *pravis*, *scelestis*, *indecoris*, ut 1, 12. 13. 42, 59. 3, 6. 14, 60. Synonyma vero h. l. *egregium* et *bonae artes* ac distinguuntur per *publicum* et *domi*, quae et supra c. 33. aeque sibi opponuntur. Iam *bonae artes* sunt, quod nostrates dicunt Rechtschaffenheit: hinc etiam *egregium* de virtute potius quam de viri dignitate aut de salute rei publicae intelligendum esse censeo, ut sit seine öffentliche Vortrefflichkeit, sein Verdienst als Staatsmann. Opponuntur *bonae domi artes*, Germ. sein persönlicher Characterwerth.“ *Walth.* Immo *bonae domi artes* eo sensu dictae quo *illustres domi artes* 4, 6. *civiles artes* Agr. 39. *artes pacis* ap. Cic. et alios, quae *artibus militaribus*, ut saepissime *domi* et *militiae* sibi opponuntur. Capito enim *humani divinique iuris sciens*.

CAPUT LXXI.

Incessit dein religio, quonam in templo locandum foret donum, quod pro valetudine Augustae Equites Romani voverant Equestri Fortunae: nam etsi delubra eius deae multa in Urbe, nullum tamen tali cognomento erat. Repertum est, aedem esse apud Antium, quae sic nuncuparetur, cunctasque caerimonias Italicis in oppidis templaque et numinum effigies iuris atque imperii Romani esse. Ita donum apud Antium statuitur. Et quando de religionibus tractabatur, dilatum nuper responsum adversus Servium Maluginensem Flaminem Dialem prompsit Caesar recitavitque decretum pontificum: *quotiens valetudo adversa Flaminem Dialem incessisset, ut Pontificis maximi arbitrio plus quam binoctium abesset, dum ne diebus publici sacrificii neu saepius quam bis eundem in annum.* Quae Principe Augusto constituta satis ostendebant, annuam absentiam et provinciarum administrationem Dialibus non concedi: memorabaturque L. Metelli Pontificis maximi exemplum, qui Aulum Postumium Flaminem attinuisset. Ita sors Asiae in eum, qui consularium Maluginensi proximus erat, collata.

1. *Incessit dein religio,* v. ad 3, 26, 1. *Religio* saepissime dicitur scrupulus et metus, qui ex aliqua re, in primis ex prodigio et portento, iniicitur animo religioni dedito. Hinc *religiosus*, qui facile eo terretur, *religiosum* et *religioni* et *religio est, incedit, affertur*, et *res in religionem venit* seu *vertitur*, Germ. man macht sich hierüber ein Gewissen, Bedenken. Cf. loc. class. Gell. 4, 9. — *Equestri Fortunae* aedem fuisse Romae a Q. Fulvio dedicatam, multi tradunt ab aliis iam laudati, Liv. 40, 40. 44. 42, 3. 10. Obseq. 13. Valer. Max. 1, 1, 20. Vitruv. de archit. 3, 2. Lactant. 2, 8. Gruter. p. 75, 4. Murator. T. I. p. 81. n. 5. Hirt. de Pantheo p. 223. „Mirum ergo, quod subiungitur *delubrum in Urbe nullum tali cognomento erat.* Incendio consumptam suspicarer aedem, nisi obstaret P. Victor, qui eam collocat in regione IX. Urbis suo etiam aevo.“ *Lips.* Potuit antiquitus structa fuisse tali cognomento aedes, mox incendio periisse et demum post Tiberii tempora restituta esse; *Freinsh.* Sed parum verisimile, si tale quid accidisset, summum historicum id dissimulaturum fuisse; *Ryck.* Hinc Gruterus coniecit *Sequestri Fortunae*, quod multis arrisit. „*Sequester* non a *sequor*, quod Gellio 20, 11. creditum, sed a *secus* quasi *secuster*, ut a *magis magister*, a *minus minister*, dicitur, qui intervenit dissidentibus ipse neutrarum partium, vel arbiter, medius, (qui nunc barbare *mediator* vocatur) interpres, vel custos, penes quem res controversa deponitur. Hinc *Fortunae Sequestri donum voverunt Equites*, nempe ut *Augustae*, Liviae, salutem apud hanc deam quasi deponerent et illam ei custodiendam mandarent.“ *Gron.* Gruterus significari putabat Fortunam, quae mediam se collocaret inter Augustam eiusque morbum et mortem vel fatum, inter adversam et prosperam fortunam. Cf. de voce *sequester* Drak. ad Sil. 6, 347. intpp. Gell. 20, 11. Pric. ad Apul. Met. IX. p. 187. Heyne ad Virg. Aen. 11, 133. Ern. clav. Cic. et inpr. Heins. ad Ovid. Fast. 1, 287. „*Equites Rom. Equestri Fortunae* vota fecisse pro Livia nihil mirum et studio assentandi mirifice convenit, sed minus id apparet in *Fortuna Sequestri.* Huius etiam nulla apud veteres mentio est. Neque quaeritur, quo nomine appellari potuerit, sed quo appellata fuerit aut appellari in tali re ab tali ordine sueverit.“ *Ern.* Praeterea vulgaris

lectio firmatur verbis seqq. Taciti: *repertum est, aedem esse apud Antium, quae sic nuncuparetur:* nam Antii prae ceteris diis colebantur *Fortunae* duae, prospera et adversa, quae dicebantur *gemellae, sorores, Equestris* et *Felix, Fortunae Antiatinae*, quarum duae effigies in numo ap. Oisel. p. 327. Cf. 15, 23. Suet. Cal. c. 57. Martial. 5, 1, 3. Bulenger. de sortibus in Thes. Graev. T. V. p. 363. (de *sortibus Antiatinis*) inpr. Phil. a Turre in Monim. vet. Antii et Vulpius in vet. Latio T. III. p. 98 sq. ubi et templi Fortunarum ruinae in tab. XIV. exhibentur. — *apud Antium,* Antii. v. ad 3, 46, 2. et Ind. II. v. *Apud.* — *iuris atque imperii*, synon. ut ap. Sall. Iug. 14; *Roth.*

2. *et quando:* in MS. *et quo*, ut 4, 6. et 16. Suspicari possis *quoniam*; Bekk. Sed v. ad 1, 57, 1. — *dilatum nuper responsum adversus Servium Maluginensem flaminem Dialem*, cf. cap. 58. *malluginensem* MS. — *prompsit Caesar:* in MS. et edd. Rhen. et Ald. *promisit C.* — *ut pontificis maximi arbitrio plus quam binoctium abesset* MS. edd. Lips. et rec. *ut p. m. arbitrium dum ne plus quam b. a.:* edd. vet. Sententia h. l. est, licere flamini abesse, sed consulto et consciscente pontifice, etiam plus quam binoctium: sed duntaxat in adversa valetudine et cum exceptionibus, quae sequuntur; *Lips.* „Haec non sufficiunt, ut locus sanus sit. Nam, ut bene vidit Ricklefs, absurdum est arbitrium pontificis max. in hac verborum serie. Si absentia flaminis excusatur adversa eius valetudine, quid tum pontificis max. arbitrium? Num decreto pontificum caveri potuit, ne saepius quam bis eundem in annum aut diebus publici sacrificii flamen valetudine laboraret? Iam Ricklefs lacunam hic suspicatur, quam explet sic: *quotiens valetudo — ut pontificis max. arbitrio pontifex sacra dialia faceret; ipse ne plus quam binoctium abesset.* Sed illud *ipse ne* concoquere nequeo, et lenior medicina sufficiet. Accipe *ut* pro adverbio w i e; tum sententia erit: liceret abesse et ob valetudinem adversam et secundum pontificis max. arbitrium. Iam reliqua *dum ne diebus — annum* non ad valetudinem adversam, sed ad pontificis max. arbitrium respiciunt. Quae ratio si displicet, muta *ut* in *aut*, non *et*, uti vult Herrmannus. Coniunctio *ut* non solum inutilis est, sed etiam, ubi nunc ponitur, alienum obtinet locum.“ *Walth.* Alterutra ratio vera videtur, et ex priori post *arbitrio* virgulam posui. Rhenanus *ne* post *arbitrio*, et Guther. de iure pont. 1, 14. plura inserenda putabat. *dum ne plus quam bin. abesset: ne diebus* cet. coni. Ferr. et Vertr. Ceterum flamini Diali olim noctem unam manere extra Urbem nefas erat. v. Liv. 5, 52. 24, 8. 39, 45. *Sed principe Augusto*, eo regnante, (cf. ad, 3, 62, 3.) vel ab eo *constituta* sunt mitiora, quae h. l. traduntur. — *neu*, neve, *saepius quam bis eundem in annum*, ut ἐς μίαν ἡμέραν ap. Thucyd. 6, 16. — *L. Metelli pont. max. exemplum, qui A. Postumium* Martialem, non Dialem, *attinuisset*, cf. ad 3, 38, 3. Liv. 37, 51. epit. XIX. et Valer. Max. 1, 1, 2. *attinuisset*, v. ad 1, 35, 3. — *Ita sors Asiae in eum, qui consularium* cet. v. ad 3, 58, 1.

CAPUT LXXII.

Iisdem diebus Lepidus ab senatu petivit, ut basilicam Pauli, Aemilia monimenta, propria pecunia firmaret ornaretque. Erat etiam tum in more publica munificentia; nec Augustus arcuerat Taurum, Philippum, Balbum hostiles exuvias aut exundantis opes ornatum ad Urbis et posterum gloriam conferre. Quo tum exemplo Lepidus, quanquam pecuniae modicus, avitum decus recoluit. At Pompeii theatrum igne fortuito haustum Caesar exstructurum pollicitus est, eo quod nemo e familia restaurando sufficeret; manente tamen nomine Pompeii. Simul

laudibus Seianum extulit, tanquam labore vigilantiaque eius tanta vis unum intra damnum stetisset. Et censuere Patres effigiem Seiano, quae apud theatrum Pompeii locaretur. Neque multo post Caesar, quum Iunium Blaesum proconsulem Africae triumphi insignibus attolleret, dare id se dixit honori Seiani, cuius ille avunculus erat.

1. *Lepidus*, v. ad 1, 13, 2. — *ab senatu* e MS. revocavit Iac. Gron. ut et paulo post *monimenta* e MS. et ed. Ber. *a senatu* et *monumenta* edd. Rhen. Ald. et cet. Cf. ad G. 3. n. 7. — *basilicam Pauli*, quam Plinius 36, 15. s. 24, 1. *columnis e Phrygibus mirabilem* fuisse dicit. „*Basilicae* porticus grandiores et magnificae, cuiusmodi erant fere circa fora, (ubi etiam iudicia exerceri solita) theatra, templa. Quia olim regiis palatiis ornandis additae, *basilicae* dictae, *βασιλικαὶ στοαὶ* Zosim. 5, 2. et Ioseph. A. I. 15, 11, 5. vel *regiae*, ut Suet. Oct. 31. et Stat. Silv. 1, 1, 22. *belligeri sublimis regia Pauli.* Numi, etiam Pauli aliique, qui exhibent formam basilicarum, nihil nisi porticuum speciem exprimunt." *Ern.* in clav. Cic. et in Exc. ad Suet. Oct. 31. *Basilicae* eo maxime consilio et fine exstruebantur, ut homines tutos praestarent a pluvia et ardore solis, ut Basilica Argentaria mercatores, Porcia tribunos plebis, Iulia centumviros. v. Sachse Gesch. d. St. Rom T. I. p. 504 sq. — *Aemilia monimenta:* „Bene *monimenta*, non *monimentum*, quia non unius Aemilii opus. L. *Aemilius Paulus*, qui postea cum C. Marcello consul a. U. 703., duas basilicas, veterem refecit, novam in ipso foro locavit. v. Cic. ad Att. 4, 16. et Appian. B. Civ. II. Novam interventu bellorum civilium non perfecit ipse, sed sub Augusto Paulus Aemilius cos. a. 720. et postea censor. v. Dio 49, 41. Eam incendio consumptam refecit XX annis post alius Aemilius, (Dio 54, 25.) et nunc post annos XXXV iterum collapsam firmavit ornavitque *M. Lepidus.*" *Lips.* „Hanc Neroniano incendio iterum exhaustam restituit Traianus, ut docet numus e cimelio Rochelini. Alia basilica Aemilia fuit in IV reg. Urbis. v. Liv. 41, 27. Plin. 35, 3. Quidam obtrudunt tertiam in VIII reg. Urbis, quae nunquam exstitit. v. Havercamp. in num. cons. Morel. p. 641. et, qui accurate de his basilicis scripsit, le Beau Mém. de l'Acad. roy. des inscript. T. XXIV. p. 205 sq." *Brot.* Cf. Sachse Gesch. d. St. Rom. p. 308. et 612 sq. qui hanc basilicam Pauli s. Aemiliam primum in medio foro exstructam censebat ab Aemilio Paulo cos. a. 590. quo Persea vicit. v. Stat. Silv. 1, I. Plin. 35, 3. Plut. Galb. 26. Cic. ad Att. 4, 16. Acro ad Horat. Sat. 2, 3, 18. 19. Ceterum a Lipsio perperam urgetur pluralis *monimenta*, quod iam annotavit Ern. Tacitus unam *basilicam Pauli* per apposit. appellat *Aemilia monimenta*, opus ab Aemilio Paulo structum. v. ad 3, 23, 1.

2. *publica munificentia*, privatorum in rem publicam; *Ern.* — *nec Augustus arcuerat*, non prohibuerat, et hoc id. qd. *hortatus erat*, quod Suet. Oct. 29. de eadem re dixit. Cf. Ind. III. v. *Litotes*. *arguerat* omnes edd. ante Ern. prob. Pich. et Wopk. Et sane *arguere* dicitur pro vituperare, increpare, ut 1, 9. 40. 4, 12. 37. 5, 8. 15, 51. O. 5. Liv. 38, 28. 40, 12. al. Sed, quod iam alii annotarunt, nusquam iungitur cum Infinit. et ita Tacitus dixisset *contulisse* vel *quod contulissent*. Hinc editores rec. substituerunt *arcuerat* ex emend Lips. et quia librarii medii aevi saepissime *g* pro *c* scripsere. Cf. ad H. 1, 44. 3, 56. Drak ad Liv. 5, 8. 27, 16. Heins. ad Ovid. Met. 15, 73. Gron. ad Sen. Hippol. v. 805. intpp. Ovid. Met. 3, 89. et ex Ponto 3, 3, 56. Val. 4, 317. Stat. Theb. 2, 629. — Statilius *Taurus* amphitheatrum in campo Martio, Marcius *Philippus* aedem Herculis Musarum, Cornelius *Balbus* theatrum

exstruxere. Cf. Dio 51, 23. 54, 25. Vell. 2, 89. et inpr. Suet. Oct. 29. — *hostiles exuvias*, manubias, — *conferre*, v. ad 2, 53, 1. — *ornatum ad Urbis*, Cf. Ind. III. v. *Anastrophe*. — *gloriam posterûm*, apud posteros. — *avitum decus recoluit*, repetiit, ut dicimus *recolere morem*, eadem fecit, quae maiores gloriose fecerant; *Ern*. Cf. H. 3, 7.

3. *theatrum Pompeii*, qui primus a. U. 699. perpetuum exstruxit theatrum, et quidem ex lapide quadrato ac tam grande, ut XL millia sedium in eo essent. Quod ne notaretur a censoribus, ab eo aedes Veneris theatro imposita. v. ad 14, 20, 1. et Ern. ad Suet. Claud. 21. Iussu deinde Neronis tectum et omnis theatri apparatus facta aurea. v. Dio 39, 38. 39. 63, 6. et Plin. 33, 16. 36, 15. Restitutio eius non perfecta est a Tiberio, sed a Claudio. v. Dio 60, 6. Suet. Tib. 47. et Claud. 21. „Manent adhuc eius rudera. v. Piranesi Antichita Romane T. IV. tab. 38.“ Brot. — *restaurando sufficeret*, ut 4, 23. et Agr. 45. Cf. Ind. III. v. *Gerundia et Gerundiva in Dativo*. — *tanta vis* ignis, incendii, *intra damnum unum*, unius aedificii, huius theatri, *stetisset*, substitisset, ut 3, 75. 11, 16. 12, 22. A. 16. „Haec dictio petita a vulg. *sanguis stat*: alia est *hac arte in patria steti* Liv. 5, 44. unde *res publica stat virtute, fide, opibus* Liv. 4, 40. 23, 48. *stetit regnum puero tutela muliebri* Liv. 1, 3. *stetit disciplina paupertate* et *ingens victoria tantulo impendio* Curt. 3, 2, 15. 3, 11, 27.“ *Walch*. ad Agr. 16. Add. inf. 6, 30. H. 2, 69. „*Vis* absolute ponitur de re, cuius vis exseritur, sentitur, ut 4, 62. de ruina. Cf. Heins. Misc. obss. I. p. 396. et ad Val. Fl. 7, 333.“ *Ern*. — *Et censuere — quae locaretur*, pro vulg. *locandam censuere*. — *effigiem Seiano*, statuam aeneam, *quae* cet. cf. Dio 57, 21. et Sen. ad Marc. c. 22. — *apud theatrum P.*, in eo. Cf. Ind. II. — *quum Iunium Blaesum Proc. Africae triumphi insignibus attolleret*, cf. cap. 35. 58. et ad 1, 2, 6. et 1, 72, 1. — *dare id se honori Seiani, cuius ille avunculus erat*, v. ad 1, 7, 8. et 4, 1.

CAPUT LXXIII.

Ac tamen res Blaesi dignae decore tali fuere: nam Tacfarinas, quanquam saepius depulsus, reparatis per intima Africae auxiliis huc arrogantiae venerat, ut legatos ad Tiberium mitteret sedemque ultro sibi atque exercitui suo postularet aut bellum inexplicabile minitaretur. Non alias magis sua populique Romani contumelia indoluisse Caesarem ferunt, quam quod desertor et praedo hostium more ageret. Ne Spartaco quidem post tot consularium exercituum clades inultam Italiam urenti, quanquam Sertorii atque Mithridatis ingentibus bellis labaret res publica, datum, ut pacto in fidem acciperetur; nedum pulcherrimo populi Romani fastigio latro Tacfarinas pace et concessione agrorum redimeretur. Dat negotium Blaeso, ceteros quidem ad spem proliceret arma sine noxa ponendi, ipsius autem ducis quoquo modo potiretur.

1. *Ac tamen* edd. vet. *At tamen* quaedam edd. med. ut et Bekk. I. „Si auctor ante dixisset triumphi honores Blaeso negatos, tum scribendum esset *at tamen*. Cf. ad 14, 55. H. 5, 16. Ramsh. Gram. p. 523. et 540.“ *Walth*. — *Tacfarinas* cet. cf. 2, 52. 3, 20. 21. — *depulsus*, v. ad 2, 1, 2. — *huc arrogantiae venerat*, Germ. er war in seinem Uebermuthe so weit gegangen. Cf. ad 4, 4, 1. et Ind. II. v. *Is*. — *bellum inexplicabile*; nam *inexplicabilis* dicitur res, cuius vel ratio latet, vel, ut hic, exitus s. finis non facile exspectari potest propter summas, quibus premitur, difficultates et inpr. h. l. propter implacabile partium

odium. Hinc *inexplicabilia* propr. dicuntur vincula s. laquei et itinera s. viae; deinde *morbus* Plin. ep. 5, 9. *facilitas* Liv. 37, 52. *odium* in multis MSS. et edd. Liv. 39, 51. ubi tamen in aliis legitur *inexpiabile*, ut *bellum inexpiabile* Liv. 4, 35. Gr. *πόλεμος ἄσπειστος*, quae dictio petita est ab ira deorum nullis sacrificiis placanda, cui summae calamitates tribui solebant. Itaque bellum perpetuum et internecivum et *inexplicabile* et *inexpiabile* dici poterit.

2. *Non alias*, v. Ind. II. — *populique Rom. contumelia* MS. edd. Ber. Pich. et rec. *populique contumelia Rom.* edd. Rhen. Ald. al. quod haudquaquam ingratum auribus suis esse, quin et aliquid magnificum praeferre sibi videri fatebatur Gron. — *hostium more ageret*, scil. bellum vocans, quod latrocinium est, superbe ferens conditiones pacis et postulata edens, qualia hostis in iusto bello solet; *Ern.* De *Spartaco* v. Liv. epit. 95. Vell. 2, 30. al. de *Sertorio* Plut. vit. Sertor. et al. de *Mithridate* Liv. epit. 76—103. Plut. in Sulla et Appian. B. Mithrid. — *labaret res publica*, v. ad 2, 26, 1. — *ut pacto in fidem acciperetur*, v. ad 12, 27, 1. — *ipsius autem ducis q. m. potiretur*, cf. ad 1, 5, 5. et 3, 61, 2.

CAPUT LXXIV.

Et recepti ea venia plerique: mox adversum artes Tacfarinatis haud dissimili modo belligeratum. Nam quia ille, robore exercitus impar, furandi melior, plures per globos incursaret eluderetque et insidias simul tentaret, tres incessus, totidem agmina parantur. Ex quis Cornelius Scipio legatus praefuit, qua praedatio in Leptinos et suffugia Garamantum: alio latere, ne Cirtensium pagi impune traherentur, propriam manum Blaesus filius duxit: medio cum delectis castella et munitiones idoneis locis imponens dux ipse arcta et infensa hostibus cuncta fecerat, quia, quoquo inclinarent, pars aliqua militis Romani in ore, in latere et saepe a tergo erat; multique eo modo caesi aut circumventi. Tunc tripartitum exercitum plures in manus dispergit praeponitque centuriones virtutis expertae; nec, ut mos fuerat, acta aestate retrahit copias aut in hibernaculis veteris provinciae componit, sed ut in limine belli dispositis castellis per expeditos et solitudinum gnaros mutantem mapalia Tacfarinatem proturbabat, donec fratre eius capto regressus est, properantius tamen quam ex utilitate sociorum, relictis, per quos resurgeret bellum. Sed Tiberius, pro confecto interpretatus, id quoque Blaeso tribuit, ut *imperator* a legionibus salutaretur prisco erga duces honore, qui bene gesta re publica gaudio et impetu victoris exercitus conclamabantur; erantque plures simul Imperatores, nec super ceterorum aequalitatem. Concessit quibusdam et Augustus id vocabulum ac tunc Tiberius Blaeso postremum.

1. *Et recepti* in fidem. — *ea venia*, cf. Ind. III. v. *Ablativi Substant. absoluti*. — *Mox adversum artes — belligeratum:* brevius dixisset Livius *mox Tacfarinas suis artibus petitus*, ut de simili homine dixit 22, 16. qui locus videtur esse fundus sententiae Cornelianae; *Ern.* At non multo verbosior Tacitus. — *robore exercitus impar, furandi melior*, ut 12, 33. Caractacus *astu, locorum fraude prior, vi militum inferior, transfert bellum in Ordovicas.* Verbum *furandi* spectat ad artes, insidias et στρα-

τηγήματα, quibus furtim arma moventur quaeque hinc Sil. 17, 90. et Virg. Aen. 11, 515. 522. *furta armorum* et *belli* vocantur: nam *furtum* dicitur quodcunque *furtim* s. clam fit. — *plures per globos incursaret eluderetque*, i. e. impetu facto et assultu resiliret subito nec copiam sui pugnaeque faceret; *Ern.* Cf. ad 2, 52, 2. — *tres incessus*, impetus a tribus agminibus in eum faciendos; vel potius itinera horum agminum et aditus. Cf. 2, 55. 6, 33. 12, 50. et ad 3, 9, 2. *insessus* coni. Pellicer. eleganter, si vox latina sit; *Brot.* — *praefuit* sc. uni, primo, ea parte, *qua praedatio in Leptinos et suffugia*, loca perfugii, *Garamantum*, in eorum regione, Tacfarinati erant s. patebant. Scire velim, quomodo e finibus Leptitanorum suffugium fuerit in Garamantas, quum Leptis sit ad mare, Garamantes in interiori Africa; *Ern.* „Si quis ad populorum situm attenderit, certe perspiciet, facillimam fuisse Tacfarinati praedationem in Leptitanos et inde in Garamantas suffugium. In extrema Byzacena, haud procul a Tritone fluvio, ita positus Corn. Scipio, ut Leptitanos protegeret, simul immineret Garamantibus. Contra vero in Numidia prope Ampsagam fl. excubias agebat Blaesus filius, ne Cirtensium pagi impune traherentur. Scipionem inter et Blaesum filium *medius dux ipse*, Blaesus pater, *arcta et infensa hostibus cuncta faciebat.* Quoquo enim inclinaret Tacfarinas, occurrebat pars aliqua militis Romani. Si Africam peteret, *in ore* erat Blaesus pater, *in latere* dextro Blaesus filius, in sinistro Corn. Scipio. Si forte versus Blaesum filium aut Scipionem progrederetur, tum alteruter erat in *tergo*. Haec debetur Tacito laus maxima, quod inter Historicos nullus sit rerum geographicarum illo peritior. Leptitani *la côte entre le golfe de Cabès et la Syrte.* Garamantes *la partie occidentale du pays des Dates.* Cirtenses *la partie occident. du royaume d'Alger*, Africa et Byzacena *le royaume de Tunis.*" *Brot.* „*Garamantum suffugia* qui quaerebant, Tritonem fluvium debebant superare. Igitur exercitus in Byzacio positus simul potuit tutelam Leptitanorum suscipere et hostem ab illo fluvio arcere. Nihil in hac re mirum esse video. Cogitandum autem est de Lepti minore, quae saepius absolute dicitur *Leptis:* nam *Leptis magna* in regione Syrtica longius ab hoc bello aberat." *Walth.* *Leptis* h. e. statio, *parva* iuxta Adrumetum et Syrtim minorem, nunc *Lemta* aut *Susa* in regno Tunitano; *magna* s. Neapolis hod. *Lebeda.* v. Ptol. 4, 3. Plin. 5, 4. Strab. XVII. p. 835. Pro *Leptinos* Brot. et Walth. suadentibus Freinsh. et Ryck. scripsere *Leptitanos*, quia ubique ita audiant, etiam ap. Tac. H. 4, 50. Sed *Leptis* incolae etiam *Leptini* potuerunt dici et *Leptici*, ut Plin. 32, 21. — *ne Cirtensium pagi impune traherentur*, v. ad 3, 54, 3. *Cirta* Numidiae urbs et regia olim Syphacis, Masinissae, Micipsae, Iubae. — *militis Romani*, cf. ad G. 6. n. 5. — *in ore*, v. ad H. 3, 36, 3.

2. *Tunc tripartitum* cet. Huetius corr. *Tum trip.* Cf. Ind. II. et ad 12, 36. *tripertitum* scripsit Bekk. — *veteris provinciae*, v. ad 1, 58, 2. — *in limine belli*, Germ. als dem Kriege im Angesicht: nam *in limine* alicuius rei dicuntur esse, qui non sunt procul ab illa, sed quam proxime instant; *Walth.* Dictio petita a *limine* aedium, unde et initium rei dicitur *limen*, v. c. *l. vitae*, *mortis* cet. — *mutantem mapalia*, castra, quae pro tentoriis habebant mapalia; *Ern.* De *mapalibus* v. ad 4, 25, 1. — *proturbabat* edd. Ber. Rhen. Ald. Lips. 1. Bekk. II. *proturbat* edd. Lips. poster. Pich. Grut. et rec.

3. *ut imperator a legionibus salutaretur — conclamabantur*, v. ad 1, 3, 2. — *bene gesta re publica* sc. bello, ut *rem publ.* et *rem Rom. gerere* et *administrare* dixit Liv. 23, 49. 24, 18. 27, 6. 28, 9. al. et *rem publ. capessere* id. 3, 69. pro bellum rei publ. causa gerendum suscipere: nam *res publica* primum dicitur civitas universa; deinde singulae eius partes, quas Cic. p. Sext. 46. enumerat; denique res, actio, negotium quodcun-

que ad publicam rem vel utilitatem spectans. Cf. Drak. ad Liv. 2, 64. Gron. ad Liv. 8, 31. et Ern. clav. Cic. — *gaudio et impetu victoris exercitus* „per ἓν διὰ δυοῖν dicta. Deerat adiectivum, quod voci *impetu* iungeretur; nec enim *laeto* s. *alacri impetu* dici poterat." *Roth.* p. 26. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin* — *conclamabantur*, salutabantur *imperatores*. Cf. Cic. Phil. 6, 1. et ep. ad div. 2, 10. Roth. ad Tac. Agr. p. 263. — *ac tunc Tiberius Blaeso postremum*, v. ad 1, 3, 2. Sic veteris populi mores obsolevere, eviluere virtutes; *Brot.* In edd. vet. ante Pich. *postremum* est primum verbum cap. 75. Sed distinctio recentior et aptiore sensu, et historia (v. ad 1, 3, 2.) et auctoritate MS. firmatur.

CAPUT LXXV.

Obiere eo anno viri illustres, Asinius Saloninus M. Agrippa et Pollione Asinio avis, fratre Druso insignis Caesarique progener destinatus, et Capito Ateius, de quo memoravi, principem in civitate locum studiis civilibus assecutus, sed avo centurione Sullano, patre praetorio. Consulatum ei acceleraverat Augustus, ut Labeonem Antistium iisdem artibus praecellentem dignatione eius magistratus anteiret. Namque illa aetas duo pacis decora simul tulit: sed Labeo incorrupta libertate et ob id fama celebratior; Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur. Illi, quod praeturam intra stetit, commendatio ex iniuria; huic, quod consulatum adeptus est, odium ex invidia oriebatur.

1. *Asinius Saloninus — insignis*, v. ad 1, 12, 2. *Pollione Asinio* pro *Asinio Pollione*, ut mox *Capito Ateius* et *Labeo Antistius*. Cf. Ind. III. v. *Nomina gentium cognominibus postposita*, Manut. ad Cic. ep. ad div. 2, 8. Ruhnk. ad Vell. p. 155. Obbar. ad Hor. epist. 1, 10. p. 6. — *Caesarique progener destinatus*, ut scil. aliquam duceret e filiabus Germanici; *Mur.* et *Lips.* — *Capito Ateius, de quo memoravi* sc. 1, 76. 79. 3, 70. Sub Augusto clarissimi ICti vixere, praeter Aelium Gallum (de quo v. ad 5, 8.) C. *Ateius Capito* consul suff. a. U. 759. cum C. Vibio Postumo, et Q. *Antistius Labeo* filius Q. Labeonis ICti, qui in proelio Philippensi cecidit, (v. Appian. B. C. 4, 135.) *civilibus studiis* (v. ad 3, 70, 2. et H. 2, 5.) et *artibus praecellentes, duo pacis decora*, cf. ad 12, 49, 1. Ab Augusto autem aucta est ICtorum et sic quoque iuris auctoritas necessitate iudicibus imposita observandi in sententiis suis ICtorum, sed eorum tantum, quibus ipse facultatem respondendi de iure concessisset, responsa, quae sub Tiberio non amplius scripta aut viva voce, sed signata dari coeperunt. *Capito* et *Labeo* multos vulgarunt libros, quorum tamen tituli tantum et pauca fragmenta Digestis inserta. Iidem dissimillimi fuere animis et ingeniis, studiis et moribus: ille propter obsequium et assentationem gratiosissimus apud Augustum, hic *incorruptae libertatis* nec magnus fautor principatus, unde etiam *intra praeturam stetit* (v. ad 3, 72, 3.). et *Augustus* Capitoni *acceleravit consulatum*, quem Labeo postea sibi oblatum repudiavit: (cf. Pompon. in L. 2. §. 47. D. de or. iur.) ille scripti summique iuris aut eorum, quae tradita dictatave a magistris ac Principibus grata essent, hic aequi bonique defensor atque multorum novator. v. Gell. 4, 6. 14. 10, 7. 13, 10. 12. 14, 7. Suet. Aug. 54. et de ill. Gram. c. 22. Dio 54, 15. Appian. B. C, 4, 135. Pompon. l. l. Bach. hist. iurispr. Rom. III, 1, 1 sq. Hinc orta divortia et sectae discipulorum, qui sub Tiberio floruere. Capitonis sectam illustrarunt *Masurius Sabinus* et *C. Cassius Longinus*, (v. 6, 15, 1.) Labeonis *M. Cocceius Nerva* (v. ad 4, 58. 6, 26.) et *Sempronius Proculus*. Ab hoc dicti *Proculiani*, ab illis

Sabiniani et *Cassiani*. Cf. Gravina de orig. iur. civ. p. 105 sq. Hommelii diss. de causa dissensionum inter Labeonem et Capitonem horumque auditores Lips. 1751. Godefr. Mascovii libellus de sectis Sabinianorum et Proculianorum, Bach. l. l. „*Labeo* vir eximii ingenii ac multiplicis doctrinae, sed minutularum rerum amator ridiculus. *Parvis gloriabatur tabellis exstinctus nuper in longa senecta Antistius Labeo praetorius, etiam proconsulatu provinciae Narbonensis functus: sed ea res in risu et contumelia erat*, Plin. 35, 4. Ideo fortasse et ob nimiam in originibus latinarum vocum expiscandis diligentiam aliquis *Labeone insanior inter sanos* dicitur Hor. Sat. 1, 3, 82.“ *Brot.*

2. *sed avo centurione Sullano, patre praetorio*, cf. Ind. III. v. *Ablativi Substant. absol.* — *magistratus:* in MS. *magistratibus.* — *Labeo incorrupta libertate*, v. ad 3, 52, 1.

CAPUT LXXVI.

Et Iunia sexagesimo quarto post Philippensem aciem anno supremum diem explevit, Catone avunculo genita, C. Cassii uxor, M. Bruti soror. Testamentum eius multo apud vulgum rumore fuit, quia in magnis opibus, quum ferme cunctos proceres cum honore nominavisset, Caesarem omisit; quod civiliter acceptum, neque prohibuit, quo minus laudatione pro rostris ceterisque sollennibus funus cohonestaretur. Viginti clarissimarum familiarum imagines antelatae sunt, Manlii, Quintii aliaque eiusdem nobilitatis nomina; sed praefulgebant Cassius atque Brutus eo ipso, quod effigies eorum non visebantur.

1. *sexagesimo quarto — anno* (v. ad 6, 50, 2.) *supremum diem explevit Iunia Catone avunculo genita, C. Cassii uxor, M. Bruti soror:* „nam ex D. Iunio Silano cos. cum L. Licinio Murena (v. Cic. p. Mur. 1. 7. 9. off. 2, 16. Brut. 68. al.) et Servilia M. Catonis sorore nata Iunia, soror M. Bruti per matrem, (Bruti enim pater fuit M. Iunius Brutus, mater Servilia, nupta olim M. Iunio Bruto, patri M. Bruti) Tertia vel Tertulla cognomento, de qua notus Ciceronis iocus ap. Suet. Iul. 50. *Tertia deducta est.* Cf. Cic. ep. ad Att. 14, 20. 15, 11. ad Brut. 5, 6. Ab hac igitur diversa Iunia soror Bruti et uxor Lepidi triumviri ap. Vell. 2, 68. nisi haec ante Cassii uxor fuit, quod non opinor.“ *Lips.* Immo ita Vell. 2, 68. et Tacitus silere potuit Lepidi matrimonium, ut Catonem, Cassium et Brutum magis commendaret; *Brot.* — *post Philippensem aciem*, pugnam ad Philippos in Thracia, in qua Brutus et Cassius victi ab Antonio et Octaviano a. U. 712. — *Catone avunculo genita* insolens dictio pro: genita, nata a sorore Catonis.

2. *in magnis opibus* edd. Rhen. 2. 3. Ald. et rec. *in m. operibus* MS. edd. Ber. et Rhen. I. In marg. MS. *quid si opibus?* — *cum honore nominavisset*, v. ad 2, 48, 1. et Agr. 43. n. 8. — *Caesarem omisit: quod civiliter acceptum* ab eo. Cf. ad 1, 33, 1. 1, 76, 3. et 2, 48. 1.

3. *Viginti clarissimarum familiarum imagines antelatae sunt, Manlii*, Manliae gentis imagines, *Quintii* s. *Quinctii* (v. ad H. 2, 16.) *aliaque e. n. nomina*, v. ad 2, 32, 1. „Quare *Manlii?* quia Iunii Silani innexi Manliae genti: nam T. Manlius Torquatus filium in adoptionem dedit D. Silano. v. Cic. fin. 1, 7. et Valer. Max. 5, 8, 3. De *Quinctiis* nihil dum reperi.“ *Lips.* — *praefulgebant Cassius atque Brutus*, postremi Romanorum, sed maiestatis damnati, unde *effigies* eorum non in pompa funebri *visebantur*, v. ad 2, 32, 1. At *eo ipso praefulgebant:* „nam *negatus honor gloriam*

intendit 4, 26." *Oberl.* Sic et *non permissa provincia dignationem addiderat* Aelio Lamiae 6, 27. Ratio manifesta. Omnes iudicabant, hos tali honore dignissimos fuisse et immerito orbatos.

ANNALIUM

LIBER IV.

BREVIARIUM LIBRI IV.

Cap. 1. *Aelii Seiani origo et mores.* 2. *Via ab eo ad dominationem facta cohortibus praetorianis in castra conductis et clientibus suis ad honores promotis.* 3. *Insidiae ab eodem structae Druso Tiberii filio.* 4. *Toga virilis sumpta a Druso Germanici filio. Fictum Tiberii iter.* 5. *Publicus status. Numerus et loca legionum, cohortium classiumque.* 6. *Civitatis et imperii ratio.*

7. 8. *Saevitia Tiberii a filio coercita, et aucta Seiani potentia Druso per venenum sublato. Constantia Principis et commendatio Neronis ac Drusi filiorum Germanici.* 9. *Tiberii simulatio et funus Drusi.* 10. 11. *Falsa de Drusi morte fama.* 12. *Favor populi noxius Germanici filiis horumque matri Agrippinae, et insidiae iis structae a Seiano.* 13. *Moeror Tiberii mitigatus curis civilibus. Legationes et accusationes.*

14. *Iura asylorum. Histriones ex Italia pulsi.* 15. *Obitus alterius ex Drusi filiis et Lucilii Longi. Damnatio Lucilii Capitonis. Templum in Asia decretum Tiberio matrique eius ac senatui. Grata et modesta Neronis oratio in senatu.* 16. *Leges de flamine et flaminica Diali rogatae. Maius salarium novusque honos Vestalium.* 17. *Vota sacerdotum sollennia pro Principe, nec non pro Nerone ac Druso: quae adulatio displicet Tiberio.* 18. 19. *Germanici familiares Titius Sabinus et C. Silius accusati a Seiano. Mors voluntaria Silii.* 20. *Uxor eius in exsilium acta. Accusatorum praemia. Moderatio M. Lepidi.* 21. *Mors L. Pisonis a Granio accusati. Gravior poena Cassii Severi procacis scriptoris.* 22. *Plautii Silvani praetoris facinus et mors voluntaria.*

23. 24. 25. *Novi motus et mors Tacfarinatis a P. Dolabella repente oppressi.* 26. *Triumphalia antea Blaeso data Dolabellae petenti denegantur. Donis titulisque ornatur Ptolemaeus, qui eum adiuverat.* 27. *Servile bellum motum a Curtisio et a Staio oppressum.* 28. 29. 30. *Q. Vibius Serenus exsul, qui Principem octo ante annos offenderat, accusatus a filio et Amorgum reportatus. Praemia delatoribus a Principe concessa.* 31. *Poena C. Cominio et P. Suillo remissa, Firmio Cato irrogata.* 32. 33. *Iudicium Taciti de libro suo.* 34. 35. *Cremutius Cordus annalium scriptor laudatorque Bruti et Cassii accusatus. Defensio eius et voluntaria mors. Libri cremati, sed exemplar eorum a filia occultatum.* 36. *Exsilium Calpurnii Salviani. Libertas Cyzicenis adempta. Vibius Serenus calumniator Fonteii Capitonis.* 37. 38. *Templi honor ab Hispanis decretus Tiberio et ab eo spretus.*

39. 40. *Liviae matrimonium a Seiano petitum et modeste denegatum a Tiberio.* 41. 42. *Secessus ab Urbe Principi suasus a Seiano et persuasus.* 43. *Legationes Graecorum auditae de iure asylorum et restauratione*

templi. Testamentum Vulcatii Moschi. 44. *Mors Lentuli, Domitii et Antonii.* 45. *L. Piso praetor in Hispania obtruncatus.*

46—51. *Thracum montanorum rebellio, clades et deditio.* 52. *Damnatio Claudiae Pulchrae et Furnii propter adulterium.* 53. *Maritus frustra ab Agrippina petitus.* 54. *Insidiae huic a Seiano structae.* 55. *Contentio XI urbium Asiaticarum de loco templi Tiberio statuendi matrique eius ac senatui.* 56. *Smyrna a senatu praelata.*

57. 58. *Discessus Tiberii ab Urbe in Campaniam et paucorum comitatus. Dubia consilii reique causa.* 59. *Periculum Principi creatum repentino lapidum lapsu et a Seiano propulsatum.* 60. *Exitium ab hoc paratum Neroni ac Druso Germanici filiis.* 61. *Asinii Agrippae et Q. Haterii mors.* 62. 63. *L hominum millia Fidenis debilitata vel obruta ruina amphitheatri.* 64. 65. *Coelius mons Querquetulanus primum dictus et incendio deustus.* 66. *P. Dolabella accusator Quinctilii Vari cognati.* 67. *Capreae insula secretus Tiberii secessus. Insidiae a Seiano Agrippinae et Neroni structae.*

68 — 70. *Titius Sabinus falso accusatus a quatuor praetoriis et damnatus.* 71. *Tiberius indignatur, mentem suam recludi. Iulia Augusti neptis moritur in exsilio miserrimo XX annorum.* 72. 73. *Rebellio Frisiorum a L. Apronio haud oppressa.* 74. *Superbia Seiani.* 75. *Agrippina Germanici filia desponsa Cn. Domitio nepoti Octaviae.*

Haec sexennio fere gesta a. U. 776 — 781.

C. ASINIO POLLIONE C. ANTISTIO VETERE
SER. CORNELIO CETHEGO L. VISELLIO VARRONE
CORNELIO COSSO LENTULO M. ASINIO AGRIPPA
CN. CORN. LENTULO GAETULICO C. CALVISIO SABINO
M. LICINIO CRASSO L. CALPURNIO PISONE
AP. IUNIO SILANO P. SILIO NERVA COSS.

CAPUT I.

C. Asinio, C. Antistio Coss. nonus Tiberio annus erat compositae rei publicae, florentis domus, (nam Germanici mortem inter prospera ducebat) quum repente turbare fortuna coepit, saevire ipse aut saevientibus vires praebere. Initium et causa penes Aelium Seianum cohortibus praetoriis praefectum, cuius de potentia supra memoravi: nunc originem, mores et quo facinore dominationem raptum ierit, expediam. Genitus Vulsiniis patre Seio Strabone Equite Romano, et prima iuventa C. Caesarem divi Augusti nepotem sectatus, non sine rumore, Apicio diviti et prodigo stuprum veno dedisse, mox Tiberium variis artibus devinxit adeo, ut obscurum adversum alios sibi uni incautum intectumque efficeret, non tam sollertia, (quippe iisdem artibus victus est) quam Deum ira in rem Romanam, cuius pari exitio viguit ceciditque. Corpus illi laborum tolerans, animus audax; sui obtegens, in alios criminator: iuxta adulatio et superbia: palam compositus pudor, intus summa apiscendi libido eiusque causa modo largitio et luxus, saepius industria ac vigilantia, haud minus noxiae, quotiens parando regno finguntur.

1. C. *Asinio*, v. ad 1, 12, 2. *Gaio Asinio Gaio Antistio* MS. et ed. Bekk. „*C. Antistius* Vetus C. F. dicitur in Ind. Coss. apud Dionem; unde apparet, eum filium fuisse C. Antistii Veteris, qui cos. a. U. 748.

rimentis velut vadibus interpositis sciunt, quantum de suis commilitonibus, de eorum voluntate et robore ipsis sit fidendum. *Credere ex se metum in ceteros* est persuasisse sibi firmis argumentis, se metui ab ceteris." *Gron.* ad h. l. et obss. 3, 10. ubi plura disputat. „Ex mea sententia Seianus cohortes praetor. in una castra conducendo et Tiberium ipsum et populum Rom. decipere cogitavit ea specie, ut illam militum coniunctionem ad ipsorum fiduciam et ceterorum metum spectare crederent, quum re vera ad potentiam sibi sedulo parandam pertinerent." *Pich.* „Non absurde haec: nam saepius sic ad verbum *credere* Noster omittit *esse*, quod et hic deest. Cf. cap. 33. 39. 11, 18. 12, 64. H. 5, 1. Verba autem *in ceteros metus* appositionem efficiunt. (Cf. Ind. II. v. *In* et Ind. III. v. *Appositio.*) Igitur *credo mihi fiduciam* erit: ich messe mir Selbstvertrauen bei, *et creditur mihi fiducia* Germ. ich stehe bei Andern im Rufe des Selbstvertrauens." *Walth.* „Mihi verissima videtur coniectura Savilii *crearetur* et ei proxima specie Faerniana *oriretur*, pro quo *oreretur* in multis MSS. et edd. vet. Paulo magis a scriptura vulgata abit Grotiana *cresceret*. Quicquid sit, *crederetur* certe alienum et corruptum. Non enim hoc *credi* volebat Seianus, ne a militibus quidem, se ideo conductos in unum locum, ut *metui* essent aliis. Ut sibi plus *fiderent*, id sua sponte exsistebat. Quorsum enim *praetendisset* ista quae sequuntur? Accedit aliquid momenti etiam e Dione, qui, ut multa alia, e Tacito sumpsit haec 57, 19. *ὥστε τὰ παραγγέλματα καὶ ἀθρόους καὶ διὰ ταχέων λαμβάνειν, καὶ φοβεροὺς πᾶσιν, ἅτε καὶ ἐν ἑνὶ τείχει ὄντας, εἶναι*, Cf. id. cap. 24." *Ern.* Ex verbis Dionis colligebat Salinerius, *crederetur* positum pro *esset*. Idem dicit, in MS. legi *credetur*: (cf. ad 2, 63, 2.) quod unde noverit nescio. De verbo *credere* v. ad c. 39. n. 2. Plerique leg. putant vel *crearetur*, quod etiam probat Wopk. coll. cap. 59. 6, 50. 11, 8. H. 1, 20. vel *cresceret*, quod recepere Bekk. et Kiessl. Alii *oriretur*, *dederetur*, *dideretur*, *inderetur*, *auderetur*, *ederetur* et *redderetur*, quod Baden in Friedem. et Seeb. Miscell. crit. I, 3. p. 590. dictum censet pro *efficeretur*, ut ap. Liv. 3, 26. Sed de vero horum verborum sensu v. ad H. 1, 51, 1. — *Praetendebat* alia et minus odiosa, veram novandae rei causam reticens; *Brot.* — *procul Urbis illecebris*, non procul Urbe, nam castra ad ipsam Urbem fuere: sed procul Urbis illecebris, quippe disciplina castrensi habiti; *Walth.* Amoti a consuetudine vulgi: item *vallo* clausi et licentia cohibita; *Lips.* Id ex disciplina fuisse patet ex Veget. 1, 3. *Si longior expeditio emergit, in agrariis plurimum detinendi sunt proculque habendi a civitatis illecebris, ut eo modo et corporibus eorum robur accedat et animis; Pich.* Cf. 2, 44 pr.

2. *irrepere* Seianum, se insinuare, in *militares animos*, in militum gratiam, ut 13, 12. absolute, et *arrepere* 1, 74. 3, 50. — *appellando*, v. ad 2, 81, 1. — *neque senatorio ambitu abstinebat*, neque nolebat a senatu ambiri, coli, quum et senatores promoveret ac posse in senatu doceret; *Lips.* Ea largiebatur, quae ambitu et precibus ab senatu impetrari consueverant; *Ferret.* „Neque castrensi ambitione contentus etiam in senatu eam potentiam factionemque sibi comparavit, ut clientes suos attolleret, et sic in his quoque negotiis, quae per senatum et in senatu tractabantur, efficeret quae vellet. Nam vox *ambitus* h. l. accipienda cum effectu et altera *senatorius* (h. l. cui in senatu locus est) deducenda ab *senatu*." *Freinsh.* „Immo *senatorius* formatur a *senator*, non a *senatus*, neque tamen propterea significat tantum, quod est unius senatoris aut singulorum in senatu, sed etiam potest significare, quod est senatorum et sic senatus vel totius corporis. *Ambitus senatorius* est ambitio in senatu. Neque hoc faciebat, ut extolleret clientes suos: id enim ei largiebatur Tiberius, non aliqua factio in senatu; sed hoc extollere erat via ad potentiam in senatu. Itaque facile admitto *ambitu oriendi*, quod ex MS. notat Pichena. Non cessabat

etiam in senatu se venditare ac gratiosum et potentem reddere, nempe non patiendo ad honores et imperia pervenire, nisi quibus ipse apud Tiberium suffragatus esset. Quo animadverso, quis dubitaret hunc patronum adoptare?" *Gron.* *Senatorius ambitus* est gratiae apud senatum captatio, ut inf. c. 62. *municipalis ambitio* studium gratiae municipum captandae; *Ern.* Cf. ad H. 1, 1, 5. A. 18. O. 37. „*Senatorius ambitus* est studium senatores vel senatum sibi conciliandi, obligandi, in partes suas trahendi, ut 3, 14. *ambitio militaris*, cui h. l. opponitur. Dio 48, 4: Ὁ δὲ δὴ Σηΐανὸς καὶ μείζων καὶ φοβερώτερος ἀεὶ ἐγίγνετο, ὥστε καὶ τοὺς βουλευτὰς καὶ τοὺς ἄλλους ἐκείνῳ μὲν ὡς καὶ αὐτοκράτορι προσέχειν, τὸν δὲ Τιβέριον ἐν ὀλιγωρίᾳ ποιεῖσθαι. *ornandi* MS. edd. Bip. Oberl. et al. recte. *ornando* omnes edd. ante Bip. cui formae nullus in hoc contextu locus est. Explicatur hic, qua ratione in ambitu illo usus sit, h. e. qualis ambitus fuerit, latetque in voce *ambitus* notio cupidinis, studii aliquid faciendi. Nostrum aliquis scripsisset *ita ut ornaret*. Cf. ad 2, 43. 47. 3, 63. H. 1, 19." *Walth.* Ista vero loca perperam laudantur; et bene quidem diceretur *ambitu ornandi* pro studio ornandi, ut *ambitus remanendi aut eundi* H. 1, 19. et similia, sed h. l. non apte; multo minus *senatorio ambitu ornandi*, nisi vox *ambitus* duplici accipiatur sensu, quem ei tribuit vir doctus. Bona autem sententia inest vulgatae lectioni: captavit etiam senatorum gratiam *ornando* cet. Haec congruit verbis praec. *irrepere militares animos adeundo, appellando*, eademque a Gron. ipsoque Walth. exprimitur, etsi lectionem *ornandi* explicare voluerunt. Cf. etiam Iuvenal. 10, 90 sq. — *facili Tiberio atque ita prono*, v. ad 6, 15. et Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant. in Partic.* — *ut* eum tanquam *socium laborum* — *sineret*, cf. ad 5, 6, 1. — *non modo* — *sed* etiam. Cf. ad 1, 60, 1. — *celebraret*, saepius et honorifice appellaret. — *colique per theatra et fora effigies eius* — *sineret*, cf. cap. 7. ad 2, 83, 2. 3, 72, 3. Dio 57, 21. *coli effigies eius inter principia legionum*, castrorum, ubi aquila et signa. v. ad 1, 67, 1. Sic *Seiani imagines inter signa cultae* ap. Suet. Tib. 48. Haec autem spectant ad signa, vexilla et scuta militaria, quibus deorum et Principum Romanorum, in primis divorum, sive nomina literis aureis puniceisve inscribi insculpive, sive imagines intexi et innecti solebant. Cf. 1, 37. 39. 67. 2, 83. 4, 74. 5, 4. 12, 17. 15, 24. 29. (*simulacra deorum*, divorum Caesarum) H. 1, 41. 2, 83. 3, 13. 31. Dio 40, 18. 42, 15. 50, 5. Suet. Cal. 14. et Vesp. 6. Plin. pan. 56. Lips. de mil. Rom. 4, 5. „*coli* sacrificiis et adoratione. Cf. Dio 58, 2. 4. 11." *Oberl.*

CAPUT III.

Ceterum plena Caesarum domus, iuvenis filius, nepotes adulti moram cupitis afferebant: et quia vi tot simul corripere intutum, dolus intervalla scelerum poscebat, placuit tamen occultior via et a Druso incipere, in quem recenti ira ferebatur. Nam Drusus impatiens aemuli et animo commotior orto forte iurgio intenderat Seiano manus et contra tendentis os verberaverat. Igitur cuncta tentanti promptissimum visum ad uxorem eius Liviam convertere, quae soror Germanici, formae initio aetatis indecorae, mox pulchritudine praecellebat. Hanc ut amore incensus adulterio pellexit et postquam primi flagitii potitus est, (neque femina amissa pudicitia alia abnuerit) ad coniugii spem, consortium regni et necem mariti impulit. Atque illa, cui avunculus Augustus, socer Tiberius, ex Druso liberi, seque ac maiores et posteros municipali adultero foeda-

bat, ut pro honestis et praesentibus flagitiosa et incerta exspectaret. Sumitur in conscientiam Eudemus amicus ac medicus Liviae, specie artis frequens secretis. Pellit domo Seianus uxorem Apicatam, ex qua tres liberos genuerat, ne pellici suspectaretur. Sed magnitudo facinoris metum, prolationes, diversa interdum consilia afferebat.

1. *plena Caesarum domus,* v. ad 1, 3, 2. — *cupitis,* iis quae Seianus cupiebat optabatque. Cf. ad 6, 1, 2. — *corripere,* ut Gr. συναρπάζεσθαι, trahere in perniciem; *Walth.* Sed *corripere* est proprie aggredi aliquem et impetum in eum facere; unde plerumque accusator vel delator *corripere* dicitur eum, quem reum facit et in ius vocat, ut *aggredi* 4, 68. *invadere* 8, 4. H. 1, 33. et *arripere* ap. Liv. 2, 54. 3, 58. v. Ind. II. Hinc delatores Sen. cons. ad Marc. c. 22. *acerrimi canes, quos ille,* (Seianus) *ut sibi uni mansuetos, omnibus feros haberet, sanguine humano pascebat, circumlatrare hominem.* Concisa autem h. l. est oratio, ita fere explenda: *Et quia vi tot simul corripere intutum* erat, *dolus* autem *intervalla* temporis ad *scelera* exsequenda *poscebat,* (*moram cupitis afferebat*) diu inter vim et dolum ambigebat. Quanquam vero aegre ferret moram et ad vota properaret, *placuit* ei *tamen occultior via,* dolus. Talia esse supplenda, iam annotarunt Gron. et Walth. ad h. l. et Roth. in Seebodii N. Archiv f. Philol. a. 1829. p. 87. Cf. ad Agr. 5. n. 4. et Ind. III. v. *Ellipses* N. II. Gron. ad Liv. 23, 19. Idem Gron. coni. *tandem* pro *tamen,* quod arridere potest propter simil. locum 13, 40 pr. et quia sic nihil omissum est et intelligendum. — *Nam Drusus — intenderat Seiano manus:* „Quod principium et causa iurgii etiam hodie apud Italum vulgus, ut olim. Cf. 1, 27. 13, 14. Sen. de clem. 1, 25. Drusum vero a Seiano percussum volunt Dio 57, 22. et Zonaras 10, 2. Hinc Vertranius *hic* ante *contra tendentis* excidisse putabat. Neutri mihi persuadent, non illi sententiam, non hic lectionem. Seianum non tam prorupta audacia fuisse crediderim, ut ultro verberarit Principis Rom. filium et imperii consortem; et convenit magis in mores Drusi, cui adeo promptae ad verbera manus, ut hac de causa *Castor* sit cognominatus. v. Dio 57, 14.“ *Lips.* Immo verba Dionis et Zonarae de Seiano πὺξ αὐτῷ ἐνέτεινε respiciunt ad Taciti *contra tendentis* sc. manus, neque reddenda *colaphum ei inflixit,* sed *manus ei intendit*; *Walth.*

2. *ad uxorem eius Liviam se convertere, quae soror Germanici,* v. ad 2, 43, 3. „Haec *Livilla* dicitur Suet. Tib. 62. Claud. 1. et in lap. ap. Gruter. p. 312, 4. ut *Claudilla* Suet. Cal. 12. quae *Claudia* inf. 6, 20. Est ὑποκόρισμα, ut *Secundilla, Tertulla, Quartilla.*“ *Lips.* — *mox,* deinde *adulterio pellexit pro in* vel *ad adulterium* more poetarum; *Ern.* „Immo duplex in verbo *pellicere* ratio est consideranda. Per se significat anlocken, an sich ziehen. Iam et aliqua re et ad aliquam rem pellicere alterum possum, et ablativus indicat rationem pellicendi, ut 1, 2. H. 4, 15. accusativus cum praep. *ad* finem, ut 11, 19. Absolute etiam ponitur seq. *ut* 3, 42. 12, 3. Iam hic *adulterio pellexit* significat erzog sie an sich, verband sie sich durch Ehebruch. Nam quod *ad adulterium* pellexit, hic non quaeritur, sed quomodo sibi devinxerit, sc. adulterio adhibito. Sic 13, 45. *Otho pellexit iuventa ac luxu.*“ *Walth.* Ratio Ern. videtur praeferenda. Cf. ad 6, 45, 2. et Ind. III. v. *Dativus obiectivus.* — *primi flagitii,* concubitus, potitus est. v. ad 1, 5, 5. et 3, 55, 1. — *neque femina amissa pudicitia alia abnuerit* sc. flagitia. *abnueret* malebat Freinsh. et *abnuit* Faern. Urs. Grut. „Malc. Nam quid grammatica ratio requirat, docebit locus Plat. de R. P. p. 492. E. οὔτε γίγνεται, οὔτε γέγονεν, οὐδὲ οὖν μὴ γένηται ἀλλοῖον ἦθος πρὸς ἀρετήν, παρὰ τὴν τούτων

παιδείαν πεπαιδευμένον. Graeci utuntur coniunctivo aoristi pro coniunctivo futuri, qui non exstat. v. Matth. Gr. §. 516. b. Buttman. Gr. §. 126. n. 8." *Walth.* — *impulit* non omnibus substantivis h. l. satis convenit. Cf. ad 2, 20, 2. — *Atque illa, cui avunculus* maior *Augustus, socer Tiberius, ex Druso liberi*, v. ad 2, 43, 3. et 2, 84, 1. — *seque ac maiores et posteros*, cf. ad G. 1. n. 1. — *municipali adultero foedabat*: „per contemptum Seianus, qui Vulsiniis natus erat adeoque ne Romanus quidem, ita dicitur: nam municipales tunc minus honorati nec pares urbanis censebantur. Cf. Cic. Phil. 3, 6. Iuvenal. 8, 238. Flor. 3, 18." *Lips.* — *pro honestis et praesentibus flagitiosa et incerta*, v. ad 3, 1, 3.

3. *Eudemus amicus ac medicus Liviae* et adulter; v. Plin. 29, 1. s. 8. et de medicis Rom. ad 6, 50. — *specie artis*, v. ad 2, 5, 1. — *frequens secretis*, ut *secreta Poppaeae* H. 1, 22. de tempore et loco, quo Livia erat sola, quo secretum agebat; *Walth.* Cf. ad Agr. 22. n. 7. et cap. 39. n. 4. *Secreta* etiam referri possunt ad secreta colloquia et consilia, quibus *frequenter* adhibitus sit, ut 3, 30. 37. 4, 7. 6, 3. 13, 12. 15, 50. 16, 25. H. 1, 17. G. 22. Cf. Iuvenal. 6, 235 sq. et Martial. 11, 72. — *ne pellici*, Liviae, *suspectaretur*, suspicio crearetur, suspicioni esset Apicata tanquam conscia.

CAPUT IV.

Interim anni principio Drusus, ex Germanici liberis, togam virilem sumpsit, quaeque fratri eius Neroni decreverat senatus, repetita. Addidit orationem Caesar multa cum laude filii sui, quod patria benevolentia in fratris liberos foret. Nam Drusus (quanquam arduum sit, eodem loci potentiam et concordiam esse) aequus adolescentibus aut certe non adversus habebatur. Exin vetus et saepe simulatum proficiscendi in provincias consilium refertur. Multitudinem veteranorum praetexebat Imperator et delectibus supplendos exercitus; nam voluntarium militem deesse ac, si suppeditet, non eadem virtute ac modestia agere, quia plerumque inopes ac vagi sponte militiam sumant: percensuitque cursim numerum legionum et quas provincias tutarentur. Quod mihi quoque exsequendum reor, quae tunc Romana copia in armis, qui socii reges, quanto sit angustius imperitatum.

1. *Drusus* unus *ex Germanici filiis*, cf. Ind. II. v. E et Ex. — *quaeque fratri eius Neroni decreverat senatus*, cf. 3, 29. — *multa cum laude filii sui* Drusi. Addidit *sui*, ut distingueretur a Druso Germanici filio; *Ern.* — *quod patria benevolentia foret in liberos fratris*, Germanici a Tiberio adoptati: unde Germanicus et Drusus, Tiberii filius, saepe *fratres* dicuntur. v. ad 1, 3, 7. „Ad horum fratrum concordiam refertur numus Illicitanus apud Vaillant. T. I. p. 78. in quo ad aram Adoptionis stantes iungunt manus, et Sardianus ap. Eckhel. doctr. num. T. VI. p. 211." *Oberl.* — *eodem loci potentiam et concordiam esse*: nam *eo*, (ut *eo loci* 14, 61. 15, 74.) *eodem*, *hic* (ut *hic viciniae* Ter. Phorm. 1, 2, 45.) et *huc*, (ut *huc arrogantiae venerat* 3, 73, 1. *huc viciniae* Ter. Andr. 1, 1, 43.) nec non Adverbia loci *ubi, ubinam, ubicunque, ubivis, unde, quo, quoquo, quovis, aliquo, ibidem, usquam, nusquam, longe*, iunguntur Genitivis *loci, locorum, gentium, terrarum* aliisque. v. ad 3, 73, 1. Ramshorn. Gram. p. 196. 197. Ruddim. inst. Gram. T. II. p. 317 sq. et Ind. III. v. *Genitivi iuncti Pronominibus neutris et adverbiis*. — *habebatur*, esse credebatur, aut erat. Cf. Ind. II. Vox delenda videbatur Grutero.

2. *Exin vetus et saepe simulatum p. in prov. consilium*, cf. 1, 47. 3, 31. 47. — *refertur*, non ad senatum, sed repetitur, rursum introducitur, denuo affertur, sc. ab ipso Tiberio; *Freinsh.* — *multitudinem veteranorum*, missionem et praemia poscentium. Cf. ad 1, 17, 1. — *si suppeditet*, suppetat, supersit, ut 15, 11. 16. 63. H. 1, 1. 4, 40. Cf. Drak. ad Liv. 22, 39. „Ponit militem voluntarium re vera esse: gesetzt es gebe. Sin scripsisset *suppeditaret*, tum id negaret, fingens tamen, rem fieri posse: gesetzt es gäbe.“ *Walth.* — *Quod mihi quoque exsequendum reor*, (v. ad 3, 65, 1.) et in his, *quae tunc Romana* cet. „Sic ap. Cic. N. D. 2, 9. et in Verr. 1, 46. v. Lectt. Tull. ad Cic. in Divin. 2, 41.“ *Wopk.* *tunc* MS. et ed. Bekk. II. *tum* cet. edd. — *Romana copia*, Romanae copiae, legiones, exercitus, Heereskraft, Heeresmacht, ut 2, 52. 4, 27. 47. 12, 56. 13, 55. — *quanto sit angustius imperitatum* sc. tunc quam nunc. Hoc dictum in Traiani laudem, qui fines imperii promovit; *Lips.* Cf. ad 2, 61, 3.

CAPUT V.

Italiam utroque mari duae classes, Misenum apud et Ravennam, proximumque Galliae litus rostratae naves praesidebant, quas Actiaca victoria captas Augustus in oppidum Foroiuliense miserat valido cum remige. Sed praecipuum robur Rhenum iuxta, commune in Germanos Gallosque subsidium, octo legiones erant. Hispaniae recens perdomitae tribus habebantur. Mauros Iuba rex acceperat donum populi Romani. Cetera Africae per duas legiones parique numero Aegyptus: dehinc initio ab Syria usque ad flumen Euphraten, quantum ingenti terrarum sinu ambitur, quatuor legionibus coercita, accolis Ibero Albanoque et aliis regibus, qui magnitudine nostra proteguntur adversum externa imperia. Et Thraciam Rhoemetalces ac liberi Cotyis, ripamque Danubii legionum duae in Pannonia, duae in Moesia attinebant, totidem apud Dalmatiam locatis, quae positu regionis a tergo illis ac, si repentinum auxilium Italia posceret, haud procul accirentur, quanquam insideret Urbem proprius miles, tres urbanae, novem praetoriae cohortes Etruria ferme Umbriaque delectae aut vetere Latio et coloniis antiquitus Romanis. At apud idonea provinciarum sociae triremes alaeque et auxilia cohortium, neque multo secus in iis virium. Sed persequi incertum fuerit, quum ex usu temporis huc illuc mearent, gliscerent numero et aliquando minuerentur.

1. *Italiam — praesidebant* (v. ad 3, 39, 1.) in *utroque mari*, infero s. Tyrrheno et supero s. Hadriatico, *duae classes* praetoriae, *Misenensis* ad illius, *Ravennatensis* ad huius tutelam, et praeterea duae minores, *Foroiuliensis* et *Pontica*. Cf. ad H. 3, 43, 3. Suet. Oct. 49. Strab. IV. p. 184. Lips. de magn. Rom. 1, 5. — *proximum Galliae litus rostratae naves praesidebant, quas Actiaca victoria captas Augustus in oppidum Foroiuliense miserat valido cum remige* in portum bene munitum; (*claustra maris* H. 3, 43, 3.) quam ob causam coloniam Foroiuliensium Agr. 4 pr. *illustrem* vocari ad eum locum annotavit Walch. coll. loco memorabili Dionis 54, 23. De *oppido Foroiuliensi* s. Foro Iulii v. ad 2, 63, 2. — *valido cum remige*, cf. Ind. III. v. *Numerus sing. pro plur.* „Epitheto *validus* praeter

numerum etiam vigor aetatis et robur corporis designatur. Sic *remiges firmissimi* ap. Vell. 2, 48." *Freinsh.*

2. *Sed praecipuum robur Rhenum iuxta — octo legiones erant,* „divisae per varia castra et castella, quae non dubia origo nobilium in eo tractu oppidorum. Drusus *per Rheni ripam L. amplius castella direxit* Flor. 4, 12." *Lips.* Cf. ad 1, 3, 7. et 1, 31, 1. De his legionibus et de ceteris, quae in hoc cap. memorantur. v. Ind. III. v. *Legiones. Rhenum iuxta,* ut paulo ante *Misenum apud.* v. Ind. III. v. *Praepositt. nominibus postpositae. — Hispaniae recens* a. U. 730. *perdomitae* ab Augusto, qui Cantabros et Astures devicit, sed per legatos; nam ipse gravi et diuturno morbo Tarracone laborabat. v. Dio 51, 20. 53, 22. 25. 28. 29. 54, 5. 11. Suet. Oct. 21. 81. Liv. 28, 12. Hor. od. 3, 14. ubi v. intpp. *Hispaniae tribus legionibus habebantur,* v. ad 1, 1, 1. et Ind. III. v. *Ablativi pendentes ex omissa praep.* a, et *Dativus subiectivus. — Iuba rex,* in Italia educatus et Augusti socius, *Mauros,* Mauretaniam utramque, Caesariensem et Tingitanam, *acceperat* ut *donum* ab Augusto praeter Numidiam regnum paternum. v. Strab. XVII. p. 828. Dio 51, 15. 53, 26. 59, 25. Hic fuit filius Iubae a Caesare devicti, pater Ptolemaei iussu Caligulae interfecti, gener Antonii et Cleopatrae. Cf. c. 23. 24. 26. Dio ll. ll. Suet. Cal. 26. 35. Plin. 5, 1. Sen. de tranq. an. 11. Idem scriptis magis quam dominatu inclaruit. v. Plin. 5, 1. 6, 31. 12, 14. ibique Hard. in Ind. Auct. — *Cetera Africae — per duas legiones — coercita:* haec interpunctio ex edd. vet. recte revocata a Walth. Editores rec. maximam distinct. posuere post *Aegyptus* intellecto *habebantur* ex praec. *Africae,* v. ad 3, 32, 2. *per duas legiones,* v. ad 2, 52, 2. — *parique numero Aegyptus,* v. ad H. 2, 6, 4. — „*dehinc,* exinde, ἐντεῦθεν, darnach, (ut 1, 34.) *initio ab Syria* sc. facto, ducto, von Syrien an, h. e. ita ut initium fiat a Syria. Nam simplex *ab Syria* potest etiam ita intelligi, ut Syria non computetur, ut nostrum von Syrien bis." *Walth.* Ita iam Brot. et Kiessl. Sed cf. ad 14, 9, 1. — *Syria* latiori sensu sumpta *usque ad flumen Euphratem* porrigitur. v. Strab. XVI. p. 749. Mel. 1, 11. Plin. 5, 13. ubi cf. Hard. — *quantum ingenti terrarum sinu ambitur,* cf. Ind. II. et ad G. 1. n. 2. — *coercita* MS. edd. Ber. Rhen. I. Pich. et rec. *cohercitum* et *coercitum* edd. Rhen. 2. 3. Ald. et cet. ante Pich. — *Ibero,* in edd. vet. *Hybero. Iberia* in Ponto adiacet Colchorum regioni, *Albania,* hod. *Georgia* Iberiae, Armeniae et Caspio mari. — *Thraciam Rhoemetalces ac liberi Cotyis — attinebant,* v. ad 2, 64. 66. 67. 3, 38. 4, 47. *Cothyis* ed. Ber. sed eadem *Cotyis* aliis locis — *legionum duae in Pannonia,* v. ad 2, 52, 2. — *duae in Moesia,* VII. Claudia et VIII. Augusta. — *attinebant,* v. ad 1, 35, 3. — *totidem apud Dalmatiam locatis,* v. Ind. II. v. *Apud. Dalmatia,* quae antea inermis fuit, *Augusto tradita* a. U. 743. perpetuumque praesidium in ea decretum. v. Dio 54, 34." *Lips.* — *positu regionis,* Dalmatia posita, sita *a tergo illis legionibus,* quae in Pannonia erant et Moesia. — *haud procul accirentur,* v. ad 1, 35, 3. — *tres urbanae, novem praetoriae cohortes:* „Omittit septem cohortes vigilum institutas iam ab Augusto, quae numero et robore supra urbanas. Causa haec, quia id aevi vigiles non censebantur inter legitimos iustosque milites. Itaque in omnibus bellis civilibus Galbae, Othonis, Vitellii rara eorum mentio, nullus usus. E libertinis lecti erant, vile genus et Vulcani potius ministri quam Martis. Itaque nec praefecti vigilum inter illustres dignitates mentio Tacito usquam; cuius auctoritas tamen adolevit, sicut et militum ipsorum, uti ex Pandectis aliisque scriptoribus clarum." *Lips.* Cf. ad 11, 35, 2. „Mercerus inclinat corrigere *quatuor urbanae, decem praetoriae cohortes* ex inscript. ant. ap. Gruter. p. 258, 8. et Dione 55, 24. quem erroris arguit Lips. de magn. Rom. 1, 4. Fabrettus in Inscr. p. 127 sq. mavult utrumque, Tacitum et Dionem, pro suo aevo intelligere, quod res variavit cum in

praetoriis, tum in urbanis cohortibus." *Ern.* Fabretto suffragantur Brot. et Walth. Cf. ad H. 2, 93, 4. — *Etruria*, v. Ind. III. v. *Ablativi pendentes ex omissa praep.* in. — *coloniis* ex emend. Lips. *colonis* MS. et edd. vet. *coloniis antiquis* malebat Mur. „Dum viguit res Romana, non modo urbanae et praetoriae cohortes, sed legiones omnes civibus Rom. constabant. Qua lege nihil fuit ad gloriam splendidius, ad praesidium tutius. Sed iure civitatis pluribus dato ac tandem ab Antonino Caracalla cum omnibus, qui sub imperio Rom. erant, communicato, periit disciplina militaris et res Romana pessumdata." *Brot.*

3. *At apud idonea provinciarum* loca; cf. Ind. II. v. *Apud* et Ind. III. v. *Adiectiva neutr. gen.* — *sociae triremes*, sociorum classes in Danubio, Rheno, Ponto, *neque multo secus*, minus, *virium in iis*, sc. *alis et auxiliis cohortium*, h. e. equitibus peditibusque sociorum auxiliaribus, (v. ad 3, 32, 2.) quam in legionibus: ex quo magnitudinem opesque videas imperii Romani; *Lips.* — *sed persequi incertum fuerit* cet. auxilia non certo satis et accurate recenseri possunt, quum legiones certas stationes haberent, etsi non plane immutabiles, auxiliis autem nullus certus locus attributus esset; *Ern.* *fuerit* edd. rec. ex emend. Lips. *fuit* MS. et edd. vet. *persequi incertum fuerit*, ut 15, 41. *domuum numerum inire haud promptum fuerit.* Si tamen *fuit* defendendum sumpseris, auctorem dices non coniicere incertum fore, sed potius asseverare, incertum fuisse, quum ex actis monimentisque publicis haec scrutaretur." *Walth.* — *gliscerent*, v. Ind. II.

CAPUT VI.

Congruens crediderim, recensere ceteras quoque rei publicae partes, quibus modis ad eam diem habitae sint, quando Tiberio mutati in deterius principatus initium ille annus attulit. Iam primum publica negotia et privatorum maxima apud Patres tractabantur dabaturque primoribus disserere, et in adulationem lapsos cohibebat ipse; mandabatque honores nobilitatem maiorum, claritudinem militiae, illustres domi artes spectando, ut satis constaret, non alios potiores fuisse. Sua consulibus, sua praetoribus species. Minorum quoque magistratuum exercita potestas, legesque, si maiestatis quaestio eximeretur, bono in usu. At frumenta et pecuniae vectigales, cetera publicorum fructuum societatibus Equitum Romanorum agitabantur. Res suas Caesar spectatissimo cuique, quibusdam ignotis ex fama mandabat, semelque assumpti tenebantur prorsus sine modo, quum plerique iisdem negotiis insenescerent. Plebes acri quidem annona fatigabatur, sed nulla in eo culpa ex Principe: quin infecunditati terrarum aut asperis maris obviam iit, quantum impendio diligentiaque poterat, et ne provinciae novis oneribus turbarentur utque vetera sine avaritia aut crudelitate magistratuum tolerarent, providebat. Corporum verbera, ademptiones bonorum aberant.

1. *recensere ceteras quoque reip. partes, quibus modis — habitae sint* pro vulg. *recensere, quibus modis ceterae* cet. quae ratio Graecis frequens; *Ern.* — *habitae sint*, v. ad 1, 1, 1. — *quando*, v. ad 1, 57, 1. Cf. Ind. III. v. *Constructio verborum variata* et Ramshorn. Gram. p. 698. — *Iam primum — apud Patres tractabantur*, quorum deliberationes, decreta et consulta pendebant ex

nutu, arbitrio et mandato Principis, sive praesentis, sive absentis. Cf. ad 1, 2, 6. 1, 15, 1. 2, 79, 1. *Iam primum* dictum ut al. *ut hinc exordiar; Freinsh.* — *ipse* Tiberius, Caesar. *Ipse* et *ille*, ut Gr. *αὐτὸς* et *ἐκεῖνος*, saepe etiam auctoritatis, honoris et reverentiae significationem habet, et hinc exquisite ita dicuntur magister, dominus, Imperator, patronus cet., ubi ex appositione intelligi potest, ad quod referatur. Notissimum illud Pythagoreorum *αὐτὸς ἔφη*. Cf. ad Agr. 44. n. 4. Ern. ad 15, 72, 1. et ad Cic. N. D. 1, 5. Casaub. ad Theophr. Char. II. Fischer. Ind. Theophr. v. *αὐτός*, Valken. ad Theocr. 3, 38. Küster. ad Aristoph. Plut. 195. 219. intpp. Iuvenal. 1, 62. 97. 5, 30. Val. Fl. 3, 150. Ovid. Trist. 5, 1, 45. — *illustres domi artes*, v. ad 3, 70, 2. — *sua consulibus*, *sua praetoribus*, ut ceteris magistratibus, *species*, ornamenta eadem s. dignitas, quae rep. vetere, ut ap. Suet. Caes. 77 pr. et Cic. in Pis. 11. ubi iunguntur *species*, *dignitas* et *maiestas* consulis; *Ern.* *Species*, ut *εἶδος*, forma externa et saepe pulchra, externus splendor, nostrum Ansehen, (unde *speciosus* 3, 55. Agr. 44.) h. l. tituli et honores sine vi. Cf. ad 3, 17, 2. 15, 16. G. 16. Agr. 4. 6. (ubi et *silentium* hoc sensu dicitur) O. 6. — *si maiestatis quaestio eximeretur*, quaestio de criminibus maiestatis exciperetur, quae cuivis ac levissimis de causis imputabantur; *Brot.* Cf. ad 1, 72, 2.

2. *At frumenta*, decumae ex agris publicis et vectigalibus, ut in Sicilia, *et pecuniae vectigales*, non modo scriptura et portorium, sed reliqua etiam vectigalia ab Augusto instituta, et *cetera publicorum fructuum*, tributa provincialibus imposita; *Ern.* *Frumenta* sc. vectigalia, quod e voc. *vectigales* intelligendum est; *Walth.* Cf. ad Agr. 19. n. 3. — *frumenta* — a *societatibus* Equitum Romanorum (cf. Ind. III. v. *Ablativi pendentes ex omissa Praep.* a, et *Dativus subiectivus*,) *agitabantur*, ut *agitare* et *agere* ap. Sen. ep. 119. Suet. Vesp. 1. et alios pro tractare, administrare, exercere. Cf. ad 6, 16. et G. 26. n. 1. *Societates*, quibus *magistri* praeerant, inire solebant homines, qui plerumque opulentissimi et *Equites* erant et *publica* vectigalia, scripturam, decumas et portorium, a Censoribus nec non aedificia operaque publica exstruenda vel reficienda ab Aedilibus, a quibus *locabantur*, *redimebant* s. *conducebant*; unde dicebantur *socii* vel simpl. v. c. ap. Cic. p. Planc. c. 9. et ep. ad div. 13, 9. vel *Bithyniae*, *scripturae* cet., *magistri societatis*, *portus*, *scripturae* cet., *publicani*, *redemptores*, *conductores*. v. ad Agr. 19. n. 3. et intpp. Iuvenal. 3, 31 sq.

3. *Res suas Caesar* cet. fiscum primum eiusque curam, deinde etiam, ut opinor, provincias suas, quod colligas e Suet. Tib. 41. quanquam ille socordiae tribuit; *Ern.* v. ad 1, 80, 1. — *tenebantur*, retinebantur in muneribus, *sine modo*, fine temporis. Cf. 1, 80. — *Plebes acri annona fatigabatur*, cf. ad 15, 72, 1. et Ind. II. v. *acer* et *fatigare*. Vitiose *agri* in edd. Ber. et Rhen. ut *fatigabantur* in ed. Ob. et al. — *asperis maris*, tempestatibus saevientibus in naves, quae frumentum ex Africa et Aegypto advehebant. Cf. 3, 54. — *avaritia magistratuum*, cf. ad 1, 2, 7.

CAPUT VII.

Rari per Italiam Caesaris agri, modesta servitia, intra paucos libertos domus ac, si quando cum privatis disceptaret, forum et ius. Quae cuncta non quidem comi via, sed horridus ac plerumque formidatus retinebat tamen, donec morte Drusi verterentur: nam, dum superfuit, mansere, quia Seianus incipiente adhuc potentia bonis consiliis notescere volebat et ultor metuebatur non occultus odii et crebro querens, *incolumi filio*

adiutorem imperii alium vocari; et quantum superesse, ut collega dicatur? Primas dominandi spes in arduo: ubi sis ingressus, adesse studia et ministros. Exstructa iam sponte praefecti castra, datos in manum milites; cerni effigiem eius in monimentis Cn. Pompeii; communes illi cum familia Drusorum fore nepotes. Precandam post haec modestiam, ut contentus esset. Neque raro, neque apud paucos talia iaciebat, et secreta quoque eius corrupta uxore prodebantur.

1. *Rari per Italiam Caesaris agri,* neque latifundia, ut postea ex bonorum publicatione et reorum damnationibus orta; *Lips.* — *modesta servitia,* servi pauci, intra modum; *Mur.* „Immo nondum, ut postea, immodesti, nimis arrogantes, insolentes, potentes. Cf. 4, 74. 6, 8. Sen. ep. 74. Lamprid. Com. 19. et Spartian. Hadr. 21.“ *Freinsh.* „Recte, et similiter *modestia vitae* 2, 52. v. Spald. ad Quintil. 1, 2, 4. (*nec tutior inter servos malos quam ingenuos parum modestos conversatio est*) Doederl. Synon. II. p. 205. Hess. ad G. 36. g.“ *Boett.* in Lex. Tac. Cf. ad 1, 11, 2. et Iuvenal. 3, 131. 5, 66. „Sane inter *raros agros* et *paucos libertos* non est locus disserendi de moribus servorum. Cogites de modestia Tiberii in servitiis, neque tamen de numero tantum, sed etiam de cultu et pretio modesto servorum. De luxu Caesaris in hac re v. Suet. Caes. 47.“ *Walth.* Cf. etiam de cultu et magno pretio servorum intpp. Iuvenal. 3, 189. et 5, 52 sq Sed *modestos servos* vix dixeris vel paucos vel modico pretio emptos. — *non quidem comi via* sc. morum, ut 1, 54. h. l. etsi non comis s. facilis, *sed horridus, retinebat tamen,* non mutabat; *Ern.* Cf. 6, 41. 13, 54. *Via* est ratio, ut ap. Suet. Oth. 4. *alium alia via militem demerebatur* et Gr. ὁδός id. qd. τρόπος, *Walth.* — *verterentur* v. ad 2, 42, 1. — *dum,* quamdiu, *superfuit,* in vivis fuit Drusus, ut 6, 40. 51. 13, 18. 16, 26. — *ultor metuebatur,* sc. Drusus. — *non occultus odii,* non occultans odium erga Seianum. *odii* edd. rec. ex emend. Lips. *odiis* MS. et edd. vet. Cf. ad 6, 36, 2.

2. *spes in arduo* esse, ut 12, 15. Cf. Ind. II. v. *In.* — *exstructa iam sponte* (v. ad 2, 59, 2.) *praefecti* praetorio, Seiani, *castra* praetoria extra Urbem. Cf. cap. 2. — *cerni effigiem eius in monimentis Cn. Pompeii,* in eius theatro. Cf. ad 3, 23. 1. 3, 72, 3. et 4, 2, 2. *monimentis* edd. Ber. Rhen. 1. et rec. *monumentis* edd. Rhen. 2. 3. sqq. Cf. ad 3, 23, 1. — *communes illi cum familia Drusorum fore nepotes:* „sed querela haec vana est: nam Drusus, Claudii filius, exstinctus post paucos dies quam Seiani filia ei esset desponsa, et ante biennium. v. 3, 29. Dio 60, 32. Suet. Claud. 27. et Zonar. 2, 2. ubi non scribendum *Iuliam,* sed *Liviam* Drusi (maioris) *filiam desponsam Seiano.* Non infitiabimur, quin Tacitus guttam attigerit e flumine Lethes.“ *Lips.* Tales querelae saepius erupere (*crebro querens*) et quum Tacitus singulas suis locis commemorare nollet, collegit eas hic loci, in quem seposuerat totam de Seiani potentia historiam; *Freinsh.* „Seiani filia ante biennium destinata quidem Claudii filio aut promissa, non vero iam desponsa. v. Gell. 4, 4.“ *Mur.* et *Salin.* Immo nihil aliud queritur Drusus nisi quod iam Seianus coniunctione cum Caesare dignus sit habitus, et praevidit fore ut quandoque aliud simile moliretur; *Pich.* et *Brot.* Obierat quidem Drusus filiae Seiani destinatus, quum ei ante paucos dies pater illam despondisset: at mire oblitus est Lipsius, a Tacito hasce Drusi querelas disertis verbis referri ad incipientem adhuc Seiani potentiam, ubi Claudii filius in vivis erat, et potuisse Drusum haec queri ante sponsalia illa et quum primum audivisset ea esse futura; *Walth.* — *precandam post haec Modestiam:* „mirum loquendi genus, quasi Modestia inter deas. Et cave tamen immutes. Simile illud

15, 17. *sic quoque optimam Fortunam orandam, ut pedes equitem assequeretur.*" *Lips.* „Virtutes Romae cultae et *Clementiae* ac *Moderationis* sigilla inscripta ipsius Tiberii numis. v. Eckhel. doctr. num. T. VI. p. 187." *Croll.* „Eo sensu mihi nihil videtur frigidius. Poetarum est fingere numina quae non sunt, non historicorum. Tacitus ait, post haec atque talia eo evectum Seianum, ut non imperari ei amplius modestia possit, sed rogare necesse sit, ut contentus velit esse intraque illum modum consistere: *precandam* Seiani vel Seiano a diis *modestiam*, rogandos deos, ut hanc illi dent; abiit enim id e potestate nostra. *Precari* autem tam dicimus *rem a diis alicui*, quam *deos aliquid* aut *pro aliquo.*" *Gron.* ad h. l. et obss. 3, 10. „Recte: *precandam* pro *imprerandam*, Germ. man müsse ihm Bescheidenheit anwünschen." *Roth.* ad Tac. Agr. p. 165. „Sed duriuscula sane est omissio pronominis *ei* vel *eius*, quum eo totus locus incertus evadat, quod iam annotavit Oberl. Deinde concedes, parum salis ita inesse verbis. Denique ad illum sensum verba debebant collocari sic: *modestiam post haec precandam.* At dea *Modestia* apud Romanos inaudita. Concedo. Atqui in eo ipso lepidissimum sententiae acumen latet; Drusus enim dicit, *post haec precandam esse modestiam*, uti dii invocari solent, ut Seianus contentus sit utque ita ope divina efficiatur, quod supra vires sit humanas. Cf. etiam 15, 17. *sic quoque optimam Fortunam orandam, ut* cet. et Plin. pan. 86. *precatusque maria.* Ceterum cave, ne Romanos putes serio cogitasse de veris qui dicuntur diis, quum aras aut templa statuerent quibusdam virtutibus, animi affectibus et eiusmodi nominibus aliis, eaque invocarent ut numina. In hoc genere mera utebantur fictione poetica, et ex ea apud illos omnino res divinae pendebant. Quaevis res, in qua vis inest maior aliqua, sic appellatur, ut ea ipsa vis nominetur deus. Cf. Cic. de N. D. 2, 23. *ut contentus esset*, h. e. ne maiora cuperet, ut 12, 52. et ap. Plin. ep. 7, 29." *Walth.* — *iaciebat*, v. ad 11, 9, 2.

CAPUT VIII.

Igitur Seianus maturandum ratus deligit venenum, quo paulatim irrepente fortuitus morbus assimularetur. Id Druso datum per Lygdum spadonem, ut octo post annos cognitum est. Ceterum Tiberius per omnes valetudinis eius dies nullo metu, an ut firmitudinem animi ostentaret, etiam defuncto nec dum sepulto, curiam ingressus est, consulesque sede vulgari per speciem maestitiae sedentes honoris locique admonuit et effusum in lacrimas senatum victo gemitu, simul oratione continua erexit. *Non quidem sibi ignarum, posse argui, quod tam recenti dolore subierit oculos senatus: vix propinquorum alloquia tolerari, vix diem aspici a plerisque lugentium, neque illos imbecillitatis damnandos; se tamen fortiora solatia e complexu rei publicae petivisse.* Miseratusque Augustae extremam senectam, rudem adhuc nepotum et vergentem aetatem suam, ut Germanici liberi, unica praesentium malorum levamenta, inducerentur petivit. Egressi consules firmatos alloquio adolescentulos deductosque ante Caesarem statuunt. Quibus apprensis, *Patres conscripti, hos,* inquit, *orbatos parente tradidi patruo ipsorum precatusque sum, quanquam esset illi propria suboles, ne secus quam suum sanguinem foveret ac tolleret sibique et posteris conformaret. Erepto Druso, preces ad vos converto*

diisque et patria coram obtestor, Augusti pronepotes clarissimis maioribus genitos suscipite, regite, vestram meamque vicem explete. Hi vobis, Nero et Druse, parentum loco. Ita nati estis, ut bona malaque vestra ad rem publicam pertineant.

1. *ut octo post annos cognitum est*, „a. U. 784. quo interfectus Seianus et scelus hoc proditum ab Apicata uxore eius. v. cap. 11. et Dio 58, 11." *Lips*. Cf. ad 5, 9, 2. extr. — *omnes valetudinis eius* (sc. Drusi) *dies*, genitivi, quorum alter ex altero pendet, quorumque iunctura evitanda, sed Tacito sollennis est. Cf. ad c. 26. n. 1. 11, 38, 2. 12, 3, 2. 12, 5, 1. 12, 26, 2. 12, 28, 2. H. 3, 10, 2. et Ind. III. v. *Genitivi ex se pendentes*. — *nullo metu an*, v. ad 2, 38, 5. — *consulesque sede vulgari per speciem maestitiae sedentes*, „i. e. in sedibus praetorum aut tribunorum, ut Dio 56, 31. interpretari videtur in morte Augusti. Nec dissimile est, quod scribit Suet. Claud. 23. Humiles autem senatorum omnium sedes, altae consulum et excelsae, sellae curules. Cf. Lucan. 5, 15. 16. et Ovid. ex P. 4, 5, 18. 4, 9, 28." *Lips*. „Immo in subselliis senatorum communibus, quo loco senatori cuique sedere licebat, et loco inferiori; unde *admoniti honoris locique*, quum deberent sedere in sella curuli et loco altiori, in tribunali s. solio. Subsellia praetorum et tribunorum non possunt profecto *sedes vulgaris* appellari; nec, quia Augusto mortuo in subselliis tribuniciis ac praetoriis sedere consules luctus causa, propterea et nunc idem fecere. Etenim ista non more aliquo et certo instituto fiebant, sed sponte et ut cuique suggerebat ingenium: in quo genere nihil certi est." *Ryck*. et *Ern*. — *victo gemitu*, non senatus, sed suo. Similiter *victo silentio* 11, 2. ubi v. nota 1. — *propinquorum alloquia* „quod proprium in consolatione, ut *vix diem aspici* in magno luctu: nam lugentes limine et domo se continebant. Cf. Plin. ep. 9, 13, 4." *Lips*. — *e complexu rei publicae*, ex eius cura et negotiis s. actu rerum, ut c. 13 pr. et H. 4, 11. *Freinsh*. „Immo sensus est, se maluisse in complexum rei publ. ruere velut matris, atque ibi levamentum doloris quaerere, hinc solatia satis fortia petere. Cf. Cic. in Pis. 9. et inpr. ep. ad div. 4, 6. *habebam quo confugerem, ubi conquiescerem, in cuius sermone et suavitate omnes curas doloresque deponerem; — non nunc domo maerens ad rem publicam confugere possum, ut in eius bonis acquiescam.*" *Ern*. — *miseratus* — *rudem adhuc nepotum* e Druso *aetatem*, nondum adultam et artis regnandi rudem; *Brot*. — *et vergentem aetatem suam* ad senectam et vitae exitum. Cf. Ind. II. v. *Vergere*.

2. *Quibus apprensis*: in MS. *Q. adprensis*, in edd. paene omnibus *Q. adprehensis* vel *apprehensis*. Cf. ad 3, 53, 1. — *patruo ipsorum* Druso, adoptionis iure, non re; *Brot*. — *foveret ac tolleret*, amaret et educaret, vel, ut 2, 37. *suscipere*, ut liberos a se genitos reciperet. *foveret*, ut gallina pullos; vel ut al. *fovere* de amore, favore et ope. Cf. ad 2, 43, 3. Infantes autem recens nati humi deponebantur et, quos pater *tollebat*, agnoscebat pro suis liberis, quos non tollebat, exponebantur. Cf. 2, 37. Agr. 6. et qui a Dronkio ibi laudantur, Suet. Aug. 5. Plin. H. N. prooem. l. VII. et Ruhnk. ad Terent. Andr. 2, 3, 14. *foveret attollere* MS. — *conformaret* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. Pich. et rec. *confirmaret* edd. Lips. Hoc malebant Heins. et Wopk. Ille explicabat educaret, aleret; hic fidos amicosque redderet, ut 1, 71. H. 5, 4. Sall. Iug. 45. „Quae loca huc non faciunt, ubi de educatione liberorum sermo. Contra *formare* de ea dixit Plin. ep. 4, 19. 8, 23. 10, 118." *Walth*. — *Hi*, Patres, δεικτικῶς. — *Nero et Drusus* filii Germanici.

CAPUT IX.

Magno ea fletu et mox precationibus faustis audita, ac si modum orationi posuisset, misericordia sui gloriaque animos audientium impleverat: ad vana et totiens irrisa revolutus de reddenda re publica, utque consules seu quis alius regimen susciperent, vero quoque et honesto fidem dempsit. Memoriae Drusi eadem quae in Germanicum decernuntur, plerisque additis, ut ferme amat posterior adulatio. Funus imaginum pompa maxime illustre fuit, quum origo Iuliae gentis Aeneas omnesque Albanorum reges et conditor Urbis Romulus, post Sabina nobilitas, Attus Clausus ceteraeque Claudiorum effigies longo ordine spectarentur.

1. *animos audientium impleverat* dictum putant pro *a. a. implevisset*. „Sed re vera *impleverat,* deerat tamen constantia sensuum in audientibus propter vana, quae sequebantur. Sic 1, 23, 2. *aberant,* non *abfuissent*; nam sententia est: re vera haud multum ab exitio aberant et exitio ille occubuisset, *si propere* cet. v. Ramshorn. Gr. §. 166. 190. Idem modus dicendi est 6, 43 pr. *si statim interiora ceterasque nationes petivisset, — omnes in unum cedebant.*" *Walth.* Cf. Ind. III. *Verborum Modi* et Ramsh. Gr. §. 585. — *vana et toties irrisa*, cf. 1, 12. 72. — *de reddenda re publica* legibus, populo et senatui.

2. *quae in Germanicum*, v. 2, 83. — *plerisque additis*, multis, pluribus. v. ad 3, 28, 4. — *ut ferme amat*, solet, φιλεῖ. — *posterior adulatio,* quae maior et immodestior esse solet quam recens et prima. — *imaginum pompa*, cf. 2, 32. 3, 5. et Ind. II. — *origo Iuliae gentis Aeneas*, h. e. auctor, a cuius filio Iulo s. Ascanio gens Iulia originem duxisse credebatur. Cf. ad 4, 43, 2. 11, 24. 12, 49, 1. G. 2. n. 6. Sall. Iug. 19. Liv. 26, 13. 38, 39. Virg. Aen. 12, 168. Ovid. Met. 11, 755. et Ind. III. v. *Abstracta pro Concr.* — *Attus Clausus* auctor gentis Claudiae, qui Romae *Appius Claudius* vocatus est. *Attus Clausus* MS. edd. Pich. et rec. Cf. 11, 24. et 12, 25. (ubi *Atta Clauso* MSS. Flor. et Vat. a m. pr. *Atta Clauso* edd. Lips. et rec. *Appio Claudio* ed. Spir. *Appio Clauso* edd. Rhen. 2. 3. et Ald. *Accio Clauso* MS. Guelf. *Actio Clauso* MS. Bud. edd. Ber. Put. 1. 2. Rhen. 1.) Liv. 2, 16. 10, 8. Suet. Tib. 1. 2. Sil. 8, 412. 17, 33. Dionys. Hal. 5, 40. *Appius Clausus* edd. vet.

CAPUT X.

In tradenda morte Drusi, quae plurimis maximeque fidis auctoribus memorata sunt, retuli; sed non omiserim eorundem temporum rumorem, validum adeo, ut nondum exolescat: corrupta ad scelus Livia, Seianum Lygdi quoque spadonis animum stupro vinxisse, quod is Lygdus aetate atque forma carus domino interque primores ministros erat; deinde inter conscios ubi locus veneficii tempusque composita sunt, eo audaciae provectum, ut verteret et occulto indicio Drusum veneni in patrem arguens moneret Tiberium, vitandam potionem, quae prima ei apud filium epulanti offerretur: ea fraude tum senem, postquam convivium inierat, exceptum poculum Druso tradidisse, atque illo ignaro et iuveniliter hauriente auctam suspicionem, tanquam metu et pudore sibimet irrogaret mortem, quam patri struxerat.

1. *plurimis auctoribus memorata*, cf. Ind. III. v. *Ablativi ex omissa Praep. a pendentes* et *Dativus subiectivus*. — *corrupta* sc. adulterio *ad scelus Livia*, ad caedem mariti; *Walth*. *Scelus* h. l. et 1, 5 pr. 6, 33. 12, 47. 16, 23. est caedes scelesta; *Wopk*. Cf. ad c. 3. et 2, 62, 2. — *is Lygdus*: nomen *Lygdus* e glossa ortum; *Ern*. et alii. „Sed minime ab usu bonorum scriptorum talis repetitio abhorret et hic satis idonea eius ratio fuit. Nam verba *corrupta* — *vinxisse* pendent e voce *rumorem*, sequentia *quod is* — *erat* explicandi causa ab ipso scriptore adduntur. Hinc nomen *Lygdus* apte repetitur, plane ut *is Pelignus* 12, 49. — *Lygdus* spado *inter primores ministros erat*, v. ad 6, 31, 2.

2. *ubi locus veneficii tempusque composita sunt*, v. Ind. III. v. *Praedicatorum et Subiectorum Numeri ac Genera diversa*. *tempusque* in MS. et edd. Ber. Rhen. Ald. Pich. et rec. *tempus* in edd. aliis et Lips. non in Antverp. 1627. *sint* MS. edd. Pich. et rec. *sunt* edd. vet. quod bene defendit Roth. ad Tac. Agr. p. 261. Legendum *fuerint* vel *fuerant*, temporum ratione postulante, ut mox *postquam convivium inierat*; *Ern*. Est potius enallage temporis, ut 4, 11.; *Wopk*. Sed hic locus satis dubiae est fidei, et nil veri in Ern. commentis; *Walth*. At v. Roth. l. l. — *eo audaciae provectum*: „Sic edd. Ber. Rhen. tres, Ald. et seqq. ut 2, 55. ubi tamen *profectus* edd. rec. in quibus, excepta Bekkeriana, h. l. servatum *provectum* mira inconstantia. Idem valet de loco H. 3, 17. ubi libri vett. *provectus*, quod suis locis reposui." *Walth*. Cf. ad c. 4. n. 1. — *ut verteret* sc. se s. consilium. *Ern*. Cf. Ind. II. — *prima ei* edd. rec. ex emend. Rhen. *prima et* MS. et edd. vet. Non inepte, sed illud placidius auribus nostris; *Walth*. — *tum*, v. ad 2, 9, 2. *cum* MS. *tum* in marg. — *Postquam convivium inierat, e. p. D. tradidisse*, v. ad 1, 10, 1. — *iuveniliter*, νεανικῶς, avide, strenue celeriterque; *Ern*.

CAPUT XI.

Haec vulgo iactata, super id quod nullo auctore certo firmantur, prompte refutaveris. Quis enim mediocri prudentia, nedum Tiberius tantis rebus exercitus, inaudito filio exitium offerret, idque sua manu et nullo ad poenitendum regressu; quin potius ministrum veneni excruciaret, auctorem exquireret, insita denique etiam in extraneos cunctatione et mora adversum unicum et nullius ante flagitii compertum uteretur? Sed quia Seianus facinorum omnium repertor habebatur, ex nimia caritate in eum Caesaris et ceterorum in utrumque odio quamvis fabulosa et immania credebantur, atrociore semper fama erga dominantium exitus. Ordo alioqui sceleris, per Apicatam Seiani proditus, tormentis Eudemi ac Lygdi patefactus est: neque quisquam scriptor tam infensus exstitit, ut Tiberio obiectaret, quum omnia alia conquirerent intenderentque. Mihi tradendi arguendique rumoris causa fuit, ut claro sub exemplo falsas auditiones depellerem peteremque ab iis, quorum in manus cura nostra venerit, ne divulgata atque incredibilia avide accepta veris neque in miraculum corruptis antehabeant.

1. *Haec vulgo iactata* et credita Orosio 7, 3. quales scriptores, legitimae historiae dehonestamenta, me non valde movent; *Lips*. „Quod quidem eo minus ferendum, quia ipse Tacitum legerat. Quibusdam autem hominibus commune est, ut, si quis vitiosus sit, eum statim vitiis omnibus contaminatum facile pronuntient, credant facilius. Falsa virtutis specie veritatem et humanitatem exuunt. Turpe et odiosum in ceteris

hominibus ingenium, in scriptoribus pessimum." *Brot.* Fabula innititur argumento sumpto et similitudine eorum, quae structa inter Tiberium et Agrippinam infra narrantur; *I. Gron.* — *super id,* praeter id, nostrum abgesehen davon. — *inaudito filio exitium offerret:* verbum propr. de iis, quae dantur edenda et bibenda, apte vero dici potuit h. l. quia *exitium* fuit in poculo; *Walth.* — *nullo ad poenitendum regressu,* „ad mutandum, *si poeniteret.* Tacito in animo fuit Liv. 24, 26 extr. aut 42, 13 pr." *Ern.* Cf. H. 1, 52. 2, 76. Suet. Caes. 31. Liv. 40, 6. Iustin. 32, 3. — *cunctatione et mora* synon. ut 6, 48 pr. — *adversus unicum filium et nullius ante flagitii compertum,* v. ad 1, 3, 6. Nonnulli signum interrogandi etiam post *regressu* ponunt et *quin* accipiunt pro *cur non.*

2. *Seianus facinorum omnium repertor* sumptum e Virg. Aen. 2, 164. ubi in MS. Graev. *repertor*; *Ern.* — *atrociore semper fama erga dominantium exitus,* πρός, in Rücksicht auf; *Walth.* Cf. ad 12, 46, 2. Sparguntur plurimum et creduntur atrocia aut tragica de morte dominantium; *Lips.* Non ut vulgus hominum moriuntur Principes, sed plerumque vel suo vel aliorum scelere exstincti dicuntur; *Brot.* — *ordo alioqui sceleris per Apicatam patefactus est,* v. ad 4, 8, 1. *Apicatam Seiani* sc. uxorem. v. Ind. III. v. *Ellipses* nr. 6. Ruddim. inst. Gram. T. II. p. 41. Palairet. obss. phil. crit. p. 370. et Fabretti corp. inscr. c. 1. p. 56 sq. — *falsas auditiones,* ἀκροάσεις, *Mur.* *Auditiones* rumores, ut ap. Cic. Planc. 3. *aud. fictas*; *Ern.* Cf. ad 12, 49, 1. — *quorum in manus cura nostra venerit,* v. ad 3, 24, 2. — *ne* omissum in MS. — *avide accepta:* in MS. *vide a.* In libris vet. (nescio quibus) *unde* legi dicit Mur. et hinc coni. *unde excepta.*

CAPUT XII.

Ceterum laudante filium pro rostris Tiberio senatus populusque habitum ac voces dolentum simulatione magis quam libens induebat, domumque Germanici revirescere occulti laetabantur. Quod principium favoris et mater Agrippina spem male tegens perniciem acceleravere. Nam Seianus ubi videt, mortem Drusi inultam interfectoribus, sine maerore publico esse, ferox scelerum, et quia prima provenerant, volutare secum, quonam modo Germanici liberos perverteret, quorum non dubia successio: neque spargi venenum in tres poterat, egregia custodum fide et pudicitia Agrippinae impenetrabili. Igitur contumaciam eius insectari, vetus Augustae odium, recentem Liviae conscientiam exagitare, ut superbiam fecunditate subnixam popularibus studiis inhiare dominationi apud Caesarem arguerent, atque haec callidis criminatoribus, inter quos delegerat Iulium Postumum per adulterium Mutiliae Priscae inter intimos aviae et consiliis suis peridoneum, quia Prisca in animo Augustae valida anum suapte natura potentiae anxiam insociabilem nurui efficiebat. Agrippinae quoque proximi illiciebantur, pravis sermonibus tumidos spiritus perstimulare.

1. *laudante filium pro rostris Tiberio,* v. ad 2, 81, 1. „Idem tradit Sen. consol. ad Marc. 15. simulque, *stetisse Tiberium in conspectu posito corpore, interiecto tantummodo velamento, quod pontificis oculos a funere arceret,* quemadmodum pontificem Iudaeorum a cadavere arceri notat Philo de monarchia 2. p. 827. Recenset eundem ritum Dio 54, 28. in funere Agrippae, sed causam eius ignorare fatetur et, quam Seneca dedit, refellit. Ipse tamen 60, 13. refert, statuam Augusti iussu Claudii loco

translatam, ne aut semper aspiceret caedes, aut semper velata esset." *Lips.* Cf. ad 1, 62, 2. et Dio 57, 22. — *habitum ac voces dolentum induebat*, ut *affectum induere* O. 6. nam et *affectus* et *habitus* est sensus, animus, (Gemüthsstimmung) ut *habitus* animi H. 1, 8. 85. 2, 28. G. 4. et *affectus* Ann. 14, 1. H. 1, 15, 8. *induere* vero assumere, inpr. speciem, fingere, assimulare. Cf. ad 14, 52. — *domumque Germanici revirescere*, ut H. 3, 7. Ovid. Met. 7, 305. Sil. 8, 226. 13, 134. Cic. Phil. 7, 1. ubi v. intpp. *revirescere* MS. ed. Ber. Rhen. Ald. I. Gron. et rec. *reviviscere* edd. Lips. vitio operarum aut correctoris, (non enim tacitus recepisset Lips. et contra libros) unde in edd. seq. venit; *Ern.* — *occulti laetabantur*, v. ad 3, 29, 2.

2. *quia prima provenerant*, v. ad 1, 19, 2. — *spargi venenum*: „verbum translatum de animalibus nocentibus. Cf. Ovid. Met. 2, 801. 14, 57. 403. Cic. Cat. 2, 10." *Walth.* — *in tres* Germanici filios, Neronem, Drusum, Caium, patri superstites; *Freinsh.* Cf. Suet. Cal. 7. — *egregia* — *impenetrabili*, cf. Ind. III. v. *Ellipsis Verbi substant. in Partic.*

3. *vetus Augustae odium* (v. 1, 33. 2, 43.) *recentem Liviae conscientiam*, h. e. Augustam, quae Agrippinam oderat, et Liviam recentis sceleris consciam (v. cap. 3.) *exagitare*, instigare, irritare, *ut* eam tanquam *superbam* — *arguerent*. — *superbiam*, h. e. superbam feminam. Cf. ad 12, 49, 1. et Ind. III. v. *Abstracta pro Concretis*. Ita vulgatum defendunt Wopk. et Roth. in N. Archiv für Philol. 1830. N. 3. 4. ubi haec Germ. redduntur: Ihr Stolz, pochend auf Kinderreichthum, dränge sich durch Volksgunst zur Alleinherrschaft. Editiones rec. *superbam fecunditate, subnixam p. st.* ex emend. Mur. De superbia, ferocia et fecunditate Agrippinae v. Ind. I. — *subnixam* (cf. Ind. II.) *popularibus studiis*, v. 3, 1 sq. — *atque haec* — *efficiebat*: Sic MS. et edd. vet. ante Ryck. In edd. rec. maxima post *arguerent* distinctio posita et vel *Adque haec* scriptum e coni. Mur. et Acid. ut sit id. qd. *ac super* s. *praeter haec* (v. ad 14, 31.) — *efficiebat*, vel *Atque haec* scil. Livia (nam Augustam mox *aviam* eius appellari monet Ryck.) *callidis* — *valida*, *anum* — *efficiebat*. „Observarunt alii, Liviam Augustam etiam Agrippinae aviam dici potuisse, ut 3, 3. 17. Molestum autem illud *Adque* ab initio periodi et auribus ambiguum. Immo *atque haec* accipe pro *et quidem*, καὶ ταῦτα, und zwar. v. Ramshorn. Gram. p. 337. g) et h). *Haec* respicit ad praecedentia *contumaciam* — *exagitare*, et in fine loci iungenda *quia Prisca* — *efficiebat*." *Walth.* Recte, opinor; sed *haec* referendum crediderim ad *arguerent* et *criminatoribus* ad Substantiva verbalia absolute posita in sexto casu, de quibus v. Ind. III. — *Iulium Postumum*, non, opinor, illum *C. Iulium Sex. f. Cor. Postumum Praef. Aegypti* ap. Gruter. 113, 1. nam hic Claudii aevo floruit; *Lips.* *alium post unum* MS. — *Mutilia Prisca* forsan C. Geminii Rufi uxor et Dioni 58, 4. vitiose Πουπλία Πρίσκα dicta; *Freinsh.* „Sed has Priscas diversas fuisse mores diversissimi produnt. Taciti enim adultera, Dionis ita mariti amans, ut ei supervivere noluerit. Felicius Reinesius Dionis Priscam Μουτιλίαν vocatam existimat." *Ryck.* — *peridoneum*, ut c. 67. *peramoena*, 15, 45. *persimplici victu*, et c. 48. *perseverum*, 2, 7. *permunire*, 16, 26. *perornare*, G. 27. *peroperosus* Cf. ad 4, 34, 2. — *potentiae anxiam*, retinendae, quam habebat, omni cura incumbentem; *Freinsh.* Similiter *anxius sui* 4, 59. et H. 3, 38. sollicitus de se et vita sua. — *Agrippinae proximi*, ministri, ut 12, 65. 13, 15. *Proximi* etiam dicuntur amici 16, 24. et *proximi amicorum* 6, 26. 13, 13. ut paulo ante *intimi*. — *illiciebantur* — *perstimulare*, v. ad 2, 37, 1. — *pravis sermonibus*, quales c. 59. referuntur, *tumidos*, superbos, *spiritus* Agrippinae *perstimulare*, constanter stimulare; *Freinsh.* De eius ferocia et arrogantia, quae Tiberio valde displicebant, v. Ind. I.

CAPUT XIII.

At Tiberius nihil intermissa rerum cura, negotia pro solatiis accipiens, ius civium, preces sociorum tractabat; factaque auctore eo senatus consulta, ut civitati Cibyraticae apud Asiam, Aegiensi apud Achaiam, motu terrae labefactis, subveniretur remissione tributi in triennium. Et Vibius Serenus pro consule ulterioris Hispaniae de vi publica damnatus ob atrocitatem temporum in insulam Amorgum deportatur. Carsidius Sacerdos reus, tanquam frumento hostem Tacfarinatem iuvisset, absolvitur eiusdemque criminis C. Gracchus. Hunc comitem exsilii, admodum infantem, pater Sempronius in insulam Cercinam tulerat. Illic adultus inter extorres et liberalium artium nescios mox per Africam ac Siciliam mutando sordidas merces sustentabatur; neque tamen effugit magnae fortunae pericula ac, ni Aelius Lamia et L. Apronius, qui Africam obtinuerant, insontem protexissent, claritudine infausti generis et paternis adversis foret abstractus.

1. *negotia pro solatiis accipiens*, v. ad 4, 8, 1. 4, 38, 1. et Agr. 29. n. 2. — *Cibyra* magna Phrygiae maioris, parva Pamphyliae vel Ciliciae opp. v. Strab. XIII. p. 630. 677. Plin. 5, 29. 32. Ptol. 5, 2. — *apud Asiam, apud Achaiam*, v. Ind. II. v. *Apud*. — *Aegiensi* MS. unde *Aegiensi* ed. Ber. sed *Aegiensi* edd. Brot. Ern. et rec. *Aegirensi* edd. Rhen. Ald. et cet. ante Brot. *Aegira* Achaiae, sed *Aegium* princeps eius oppidum, ubi a principio Achaici concilii aut certe post Helices interitum conventus Achaeorum, *Παναχαιά*, semper et ex lege acti sunt. v. Liv. 27, 30. 38, 30. Strab. VIII. p. 589. 590. 593. Pausan. 7, 7. et 24. Diodor. 15, 48 sq. Polyb. 5, 1. Plin. 4, 5. Sen. Q. N. 6, 25.

2. *Vibius Serenus* cet. cf. Dio 58, 5. et inf. cap. 28. 36. — *pro consule ulterioris Hispaniae*: in MS. *procons.* unde *pro consule* edd. Ber. Rhen. 1. J. Gron. Walth. sed *proconsul* edd. Rhen. et cet. v. ad 2, 52. 2. „*Hispania* ab Augusto divisa in duas provincias, citeriorem, quae Tarraconensis etiam dicta, et *ulteriorem*, quae divisa in duas provincias, Baeticam et Lusitaniam. Cf. H. 1, 13. Illa pars melior et populi fuit, (unde *proconsul* in eam missus) Tarraconensis et Lusitania Caesaris. v. Strabo III. p. 166. Dio 53, 12. Suet. Oth. 3. Falsus igitur Appian. de reb. Hisp. c. 102. qui duas Hispaniae partes senatui populoque, tertiam Imperatori tribuit. A Strabone etiam lib. XVII. extr. duas Hispanias inter populi provincias recenseri credidit interpres, qui τὴν ἐκτὸς Ἰβηρίαν turpiter *interiorem* convertit; nam ulterior potius est sive exterior.“ *Lips.* ad H. 1, 13. Appiani aevo alia fuisse videtur Hispaniarum divisio. — *de vi publica damnatus* lege Iulia ab Augusto rogata. Diversae fuerunt *leges Iuliae de vi*, prima a Caesare Dict. lata *de vi et maiestate*, qua cautum, ut de vi et maiestate damnatis, aqua et igni interdiceretur: (v. Cic. Phil. 1, 9.) duae Augusti multis postea supplementis per SCta, constitutiones Principum et interpretationem ICtorum auctae, altera de *vi publica*, tum in eos, qui potestate aliqua praediti civem Romanum provocantem necassent vel verberassent vel alio aliquo supplicio affecissent, poena deportationis vel ultimi supplicii proposita, tum in eos, qui telis armisque hominibus vim fecissent, maxime ad rem publ. conturbandam; altera *de vi privata*, adversus privatos, qui vel armis vel sine armis privatae rei causa vim fecissent, sancita, cuius poena fuit publicatio partis tertiae bonorum cum omni honoris et existimationis privatione coniun-

cta, cuiusque caput fuisse videtur etiam illud, quo vetabatur rerum vi possessarum usucapio. Valde autem difficile est distinguere, quae ad legem de vi publica, et ea, quae ad alteram de vi privata pertinuerint. Cf. diversi tituli Dig. ad leg. Iul. de vi publ. et de vi privata, Paul. Sent. rec. V, 26, 1. §. 2. Inst. de usucap. et Schulting. iurispr. Anteiust. p. 520. sq.“ *Bach.* hist. iurispr. Rom. II, 2. §. XCI. et III, 1. — *ob atrocitatem temporum*: „Hanc nonnulli, ut et nuper Kiesslingius, referunt ad saevum Tiberii imperium, ut ita intelligatur gravior quam pro lege poena Vibio inflicta *ob atrocitatem temporum.* Verum hic cogitandum est non de Caesaris, sed de Augusti lege Iulia. Illius poena fuit interdictio aquae et ignis, huius vero deportatio vel ultimum supplicium. Vibius igitur leviore poena punitur, deportatione, non ultimo supplicio. Causa sive iusta sive ficta fuit *atrocitas temporum*, scil. quae fuerant in *ulteriore Hispania*, ubi haud dubie peccaverat ille. Coniicio, turbulentum fuisse Vibii imperium atque infestum tumultu aliquo vel latrociniis, ut ita crimen ab eo commissum excusatum quodammodo videri posset. Hispanos enim cognosces infr. c. 45. Woltmannus *tempora* intelligit de temperie coeli apud Cycladas (Amorgum) atrociori; nisi malis cum eodem corrigere *verborum* secundum c. 29. et 30. Freinshemius verba *ob atrocitatem temporum* legi volebat post *triennium*. Sed verba scripta tam facile suo loco non excidunt, quam videtur iis, qui saepius ex eiusmodi transpositionibus auxilia peti posse putant. Plurimi acceperunt emendationem Lipsii *ob atroc. morum,* et alii quidem virgulam ponunt post *morum*, alii post *damnatus*. Absurdum tamen esse videtur, sive dicatur ob atrocitatem morum de vi publica damnatus, sive ob atrocitatem morum insigni poena affectus.“ *Walth.* Eius coniectura ceteris probabilior. — *in insulam Amorgum deportatur*, v. ad 1, 3, 6. Haec insula Ἀμοργὸς et Ἀμόργιον, nunc Morgo dicitur et inter Cycladas recensetur a Steph. Byz., inter Sporadas a Strab. X. p. 487. et Plin. 4, 23.

3. *Carsidius Sacerdos* edd. rec. ex emend. Reinesii et Ern. ut et 6, 48. Ibi *Grasidius S.* et h. l. *Carsius S.* MS. et edd. vet. Cf. ad 2, 63, 2. Sed *Carsidius Sacerdos* memoratur in inscr. ap. Gruter. p. 767, 10. ut *Iulius Sacerdos* a Dione 59, 22. et *Licinius Sacerdos* ab aliis. Videtur ille fuisse provincialis civitate Rom. donatus; *Walth.* — *tanquam frumento hostem T. iuvisset*: „quo et violata lex Iulia de maiestate ab Augusto lata. Cf. L. cuiusque ad legem Iul. maiestatis D. lib. I. Macchab. c. 8. et cod. L. Ad Barbaricam: de his quae exportari non debent Paulus I. C.“ *Aurel.* — *pater Sempronius in ins. C. tulerat*, v. I, 53. — *liberalium artium*, v. ad Agr. 4. n. 4. — *mutando sordidas merces*, more illorum populorum. Cf. ad G. 5. n. 10. Commentarii loco possunt esse verba Cic. de off. 1, 42. *Mercatura si tenuis est, s o r d i d a putanda est, sin magna et copiosa, multa undique apportans multisque sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda; atque etiam, si satiata quaestu vel contenta potius, ut saepe ex alto in portum, ex ipso portu in agros se possessionesque contulerit, videtur iure optimo posse laudari.* — *neque tamen* MS. edd. I. Gron. et rec. *nec tamen* edd. vet. — *Aelius Lamia*, vir summus et tam eruditione quam rebus in consulatu et a. U. 756. et bello Cantabrico gestis clarissimus. v. ad 6, 27, 2. et intpp. Hor. od. 1, 26. et 3, 17. *aelius lamina* MS. — *L. Apronius*, v. Ind. II. — *qui Africam obtinuerant* administrandam vel rexerant. Cf. ad 3, 48, 1. — *abstractus*, simul tractus scil. in perniciem, ut H. 4, 2. et al. *trahere* et *trahi*, ut 3, 54. 69. 74. 6, 26. 15, 1. H. 2, 61. 3, 29. 33. 4, 80. G. 36. (ubi cf. n. 5.) Agr. 12. Sall. Cat. 11. et hist. 4, 17. Cf. Böttich. Lex. Tac. v. *Trahere.*

CAPUT XIV.

Is quoque annus legationes Graecarum civitatium habuit, Samiis Iunonis, Cois Aesculapii delubro vetustum asyli ius ut firmaretur petentibus. Samii decreto Amphictyonum nitebantur, quis praecipuum fuit rerum omnium iudicium, qua tempestate Graeci, conditis per Asiam urbibus, ora maris potiebantur. Neque dispar apud Coos antiquitas, et accedebat meritum ex loco: nam cives Romanos templo Aesculapii induxerant, quum iussu regis Mithridatis apud cunctas Asiae insulas et urbes trucidarentur. Variis dehinc et saepius irritis praetorum questibus, postremo Caesar de immodestia histrionum retulit: multa ab iis in publicum seditiose, foeda per domos tentari. Oscum quondam ludicrum, levissimae apud vulgum oblectationis, eo flagitiorum et virium venisse, ut auctoritate Patrum coercendum sit. Pulsi tum histriones Italia.

1. *Is quoque annus* U. 776. ut a. 775. (v. 3, 60 sq.) *legationes Gr. c. habuit*, cf. Ind. II. v. *Annus*. — *civitatium*, v. ad 3, 63, 1. — *Iunonis Samiae* et *Aesculapii* in *Coo* insula. De huius cultu et templo v. 12, 61. de illius Herodot. 3, 60. Pausan. 7, 4. Virg. Aen. 1, 16. Spanhem. ad Callim. H. in Dian. v. 228. Creuzer Symbolik T. II. p. 383. ed. pr. — *vetustum asyli ius*, v. ad 3, 60, 1. *vetustus tum asyli ius* MS. — *decreto Amphictyonum*: „hoc concilium Graeciae commune bis quotannis, vere et autumno, celebratum missis civitatum legatis. v. van Dalen diss. ad antiq. et marmora diss. VI.“ *Ern.* Loca class. sunt Demosth. or. de cor. c. 49 sq. (ubi τὸ κοινὸν τῶν Ἑλλήνων συνέδριον dicitur) Herodot. 7, 200. Strab. IX. Pausan. in Phoc. et Ach., Cic. de inv. 2, 23. A tironibus consulantur Potteri Archaeol. Gr. I, 16. et Voy. d. j. Anacharsis IV, 35. — *qua tempestate*, quo tempore. v. Ind. I. *ea qua tempestate* MS. edd. Ber. et al. Ex emend. Rhen. a nonnullis editum *ea tempest. qua*, a plerisque *qua temp.* — *templo Aesculapii*, in eius templum, *induxerant*, ut tuti essent propter *vetustum asyli ius*. — *quum iussu regis Mithridatis apud* (cf. Ind. II.) *cunctae Asiae insulas et urbes* uno die LXXX vel CL millia civium Rom. et multi quoque in templis Dianae et Apollinis *trucidarentur*. v. Cic. p. Flacco 25. Liv. epit. LXXVIII. Vell. 2, 18. Plut. Sulla p. 467. Val. Max. 9, 2 ext. 3. et inpr. Appian. B. Mithrid. c. 22 sq.

2. *Variis dehinc et saepius irritis questibus*, v. Ind. III. v. *Adiectiva in sexto casu absolute posita*. — *Praetorum questibus* et *immodestia histrionum*, h. e. Pantomimorum, v. ad 1, 16, 2. 1, 54, 3. et 1, 77, 2. 14, 21. — *in publicum* vel est universe, (v. ad 15, 12.) vel ut al. *in publico*, publice, palam, ἐς τὸ φανερόν Thucyd. 1, 6. Sic 13, 36. et h. l. ubi opp. *per domos*. Cf. Ind. II. v. *In*. — *Oscum ludicrum*, dicax dramatum genus, *Farcen*, quae etiam *Atellanae fabulae* sunt dictae ab Atella, Oscorum in Campania oppido, quarum actores Osce loqui solebant, quae lingua Campanis et Samnitibus vernacula erat. *Opici*, *Opsci*, *Osci* prisca Ausonum gens cis et ultra Lirim, in Latio et Campania. v. Strab. V. p. 233. 242. (533.) et Heyne Exc. VIII. ad Virg. Aen. 7, 730. In fabulis vero Atellanis, quae etiam Romae agebantur, sermo quidem rudis erat et impolitus, sed facetus potius et ridiculus, quam obscoenus et lascivus, argumentum quoque castum et sententiae purae atque honestae: unde Valer. Max. 2, 4, 4. dicit, *hoc genus delectationis Italica severitate temperatum ideoque vacuum nota* fuisse, h. e. non inhonestum et infamia notatum, ut ars histrionum. Cf. intpp. Liv. 7, 2 extr. et de Atellanis Eichstad. de dram-

Graec. com. sat. p. 53. 64 sq. 75 sq. et 84. — *eo flagitiorum venisse*, v. ad 3, 73, 1. — *ut auctoritate* edd. rec. *ut* omissum in MS. et edd. Ber. Rhen. Ald. — *Pulsi tum histriones Italia*, cf. Dio 57, 21. Suet. Tib. 37.

CAPUT XV.

Idem annus alio quoque luctu Caesarem afficit alterum ex geminis Drusi liberis exstinguendo, neque minus morte amici. Is fuit Lucilius Longus, omnium illi tristium laetorumque socius unusque e senatoribus Rhodii secessus comes. Ita quanquam novo homini censorium funus, effigiem apud forum Augusti publica pecunia Patres decrevere; apud quos etiam tum cuncta tractabantur, adeo ut procurator Asiae Lucilius Capito accusante provincia causam dixerit, magna cum asseveratione Principis: *non se ius nisi in servitia et pecunias familiares dedisse: quod si vim praetoris usurpasset manibusque militum usus foret, spreta in eo mandata sua: audirent socios.* Ita reus cognito negotio damnatur. Ob quam ultionem, et quia priore anno in C. Silanum vindicatum erat, decrevere Asiae urbes templum Tiberio matrique eius ac senatui. Et permissum statuere, egitque Nero grates ea causa Patribus atque avo laetas inter audientium affectiones, qui recenti memoria Germanici illum aspici, illum audiri rebantur: aderantque iuveni modestia ac forma principe viro digna, notis in eum Seiani odiis ob periculum gratiora.

1. *Idem annus — afficit*, cf. Ind. II. v. *Annus*. — *alterum ex geminis Drusi liberis exstinguendo*, v. ad 2, 84, 1. — *Lucilius Longus* et paulo post *Lucilius Capito* MS. edd. Iac. Gron. et rec. *Lucillius* edd. vet. ut 1, 23. Cf. nota 2. — *unusque* (et solus, ut 6, 35 pr.) *e senatoribus Rhodii secessus comes*, v. ad 1, 4, 6. et 1, 29, 1. — *novo homini*, v. ad 3, 55, 3. — *censorium funus*, v. ad 3, 5, 1. — *effigiem apud* (cf. Ind. II.) *forum Augusti*: „ubi in utraque porticu ab ipso Augusto locatae statuae omnium veterum ducum. v. Suet. Oct. c. 31. extr.“ *Lips.*

2. *apud quos etiam tum cuncta tractabantur*, v. ad 1, 3, 2. et 1, 15, 1. — *adeo ut procurator Asiae Lucilius Capito* cet. cf. verba Dionis 57, 23. adscripta a Lipsio in Exc. ad Ann. 12, 60. et de hoc *Cn. Lucilio Capitone* inscriptio in Aegypto reperta in Voy. à l'Oasis de Thèbe de Fr. Cailliou, in Classical Journal No. 64. p. 358 sq. et in Ephem. schol. Darmst. a. 1828. II, 54. p. 442. *Procuratores* scil. fisci, ἐπίτροποι, *Rationales* et *Rationarii* Caesaris, erant fere Equites vel liberti Principum, (v. Agr. 4.) qui inde ab a. U. 727., quo Augustus provincias cum senatu populoque Rom. partitus est, (v. ad 1, 76, 2. et 1, 80, 1.) in omnibus provinciis, et Caesaris (unus plerumque in quavis provincia) et populi, vigesimam hereditatium, bona caduca aliosque fisci reditus redigebant et minores provincias Iudaeam, Pontum, Epirum aliasque *procurabant* vice praesidum. Praeterea *ius* exercebant, sed in maioribus provinciis non nisi *in servitia et pecunias familiares* Principis, (res fiscales) sub Claudio autem res etiam alias gravioresque iudicabant. Cf. 12, 60. 13, 1. 16, 17. 14, 32. H. 1, 11. 4, 50, 2. Agr. 4. 15. Suet. Claud. 12. loca class. Dionis 53, 15. et 57, 23. De iis disputarunt Lipsius in Exc. II. ad Tac. Ann. 12, 60. sed accuratius Walch. ad Agr. 4. et, quem hic laudavit, Mascov. de procurat. 1, 7. v. etiam Schweigh. ad Appiani praef. p. 135. 136. Creuzer Abrifs der röm. Antiquit. p. 216 sq. et Walch. ad Agr. 14. p. 221. ubi

Procuratoribus iam Augusti temporibus non minorem fere quam Legatis comitatum fuisse colligit ex verbis Dionis 52, 25. *εἷς τις ἐκ τῶν ἱππέων ὑπομείονας, ὅσους ἂν ἡ χρεία ἀπαιτῇ, ἔκ τε τῶν ἱππέων καὶ ἐκ τῶν ἐξελευθέρων σου ἔχων.* — *magna cum asseveratione*, v. ad c. 19. n. 2. — *dedisse* scil. ei, quod ante *ius* et post *se* excidisse putabat Mur. — *vim praetoris*, v. ad 1, 74, 1. — *damnatur*, Tiberius eum *ἐφυγάδευσεν*, Dio 57, 23.

3. *quia priore anno in C. Silanum vindicatum erat*, cf. 3, 66—69. *vindicatum in S.* ut H. 4, 45. Cic. Verr. 5, 50. Sall. Cat. 9. quo sensu vulgo *animadvertere in aliquem* dicitur. *Silanum* edd. Lips. et rec. *Syllanum* edd. Ber. et Rhen. 1. *Sillanum* edd. Rhen. 2. 3. et Ald. — *decrevere Asiae urbes templum Tiberio matrique eius ac senatui*, cf. ad 1, 10, 4. et ad 4, 37, 2. „Eo facit numus Smyrnensis ap. Spanh. de usu et pr. num. T. I. p. 139.“ *Oberl.* — *et permissum* iis est *statuere*, ut statuerent, exstruerent. v. ad 1, 10, 4. — *egitque Nero* Germanici filius (v. Ind. I.) *grates* in oratione et nomine urbium, quarum patronus erat: nam solitum principibus adolescentibus publicam aliquando causam suscipere, ut provincialium gratiam acquirerent studiumque eloquentiae ostenderent; *Pich.* Cf. 12, 58. Suet. in Tib. 8. in Claud. 7. in Ner. 7. Itaque erravit Paschalius, qui aut multa h. l. desiderari censebat, aut haec omnia cap. 9. post verba *fidem dempsit* inserenda esse. — *recenti memoria G.*, ut paulo post *notis in eum Seiani odiis*. Cf. Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant. in Partic.* — *aderantque*, erantque, *iuveni*, ut Agr. 32 pr. et al. — *modestia ac forma — digna — gratiora*, propr. *dignae* et *gratiores*. v. Ind. III. v. *Praedicatorum et Subiectorum numeri ac genera diversa.*

CAPUT XVI.

Sub idem tempus de flamine Diali in locum Servii Maluginensis defuncti legendo, simul roganda nova lege disseruit Caesar: *Nam patricios confarreatis parentibus genitos tres simul nominari, ex quis unus legeretur vetusto more; neque adesse ut olim eam copiam, omissa confarreandi assuetudine aut inter paucos retenta.* Pluresque eius rei causas afferebat: *potissimam penes incuriam virorum feminarumque: accedere et ipsius caerimoniae difficultates, quae consulto vitarentur, et quando exiret e iure patrio, qui id flaminium apisceretur quaeque in manum flaminis conveniret. Ita medendum senatus decreto aut lege, sicut Augustus quaedam ex horrida illa antiquitate ad praesentem usum flexisset.* Igitur tractatis religionibus placitum, instituto flaminum nihil demutari. Sed lata lex, qua flaminica Dialis sacrorum causa in potestate viri, cetera promiscuo feminarum iure ageret; et filius Maluginensis patri suffectus. Utque glisceret dignatio sacerdotum atque ipsis promptior animus foret ad capessendas caerimonias, decretum Corneliae virgini, quae in locum Scantiae capiebatur, HS. XX et, quotiens Augusta theatrum introisset, ut sedes inter Vestalium consideret.

1. *in locum Servii Maluginensis*, cf. 3, 58. et 71. — *patricios confarreatis parentibus genitos tres simul nominari* a Pontifice Max. e quibus legebatur unus a populo in comitiis tributis. „Non alibi tam expressi ritus in legendo flamine Diali. Tacitus ait *patricios*, quia, quum XV flamines essent, ex iis tres primi instituti a Numa, Dialis, Martialis et Quirinalis, non nisi ex patriciis legebantur, at alii, variis temporibus additi, etiam e plebe. Illi dicti *maiores*, hi *minores* flamines. Addit *con-*

farreatis parentibus genitos, quia, ut Plin. 18, 3. ait, *in sacris nihil religiosius confarreationis vinculo erat.* Triplex enim matrimonii contrahendi mos, *usu* s. usucapione et usurpatione, h. e. annua possessione, (v. Gell. 3, 2.) *farre, coemptione.* Antiquissimum genus idemque ceteris sumptuosius et sollennius *farre* videtur, quod Dionys. Hal. 2, 25. appellat γάμον κατὰ τοὺς ἱεροὺς νόμους, eratque necessum, non solum flaminem nasci confarreatis parentibus, sed et ipsum cum flaminica farre iungi. Servius ad Virg. Ge. 1, 31. *Tribus modis apud veteres nuptiae fiebant: usu, si v. c. mulier anno uno cum viro, licet sine legibus, fuisset: farre, quum per Pontif. Max. et Dialem Flaminem per fruges et molam salsam coniungebantur; unde confarreatio appellatur, ex quibus nuptiis patrimi et matrimi nascebantur: coemptione vero atque in manum conventione, quum illa in filiae locum, maritus in patris veniebat, ut, si quis prior fuisset defunctus, locum hereditatis iustum alteri faceret.* Idem ad Virg. Aen. 4, 104. *Conventio in manum eo ritu perficitur, ut aqua et igni adhibitis, duobus maximis elementis, natura coniuncta habeatur. Quae res ad farreatas nuptias pertinet, quibus Flaminem et Flaminicam iure pontif. in matrimonium necesse est convenire.* Et ib. ad v. 374. *Mos fuit Flamini ac Flaminicae, ut per farreationem in nuptias convenirent: sellas duas iugatas ovili pelle superiniecta poni eius ovis, quae hostia fuisset; et ibi nubentes velatis capitibus in confarreatione Flamen ac Flaminica residerent. Confarreationes autem tonitru dirimit.*" *Lips.* Ulpianus tit. 9. *Farre convenitur in manum certis verbis* (quae utinam superessent) *et testibus decem praesentibus et sollenni sacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur*; qui ad novam nuptam deferebatur, ut coniuges eum participarent: unde *farreatio* et *confarreatio* dicta; *Vertran.* Sacrificium coram Pontifice Max. et Flamine Diali peragebatur; matrimonium vero tale solvebatur *diffarreatione.* Cf. Festus v. *Diffarreatio* et Scheibner de legg. Rom. regiis Erford. 1824. p. 4. — *potissimam penes incuriam v. f.* sc. esse, ex ea pendere, illa contineri. Dictum pro *penes viros feminasque incuriosas esse:* nam *penes* vulgo ad personam refertur. *Walth.* Ego potiorem causam existimavi *coemptionem*, per quam matrimonio contracto mulier minori negotio et pari iure ac si per farreationem, in viri manum et potestatem transiret; *Vertran.* — *accedere et ipsius caerimoniae difficultates*, inpr. sumptus; *et quando exiret* cet. „Locum defectum censebat Lips. et deesse, quae pertinerent ad caerimonias flaminio adiunctas, de quibus v. Gell. 10, 15. Aliter sentio cum Vertranio, Mercero, aliis, qui locum integrum putant. *Quando* est *quia*, (v. ad 1, 57, 1.) et tres causas commemorat Tacitus, in quibus tradendis variat more suo formam loquendi." *Ern.* „In edd. omnibus *accedere ipsius*; in MS. *accederet ipsius*, unde Iac. Gron. bene coni. *accedere et ipsius.* Etenim respondent sibi invicem *et ipsius — et quando.* Utrumque dicitur accedere, aliam vero causam inducit *et quando.*" *Walth.* — *exiret e iure patrio* cet. nam *in potestate parentum esse desinunt et hi, qui flamines Diales inaugurantur, et quae virgines Vestae capiuntur*; Ulpian. tit. 10. — *in manum convenire* mariti, h. e. in potestatem eius venire.

2. *flaminica Dialis* „uxor flaminis Dialis, quae etiam *flaminia* et *flamina* appellatur in inscriptt. ap. Gruter. p. 459, 9. Reines. cl. V. n. 48. 49. Smet. f. 77, 12. Festus tamen *flaminiam* facit sacerdotulam, quae flaminicae praeministret, et *flaminium camillum* ministrum flaminis D." *Ern.* et *Ob.* — *cetera — ageret*, v. ad 3, 24, 2. Dictum h. l. videtur pro *ceterum esset.* Cf. ad 1, 68, 1. et 6, 15, 1. — *feminarum*, quae essent in potestate patrum. — *Et filius — suffectus*, v. ad 1, 11, 2. *patri suffectus*, cf. init. cap. — *in locum Scantiae capiebatur* scil. virgo Vestalis. — HS. XX. „h. e. *sestertium vicies:* nam antea iam dederat decies sestertium. v. 2, 86. Nunc duplum dat, quia *gliscere*, augeri, voluit dignationem sacerdotum cet." *Freinsh.* et *Ern.* Sed 2, 86. aliud narratur: *Caesar*

posthabitam Fonteii Agrippae filiam *decies sestertii dote solatus est.* — *ut sedes inter Vestalium consideret* Augusta. Augustus *solis virginibus Vestalibus locum in theatro separatum et contra praetoris tribunal dedit*, Suet. Oct. c. 44. *sedes inter*, cf. Ind. III. v. *Praepositiones nominibus postpositae.*

CAPUT XVII.

Cornelio Cethego, Visellio Varrone Coss. pontifices eorumque exemplo ceteri sacerdotes, quum pro incolumitate Principis vota susciperent, Neronem quoque et Drusum iisdem diis commendavere, non tam caritate iuvenum quam adulatione, quae moribus corruptis perinde anceps, si nulla et ubi nimia est. Nam Tiberius haud unquam domui Germanici mitis, tum vero aequari adolescentes senectae suae impatienter indoluit, accitosque pontifices percontatus est, num id precibus Agrippinae aut minis tribuissent. Et illi quidem, quanquam abnuerent, modice perstricti; (etenim pars magna e propinquis ipsius aut primores civitatis erant) ceterum in senatu oratione monuit in posterum, ne quis mobiles adolescentium animos praematuris honoribus ad superbiam extolleret. Instabat quippe Seianus incusabatque diductam civitatem ut civili bello: esse qui se partium Agrippinae vocent ac, ni resistatur, fore pluris: neque aliud gliscentis discordiae remedium, quam si unus alterve maxime prompti subverterentur.

1. Sergio *Cornelio Cethego*, L. *Visellio Varrone coss.*, cf. Dio 57, 24. et Frontin. de aquaed. II, 102. „Visellius hic filius C. *Viselli*, de quo v. ad 3, 41, 1. non *L. Viselli*, ut vitiose scriptum in Dionis ind. coss. Id colligi potest ex fastis ap. Onuphr. et ex cap. 19 pr. nam *paternae inimicitiae* inter huius patrem et Silium ortae fuerant occasione belli Sacroviriani. v. 3, 43. ubi etiam Varro *invalidus senecta* dicitur. Ab hoc L. Visellio denominata lex Visellia, de qua titulus in Cod.“ *Ryck.* „Ceterum notat Dio 57, 24. hoc anno prima decennalia Tiberii Caesaris celebrata, de quorum origine v. id. 53, 16.“ *Lips.* Solvebantur autem vota pro quinquennio decenniove praeterito: *suscipiebantur*, scribebantur in tabulis et signabantur pro futuro; *Mur.* — *pontifices* — *vota susciperent*, v. Lips. Exc. II. ad Ann. 16, 22. Alia vota ipsis Kal. Jan. soluta et concepta. v. ad 4, 70, 1. — *Neronem quoque et Drusum*, Germanici filios, (v. Ind. I.) *iisdem diis commendavere* cet. cf. Suet. Tib. 54. — *non tam caritate i. q. adulatione*, cf. Ind. III. v. *Ablativi Substantivorum absoluti* cet. — *perinde*, v. Ind. II. — *senectae suae*, v. ad 1, 4, 2. et Ind. III. v. *Abstracta pro Concr.* — *pontifices percontatus est*, in edd. rec. *percunctatus est.* v. ad G. 11. n. 8. — *tribuissent*, v. ad 1, 7, 8. — *modice perstricti*, v. ad H. 1, 84, 6. — *mobiles adolescentium animos*, „qui adhuc inclinare se in partem deteriorem possent neque ita cogniti essent, ut de eorum constantia certi esse possent. Cf. Suet. Tib. 54. et 67.“ *Ern.* *Mobiles* sunt εὐμετάβολοι, εὐκίνητοι, *Walth.* Cf. Ind. II. v. *Mobilis* et *Mobilitas*, Liv. 6, 6. 34. 29, 3. Sall. Iug. 46. 88. 91. 104. 113. et Forcell. — *diductam civitatem*, v. ad 1, 32, 2. — *maxime prompti*, v. ad 1, 13, 1. — *subverterentur*: temporum ratio desiderat *subvertantur*; *Ern.* Est sueta temporum enallage; *Wopk.* „Tu vero puta, *subverterentur* esse optativum, qui ex graecae grammatices ratione hic requiritur. Nam ea res ex mera cogitatione Seiani tunc pendebat.“ *Walth.* Cf. Ind. III. v. *Verborum Tempora* p. 846. et ad 14, 1, 2.

CAPUT XVIII.

Qua causa C. Silium et Titium Sabinum aggreditur. Amicitia Germanici perniciosa utrique, Silio et quod ingentis exercitus septem per annos moderator partisque apud Germaniam triumphalibus Sacroviriani belli victor, quanto maiore mole procideret, plus formidinis in alios dispergebatur. Credebant plerique, auctam offensionem ipsius intemperantia immodice iactantis, suum militem in obsequio duravisse, quum alii ad seditiones prolaberentur; neque mansurum Tiberio imperium, si iis quoque legionibus cupido novandi fuisset. Destrui per haec fortunam suam Caesar imparemque tanto merito rebatur. Nam beneficia eo usque laeta sunt, dum videntur exsolvi posse: ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur.

1. *Qua causa* edd. omnes, nisi quod *Qua de causa* edd. Rhen. 3. et Micyll. — *C. Silium*, cf. 1, 31. 72. 2, 6. 7. 25. 3, 42. 45. 4, 19. 11, 35. — *Titium Sabinum:* Muretus, Ern. et Ob. coni. *Titurium S.* quo nomine fuit quidam Caesaris legatus. v. Caes. B. G. 5, 24. Sed cf. cap. 68—70. et Plin. 8, 40. s. 61. ubi in edd. vet. male legitur *T. Sabinus*. — *amicitia Germanici p. u.* cf. 1, 72. 2, 7. 4, 68. — „*Silio et*, etiam, sc. perniciosum fuit hoc, *quod ingentis* cet. Sic 4, 34. 74. 6, 18.“ *Acid.* et *Freinsh.* — *partisque triumphalibus* insignibus ob res cum Germanico gestas in Germania. v. 1, 72. *apud Germaniam*, v. Ind. II. v. *Apud.* — *Sacroviriani belli victor*, cf. 3, 40—46. — *quanto maiore mole procideret*, quanto altiore e fastigio dignitatis et gloriae rueret; *Ern.* Cf. Iuvenal. 10, 105 sq. Horat. od. 2, 10, 9 sq. et Claudian. in Ruf. 4, 21 sq. ubi Koenig comparavit verba Luciani contempl. 14. T. I. p. 510. ed. Reitz. *ἐν τοσούτῳ δὲ ἐπαίρεσθον, ὡς ἂν ἀφ᾽ ὑψηλοτέρου ἀλγεινότερον καταπεσούμενοι.* *procederet* edd. Ber. et Rhen. 1. — *dispergebatur* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. Pich. et rec. *dispergatur* edd. Lips. et al.

2. *cupido novandi* res. v. ad 2, 78, 1. — *imparemque tanto merito rebatur*: „Quidam post *imparemque* vel excidisse putant *se* vel intelligunt. (cf. ad 5, 5, 1.) Ego nihil muto; nam eandem fortunam suam Caesar tanto merito imparem rebatur.“ *Pich.* „Hoc sibi vult Tacitus: Caesar rebatur, per haec effici, ut non fortuna sua, sed Silii merito ad imperii fastigium evectus esse videretur: quod si admittatur, Silii meritum maius videri quam ut ipse pro fortuna sua rependere possit. Germanice: Caesar glaubte, sein Glück müsse dadurch den Ruhm einbüſsen und so groſsem Verdienste etwas schuldig bleiben.“ *Walth.* — *Nam beneficia eo usque — ubi multum antevenere*, (multo maiora sunt quam ut rependantur) *pro gratiu odium redditur*; cf. Sen. ep. 19. (*quidam, quo plus debent, magis oderunt: leve aes alienum debitorem facit, grave inimicum*) ep. 82 extr. et de ben. 2, 24.; *Lips.* et *Pich.* — *pro gratia odium redditur*: haec crebro dicta Romae, adeo ut etiam in inscript. sepulchri Alexandri, in Roma subterr. 6, 50. p. 374. inventa sint; *Iac. Gron.* Sic Tiberius et Nero matres oderant, quod earum opera ad imperium pervenisse viderentur; *Mur.*

CAPUT XIX.

Erat uxor Silio Sosia Galla, caritate Agrippinae invisa Principi. Hos corripi dilato ad tempus Sabino placitum, immissusque Varro consul, qui paternas inimicitias obtendens odiis Seiani per dedecus suum gratificabatur. Precante reo

brevem moram, dum accusator consulatu abiret, adversatus est Caesar: solitum quippe magistratibus, diem privatis dicere; nec infringendum consulis ius, cuius vigiliis niteretur, ne quod res publica detrimentum caperet. Proprium id Tiberio fuit, scelera nuper reperta priscis verbis obtegere. Igitur multa asseveratione, quasi aut legibus cum Silio ageretur aut Varro consul aut illud res publica esset, coguntur Patres. Silente reo vel, si defensionem coeptaret, non occultante, cuius ira premeretur, conscientia belli Sacrovir diu dissimulatus, victoria per avaritiam foedata et uxor Sosia arguebantur. Nec dubie repetundarum criminibus haerebant: sed cuncta quaestione maiestatis exercita, et Silius imminentem damnationem voluntario fine praevertit.

1. *Hos corripi,* Silium et Sosiam. *corripi,* v. ad 4, 3, 1. — *dilato ad tempus Sabino,* breve tantum. Cf. cap. 68 — 70. et ad 1, 1, 2. — *immissusque,* v. ad 6, 45, 2. — *Varro consul, qui p. i. o.* cf. 3, 43. — *odiis Seiani per dedecus suum gratificabatur:* manifesta imitatio Sall. Iug. 3. *nisi forte quem lubido tenet potentiae paucorum decus atque libertatem suam gratificari; I. Gron.* — *dum accusator consulatu abiret — caperet:* „nam quilibet e populo accusare, reus vero non damnari poterat, nisi vel ipse accusatus, vel res, in qua rei publicae status periclitaretur, ad senatum aut ab indice delata esset, qua in causa senatus decernere solebat, (quae sunt *prisca verba*) *ne quod res publica detrimentum* (vulgo *quid detrimenti*) *caperet,* quo SCto cum alia, tum domi militiaeque imperium atque iudicium summum alicui permissa. v. Sall. Cat. 29. et Drak. ad Liv. 3, 4. Antiquissimis vero temporibus *solitum magistratibus diem privatis dicere* aut, quod postea invaluit, iis qui a magistratu in concionem producti essent. Neque quaestionibus perpetuis constitutis Praetori aliud quid mandari potuit, quam quod ad populi curam antea spectaverat, ut reum ad se adductum iudicaret. Vix autem e rei publicae dignitate factum videri potuit, si apud Praetorem alius magistratus privato diem diceret. Hinc h. l. *dum accusator consulatu abiret.* „*Heyne* opusc. Acad. Vol. IV. p. 68 sq. Cf. 13, 44. Suet. Caes. 17. Cic. p. Rosc. Am. 20. Bacch. Traian. p. 77.

2. *Proprium id Tiberio fuit:* in MS. *quo prium id T. f.* — *multa asseveratione,* cum magna severitatis et gravitatis specie; *Ern.* „Similiter Woltm. Stromb. Herrm. Rickl, Hack. sed verum sensum nemo assecutus est. *Asseveratio* h. l. ut 2, 31. 3, 35. 4, 15. 42. 52. 6, 2. 13, 18. est nostrum Zuverlässigkeit, Zuversicht in der Aussage oder Behauptung, eaque *asseveratio* tum fuit in verbis edicti, quo *Patres cogebantur.* Quod verbum indicat, senatum extra ordinem esse convocatum. — *aut Varro consul esset,* quasi Varro, qui senatum convocabat, consulis cura et officio et vigilantia, ne quod res publica detrimentum capiat, id munus usurparet.“ *Walth.* Cf. ad H. 1, 51, 1 „Minus apte Gronovius huc refert loca Cic. ep. ad div. 7, 30. 9, 14. et oratt. Philipp. quibus negat, aliquem vere consulem dici et Antonium esse consulem. Non enim quaeritur, an dignus consulis nomine Varro, sed an, qui consulis potestatem habeat, accusator esse possit salva aequitate, quod ea prematur reus.“ *Ern.* Hunc nodum solvit Tiberius verbis *solitum quippe magistratibus* (prisco aevo) *diem privatis dicere, nec — caperet.* Apposite Dio 58, 4. de Tiberio τό τε τῆς ἐλευθερίας σχῆμα ἐφαντάζετο, καὶ τὰ τῆς δυναστείας ἔργα ἐγίγνετο, *Freinsh.* Hinc et *aut* (quasi) *illud res publica esset.* Cf. ad 1, 1, 3. et 2, 38, 3. — *coguntur Patres,* ut *cogere* (propr. *coagere,* contrahere, convo-

care) *senatum in curiam* H. 1, 86. Male in edd. ante Iac. Gron. post *Patres* minor et post *premeretur* maxima distinctio posita, ut et in quibusdam rec. — *conscientia belli Sacrovir* (v. 3, 43—46.) *diu dissimulatus* (*dissimulatio eius*) — *arguebantur*, ei dabantur crimini; quae dicta pro vulgari: arguebatur consilia belli a Sacroviro agitata, quorum *conscius* fuisset, *diu dissimulasse*, occultasse, (ut Agr. 39.) *victoriam per avaritiam foedasse* et suam et *uxoris Sosiae*. Cf. ad c. 20. n. 3. ad 3, 33, 1. Sic fere 15, 71 extr. *Atilla sine absolutione, sine supplicio dissimulata*, silentio quasi praetermissa ipsa et poena eius. Cf. ad H. 1, 18, 1. et Ind. III. v. *Participia Perf. pass. pro Subst. abstr.* — *repetundarum*, v. ad 1, 74, 3. — *haerebant*, tenebantur; *Ern.* — *cuncta quaestione maiestatis* (v. ad 1, 72, 2.) *exercita* crimina, eo revocata; *Ern.* — *voluntario fine damnationem praevertit*, v. ad 2, 71, 1. et 4, 32, 2.

CAPUT XX.

Saevitum tamèn in bona, non ut stipendiariis pecuniae redderentur, quorum nemo repetebat; sed liberalitas Augusti avulsa, computatis singillatim, quae fisco petebantur. Ea prima Tiberio erga pecuniam alienam diligentia fuit. Sosia in exsilium pellitur Asinii Galli sententia, qui partem bonorum publicandam, pars ut liberis relinqueretur, censuerat. Contra M. Lepidus quartam accusatoribus secundum necessitudinem legis, cetera liberis concessit. Hunc ego Lepidum temporibus illis gravem et sapientem virum fuisse comperio. Nam pleraque ab saevis adulationibus aliorum in melius flexit: neque tamen temperamenti egebat, quum aequabili auctoritate et gratia apud Tiberium viguerit. Unde dubitare cogor, fato et sorte nascendi, ut cetera, ita Principum inclinatio in hos, offensio in illos, an sit aliquid in nostris consiliis, liceatque inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum. At Messalinus Cotta haud minus claris maioribus, sed animo diversus, censuit, cavendum senatus consulto, ut quanquam insontes magistratus et culpae alienae nescii provincialibus uxorum criminibus perinde quam suis plecterentur.

1. *Saevitum tamen in bona*, v. ad 4, 30, 2. — *stipendiariis*, Gallis provincialibus, sociis. v. ad 1, 11, 3. — *nemo repetebat*: alia ab Afris repetita et aerario illata sunt. v. Iuvenal. 1, 47 sq. — *sed liberalitas Augusti avulsa*, — *petebantur*: „*Liberalitas* h. l. ipsae pecuniae s. donationes liberaliter ab Augusto in Silium collatae, ut ap. Suet. Tib. 46. et 48. (Cf. ad 12, 49, 1.) Hae donationes a Silio repetendae esse dicebantur ut ab ingrato, eaque causa praetendebatur *saeviendi in bona*. Silius autem haud dubie diversis temporibus nec una donatione sua praemia ab Augusto acceperat; debebantur igitur *singula computari*, ut de summa constaret, quae illo nomine *fisco* s. in fiscum (ut 2, 48.) *peteretur* scil. ex Augusti donatione. Sic Pich. Freinsh. aliique et recte. Sensum vero plane turbat illud *et* ex Danesii codice (aliqua edd. vet. nescio qua) post *sed* ab Oberl. Bekk. in ed. l. Lün. Kiessl. insertum: nam respondent sibi invicem *non* — *sed*." *Walth.* Similiter cap. 23. (*non ut cum exercitu incederet, sed missis* cet.) 6, 29. et al. — *Ea prima Tiberio erga pecuniam alienam diligentia fuit*, v. ad 3, 18, 1. „Primum recessit etiam ab imitatione morum et abstinentiae Augusti, qui non sustinuerat aliquid nec ex bonis illorum, qui damnati erant, capere, si hi liberos haberent, nec ex testamentis amicorum, qui

parentes essent. v. 4, 37. Suet. Oct. 66. Sen. de ben. 2, 25. 27." *Ryck.* „*Diligentia* est avaritia, cupiditas pecuniae et studium eius augendae. Saepe tamen *diligentia, diligens* et *attentus* etiam in bonam partem dicuntur." *Ern.* — *qui partem bonorum* scil. Sosiae *publicandam* — *censuerat* plane ut 3, 17 extr.

2. *M. Lepidus*, v. ad 1, 13, 2. — *quartam partem accusatoribus secundum necessitudinem legis*, (v. ad 1, 9, 3.) *cetera liberis concessit*, concedenda censuit. v. ad 2, 85, 1. et 4, 30, 2. „*Legis*, non Papiae, sed Iuliae de maiestate, de qua v. ad 1, 72, 2. Nam in hac quaestione *cuncta lege maiestatis exercita* cap. 19 extr. *Quarta* autem (scil. pars bonorum, quae damnati possederant) praemium non in hac solum, sed etiam de repetundis lege: unde accusatores dictos *quadruplatores* non uno loco ostendit Ascon. in Cic. Verr. Fortasse et in criminibus aliis praemium idem, et hinc *vulgare praemium* dixisse crediderim Paul. l. 13. de iure fisci. Iosephus A. Iud. 19, 2. de servis, quos Caius in dominos emittebat, *ῥᾴδιον γὰρ* inquit *ψευσαμένοις τε κατὰ τῶν κυρίων πεπιστεῦσθαι, καὶ τα χρήματα ἐνδεῖξασιν αὐτῶν ἅμα ἐλευθέροις τε εἶναι καὶ πλουσίοις μισθῷ τῶν κατηγοριῶν, διὰ τὸ ἆθλα αὐτοῖς προκεῖσθαι τὰς ὀγδόας τῶν οὐσιῶν.* Si octava servo, bene colligo libero quartam; nec in servili accusatione aliud capere persuadeor quam crimen maiestatis. Illud moneo, Principum aevo alia etiam praemia, nec tam ex lege quam arbitrio senatus decreta. v. 6, 47. 16, 12. 33. H. 4, 42 et Dio 46, 49. ubi de praemiis eorum, qui Caesaris percussores accusabant, *χρήματα* inquit *ἐκ τῆς τοῦ ἁλόντος οὐσίας καὶ τὴν τιμὴν ἢ τὴν ἀρχὴν τὴν ἐκείνου, εἴ τινα ἄρα ἔχων ἦν, τό τε μηκέτι μήτ᾽ αὐτὸν τούς τε υἱεῖς τούς τε ἐγγόνους αὐτοῦ στρατεύεσθαι, ἐλάμβανον.* Videntur igitur legis eius Pediae exemplo instituta praemia accusatorum." *Lips.* „Invalescente accusationum rabie maioribus praemiis dignitatibusque aucti delatores. Eos tandem undique et quasi latrones nefarie grassantes repressit vel pessimus Princeps Domitianus, cuius haec meliori Principe digna vox: *Princeps, qui delatores non castigat, irritat.* De delatorum praemiis et castigatione v. Brisson. sel. antiq. ex iure civili 3, 17." *Brot.* Cf. ad 1, 72, 2. 2, 32, 1. 4, 30, 2. 6, 29, 1. Suet. Tib. 61. Dio 57, 19. — *comperio* edd. Rhen. 2. 3. et rec. *comperior* edd. Ber. et Rhen. 1. „Ita et Sall. Iug. 45. et 108. Verum cf. Cort. ad Sall. Iug. c. 17." *Walth.* — *pleraque ab saevis adulationibus in melius flexit*, illas ipsas prudenter fregit et mitigavit; *Freinsh.* Immo *pleraque*, plerumque, ab iis *in melius flexit* se. Cf. ad 3, 28, 4. et 4, 37, 1. — *Unde dubitare cogor*, utrum ex *fato*, casu quodam, *et sorte nascendi* — *offensio in illos* (cf. Ind. II. v. *In*) *pendeat*, *an sit aliquid in nostris consiliis* momenti, vel ex quo pendeat. Cf. ad 6, 22, 1. — *liceatque inter abruptam*, ancipitem, periculosam, *contumaciam*, quae non *iter periculis vacuum*, et *deforme obsequium*, quod non *iter ambitione vacuum* patefacere solet et praebere, *pergere iter* cet. Cf. ad Agr. 4. n. 8. et cap. 42. n. 5. „*Ille vir fuerit, qui periculis undique imminentibus non alliserit virtutem*, (eius naufragium quasi et iacturam fecerit) *non absconderit* Sen. de tranq. an. c. 3." *Pich.* *pergere iter*, v. ad 1, 28, 2.

3. *Messalinus Cotta haud minus claris maioribus*, quam M. Lepidus, *sed diversus animo*, ingenio, natura. v. ad 2, 32, 1. et Ind. I. — *cavendum SCto, ut* — *plecterentur:* „Et cautum haud dubie hoc anno. Si enim ante, quorsus haec sententia? Tamen Ulpianus de off. proc. l. 4. §. 2. ait: *proficisci quidem proconsulem melius est sine uxore, sed et cum uxore potest, dummodo sciat, senatum Cotta et Messala consulibus* (a. U. 773. ergo quarto ante anno; v. 3, 2.) *censuisse futurum ut, si quid uxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio et vindicta exigatur.* Cuiacius obss. 6, 30. conatur legere *senatum Cotta Messalino consulente censuisse*. Acute: sed me iudice non exsolvet ullum acumen Domitium

hac culpa." *Lips.* Muretus et Freinsh. corr. *senatum Cotta Messalino censente constituisse* vel *censuisse.* — *provincialibus uxorum criminibus plecterentur,* propter crimina ab uxoribus commissa in provinciis. — *perinde,* v. Ind. II.

CAPUT XXI.

Actum dehinc de Calpurnio Pisone nobili ac feroci viro. Is namque, ut retuli, *cessurum se Urbe ob factiones accusatorum* in senatu clamitaverat et spreta potentia Augustae trahere in ius Urgulaniam domoque Principis excire ausus erat. Quae in praesens Tiberius civiliter habuit; sed in animo revolvente iras, etiam si impetus offensionis languerat, memoria valebat. Pisonem Q. Granius secreti sermonis incusavit adversum maiestatem habiti adiecitque, in domo eius venenum esse eumque gladio accinctum introire curiam. Quod ut atrocius vero tramissum: ceterorum, quae multa cumulabantur, receptus est reus, neque peractus ob mortem opportunam. Relatum et de Cassio Severo exsule, qui sordidae originis, maleficae vitae, sed orandi validus, per immodicas inimicitias, ut iudicio iurati senatus Cretam amoveretur, effecerat; atque illic eadem actitando recentia veteraque odia advertit bonisque exutus, interdicto igni atque aqua, saxo Seripho consenuit.

1. *de Calpurnio Pisone nobili ac feroci viro: is namque, ut retuli* cet. cf. 2, 34. *Ferox* h. l. qui non timet offensiones potentum et libere dicit, quae indignitate sua movent animum; *Ern.* *Ferox* est recti pervicax, magni et intrepidi animi, ut saepius *ferox* et *ferocia.* Cf. Ind. II. ad 1, 12, 4. et G. 32. n. 4. — *Urgulaniam,* v. 2, 34. — *in praesens,* v. ad 1, 1, 2. — *civiliter habuit,* v. ad 1, 33, 1. — *sed in animo revolvente iras,* quas idoneo et longo saepe tempore post promebat, — *memoria valebat,* cf. 1, 7 extr. 1, 69. f. 4, 29. 71. Hom. Jl. 1, 81 sq. Contra Agricolae *ex iracundia nihil supererat* Agr. 22.

2. *Pisonem Q. Granius* edd. rec. ex emend. Lipsii. *Pisonemque gravius* edd. vet. „Mendum arguunt multa. Primum quod accusator nemo expressus. Quod Tiberius ipse incusasse eum dicitur, insolens Imperatori; neque tum pars accusationis tramissa et spreta foret ut atrocior vero. Ne quis dicat, non legitimam accusationem fuisse, sed Principis mandatum: nam *recipi reus* sine accusatore non potest. *Granii* autem Romae non ignoti iam inde a Lucilii aevo, apud quem Granius praeco. De aliis v. Ind. I." *Lips.* — *adiecitque,* adiecit quoque. v. ad 2, 37, 1. — *in domo eius venenum esse:* „quo fine? an ut Caesari praeberet? an potius ipse in necessitate uteretur atque ita liberior scilicet proviso exitu ferociorque agitaret? Et apparet, ita mox factum ac mortem sumpsisse." *Lips.* „Ita et Ricklefs. Sed quaero, num id tam *atrox* videri potuerit, ut fidem senatores denegarent. Accusator criminatione sua virum potius arguebat mali in Caesarem consilii: nam mox additur *quod ut atrocius vero tramissum.*" *Walth.* — *gladio accinctum:* „non ense, sed pugione. Ensis erat longior, pugio brevior; et ensis in sinistro, pugio in dextro latere vel in collo vel sub axilla. Cf. Suet. Oct. 35. Cal. 12. Claud. 35." *Aurel.* — *quod ut atrocius vero,* quam ut haberi pro vero posset, *tramissum,* praetermissum silentio; *Ern.* Cf. ad 4, 55, 1. — *ceterorum reus est receptus,* v. ad 1, 74, 1. *ceterorum, quae* edd. Rhen. 2. 3. et rec. *ceterorumque* edd. Ber. et Rhen. 1. — *neque peractus* reus *ob mortem opportunam:* „h. e. sed accusatio reo mortuo non potuit ad exitum per-

duci, ut reus condemnaretur. Hoc enim sensu *reum peragere* dixit haec aetas et secuta. v. Budaeus ad Pand. p. m. 300. Non tamen simpliciter verum, quod tradit: nam Plinius ep. 3, 9. ter dixit pro *reum facere*; atque sic antiquiores Liv. 4, 22. 24, 25. 45, 37. Ovid. e Ponto 4, 6, 30. et Trist. 1, 1, 24. Val. Max. 6, 2, 4." *Ern.* „Fallitur. *Peragere* ubique significat actionem causae, quae fit, ut quis condemnetur aut absolvatur. *Reum facere* dicebantur ante actionem, nec potest quis *reus peragi* nisi postquam *reus factus* est." *Walth.* Cf. Cort. ad Plin. ep. 3, 9, 4. et Brisson. de signif. verborum, quae ad ius pertinent, v. *Peragere.* — *ob mortem opportunam:* „ita ap. Liv. 6, 1. Plin. ep. 2, 11. Flor. 3, 17. Pisonem ipsum sibi necem conscivisse suspicari possumus, nec tamen pro Taciti verbis aut sensu venditare;" *Freinsh.*

3. *Cassio Severo* cet. v. ad 1, 72, 3. — *qui sordidae originis et maleficae vitae*, v. ad 3, 52, 1. — *orandi validus*, v. ad 3, 1, 1. — *per immodicas inimicitias*, quas tum ipse in alios gesserat et exercuerat, tum sibi ipse ita conflaverat. Sic *facilis capessendis inimicitiis* Trio 5, 11. — *ut iudicio iurati senatus Cretam amoveretur*, v. ad 1, 3, 6. et 1, 5, 2. „Id sub Augusto ei accidit scriptis etiam librisque abolitis. v. ad 1, 72, 3. et Suet. Cal. 16. *Iudicium iurati senatus* erat, quum senatus in gravioribus causis sententias suas confirmabat iure iurando et deos testes advocabat, se censiturum, quod e fide sua reque publica videretur. Cf. 1, 74. 4, 31. H. 4, 7 pr. (al. 4, 6 extr.) Liv. 10, 41. 26, 33 extr. 30, 40. 42, 21. Plin. 33, 34. Appian. B. C. 2, 127. (τούτου μόνου δεξάμενοι τὸ λεχθὲν οἱ ἕτεροι ἤτουν σφίσι ψῆφον ἀναδοθῆναι περὶ τοῦ Καίσαρος ἐπὶ ὅρκῳ.) Suet. Aug. 35. ubi v. Casaub. Morem eum postea obtinuisse in omni senatu idque lege quadam Traiani, colligas ex verbis Plin. ep. 5, 14. *Quin etiam Dextrum, qui primus diversum censuerat, perlata lege de senatu habendo, iurare coegit, e re publica esse quod censuisset.* Graeci id vocabant ἱερὰν συμβουλήν, et formula eius eleganter expressa ap. Xenoph. Anab. 5, 6. in oratione Hecatonymi: εἰ μὲν συμβουλεύοιμι ἃ βέλτιστά μοι δοκεῖ εἶναι, πολλά μοι ἀγαθὰ γένοιτο, εἰ δὲ μή, τἀναντία. Αὕτη γὰρ ἡ ἱερὰ συμβουλὴ λεγομένη εἶναι δοκεῖ μοι παρεῖναι. Sed is mos quando primum coepit? Haud temere dixerim: puto tamen Coriolani aevo, in cuius causa tribuni plebis volunt et impetrant, *ut senatus iuratus sententiam dicat, uti solet in consessu iudicum.* v. Dionys. Hal. 7, 39." *Lips.* Participia pass. *iuratus* et *iniuratus* active dicta putant pro *postquam iuraverat* et *p. non iuraverat*, ut *traiectus* ap. Liv. 32, 6. ubi v. Drak. Sed vera sunt partic. pass., Germ. der in Eid genommene, der Beeidigte, der Unbeeidigte; *Ramshorn.* Gram. p. 385. — *odia advertit*, v. ad 1, 41, 1. — *interdicto igni atque aqua* (v. ad 1, 3, 6. et 3, 68, 2.) in *saxo Seripho consenuit:* Eusebius in Chron. *Cassius Severus orator egregius XXV exsilii sui anno summa inopia moritur vix panno verenda contectus;* Lips. *Seripho* MS. et ed. Bekk. II. *Seriphio* cet. edd. omnes. *Seriphus*, hod. *Serfino*, insula parva, inculta et saxosa, quae patet tantum circuitu XII mill. pass. nec fere aliud nisi *saxum* est. v. Strab. X. p. 487. Plin. 4, 12. s. 22. Ovid. Met. 7, 464. Iuvenal. 6, 564. 10, 170. Iacobs ad Anthol. Gr. Vol. I. P. II. p. 175. „Eius tamen hodieque reperiuntur numi cum nomine incolarum et nationis. v. Nonnius in Graeciam Gcltzii p. 265. unde partes ingrate petiverunt Spanhem. de usu et pr. num. p. 229. et Harduinus tum in Numis Jll. tum ad Plinium." *Iac. Gron.*

CAPUT XXII.

Per idem tempus Plautius Silvanus praetor incertis causis Aproniam coniugem in praeceps iecit, tractusque ad Caesarem

ab L. Apronio socero turbata mente respondit, tanquam ipse somno gravis atque eo ignarus, et uxor sponte mortem sumpsisset. Non cunctanter Tiberius pergit in domum, visit cubiculum, in quo reluctantis et impulsae vestigia cernebantur. Refert ad senatum, datisque iudicibus Urgulania Silvani avia pugionem nepoti misit. Quod perinde creditum, quasi Principis monitu ob amicitiam Augustae cum Urgulania. Reus frustra tentato ferro venas praebuit exsolvendas. Mox Numantina prior uxor eius accusata, iniecisse carminibus et veneficiis vecordiam marito, insons iudicatur.

1. *Plautius Silvanus praetor* cet. „Similis, at non eadem res narrata Quintil. I. O. 6, 2, 24. (7, 2.) *Id est in causa Naevii Apruniani* (lego *Nonii Aproniani*) *solum quaesitum, praecipitatane esset ab eo uxor, an se ipsa sua sponte iecisset.* De hoc ipso autem Plautio lapis ap. Gruter. p. 453.“ *Lips.* Male lapidem ad hunc Silvanum referri iam monuit Mercerus: nam ille Vespasiani ad tempora vixisse dicitur; *Ern.* v. ad H. 4, 53, 7. — *tanquam ipse somno gravis atque eo*, ideo, *ignarus* fuisset. Cf. Ind. III. v. *Ellipsis verbi substant.* — *reluctantis et impulsae*, vi propulsae, protrusae, *vestigia*, signa, plura certe atque manifestiora, quam ex vestigiis pedum haberi potuerunt; *Freinsh.*

2. *Urgulania Silvani avia:* „e gente Plautia, unde ap. Gruter. p. 452. *M. Plautius M. f. Urgulanius*, et Suet. Claud. 26. *Plautia Urgulanilla*, non *Herculanilla*, eius uxor.“ *Lips.* Cf. 2, 34. — *quod perinde creditum, quasi Principis monitu* factum esset. *perinde*, v. Ind. II. *perinde quasi*, ut *perinde ut, p. àc, p. atque.* — *ob amicitiam Augustae cum Urgulania*, v. 2, 34. — *Reus frustra*, ob metum et trepidationem, *tentato ferro*, conatus se eo interficere et venas secare; *Ern.* Cf. 6, 9. 11, 38 pr. ad H. 2, 49, 2. Suet. Ner. 49. — *venas praebuit exsolvendas*, ut al. *venas exsolvere, resolvere, incidere, abscindere, interscindere, interrumpere, abrumpere.* v. Ind. II. Quae *tum promptissima mortis via* (16, 17.) et usitatissima. Quare? v. 6, 29 pr. — *iniecisse carminibus et veneficiis vecordiam marito:* nam magica *carmina*, ἐπῳδαὶ, *venena*, φάρμακα, pocula amatoria, φίλτρα, τὸ ἱππομανὲς et alia ad amorem tum animo inspirandum, tum ex eo pellendum plurimum valere credebantur. Cf. Heyne ad Tibull. 1, 2, 41 sq. 8, 17 sq. ad Virg. Ecl. 8, 69 sq. et Ge. 3, 280 sq. intpp. Iuvenal. 6, 133 sq. 610 sq. Hor. od. 1, 27, 20. et epod. V. et XVII. — *prior uxor eius* repudiata.

CAPUT XXIII.

Is demum annus populum Romanum longo adversum Numidam Tacfarinatem bello absolvit. Nam priores duces, ubi impetrando triumphalium insigni sufficere res suas crediderant, hostem omittebant; iamque tres laureatae in Urbe statuae, et adhuc raptabat Africam Tacfarinas auctus Maurorum auxiliis, qui, Ptolemaeo Iubae filio iuventa incurioso, libertos regios et servilia imperia bello mutaverant. Erat illi praedarum receptor ac socius populandi rex Garamantum, non ut cum exercitu incederet, sed missis levibus copiis, quae ex longinquo in maius audiebantur; ipsaque e provincia, ut quis fortunae inops, moribus turbidus, promptius ruebant, quia Caesar post res a Blaeso gestas, quasi nullis iam in Africa hostibus, reportari

nonam legionem iusserat, nec pro consule eius anni P. Dolabella retinere ausus erat, iussa Principis magis quam incerta belli metuens.

1. *Is demum annus populum Rom.* — *bello absolvit*, liberavit. Cf. Ind. II. v. *Annus* et ad 12, 49, 1. — *Tacfarinatem*, v. Ind. I. — *priores duces*, Furius Camillus, L. Apronius, Iunius Blaesus, quibus *triumphales* imagines decretae et *statuae laureatae*. v. 2, 52. 3, 21. et 72 sq. — *ubi impetrando triumphalium* ornamentorum *insigni* (ut 12, 3. cf. ad 1, 72, 1.) *sufficere res suas*, a se gestas, *crediderant*. v. ad 3, 72, 3. *ubi* edd. rec. ex emend. Lips. *sub* MS. edd. Ber. et Rhen. 1. *sibi* edd. Rhen. 2. 3. et cet. ante Lips. — *hostem omittebant*, ut *omittere arma*, *hostem*, *bellum*, *Italiam* ap. Liv. 21, 11. 22, 12. 23, 25. 32. *μεθιέναι μάχης* ap. Hom. Jl. 4, 516. pro praetermittere, negligere, non curare. Cf. Ind. II. — *iamque tres laureatae in Urbe statuae* erant, conspiciebantur, *et adhuc raptabat* cet. Sic *et*, *ac*, *atque* in transitionibus. Cf. ad 2, 63, 2. *laureatae statuae*, lauro, insigni triumphi, redimitae, *illustres statuae* Agr. 40. pro triumphis datae. v. ad 1, 72, 1. et Plin. 33, 46. — *raptabat Africam*, populabatur, ut *rapi Armeniam* 13, 6. *diripere* et sim. Cf. ad H. 2, 12, 2. *raptabat* edd. Ber. Lips. et rec. *reptabat* edd. Rhen. Ald. Gryph. al. — *Ptolemaeo Iubae filio*, qui regnum libertis permiserat. v. ad 4, 5, 2. Suet. Cal. 26. Sen. de tranq. an. c. 11. *Ptolemaeo iuventa incurioso*, quum ob iuventutem incuriosus esset imperii. Cf. Ind. III. v. *Adiectiva in sexto casu absolute posita ut Participia Verborum.* — *libertos regios et servilia imperia* (synon.) *bello mutaverant*: „maluerant bellum gerere, belli pericula subire, quam libertorum, qui antea servi fuerant, imperio subesse. Nam *servilia imperia* sunt libertorum, quibus nimium potestatis permiserat Ptolemaeus, et hi per contemptum *servi* vocantur.“ *Ern.* Similiter H. 3, 48. *servile bellum*, quod libertus Anicetus, nunc quidem libertus, sed olim servus, conciverat; *Freinsh.* Notissima libertorum nimia potentia in aula Principum et Romanorum et externorum. Cf. Ind. I. v. *Liberti*, 12, 60. 15, 28. 35. H. 1, 13. 58. 2, 57. G. 25. Agr. 40. 43. O. 7. inpr. Suet. Claud. 28. „Iidem liberti privatorum erant ministeria. Per libertos mittebant libellum repudii Iuvenal. 6, 146., Principi libellum dabant, l. 57. §. 1. D. de ritu nupt., L. 16. D. de interd. et releg., heredes recitabant testamenta Suet. Tib. 23. Dio 56, 32 pr., rei defensionem mittebant aut recitabant Tac. Ann. 3, 15. Cuiac. obss. 8, 26.“ *Virdung.* ad Agr. 40.

2. *rex Garamantum*, cf. cap. 26. et 3, 74. — *non ut cum exercitu incederet, sed missis* cet. v. ad 3, 9, 2. et 4, 20, 1. — *quae ex longinquo in maius audiebantur*, fama augebantur. Cf. 2, 24 extr. 2, 82 pr. 3, 12. 13, 8 pr. ad H. 4, 68, 1. Agr. 25. n. 4. et Ind. II. v. *In.* — *ipsaque e provincia*, v. ad 1, 58, 2. — *ut quis*, aliquis scil. magis *fortunae inops*, aut: ut quisque maxime *inops*, eo *promptius ruebant*, approperabant; aut; ita promptissime *ruebant*, ut 4, 36. *ut quis*, quisque, (v. ad H. 3, 31, 1.) *districtior*, *velut sacrosanctus erat*; *Ramshorn.* Gram. p. 319. Cf. Ind. III. v. *Comparationis usus modusque minus vulgaris.* — *reportari nonam legionem iusserat*, v. ad 2, 52, 2. — *pro consule eius anni P. Dolabella* MS. edd. Ber. Rhen. 1. Iac. Gron. Bekk. 2. *proconsul* edd. Rhen. 2. 3. et rec. v. ad 2, 52, 2. „Memoriam P. Dolabellae in Illyrico servat. lapis ap. Gruter. p. 396. *P. Cornelio Dolabellae cos. VII.viro epulon. sodali Titiensi leg. propr. divi Augusti et Ti. Caesaris Augusti civitates superioris provinciae Hillyrici.*“ *Lips.* „Adde numum Tiberii, in cuius aversa Livia sedens velata cum epigraphe *permissu P. Dolabellae procos* ap. Vaillant. NN. Col. T. I. p. 91.“ *Oberl.* — *metuens* „proprie pertinet

ad *incerta belli:* ad *iussa Principis* ἀναλόγως intellige *reverens* vel simile quid. v. ad 2, 20, 2. Potest tamen *metuens iussa* ita accipi, ut intelligas, illum metuisse poenam ob iussa non peracta." *Walth.*

CAPUT XXIV.

Igitur Tacfarinas, disperso rumore, rem Romanam aliis quoque ab nationibus lacerari eoque paulatim Africa decedere ac posse reliquos circumveniri, si cuncti, quibus libertas servitio potior, incubuissent, auget vires positisque castris Thubuscum oppidum circumsidet. At Dolabella, contracto quod erat militum, terrore nominis Romani et quia Numidae peditum aciem ferre nequeunt, primo sui incessu solvit obsidium locorumque opportuna permunivit; simul principes Musulamorum defectionem coeptantes securi percutit. Dein quia pluribus adversum Tacfarinatem expeditionibus cognitum, non gravi nec uno incursu consectandum hostem vagum, excito cum popularibus rege Ptolemaeo, quatuor agmina parat, quae legatis aut tribunis data; et praedatorias manus delecti Maurorum duxere: ipse consultor aderat omnibus.

1. *rem* publicam *Romanam*, cf. Ind. II. v. *Res.* — *eoque*, ideoque, (v. ad 1, 16, 1.) *paulatim Africa decedere* sc. Romanos vel eorum exercitus, quale subiectum latet in *rem. Rom.* — *incubuissent*, ut Gr. ἐμπίπτειν, ἐνσκήπτειν, ἐπισκήπτειν, metaphora plerumque petita vel ab onere gravi, cui protrudendo pectus humerique opponuntur quodve rei impositum eam inclinat et casum eius promovet, vel ab exercitu hostili repente et cum vi ingruente, irruente, opprimente, ut ἐφορμάω, ἐπιχράω, *urgeo, insto*, de hostibus, malis cet. cum Dativo vel praep. *in* et Accus. Cf. Ind. II. et intpp. Hor. od. 1, 3, 31. Liv. 3, 16. Virg. Aen. 1, 84. Iuvenal. 6, 293. — *Thubuscum oppidum* Mauritaniae Caesariensis, alias Tubusuptus et Succubae dictum; *Lips.* „Sed graviter errant, qui Thubuscum Mauritaniae oppidum fuisse existimant. Tunc enim non Romani, sed Ptolemaeus in Mauritania imperitabat, et teste Plin. 5, 1. *Romana arma primum Claudio Principe in Mauritania bellavere.* Verum quum in *provincia Africa* (v. ad 1, 58, 2.) duplex esset huius nominis oppidum, alterum minus, nunc *Tuburb*, alterum maius, nunc *Tubernock*, de utro h. l. agatur, dubitari potest. De minore, ad ripam fluvii *Meierda* posito, accipiendum mihi videtur." *Brot.*

2. *primo sui incessu*, v. ad 3, 9, 2. Pron. *sui* nonnullis corruptum, saltem otiosum videbatur. Acidalius corr. *statim.* Heinsius et Hillerus *primo sub incessu* et *primos sub incessus*, ut ap. Caes. B. G. 8, 49. B. C. 1, 27. Flor. 2, 11. „Coniungenda sunt *terrore nominis Romani et primo sui incessu.* Itaque *sua* vi sua non caret. Modus autem dicendi usitatus. Cf. 2, 13. 46. 3, 43. 6, 7. Suet. Oct. c. 94. et Iul. c. 30. ubi codex Salmas. habet *adventu sui.*" *Walth.* v. Ind. III. v. *Pronomen reciprocum,* Oudend. ad Suet. Iul. 30. et Caes. B. G. 1, 4. Ruddim. inst. gramm. T. II. p. 45. 46. 50. 51. et Ramsh. Gr. §. 338. 339. — *Musulamorum*, v. ad 2, 52, 1. — *securi percutit*, percuti iussit, ut *fusti necat* 3, 21. Cf. ad 2, 85, 1. — *quae legatis aut tribunis data*, „partim legatis, partim tribunis: non enim tot legatos habebat Dolabella, ut cuilibet agmini legatum praeponere posset. Hinc recte *aut* MS. edd. Iac. Gron. et rec. Sine necessitate *ac* edd. Ber. Rhen. et cet." *Ern.* — *Ipse consultor aderat omnibus*, ut Metellus ap. Sall. Iug. 45. *in primis modo, modo in postremis, saepe in medio aderat*, quod significat curam ducis; *Freinsh.*

CAPUT XXV.

Nec multo post affertur, Numidas apud castellum semirutum, ab ipsis quondam incensum, cui nomen Auzea, positis mapalibus consedisse fisos loco, quia vastis circum saltibus claudebatur. Tum expeditae cohortes alaeque, quam in partem ducerentur ignarae, cito agmine rapiuntur; simulque coeptus dies et concentu tubarum ac truci clamore aderant semisomnos in barbaros, praepeditis Numidarum equis aut diversos pastus pererrantibus. Ab Romanis confertus pedes, dispositae turmae, cuncta proelio provisa; hostibus contra omnium nesciis non arma, non ordo, non consilium, sed pecorum modo trahi, occidi, capi. Infensus miles memoria laborum et adversum eludentes optatae totiens pugnae se quisque ultione et sanguine explebant. Differtur per manipulos, Tacfarinatem omnes notum tot proeliis consectentur; non nisi duce interfecto requiem belli fore. At ille, deiectis circum stipatoribus vinctoque iam filio et effusis undique Romanis, ruendo in tela captivitatem haud inulta morte effugit. Isque finis armis impositus.

1. *castellum semirutum*, v. ad 1, 61, 2. — *cui nomen Auzea:* Castellum illud fuit in Numidia: nunc periit. Apud Ptol. 4, 2. memoratur quidem urbs *Αὔζια:* sic enim scriptum in MS. nostro et Palat. At ille omnia, quae ad Mauritaniam Caesariensem ac Sitifensem ipsamque Numidiam spectant, confudit et in longitudinum mensura gravissime toto hoc cap. aberravit." *Brot.* — *positis mapalibus consedisse*, quod signum erat longioris morae, quam ibi trahere constituissent; *Freinsh. Mapalia* sunt casae s. tuguria Nomadum s. Hamaxobiorum oblonga, in coni aut furni aut carinae speciem e cannis ferulisve confecta et vel sparsim solo fixa, vel plaustris imposita, circumlata et in vicos collecta, quae potius *magalia* et rectius *magaria* (מגורים, habitacula) dicuntur. Cf. 3, 74. H. 4, 50. Sall. Iug. 18. 46. inpr. 14. Sil. 17, 88 sq. Polyb. 14, 1. Heyne ad Virg. Ge. 3, 340. et Aen. 1, 421. 4, 259. Cort. ad Sall. Iug. 18. Schweigh. ad Appian. Pun. c. 117. *Πλεκταὶ στέγαι ἐπ' εὐκύκλοις ὄχοις* dicuntur Aeschyl. Prom. v. 214. „Hodie *beetel-schar*, domus pellium. v. Shaw's Travels T. I. p. 220." *Oberl.* — *fisos loco, quia vastis* cet. Fortasse leg. *qui vastis; Gron.* Crederem, si Cicero auctor esset aut Livius: sed *quia* Tacito, etsi durius, dicitur 6, 4. et sic sexcenties; *Ern.* „Sed ubi tandem est durum illud? *Fisos loco* sc. illo dixerat, et iam ratio erat reddenda eius fiduciae, quae in eo fuit, quod locus vastis circum saltibus claudebatur. *Qui* sensum contorquet. Nam *qui* locum describit, ut scias, qui locus sit: ein Ort, welcher. Iam vero de loco satis constat, qui sit; superest, ut scias, cur illo loco sint fisi, scil. *quia* cet." *Walth.* — *Simulque coeptus dies et — aderant*, v. ad 1, 65, 1. et 2. *Simulque — et* pro *simul et — et*, ut ap. Sall. Iug. 94. — *praepeditis Numidarum equis*, compeditis, *πεποδισμένοις*, quorum pedes in pascuis vincti erant compedibus, aut pedicis alligati. „Sic Xenoph. Cyrop. 3, 3, 27. de Assyriis et id. Anab. 3, 21. de Persis, a quibus progenitoribus suis (v. Sall. Iug. 18.) fortassis Numidae retinuerunt hunc morem, ad quem Livius 21, 36 extr. respexisse videtur." *Freinsh.*

2. *Ab Romanis*, ab eorum parte. — *cuncta proelio provisa*, ad illud praeparata. Cf. Ind. II. et ad 12, 47, 1. — *eludentes*, v. ad 2, 52, 2. et 3, 74, 1. — *totiens* MS. edd. Ber. et Rhen. 1. ubivis. Cf. ad Agr. 30.

n. 1. — *se quisque*: in MS. *si quis*. — *ultione et sanguine*, v. ad 1, 49, 1.

3. *Differtur per manipulos*, v. ad 1, 4, 3. — *requiem belli*, a bello. — *deiectis circum stipatoribus*, satellitibus prostratis, occisis, ut καταβάλλεσθαι. Cf. 11, 29 extr. et intpp. Virg. Aen. 11, 642. Martial. 1, 61. Phaedr. 2, 1, 1. Sil. 15, 464. Val. Fl. 1, 191. Ovid. Met. 3, 303. Nep. Thrasyb. 3. *deiectis* edd. rec. ex emend. Gron. *delectis* MS. et edd. vet. Cf. ad 2, 60, 1. et 4, 44, 1. *deletis* (ut c. 51.) edd. Pich. et al. ante Ern. *dilectis* coni. Lips. *disiectis* Merc. *defectis* Heins. *diiectis* Kiessl. — *effusis undique Romanis*, ut suffugia intercluderent. *offusis* malebat Lips. et *affusis*, quod melius est, Heinsius. Sed nil mutandum. v. ad 1, 23, 1.

CAPUT XXVI.

Dolabellae petenti abnuit triumphalia Tiberius Seiano tribuens, ne Blaesi avunculi eius laus obsolesceret. Sed neque Blaesus ideo illustrior, et huic negatus honor gloriam intendit: quippe minore exercitu insignis captivos, caedem ducis bellique confecti famam deportarat. Sequebantur et Garamantum legati raro in Urbe visi, quos Tacfarinate caeso perculsa gens et culpae nescia ad satisfaciendum populo Romano miserat. Cognitis dehinc Ptolemaei per id bellum studiis, repetitus ex vetusto mos est missusque e senatoribus, qui scipionem eburnum, togam pictam, antiqua Patrum munera, daret *regemque et socium atque amicum* appellaret.

1. *Isque finis impositus armis*, bello. Cf. Ind. II. — *triumphalia* insignia. v. ad 1, 72, 1. — *Seiano tribuens*, non triumphalia, sed hoc, quod ea Dolabellae abnueret, et quidem Seiano vel petenti, vel sponte gratificaturus; *Freinsh.* et *Ern.* Cf. ad 1, 7, 8. — *Blaesi*, cui ea erant data. v. 3, 72. *Blaesi avunculi eius*. Cf. ad 4, 8, 1. — *Sed nec Blaesus*, et Blaesus non *ideo* (v. ad 1, 12, 4.) *illustrior* factus, *et huic*, Dolabellae, *negatus honor*, negatio honoris, (v. Ind. III. v. *Participia formae pass. pro Substant. abstr.*) *gloriam intendit*, v. ad 3, 76, 3. et 12, 35, 1. — *insignes captivos, caedem ducis bellique confecti famam deportarat*, v. ad 2, 20, 2.

2. *rex Garamantum*, cf. cap. 23. et 3, 74. — *et culpae nescia* MS. et edd. vet. ante Brot. Fortasse rex eorum clam leves copias, proprium satellitium, Tacfarinati suppeditaverat, (cf. c. 23. et 3, 74.) vel solus latrociniis operam dederat, gente inscia et non consulta, aut non consentiente: unde et *legati Garamantum*, non regis eorum; *Salin.* „*Nescius alicuius rei* Tacito aliisque scriptoribus non solum dicitur, qui non est sibi conscius eius rei, sed etiam qui rem non callet eamque tractare nescit. Cf. 2, 46. 3, 1. 46. 67. 4, 13. 54. 5, 9. 16, 5. Hinc *gens culpae nescia* aliquando mihi videbatur esse nescia culpae explendae, vel quae in culpa perdurare nescit, h. e. facilis, morigera. Nunc valde dubito, an sic contextui satisfiat.“ *Walth.* Non male *et culpae conscia* corr. Lips. *et culpae n.* (non) *nescia* Gron. et, quod plerisque arrisit, *nec culpae nescia* Ryck. et Huet. — *repetitus ex vetusto mos* — *appellaret*, v. Dionys. Hal. 5, 35. qui talia munera Porsenae regi missa tradit: unde *antiqua munera*; *Lips.* Cf. et Liv. 30, 15. (ubi v. Drak.) 30, 17. 31, 11. *mos* edd. rec. ex emend. Lips. *more omissusque* MS. *more* et *mose* edd. vet. Legendum *mos est*; *Mur.* Id recepi. — *appellaret*, appellatum diceret, nuntiaret. Cf. ad 4, 52, 2. et Ramsh. Gram. p. 387. — *scipionem eburnum*, θρόνον ἐλεφάντινον καὶ σκῆπτρον Dionys. l. l. — *togam pictam*.

θριαμβικὴν ἐσθῆτα id. *Toga picta* acu, quae alicuius rei s. animalis figuram acu factam atque aureis aut variis filis intextam et expressam exhibebat; *Salmas.* ad Flav. Vopisc. c. 20. Cf. Plin. 8, 48.

CAPUT XXVII.

Eadem aestate mota per Italiam servilis belli semina fors oppressit. Auctor tumultus T. Curtisius, quondam praetoriae cohortis miles, primo coetibus clandestinis apud Brundisium et circumiecta oppida, mox positis propalam libellis ad libertatem vocabat agrestia per longinquos saltus et ferocia servitia, quum velut munere Deum tres biremes appulere ad usus commeantium illo mari. Et erat iisdem regionibus Curtius Lupus quaestor, cui provincia vetere ex more Calles evenerat. Is, disposita classiariorum copia, coeptantem quum maxime coniurationem disiecit: missusque a Caesare propere Staius tribunus cum valida manu ducem ipsum et proximos audacia in Urbem traxit iam trepidam ob multitudinem familiarum, quae gliscebat immensum, minore in dies plebe ingenua.

1. *T. Curtisius*, fortasse *Curtilius*, ut 13, 56. Cic. ep. ad Att. 14, 6. 10. et alibi; *Reines.* — *positis propalam libellis*, v. ad 1, 7, 4. — *longinquos saltus* non intelligas de distantia, sed de amplitudine; *Walth.* Cf. ad 1, 53, 1. — *ferocia servitia*, servos. Cf. Ind. III. v. *Abstracta pro Concr. feroricia* MS. pro *ferocia*.

2. *cui provincia vetere ex more Calles evenerat* sc. sorte. Cf. ad 11, 21, 1. *Calles* MS. et edd. vet. *Cales* edd. Lips. Pich. et dein paene omnes. *Calles* interpretor ex loco Suet. Iul. c. 19. *opera ab optimatibus data est, ut provinciae futuris consulibus minimi negotii i. e. silvae callesque decernerentur;* ut antiquitus quidem *calles* (h. e. cura publicorum saltuum calliumque, in quibus pecora pascebantur aere aliquo constituto) provincia *quaestorum* fuerit, interdum et consulum, si bella nusquam aut hostis; *Lips.* „Recte; et ipse Tacitus non obscure indicat talem provinciam intelligi, quando Curtisium ad libertatem vocasse ait *agrestia per longinquos saltus et ferocia servitia.* Unde patet, *silvas et calles provinciam* fuisse procurationem ad repurganda loca latrociniis exercendis accommodata. Italia enim ut nunc ita olim latronibus vexata, et causae huius mali partim eaedem, scil. regionis situs montibus silvisque abundans, partim diversae; apud veteres multitudo servitiorum, hodiernis temporibus principum et rerum publicarum illic copia: unde fit ut qui proscribantur ab his, recipiantur ab illis et mox latrocinia exerceant in confiniis. Ne de aliis morbis dicam.“ *Ryck.* Similia disputarunt Iac. Gron. Brot. et Burm. de vect. P. R. p. 107. „In loco Suet. Iul. 19. non quidem sermo est de certa quadam *provincia* appellata *Calles*, uti hic. Intelligi tamen possunt *calles Italiae* (Cic. p. Sext. c. 5.) h. e. regiones silvestres et montosae a tergo Campaniae versus mare superum sitae; neque incredibile est, regiones illas κατ' ἐξοχὴν nomine *Callium* insignes provinciamque fuisse *Calles* dictam.“ *Walth.* „Sed nec *Cales* (hod. *Calvi*) mihi displiceat, ut in eo oppido quaestorium vel quaestoris sedes fuerit. Sic enim in Livio lego, Pisas consulibus decretas et Tarentum praetoribus, et 25, 3. *Nero praetor Suessulam sortitur,* quibus oppidorum nominibus loca scio intelligi vicina. *Veteri* autem re publica ante Sullam octo quaestores erant, et primum quidem duo *urbani*, quibus a. U. 334. duo *militares* additi: (v. Liv. 4, 43.) his vero a. U. 488. lege a C. Titio trib. pl. rogata adiecti quatuor *provinciales*, qui in toti-

dem Italiae aut certe Siciliae provinciis reditus ac vectigalia populi Rom. curarent, externis provinciis imperio nondum adiunctis. Cf. 11, 22. Quaenam fuerint hae quatuor provinciae quaestoriae, non diserte docent veteres Romanorum scriptores. Eas autem puto sic constituendas: *primam* aquariam s. frumentariam, Ostiae, cuius quaestori ora tota maris inferi, subvectio frumenti, res nautica aliaque talia curae; (v. Suet. Claud. 24. Cic. p. Mur. 8. p. Vatin. 5.) *secundam* Gallicam, Arimini, cuius meminit Suet. l. l. *detracta quaestoribus Ostiensi et Gallica provincia, curam aerarii Saturni reddidit.* Video ibi virum doctum velle *callium provincia:* erudite fateor et acute; sed sustinet assensionem meam locus Plut. in Sertor. p. 569. quem quaestorem designatum ait Galliae circumpadanae: *ταμίας ἀποδείκνυται τῆς περὶ Πάδον Γαλατίας.* (*Gallica* s. *Gallia provincia* est ager Gallicus s. pars Galliae cis Ariminum ultra Picenum. v. Varr. R. R. 1, 2. *Ern.* ad Suet. l. c. et clav. Cic. in Ind. geogr. v. *Gallicus ager.* Duarum autem provinciarum, *Ostiensis* et *Gallicae*, mentionem etiam facit Dio 55, 4. et 60, 24.) *Tertia*, opinor, fuit Calibus ad Vulturnum flumen, cuius quaestor tractui Campano Sidicinoque praefuit Brundisium usque. Eam non alio tibicine fulcire possum quam hoc Taciti loco. Quartam adhuc quaero, nisi si fuerit in Sicilia Lilybaei. Argumento, quod ea prima provinciarum facta, et quod etiam inferiori aevo, quum missus illuc praetor, semper in Sicilia duo quaestores, Syracusanus et Lilybaetanus." *Lips.* Cui suffragatur paene Pigh. in Annal. ad a. 488. p. 463—469. ubi copiose de his provinciis quaestoriis disserit et quartam in Calabria fuisse suspicatur. „Non dubitandum, quin Tacitus scripserit *Cales.* Primo non potest doceri, *silvas callesque* ap. Suet. Iul. 19. fuisse ordinariam quaestoriam provinciam; quod esse debet, si *Curtio quaestori calles vetere ex more evenerunt* sorte. Extraordinaria autem illa provincia fuit, cuius mentionem fecit Suetonius, et decreta, quum res et necessitas postularet; unde Caesari et Bibulo decreta. Neque tum extra ordinem data erat Curtio, quippe bello illo servili exorto, quum iam illam provinciam obtineret, nec quaestori bellum servile mandatum fuisset; multo minus sine militibus, quos nullos eum habuisse planum est. Aliud est *calles* provinciam habere, ut latronibus paucis cum militibus obviam eatur, aliud bellum cum servis gerere, quod cum exercitu factum omni tempore. Iam porro rem maritimam mandatam fuisse Curtio, patet e sequentibus. Nam qua ope opprimit servos? nempe per classiarios, quos sub manu habebat. Ergo maritimam provinciam habuit; quae nulla alia esse potuit quam Calena quamque appellari a Dione maritimam provinciam observavit iam Pighius, etsi non indicato loco. Denique non raro librarii pro *Cales* scripserunt *Calles.* v. Drak. ad Liv. 8, 16. et 29, 15. Sic et in MSS. Taciti litera *l* duplicatur, ut in *Sillanus, molliri, callones, colloni* et sexcentis aliis." *Ern.* Sic et *Callibus* edd. vet. pro *Calibus* 6, 15. „Sed mira sane provincia *Calena* a Lipsio effícta, quae pertinet ad oram maris superi sedemque habet in Campania, nomen ab oppido ad fines extremos sito. Mirum etiam, quod quaestor, qui sedem habet Calibus, iisdem regionibus fuisse dicitur, quae tum servili tumultu turbabantur apud Brundisium et circumiecta oppida." *Walth.* Utraque igitur lectio difficultatibus premitur non facile solvendis. — *classiariorum:* „hi in classe stipendia merebant, sordidum militiae genus, ex servis vel infima Romanorum conditione conscriptum. v. Suet. Vesp. 8. et Gori inscr. ant. T. II. p. 181 sq. T. III. p. 95 sq." Brot. Cf. ad H. 1, 6, 6. — *cum maxime* MS. edd. Ern. et rec. *tum maxime* edd. vet. Sed sententia est, Lupum tum coniurationem disiecisse, quum maxime coeptaret; *Walth.* v. ad 3, 59, 2. — *Staius tribunus:* „dubitaveram num *Statius* legendum sit. Persius tamen Sat. 2, 19. 22. Staii cuiusdam

meminit." *Lips.* „Cf. Gron. ad Liv. 10, 20. Reinesius putat, hunc esse M. Staium Flaccum, qui a. U. 784. duumvir Nolae fuit. v. Gruter. inscr. p. 1087, 1." *Ern.* — *proximos audacia* sc. duci. Id iam dudum conieceram et nunc dedi exemplo Bekk. in ed. II. *audatia* MS. *audaciae* omnes edd. — *iam trepidam* edd. Rhen. 2. 3. et dein omnes. *iam trepida* edd. Ber. et Rhen. 1. „Hoc potest coniungi cum *minore in dies plebe ingenua.* Molestum sane est *trepidam ob multitudinem,* nec iuvat virgula a nonnullis post *trepidam* posita." *Walth.* Molestum potius esset *iam trepida — minore plebe:* neque est quod nobis displiceat vulgatum: *in urbem iam trepidam,* quae iam trepida erat *ob multitudinem familiarum,* servorum, (v. ad 3, 53, 3.) *quae gliscebat* (v. Ind. II.) *immensum, minore,* decrescente, *in dies plebe ingenua;* cf. Ind. III. v. *Adiectiva in sexto casu absolute posita.* Plebs Urbe cedere cogebatur annona acriore fatigata; *Brot.* *immensum* pro *in immensum,* ut 3, 30. 52. Sic et *aeternum* 3, 26. 12, 28. et alia Adiectiva neutr. gen. in sing. pro Adverbiis.

CAPUT XXVIII.

Iisdem consulibus miseriarum ac saevitiae exemplum atrox reus pater, accusator filius: nomen utrique Vibius Serenus. In senatum inducti sunt ab exsilio retractus illuvieque ac squalore obsitus et tum catena vinctus pater orante filio, praeparatus adolescens, multis munditiis, alacri vultu. Structas Principi insidias, missos in Galliam concitores belli index idem et testis dicebat annectebatque, Caecilium Cornutum praetorium ministravisse pecuniam; qui taedio curarum, et quia periculum pro exitio habebatur, mortem in se festinavit. At contra reus nihil infracto animo obversus in filium quatere vincula, vocare ultores deos, ut sibi quidem redderent exsilium, ubi procul tali more ageret, filium autem quandoque supplicia sequerentur: asseverabatque, innocentem Cornutum et falsa exterritum, idque facile intellectu, si proderentur alii: non enim se caedem Principis et res novas uno socio cogitasse.

1. *reus pater, accusator filius: nomen utrique Vibius Serenus. In senatum — vinctus pater orante filio, praeparatus* cet. „Ita haec et legenda et distinguenda videntur. Describit auctor, quales inducti sint pater et filius, nempe diversissimo uterque habitu et conditione: *pater ab exsilio retractus* nec praeparatus ad causam, *adolescens praeparatus;* ille *illuvie ac squalore obsitus,* hic *multis munditiis;* ille *tum catena vinctus* et quidem *orante filio,* quod tristitiam multum augebat, hic alacri vultu. Etenim *orante filio* minime est während der Sohn redete, neque leg. *perorante filio,* nam is tum nondum perorabat; sed *orante* sc. causam h. e. accusante, vel precante et postulante *filio:* auf Anklage, auf Erforderung des eigenen Sohnes: nam respicit ad catenam *tum* patri iniectam." *Walth.* In MS. *nomen virique Vibius S.* In edd. vet. *reus pater accusator filius nomen viri Q. Vibius Serenus, in senatum inducti sunt, ab exsilio retractus, illuvie ac squalore obsitus et tum cathena vinctus perorante filio. Praeparatur adolescens multis munditiis* cet. Sed *nomen utrique Vibius Serenus* (cf. cap. 36.) iam corr. Lipsius, *pater orante* (nam *perorante* ex *pr. orante* ortum videtur) *filio* Lampugnanus e cod. Mirand. vel potius Freherus ex ingenio et Iac. Gron., *praeparatus* Venturius. Hinc *reus pater, accusator filius* (*nomen utrique Vibius Serenus*) *in senatum inducti sunt. Ab exsilio — vinctus pater, orante filio.*

Praeparatus — alacri vultu, structas cet. edd. Oberl. Lün. Bekk. in ed. I. Kiesl. Sed meliorem verborum distinctionem dedit Walther et iam ante eum Ern. qui tamen malebat *in senatum inducti. Stabant ab exsilio* cet. ratus frigere verbum *sunt*, cui etiam Pichena *senex* substituendum censebat. Mihi potius ante *Vibius* ex edd. vet. *Q.* vel ex 2, 30. *C.* inserendum videtur, ut significetur, *utrique*, et patri et filio, non modo idem nomen et cognomen, sed etiam, quod minus usitatum, idem praenomen fuisse. Non necessaria autem est correctio Gron. *nomen utrisque Quintis Vibiis Serenis.* Romani plerumque dicebant *ei* et *utrique nomen est Vibius*, ut 1, 45. 2, 4. 80. 3, 21. 42. 4, 25. 72. 6, 28. 11, 4. 13, 12. 14, 22. 15, 45. 59. 16, 19. H. 4, 26. vel *ei nomen est Vibii*, ut 2, 8. 15, 37. H. 3, 6. 4, 18. rarius *ei nomen est Vibio* (per attractionem) ut 1, 31. 2, 16. fortasse et 2, 8. 15, 37. rarissime *utrisque nomen est Vibiis*, vel nunquam, sed potius *ambobus*, ut *Geminis ambobus cognomen erat*, ap. Liv. 31, 4. De hac dictione v. Gron. ad Liv. 1, 1. et Burm. ad Vell. 2, 12. Ita quoque *ei* et *utrique cognomentum est Geminus* et *Petra* 5, 1. 11, 4. *cui vocabulum Speluncae* 4, 59. *cui cognomen est Rapaci* H. 2, 43. Cf. Gell. 15, 29. Ruddim. inst. gr. II. p. 125. Zumpt. Gram. §. 421. Ramshorn. Gram. p. 202. Pabst. Ecl. Tac. p. 309. Krüger Unters. aus d. Gebiete der lat. Spr. III. p. 43. Hoffman. in Jahn's Jahrb. für Philol. VII, 1. p. 13. — *Vibius Serenus*, ut c. 13. 36. et *C. Vibius* vel *Q. Vibius* 2, 30. — *ab exsilio retractus*, ut causam diceret a filio accusatus. De eius exsilio v. cap. 13. — *illuvie ac squalore obsitus*, cf. ad 2, 29, 1. — *munditiis*, v. ad 12, 49, 1. — *missos* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. Micyll. Pich. et rec. *missosque* edd. Lips. Cf. Ind. III. v. *Asyndeta*. — *C. Caecilium Cornutum*: „Cf. inscr. numi Amiseni in Eckhelii D. NN. T. II. p. 347. 396. qui hunc numum ad VII Saec. Romae reiicit. Quod si sit, is Cornutus ex primis fuerit necesse est, qui Pontum rexere devicto Mithridate. Nugatur Harduin. in hist. Aug. ex NN.“ *Oberl.* — *quia periculum pro exitio habebatur*: „quia, nullis reis evadentibus, idem putabatur accusari quod damnari. Sic *inter damnatos magis quam inter reos habebantur* 16, 14. et *omnes necessarii deseruerant impie* Libonem, *non iam reum, sed funus* Sen. ep. 70.“ *Freinsh.* Verba *qui taedio — festinavit*, quia mox a patre refellantur, filio tribuenda esse et hinc legendum *festinarit*, non male suspicabatur Ricklefs. Possunt tamen et Tacito tribui haec verba.

2. *ubi procul tali more ageret*, (v. ad 1, 68, 1.) inter barbaros a tali more et flagitio filii abhorrentes. — *falsa exterritum*: „est Graeca structura, ἐκπλήττεσθαι τί, neque leg. *falso* vel *per falsa*. Intellige temere exterritum et falsa esse, quae eum exterruerint.“ *Walth.* Cf. Ind. III. v. *Accusativi Adiectivis, Verbis eorumque Participiis iuncti more poetarum et Graecorum.* — *si proderentur alii*, nominarentur conscii, etsi non sint; *Ern.* — *non enim se caedem et res novas* (v. ad 2, 78, 1.) *uno socio cogitasse*, cogitaturum fuisse. Cf. ad Agr. 4. n. 6. *uno socio*, cf. Ind. III. v. *Adiectiva in sexto casu absolute posita.*

CAPUT XXIX.

Tum accusator Cn. Lentulum et Seium Tuberonem nominat, magno pudore Caesaris, quum primores civitatis, intimi ipsius amici, Lentulus senectutis extremae, Tubero defecto corpore, tumultus hostilis et turbandae rei publicae arcesserentur. Sed hi quidem statim exempti. In patrem ex servis quaesitum, et quaestio adversa accusatori fuit; qui scelere vecors, simul vulgi rumore territus robur et saxum aut parricidarum poenas minitantium, cessit Urbe, ac retractus Ravenna exsequi accusatio-

nem adigitur, non occultante Tiberio vetus odium adversus exsulem Serenum: nam post damnatum Libonem missis ad Caesarem literis exprobraverat suum tantum studium sine fructu fuisse, addideratque quaedam contumacius quam tutum apud aures superbas et offensioni proniores. Ea Caesar octo post annos retulit, medium tempus varie arguens, etiamsi tormenta pervicacia servorum contra evenissent.

1. *Cn. Lentulum nominat magno pudore Caesaris*, cf. ad 4, 44, 1. et Dio 57, 24. — *Seium Tuberonem*, cf. 2, 20. — *defecto corpore*, macie consumpto, (ut ap. Plin. 22, 22.) vel belli laboribus. Cf. ad 6, 24, 1. — *tumultus hostilis* — *arcesserentur*, cf. ad 1, 74, 1. *accerserentur* omnes edd. vet. ante Lips. quam scripturam defendit Wissowa in lectt. Tac. Spec. II. a. 1829. p. 11 sq. Plerique tamen viri docti putant, *arcessere* rectius scribi, quia prisci Romani saepissime *r* pro *d* et *ar* pro *ad* dixerint, v. c. *arveho*, (Cato R. R. 135. 138.) *arcedere, arfuisse, meridies* pro *medidies, arbiter* ab *adbitere*, et sic *arcessere* pro *adcessere*, facere ut aliquis adcedat, vel ab *adcio* sive *adcieo*, ut *capesso, facesso, lacesso* a *capio, facio, lacio*. In MSS. et edd. vet. scriptura variat. Cf. ad 2, 50. H. 1, 14. 31. 38. Drak. ad Liv. 2, 19. Graev. et Oudend. ad Suet. Tib. 53. et Cal. 35. Kritz. ad Sall. Cat. 40, 6. Obbar. in: Jahn's Jahrb. für Philol. 1830. 1. p. 76. — *exempti* sc. e reis, vel liberati sc. a crimine vel crimini; nam *eximere* a Tacito iungi solet Dativo. v. Ind. II.

2. *In patrem ex servis quaesitum*, v. ad 2, 28, 1. et 2, 30, 2. — *robur* Tullianum. v. ad 3, 51, 1. — *et saxum* Tarpeium. v. ad 2, 32, 3. — *parricidarum poenis*, qui virgis primum caedi, deinde cum simia, serpente, gallo gallinaceo et cane culeo insui et in mare vel flumen proximum demergi solebant, ut sic repente coelo, sole, terra privarentur. Verba XII. tabb. sunt: *Qui parentem necassit caput obnubito culeoque insutus in profluentem mergitor*. v. Cic. p. Rosc. Am. 70. Casaub. ad Suet. Aug. 33. intpp. Iuvenal. 8, 213. 13, 155. Lips. ad Sen. ep. 40. Cannegieter obss. iur. 3, 12. et inpr. Arntzen. in Actis lit. soc. Rheno-Trai. T. I. p. 106 sq. Lugd. Bat. 1793. — *minitantium* pro *minitantis*. Cf. Ind. III. v. *Nomina collectiva*. — *exsequi accusationem*, ad finem perducere; *Ern.* — *adversus* edd. Lips. et rec. *adversum* edd. vet. Male ante vocalem. Cf. Ind. II. — *post damnatum Libonem* cet. v. 2, 30 sq. et Ind. III. v. *Participia perf. pass. pro Substant. abstr.* — *suum tantum studium* in accusatione Libonis; de quo *Vibii* Sereni studio v. 2, 30. — *octo post annos*: nam Libo a. U. 769. damnatus; Brot. — *medium tempus varie arguens*, insimulans Vibium Serenum variorum, quae his octo annis adversus Principem meditatus esset et molitus. — *etiamsi tormenta pervicacia*, propter pervicaciam, *servorum evenissent contra* exspectationem accusatoris, non eum habuissent eventum, quem accusator exspectasset.

CAPUT XXX.

Dictis dein sententiis, ut Serenus more maiorum puniretur, quo molliret invidiam, intercessit. Gallus Asinius Gyaro aut Donusa claudendum quum censeret, id quoque aspernatus est, egenam aquae utramque insulam referens dandosque vitae usus, cui vita concederetur. Ita Serenus Amorgum reportatur. Et quia Cornutus sua manu ceciderat, actum de praemiis accusatorum abolendis, si quis maiestatis postulatus ante perfectum iudicium se ipse vita privavisset. Ibaturque in eam sententiam,

ni durius contraque morem suum palam pro accusatoribus Caesar, irritas leges, rem publicam in praecipiti, conquestus esset: subverterent potius iura, quam custodes eorum amoverent. Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum et poenis quidem nunquam satis coercitum, per praemia eliciebantur.

1. *ut Serenus more maiorum puniretur*, v. ad 2, 32, 3. — *quo molliret invidiam*, ut eam minueret. Cf. ad 11, 25. 14, 14. et Agr. 19. n. 3. — *intercessit* iure tribuniciae potestatis; *Lips.* — *Gallus Asinius*, v. ad 1, 12, 2. et 3, 75, 1. — *Gyaro aut Donusa*, Cycladibus insulis, *claudendum*, cf. ad 1, 3, 6. et de illis insulis Heyne ad Virg. Aen. 3, 125. — *claudendum quum censeret* edd. Ob. Lün. Bekk. Kiessl. Walth. ex emend. Mur. et Ryck. *claudendum censeret. Id quoque* MS. et edd. vet. *claud. censere. Id q.* ed. Brot. e coni. Lipsii. *claud. censuerat. Id q.* corr. Huet. et Ern. *Ut Gallus — claud. censuerat, id q.* Faernus, *Gallo Asinio — claud. censente* Ryck. *Gallus A. Gyaro, Cotta Donusa claudendum censuere. Id q.* Freinsh. — *Ita Serenus Amorgum reportatur*, cf. cap. 13. et Ind. III. v. *Ellipsis Praeposit.* N. 17.

2. *Et quia* Caecilius *Cornutus* (v. cap. 28.) *sua manu ceciderat, actum in senatu de praemiis accusatorum abolendis — privavisset:* Qui accusatus erat et damnatus, eius bona publicabantur, (v. 4, 20. pr. et 6, 29.) sed quarta bonorum pars concedebatur accusatoribus. v. ad 4, 20, 2. „Haec bonorum publicatio apud antiquos in crimine tantum perduellionis et fortasse parricidii exercita; quae poena Sp. Maelio inflictà, (v. Liv. 4, 15.) et Ciceroni a Clodio, M. Lepido a senatu. Primus publicationem bonorum ad omnia crimina publica traxit Caesar, qui *poenas facinorum auxit, et quum locupletes eo facilius scelere se obligarent, quod integris patrimoniis exsulabant, parricidas, ut Cicero scribit, bonis omnibus, reliquos dimidia parte mulctavit*, ut Suet. ait Iul. 42. Tenuit ea lex sub Augusto, qui tamen, quum multis divitibus vel dimidia pars nimiae essent opes et in ipso exsilio causa luxus, sanxit, ut iis omnibus, quibus aqua et igni interdictum, (deportatis) non plus possidere liceret quingentis millibus numum. v. Dio 56, 27. Intendit iterum saevitiam eam Tiberius latis legibus, quibus interdictum, ne damnati sepelirentur, ne testamenta facerent, ne a propinquis lugerentur. Cf. 6, 23. 29. Dio 57, 22. Caius l. 8. qui test. facere possunt, Suet. Tib. 61. ubi etiam *nemo*, ait, *punitorum non in Gemonias abiectus uncoque tractus* sc. in Tiberim, ubi iis sepultura. Idem tradit Dio 58, 15. ubi leg. ὅπως οἱ παῖδες τῶν οὐσιῶν αὐτοὺς μὴ κληρονομῶσιν, voce μὴ inserta: nam ideo abiecta corpora tractaque, non sepulta, ne liberi succedere in bona possent, quae iam publica ut damnatorum palam punitorumque. Cf. ad 3, 14, 3.“ *Lips.* ad 6, 29. Sed *eorum, qui de se statuebant*, h. e. mortem sponte sumpserant, (ut h. l. *sua manu ceciderant*) et ita praevenerant damnationem, *humabantur corpora, manebant* (salva erant) *testamenta, pretium festinandi*, (h. e. quod tanti erat pretii, ut propterea *mortem in se festinarent*, ut 4, 28. dicitur) 6, 20. Hinc et mors voluntaria prohiberi solebat. Cf. ad 6, 41, 1. 6, 48 extr. Dio 58, 15. Eadem pro beneficio permittebatur, ut 11, 3. *liberum mortis arbitrium ei permisit*. „Sed quid tum in *praemiis accusatorum?* Nihilo secius ea dari solere, ostendit hic Taciti locus 4, 30. Dari non solere, Sen. consol. ad Marc. 22. in narranda Cremutii morte, quae sub hoc Tiberii tempus: nec satis scio, quomodo in concordiam reducam eos locos. Sub Claudio et Nerone forsan aliud fuerit, et Senecam deceperit mos sui aevi.“ *Lips.* ad 6, 29. „Si accusatus mortem in se festinasset, bona eius non fisci, sed heredum erant. Solvendi itaque ex fisco accusatores; quod gravissimum hac aetate accusationum fecunda et qua ad maiestatem omnia paene crimina referebantur. v. ad 1,

72, 2. Ideo *actum de praemiis accusatorum abolendis, si quis maiestatis postulatus* (v. ad 1, 74, 1.) *ante perfectum iudicium se ipse vita privavisset.* Delatores autem Tiberius suspiciosus Princeps fovebat ac protegebat, ut divideret et imperaret." *Brot.* *Is qui in reatu decedit, integri status decedit: exstinguitur enim crimen mortalitate, nisi quis forte maiestatis reus fuit,* Ulpian. l. fin. Dig. ad leg. Iul. maiest. Cf. II, 3. 14, 54. 15, 60. 62. 64. 16, 33. Suet. in Tib. 54. in Ner. 37. Guther. de off. dom. Aug. 3, 27. p. m. 784. inpr. Paul. Rec. Sent. 5, 12. et ibi intpp. „Ceterum mors voluntaria illis temporibus usitata non remedium animi est, sed furor, et imbelles homines Stoicam ἀπάθειαν ridicule ostentabant. *Ex omnibus bonis, quae homini tribuit natura, nullum melius tempestiva morte, idque in ea optimum, quod illam sibi quisque praestare poterit* Plin. 28, 1. Sed verior sententia Taciti H. 2, 46, 4. Socratis ap. Plat. Phaed. T. I. p. 62. Aristot. Ethic. ad Nicom. 3, 11. Cic. de sen. 73. et somn. Scip. 7. Properatae mortis praemia fuere sub Impp. quorum intererat, per fas et nefas dominationem firmare. Antoninus a. U. 965. sanxit, ut bona eorum, qui conscientia criminis metuque futurae sententiae manus sibi intulissent, fisco vindicarentur, eorum vero, quos dolore corporis, taedio vitae, furore et insania aliove casu vitam finiisse constitisset, ad successores pertinerent. v. Cod. IX. tit. 50." *Brot.* ad 6, 29. — *ibaturque in eam sententiam, ni — Caesar — conquestus esset,* v. ad 1, 35, 3. et 3, 23, 2. — *palam,* v. ad 11, 22, 1. — *rem publicam in praecipiti* loco, h. e. in summo periculo esse. Sic *praecipitia* et *abrupta* dicuntur periculosa. Cf. 15, 29 pr. (ubi *tuta et salutaria* opponuntur) ad 5, 3, 1. et Agr. 42. n. 5. — *custodes eorum,* v. ad 3, 28, 3. — *nunquam*: in MS. *unquam,* tanquam fuerit *et ne poenis q. unquam*; *Bekk.* — *per praemia eliciebantur,* illiciebantur. Cf. ad 2, 32, 1.

CAPUT XXXI.

His tam assiduis tamque maestis modica laetitia interiicitur, quod C. Cominium Equitem Romanum probrosi in se carminis convictum Caesar precibus fratris, qui senator erat, concessit. Quo magis mirum habebatur, gnarum meliorum, et quae fama clementiam sequeretur, tristiora malle: neque enim socordia peccabat, nec occultum est, quando ex veritate, quando adumbrata laetitia facta Imperatorum celebrentur. Quin ipse, compositus alias et velut eluctantium verborum, solutius promptiusque eloquebatur, quotiens subveniret. At P. Suillium quaestorem quondam Germanici, quum Italia arceretur convictus, pecuniam ob rem iudicandam cepisse, amovendum in insulam censuit tanta contentione animi, ut et iurando obstringeret, e re publica id esse. Quod aspere acceptum ad praesens mox in laudem vertit regresso Suillio, quem vidit sequens aetas praepotentem, venalem et Claudii Principis amicitia diu prospere, nunquam bene usum. Eadem poena in Catum Firmium senatorem statuitur, tanquam falsis maiestatis criminibus sororem petivisset. Catus, ut retuli, Libonem illexerat insidiis, deinde indicio perculerat. Eius operae memor Tiberius, sed alia praetendens, exsilium deprecatus est: quo minus senatu pelleretur, non obstitit.

1. *C. Cominium — precibus fratris concessit,* v. ad 1, 7, 8. — *socordia* modo est incuria, modo stupor, dementia, ut *socors* nonnun-

quam id. qd. vecors, ἄφρων. Cf. Ind. II. — *ipse compositus alias*, cum arte et simulatione loquens, (v. ad 4, 1, 3.) vel lente et caute, ut *compositius quam festinantius agere* 15, 3. Cf. ad 1, 1, 4. — *velut eluctantium verborum*, difficulter et ambigue exeuntium, ut sensus suos occuleret; *Brot.* Ita loquens, ut difficultas quaedam dicendi appareret, ut viderentur verba cohiberi nec libere prodire posse; *Ern.* „Hinc ap. Stat. Theb. 4, 720. leg. *verba eluctantia labris* pro *illuctantia.*" *Wopk.* De hoc Genitivo qualitatis v. ad 3, 52, 1. — *solutius*, liberius. Cf. Ind. II. — *quotiens subveniret*, cf. ad 4, 72, 2. et Agr. 30. n. 1.

2. *P. Suillium* Rufum — *nunquam bene usum*, cf. 11, 1. 4. 5. 13, 42. 43. Sen. 13, 42. intpp. Plin. 7, 4. et Ovid. ex P. 4, 8, 1. *Suilium* edd. Lips. et rec. sed *Suillium* rectius edd. vet. et illud ortum ex prisca scriptura suiLLIUM a librariis haud intellecta. Sic et *M. Suillius* cos. 12, 25. omnes edd. ante Lips. 1. et M. Σούλλιος in numis Hierapolitarum ap. Harduin. sel. opp. p. 71. et Seguinum, qui hunc putabat eundem fuisse, ut Ryckius, et *Suillium Rufum* ap. Plin. 7, 5. Harduinus. Cf. ad 11, 1, 1. et 12, 25, 1. — *ob rem iudicandam* MS. edd. vet. et rec. nisi quod *iudicatam* edd. Pich. et cet. ante Iac. Gron. quod male defendit Ryck. Cf. 13, 43, 1. Cic. Verr. 2, 32. et 48. — *cepisse:* in edd. Ber. et Rhen. 1. *coepisse*, ut saepius. — *amovendum in insulam*, v. ad 1, 3, 6. — *ut et iurando obstringeret, e re publica id esse*, v. ad 1, 14, 4. 2, 33, 2. et 4, 21, 3. *ut eiurando* MS. — *Quod aspere acceptum*, v. ad H. 3, 56, 5. — *ad praesens*, v. ad 1, 1, 2. — *mox in laudem vertit* sc. se. cf. ad G. 31. n. 1. et Ind. II. v. *Vertere.* — *quem vidit sequens aetas — usum*, cf. 13, 42.

3. *Catus, ut retuli* cet. cf. 2, 27—31. — *indicio perculerat*, ut ap. Suet. Tib. 55. perdiderat, everterat; *Walth.* Cf. ad 1, 12, 3. *iudicio* edd. vet. ante Lips. quod defendi potest. v. ad 2, 85, 1.

CAPUT XXXII.

Pleraque eorum, quae retuli quaeque referam, parva forsitan et levia memoratu videri non nescius sum; sed nemo Annales nostros cum scriptura eorum contenderit, qui veteres populi Romani res composuere. Ingentia illi bella, expugnationes urbium, fusos captosque reges aut, si quando ad interna praeverterent, discordias consulum adversum tribunos, agrarias frumentariasque leges, plebis et optimatium certamina libero egressu memorabant. Nobis in arcto et inglorius labor. Immota quippe aut modice lacessita pax, maestae urbis res et Princeps proferendi imperii incuriosus erat. Non tamen sine usu fuerit, introspicere illa primo aspectu levia, ex quis magnarum saepe rerum motus oriuntur.

1. *Pleraque eorum* cet. Capite hoc et seq. Tacitus bene et apte de indole Annalium et consilio suo disserit, qualia vulgo disputantur in Prooemiis. — *annales nostros*, v. ad Agr. 43. n. 4. et Ind. III. v. *Numerus Plur. Verborum et Pronom.* — *contenderit*, (contulerit, comparaverit) cf. ad 12, 1, 1. et Ind. III. v. *Verborum Tempora* N. III. et Ramshorn. Gr. p. 412. 413. — *veteres populi R. res*, non *veteris*, quod ob locum 1, 1. Freinsh. et Ryck. malebant: nam ibi tempora diversa, hic res diversae sibi invicem opponuntur; *Walth.* Cf. ad 1, 1, 3. — *composuere*, v. ad 1, 1, 4. *compossivere* MS.

2. *si quando ad interna praeverterent* sc. se, se potissimum verterent. Sic et *praeverti* significatione media 2, 56. ut Gr. φθάνειν εἰς τι ap.

Plut. Thes. c. 18. et Xenoph. Cyrop. 5, 4, 9. *Praevertere aliquid*, Germ. zuvorkommen, 4, 19. Plin. ep. 3, 9. Cf. Gron. ad Plin. 28, 8. Cort. ad Sall. Iug. 85. et ad Plin. ep. 5, 15. Heindorf. ad Hor. Sat. 1, 3, 38. intpp. Liv. 2, 21. 3, 40. 8, 13. 36, 27. Curt. 6, 6. Plaut. mil. glor. 4, 3, 102. Vechner. hellenol. p. 63. 130. et Forcell. — *agrarias leges*, a L. Sextio et C. Licinio tribunis pl. a. U. 385. a C. Sempronio Graccho trib. pl. a. 631. a Spurio Thorio trib. pl. a. 647. a L. Cornelio Sulla dict. a. 673. a C. Iulio Caesare dict. a. 695. et Allienam, Fabiam, Peducaeam, Rosciam incertis temporibus latas. — *frumentarias leges*, praeter antiquam, cuius fragmentum Conradi parerg. 3, 3. explicavit, alias a C. Sempronio Graccho trib. pl. a. 631. a C. Cassio et M. Terentio coss. a. 681. et a P. Clodio trib. pl. a. 696. rogatas. — *libero egressu*, ut *egressio* et *digressio*, propr. de campo lato et patente, in quo *libere* et late evagari possis; cuius contr. *labor in arcto* loco, ut ap. Liv. 26, 39. 34, 15. „Res magnae non solum multam dicendi copiam, sed etiam occasionem pulchre et ornate scribendi praebent. Sine Achille non datur Homerus." *Walth.* — *Nobis in arcto et inglorius labor* e Virg. Ge. 4, 6. ductum; *Mur.* Cf. ad H. 3, 13, 2. *arcto* edd. vet. ante Lips. ut et aliis locis. *arto* edd. rec. quia in optimis libris ita scriptum. v. Drak. ad Sil. 6, 194. 7, 280. Pier. ad Virg. Aen. 1, 293. 2, 146. Bronkh. ad Tibull. 1, 5, 53. al. Sed *arctus* est partic. verbi *arcere*, et hoc id. qd. coercere, contrahere, concludere. — *immota:* in MS. *immo ita.* — *modice lacessita pax*, turbata, violata, ut 15, 2. *Lacessere* est movere et excitare; deinde tentare, experiri, provocare, irritare, adoriri, violare. Cf. Ind. II. ad 14, 3, 1. Heyne ad Virg. Aen. 10, 10. intpp. Sil. 1, 680. 15, 36. et Lexica. — *Princeps proferendi imperii incuriosus erat*, cf. 1, 11 extr. — *fuerit*, cf. ad cap. 33. n. 1. — *ex quis magnarum saepe rerum motus oriuntur:* „Germ. wovon wichtige Angelegenheiten abhängen, wodurch grofse Dinge in Bewegung gesetzt werden. In uno liberto eiusque artibus saepe totius imperii salus volvebatur." *Walth.* Eodem sensu Livius 3, 27. et 17, 9. dixit *ex parvis rebus saepe magnarum momenta pendent:* quod historia omnis aevi firmatur. Male *monitus oriuntur* (rerum salubrium exempla monitionesque, pulcherrimus historiae fructus) coni. Lips. quod tamen probarunt Freinsh. et Ern.

CAPUT XXXIII.

Nam cunctas nationes et urbes populus aut primores aut singuli regunt. Delecta ex iis et consociata rei publicae forma laudari facilius quam evenire, vel, si evenit, haud diuturna esse potest. Igitur ut olim plebe valida, vel quum Patres pollerent, noscenda vulgi natura et quibus modis temperanter haberetur, senatusque et optimatium ingenia qui maxime perdidicerant, callidi temporum et sapientes credebantur; sic converso statu neque alia rerum quam si unus imperitet, haec conquiri tradique in rem fuerit, quia pauci prudentia honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernunt, plures aliorum eventis docentur. Ceterum ut profutura, ita minimum oblectationis afferunt: nam situs gentium, varietates proeliorum, clari ducum exitus retinent ac redintegrant legentium animum; nos saeva iussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium et easdem exitu causas coniungimus, obvia rerum similitudine et satietate. Tum quod antiquis scriptoribus rarus obtrectator, neque refert cuiusquam, Punicas Romanasve acies

laetius extuleris: at multorum, qui Tiberio regente poenam vel infamias subiere, posteri manent; utque familiae ipsae iam exstinctae sint, reperies, qui ob similitudinem morum àliena malefacta sibi obiectari putent. Etiam gloria ac virtus infensos habet, ut nimis ex propinquo diversa arguens. Sed ad coepta redeo.

1. *cunctas nationes et urbes populus aut primores aut singuli regunt*, ita ut *forma rei publicae* sit aut δημοκρατική aut ἀριστοκρατική aut μοναρχική. *Delecta ex iis et consociata rei publicae forma — potest:* „h. e. civitas ex his tribus formis, nempe qua partes suas, mixta et temperata, ut omnium commoda complectatur, incommoda vitet, vel res publica, quae constat e trium formarum bonis dilectis et in unum consociatis sive coniunctis, *facilius laudari* et optari *quam evenire*, exsistere inveniri, *vel, si evenit*, si uspiam est, *haud diuturna esse potest*. Non dubito, Tacitum in animo habuisse cum alios politicos, tum Polybium, ubi Romanam rem publicam laudat hoc nomine, quod omnium illarum trium formarum commoda complexa sit vitatis singularum vitiis, eamque solam rem publicam perfectam esse dicit, quae sit e tribus istis temperata." *Ern*. Cf. Plato de re publ. 4. p. 446. et 5. p. 473. Aristot. polit. 1, 1. Cic. de re publ. 1, 29. 35. 38. 45. *ex iis* MS. et ed. Bekk. II. *ex his* edd. cet. *consociata* edd. rec. ex emend. Ern. *consciata* MS. *constituta* edd. Ber. et cet. ante Ern. *concinnata* coni. Iac. Gron. et *exasciata* (h. e. numeris omnibus absoluta, omnium complectens commoda, omnium evitans vitia, quasi levia cuncta ac polita ostendens, ut ap. Plaut. Asin. 2, 2, 92.) Gebauer vest. iur. Germ. p. 2 sq. *conflata* Kiessl. „*Evenire* h. l. prospere succedere, ut *eventus* Agr. 22. *pax evenerat* ap. Sall. Cat. 9. *eveniunt plantae* pro proveniunt ap. Colum." *Boett*. in Lex. Tac. Sed aptior explicatio Ern. — *noscenda vulgi natura et* sc. noscendum, *quibus modis t. h.* Cf. ad 1, 15, 3. „Summa est artis salubriter popularis, suum plebi honorem neque ultra concedi, eam *temperanter haberi*, h. e. ita regi et tractari, ut neque iniuriis, saevitia, insolentia, acerbitate irritetur et exacerbetur, neque adulationibus s. assentando corrumpatur aut nimia libertate lasciviat, sed, ut Sall. Iug. 45. dicit, *temperantia inter ambitionem et saevitiam moderata sit*." *Freinsh*. et *Ern*. — *neque alia rerum, quam si unus imperitet*, hoc tempore, quo, etsi non regem habemus, sed civitatem et rem publicam, forma tamen rei publ. administrandae, quae nunc est, nil differt a regno, nisi nomine; *Ern*. *neque alia rerum* (alia re) MS. et edd. vet. ante Lips. quod restitui. Cf. Ind. III. v. *Adiectiva in tertio casu absolute posita* et Roth. ad Tac. Agr. p. 191 sqq. *neque alia re Rom.* h. e. *Romana* edd. rec. ex emend. Lipsii. *alio* (statu) coni. Ryck. — *haec conquiri* scil. *parva et levia memoratu* cap. 32 pr. — *in rem fuerit*, ut *non sine usu fuerit* cap. 32 extr. Cf. ad 2, 33, 2. et Ind. III. v. *Verborum Tempora* N. III, 3. — *prudentiâ*, cf. Ind. III. v. *Ablativi Substant. absoluti*.

2. *Ceterum ut profutura, ita m. o. a.* „Idem dixit Thucyd. 1, 22. καὶ ἐς μὲν ἀκρόασιν ἴσως τὸ μὴ μυθῶδες αὐτῶν ἀτερπέστερον φανεῖται." *Lips*. — *clari* (clarorum) *ducum exitus*, v. ad 2, 71, 1. et 3, 3, 2. — *retinent*, detinent, *ac redintegrant*, reficiunt: nam *varietas in scribendo plena cuiusdam voluptatis, quae vehementer animos hominum in legendo retinere potest* Cic. ep. ad div. 5, 12. quem locum Tacitus videtur in animo habuisse; *Ern*. — *easdem exitu causas*, pares exitus a paribus causis: passim damnati innocentes aut illustres ob suspiciones ac delationes; *Lips*. Iudicia et accusationes eundem semper exitum nacta, scil. condemnationis; *Freinsh*. Pichena malebat *exitii*; sed sequentia

reclamant; *Ern.* — *obvia*, ubivis lectoribus occurrente; *Mur.* *obvia rerum similitudine et satietate* per ἓν διὰ δυοῖν dictum pro: obvia per rerum similitudinem satietate; *Roth* p. 52. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin.*

3. *Tum*, huc accedit, *quod antiquis scriptoribus* (v. ad 1, 1, 3.) *rarus*, raro, (v. Ind. III. v. *Adiectiva pro Adverbiis*) *obtrectator* aliquis est. — *neque rĕfert* (ut *interest* et συμφέρει) *cuiusquam* sc. aliquid s. multum, (ut 6, 2. H. 2, 7. 3, 66.) utrum *Punicas* an *Romanas acies*, exercitus et res ab iis gestas, *laetius extuleris*, maioribus laudibus et laetitia. Cf. Iuvenal. 1, 154 sq. 162 sq. Similiter *non rĕferre dedecori*, ad illud conferre, sc. quicquam, aliquid, 15, 65. Cf. Ramshorn. Gram. p. 193—195. — *infamiam* edd. Lips. et rec. *infamias* MS. et edd. vet. „Hoc restituit Iac. Gron. sed illud verum puto. Scriptum fuit *infamiā* et adhaesit litera *s* ex initio verbi seq. Tacitus etiam dixisset, opinor, *poenas*. Non me moveret alias pluralis, etsi nullum aliud exemplum in hoc verbo occurrit.“ *Ern.* Legitur tamen ap. Plaut. Pers. 3, 1, 19. et Tacitus dictiones variare amat. „Huc accedit quod *infamiae* sunt infamiae species, quae erant plures et variae. Cf. Roth. Quaest. Gram. in Seebod. N. Archiv f. Philol. u. Paed. a. 1830. N. 3. et 4.“ *Walth.* Cf. ad 3, 45, 2. et 12, 49, 1. — *utque*, et quamvis. — *aliena malefacta sibi obiectari putant*, ut ap. Plin. pan. 53. *ut in se dicta interpretaretur, quae de simillimo dicerentur; Pich.* — *etiam gloria ac virtus infensos habet* homines. v. ad 2, 44, 2. „In nostris etiam scriptis gloria ac virtus offensos habet lectores, quia *nimis ex propinquo diversa arguit*, vitia vituperat, exprobrat. Priscarum virtutum laudes libenter legimus: nihil habent odii, nihil invidiae. Eas ipsi laudamus, ut nobis communes fieri videantur. At propinquas ac vicinas virtutes vix ullus laudat. Si enim vitiis diversus, tunc spernit, si vero virtutis aemulus, invidet; quantumque ceteris tribuitur, tantum sibi detrahi existimat.“ *Brot.* *ex propinquo*, superioris proximae aetatis; *Ern.* *ut animis* MS. *ut animus* (sicut etiam mens scriptoris, ut quidam exponunt) edd. vet. *ut nimis* ed. Pich. et rec. ex emend. Lips. et Mur. Ille etiam coni. *animos*. Cf ad 11, 29, 2: — *ad coepta* Iac. Gron. et Croll. *ancepto* MS. *ad incoepta* edd. Ber. Rhen. Pich. et al. *ad incepta* (ut 6, 22 extr.) ed. Ald. Lips. al.

CAPUT XXXIV.

Cornelio Cosso, Asinio Agrippa Coss. Cremutius Cordus postulatur novo ac tunc primum audito crimine, quod editis annalibus laudatoque M. Bruto C. Cassium Romanorum ultimum dixisset. Accusabant Satrius Secundus et Pinarius Natta Seiani clientes. Id perniciabile reo et Caesar truci vultu defensionem accipiens, quam Cremutius relinquendae vitae certus in hunc modum exorsus est: *Verba mea, P. C., arguuntur: adeo factorum innocens sum. Sed neque haec in Principem aut Principis parentem, quos lex maiestatis amplectitur: Brutum et Cassium laudavisse dicor, quorum res gestas, quum plurimi composuerint, nemo sine honore memoravit. Titus Livius eloquentiae ac fidei praeclarus in primis Cn. Pompeium tantis laudibus tulit, ut* Pompeianum *eum Augustus appellaret; neque id amicitiae eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc ipsum Cassium, hunc Brutum nusquam* latrones et parricidas, *quae nunc vocabula imponuntur, saepe ut insignis viros nominat. Asinii Pollionis scripta egregiam eorundem memoriam tradunt. Messala Corvinus imperatorem suum Cassium praedicabat, et uterque opibusque atque honoribus*

perviguere. Marci Ciceronis libro, quo Catonem coelo aequavit, quid aliud dictator Caesar quam rescripta oratione, velut apud iudices, respondit? Antonii epistolae, Bruti conciones falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum acerbitate habent: carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Caesarum leguntur: sed ipse divus Iulius, ipse divus Augustus et tulere ista et reliquere, haud facile dixerim, moderatione magis an sapientia: namque spreta exolescunt; si irascare, agnita videntur.

1. *Cornelio Cosso*, filio Cn. Cornelii Lentuli Cossi Gaetulici cos. a. 752. — M. *Asinio Agrippa*, v. ad 1, 12, 2. — A. *Cremutius Cordus postulatur* — *quod* cet. cf. ad 1, 74, 1. et de re ipsa Dio 57, 24. Suet. Tib. 61. Plut. Cass. p. 1005. Sen. suas. VII. et inpr. consol. ad Marciam (Cremutii filiam) c. 1. et 22. — *quod editis annalibus*, libris de bellis civilibus et rebus Augusti, (v. ad c. 35. n. 2. Sen. ll. ll. et Suet. Oct. 35.) *laudatoque M. Bruto* (de quo v. ad O. 17. n. 1.) *C. Cassium Romanorum ultimum dixisset*, ut et Brutum. v. Suet. Tib. 61. „Sic et ipse Brutus Cassium publice dixit *ultimum Romanorum* et Romanus quispiam Philopoemenem *ultimum Graecorum*. v. Plut. in Bruto p. 1005. in Philop. p. 356. et Lucan. 7, 588 sq.“ *Lips. editis annalibus laudatoque Bruto* non, postquam editi ab eo essent annales laudatusque Brutus, sed pro *edendo annales* vel *edendis annalibus laudandoque Brutum* vel *Bruto*: nam Ablativi Participiorum Perf. pass. a Livio et Tacito non semper vulgari sensu, sed nonnunquam ita ponuntur, ut res eodem, non praeterito tempore gestae designentur.“ *Walch.* ad Agr. 14. p. 217. 218. Cf. Ind. III. v. *Participia Perf. Pass. in sexto casu absolute et pro Gerundivis posita de rebus eodem tempore gestis.* — *Seiani clientes*; cf. Dio 57, 24. et haec verba Sen. cons. ad Marc. c. 22. *Propone illud acerbissimum tibi tempus, quo Seianus patrem tuum clienti suo Satrio Secundo congiarium dedit. Irascebatur illi ob unum aut alterum liberius dictum, quod tacitus ferre non potuerat, Seianum in cervices nostras nec imponi quidem, sed ascendere. Decernebatur illi statua in Pompeii theatro ponenda, quod exustum Caesar reficiebat. Exclamavit, tunc vere theatrum perire.*

2. *Verba mea, P. C., arguuntur: adeo factorum innocens sum*, cf. Dio 57, 24. et Suet. Tib. 61. — *neque haec* sc. verba *in Principem* dicta esse. Cf. Ind. III. v. *Constructio verborum insolentior* N. 5. Sed h. l. est potius ἐλλειπτικὴ dictio et Zeugma pro vulgari: *sed neque haec* (quae a me dicta arguuntur) *in Principem* dixisse, exprompsisse; verum, quin potius *Brutum et Cassium laudavisse dicor*, arguor. Cf. ad 2, 20, 2. — *quos lex maiestatis amplectitur*, ad quos solos pertinet. Cf. ad 1, 72, 2. et 3. — *quorum res gestas quum*, quamvis, *plurimi composuerint*, (v. ad 1, 1, 4.) *nemo* tamen *sine honore memoravit.* — *Scipionem*, Q. Metellum Scipionem Pompeii socerum et L. Afranium legatum Pompeii. — *latrones et parricidas*, cf. ad H. 1, 85, 5. „Aspexit ad has servilis adulationis voces Lucanus 8, 609. de Pompeii caede: *scelus hoc quo nomine dicent, qui Bruti dixere nefas?* Qui poeta ubique tam liberi, immo licentis stili in Principes est, ut mirer ea scripta sub Principe et quidem tali.“ *Lips.* — *vocabula imponuntur* multis. *vocabulum ponuntur* MS. — *Asinii Pollionis scripta*, v. ad 1, 12, 2. — *Messala Corvinus imperatorem suum Cassium praedicabat*: „Laudantur libri Messalae Corvini de auspiciis, de Romanis familiis et de bellis civilibus. v. Heeren in comm. de fontibus Plut. p. 175. Imperfectum *praedicabat* non ad librum, sed ad effatum eius referendum videtur, et ex Plut. Brut. c. 53. colligere possis, pro *Cassium* h. l. legendum esse *Brutum*.“ *Pabst.* in Ecl. Tac. p. 128. — *et uterque opibusque atque honoribus perviguere* pro vulg. *et*

opibus et honoribus. Cf. ad G. 1. n. 1. „Acidalius vult deleri *que* post *opibus*, ne tribus verbis ter concurrat ingratius. Sed tale quid excidit etiam aliis haud paulo studiosioribus suavitatis; Ciceroni et Livio, v. c. *qui quia, quod nunquam debitum est* et *quod quia*,' *quemadmodum natura* Cic. p. Quint. 11. et de N. D. 1, 20. aliaque. v. meam diss. de grata negligentia orationis in Opusc. philol. p. 126 sq." *Ern.* Cf. Ind. III. v. *Homoeoteleuta* et Ramshorn. Gram. p. 647. *pervigūere*, vel valde vel semper et usque ad finem vitae viguere, ut *percolere* c. 68. et H. 2, 82. *perornare* 16, 26. et similia. Cf. ad 4, 12, 3. — *M. Ciceronis libro* deperdito, qui inscriptus erat *laus M. Catonis*. v. Plut. Caes. p. 753. Gell. 13, 19. et Cic. Top. 25, 94. ep. ad div. 7, 25. et ad Att. 12, 40. 13, 46. — *M. Ciceronis libro quid aliud* scil. fecit s. egit *dictator Caesar quam — respondit*, ut *nec aliud quam munimenta propugnabant* 15, 13. *quid aliud quam admonemus* Liv. 4, 3 pr. 6, 41. 22, 60. et plene 4, 26. 7, 17. 26, 2. 34, 2. 41, 23. (quibus locis verbum *agere* delendum putabat Gron.) *quid aliud quam* Liv. 40, 15. *nihil aliud* Liv. 2, 8. *si nihil aliud* Liv. 2, 43. 3, 19. *nihil aliud quam* Liv. 2, 29. 32. 49, 63. 4, 26. 9, 17. 23, 3. 24, 36. 27, 48. 34, 46. „Sic et Gr. *οὐδὲν ἄλλο* et *τί ἄλλο ἤ* ap. Thucyd. 2, 16. 3, 39. 58, 85." *Ramshorn.* Gram. p. 684. Cf. ad G. 19. n. 12. ad Agr. 19. n. 2. et Ind. III. v. *Ellipses* N. 2. — *rescripta oratione*, scripto contra Ciceronis Catonem libro, quem *Anticatonem* inscripsit. In eo de Cicerone magno cum honore locutus est et singula refutavit, quae ab illo in laudem Catonis scripta erant. v. Suet. Caes. c. 56. (ubi duorum Anticatonum a Caesare scriptorum mentio fit) Gell. 4, 16. Quintil. 1, 5, 68. 3, 7, 28. Cic. Top. 94. ep. ad Att. 12, 40. 41. 13, 46. 47. de div. 2, 9. Plut. Caes. p. 708. E. (*ἐν τῇ πρὸς Κικέρωνα περὶ Κάτωνος ἀντιγραφῇ*) et p. 753. C. D. (*Ἔγραψε Κικέρων ἐγκώμιον Κάτωνος, ὄνομα τῷ λόγῳ θέμενος Κάτωνα. Καὶ πολλοῖς ὁ λόγος ἦν διὰ σπουδῆς, ὡς εἰκὸς, ὑπὸ τοῦ δεινοτάτου τῶν ῥητόρων εἰς τὴν καλλίστην πεποιημένος ὑπόθεσιν. Τοῦτο ἠνία Καίσαρα, κατηγορίαν αὐτοῦ νομίζοντα τὸν τοῦ τεθνηκότος δι' αὐτὸν ἔπαινον. Ἔγραψεν οὖν πολλάς τινας κατὰ τοῦ Κάτωνος αἰτίας συναγαγών*, librum scripsit, in quo multa in Catonem crimina congessit eumque *velut apud iudices* accusavit. *Τὸ δὲ βιβλίον Ἀντικάτων ἐπιγέγραπται, καὶ σπουδαστὰς ἔχει τῶν λόγων ἑκάτερος διὰ Καίσαρα καὶ Κάτωνα πολλούς.*) Iuvenal. 6, 338. Wentzel über die Quellen des Plutarch in Jahn's Jahrb. f. Philol. u. Paedag. X, 1. p. 95 sq. *Catonem coelo aequavit*, ut *aliquem in coelum ferre* et *laudibus in coelum tollere*, Germ. bis zum Himmel, in den Himmel erheben. — *falsa quidem, sed multa cum acerbitate*: Wopkensius et Kritzius (in Ephem. schol. a. 1830. nr. 7.) corr. *et multa*. Sed ita *quidem* nihili evadit et totius loci sententia contorquetur; *Walth.* — *carmina* M. Furii *Bibaculi* Cremonensis, grammatici, poetae et historici, de cuius stilo turgido v. Macrob. Sat. 2, 1. Hor. Sat. 2, 5, 41. ibique schol. Acron., Suet. Gram. 4. 9. 11. Quintil. inst. 8, 6, 17. (ubi cf. Spald.) et 10, 1. Aug. Weicherti prolus. de Turgido Alpino (Hor. Sat. 1, 10, 36.) et M. Furio Bibaculo Grimmae 1822. — C. Valerii *Catulli carmina referta contumeliis Caesarum*, prae ceteris carm. 29. et 57. „*Caesares* h. l. Caesar et Augustus, vel potius universa Caesarum domus: nam Bibaculus certe non praetermisit etiam C. et L. Caesares, item Agrippam Postumum insectari, Catullus autem ante hos natos videtur periisse." *Freinsh.* — *ipse D. Iulius Caesar, ipse D. Augustus et tulere* patienter *ista* probra *et reliquere* inulta vel non curarunt. De Caesare v. Suet. Iul. c. 73. de Augusto Plut. Cic. p. 886. — *namque spreta exolescunt*, vim amittunt, vel in oblivionem veniunt; *Ern.* Cf. Ind. II. — *agnita*, pro veris habita, Germ. anerkennen, ut 2, 30. H. 1, 78. 3, 52. *nam quae spreta ex., si ir., a. v.* coni. Mur. quod perquam probabile videtur Kiessl. non nobis.

CAPUT XXXV.

Non attingo Graecos, quorum non modo libertas, etiam libido impunita; aut, si quis advertit, dictis dicta ultus est. Sed maxime solutum et sine obtrectatore fuit, prodere de iis, quos mors odio aut gratiae exemisset. Num cum armatis Cassio et Bruto ac Philippenses campos obtinentibus belli civilis causa populum per conciones incendo? an illi quidem septuagesimum ante annum perempti, quo modo imaginibus suis noscuntur, quas nec victor quidem abolevit, sic partem memoriae apud scriptores retinent! Suum cuique decus posteritas rependit; nec deerunt, si damnatio ingruit, qui non modo Cassii et Bruti, sed etiam mei meminerint. Egressus dein senatu vitam abstinentia finivit. Libros per aediles cremandos censuere Patres; sed manserunt occultati et editi. Quo magis socordiam eorum irridere libet, qui praesenti potentia credunt exstingui posse etiam sequentis aevi memoriam. Nam contra, punitis ingeniis, gliscit auctoritas; neque aliud externi reges, aut qui eadem saevitia usi sunt, nisi dedecus sibi atque illis gloriam peperere.

1. *Graecos, quorum non modo libertas,* sed *etiam libido impunita* fuit; v. ad 1, 60, 1. et Ind. III. v. *Ellipsis* N. 7. *libido* in primis et Aristophanis et in comoedia antiqua. — *si quis advertit,* v. ad 2, 32, 3. — *sed maxime solutum,* liberum et impune, *fuit,* (cf. Ind. II.) *prodere* memoriae, (eloqui et scribere) ut ap. Liv. 8, 24. et Iustin. 44, 4. — *quos mors odio aut gratiae exemisset,* v. ad 1, 16, 1. et 1, 64, 1. *gratiae* edd. Lips. et rec. *gratia* edd. vet. — *Num cum armatis — incendo? an illi — retinent?* „Male omissum signum interrog. post *retinent* in edd. vet. Pichena et Boxh. coni. *at* pro *an.* Contra eos pugnat Gron. qui *num* accipit pro *utrum,* ut ab *an* incipiat alterum duorum, quae interrogare orator instituerit. Non satis recte. Nam qui interrogat *utrum..? an..?,* exspectat, ut interrogatus affirmet unum aut alterum, neque ipse indicat, utrum sit verum. At qui interrogat *num..? an..?* is interrogando negat prius, affirmat alterum. Sic ap. Cic. Lael. 8. et de leg. 2, 2. Cf. Ramsh. Gram. p. 502. Broterius *an* accipit pro *annon.* Sed *an* nunquam dici potest pro *annon.* Cf. ad 1, 5, 3. Est vero genus interrogationis, quo utuntur modeste loquentes, qui rem quanquam satis certam ita interrogando exprimunt, ut iudicium non sibi vindicent, sed relinquant apud interrogatos. Non dicunt *annon bonorum exempla imitari debemus?* sed *an bonorum exempla imitari debemus?* Illud arrogantis, hoc modesti esse videtur. Sic *an* dixit Cic. de off. 1, 15. Ovid. Her. 17, 247. *Suntne* Cic. de off. 3, 17. *Iustisne — Videnturne — Meritone* Plin. ep. 2, 17, 29. 3, 16, 13. 3, 21, 6. Similiter Gr. ἆρα, quod quum poni debeat ita ut ad id, quod interrogatum est, respondeas *non,* nonnunquam tamen ita adhibetur, ut affirmans responsio sequatur. v. Herman. ad Viger. not. 294. p. 788. et Reisig. Enarr. Oed. Col. v. 1577." *Walth.* — *cum armatis Cassio et Bruto ac Philippenses campos obtinentibus,* v. ad 3, 76, 1. — *quidem,* v. ad. Agr. 17. n. 3. — *septuagesimum ante annum perempti:* „rotundum numerum posuit, non verum, qui erat LXVI. nam bellum Philippense a. U. 711. at nunc a. 778." *Lips.* „Scribendum potius *sexagesimum* vel LX. nec dicendum, haec rotunde accipi. Id non patitur praep. *ante.*" *Brot.* Rotundo numero utitur et quidem maiore, quoniam id est e sua re; *Walch.* — *imaginibus suis noscuntur,* ex iis cognoscuntur, agnoscuntur, ut 12, 24. 60. H. 2, 10. 3, 21. 4, 40.

„De statua aenea Bruto posita Mediolani v. Plut. Brut. p. 1011.“ *Oberl.* — *nec victor quidem* MS. et edd. vet. *ne victor quidem* edd. Ern. Ob. Lün. Bekk. Kiessl. quod suaserat Gron. Dictionem *nec quidem* barbaram esse censent Gron. ad Liv. 27, 18. Drak. ad Liv. 1, 10 pr. Schwarz. ad Tursell. de partic. p. 444. Facciol. ad Cic. de off. 3, 4. Wolf. ad Suet. Tib. 21. (qui tamen ap. Suet. Tib. 37. eam retinuit) Goerenz. ad Cic. de fin. 1, 15. et alii; sed bene latinam Voss. ad Virg. Ge. 1, 390. Gernhard. ad Cic. de sen. c. 9. Heinrich. ad Cic. p. Tullio p. 80. et 106. Ramshorn. Gram. p. 598. Cf. ad H. 1, 66. 76. 2, 79. 82. 3, 21. 4, 38. O. 18. 29. 40. Pass. et Hess. ad G. 7. Seebod. bibl. crit. a 1819. fasc. III. p. 303. 304. *Nec* hic ponitur ut 1, 32. (ubi v. nota 2.) ut *nec quidem* sit Germ. auch nicht einmal, maiore vi quam *ne quidem*; *Walth.* — *abolevit:* in MS. vitiose *adolevit*, ut et deinde *rependunt nec derunt.* — *suum decus*, gloriam meritam, *Ern.* — *si damnatio ingruit*, propr. *in* (me) *ruit*, maiore vi quam *instat*, *imminet*. Cf. Ind. II.

2. *Egressus dein senatu vitam abstinentia finivit,* de quo Sen. cons. ad Marc. c. 22. *Usus balneo et, quo plus virium poneret, in cubiculum se quasi gustaturus contulit et dimissis pueris quaedam per fenestram, ut videretur edisse, proiecit. A coena deinde, quasi iam satis cubiculo edisset, abstinuit alteroque die et tertio idem fecit; quarto ipsa infirmitate corporis faciebat indicium.* — *Libros* Cremutii Cordi *per aediles cremandos* in Comitio ac foro *censuere Patres*; *sed manserunt* superstites *occultati* a Marcia filia *et* postea *editi* ab eadem. Τὰ συγγράμματα αὐτοῦ τότε μὲν ἐν τῇ πόλει εὑρεθέντα πρὸς τῶν ἀγορανόμων καὶ τὰ ἔξω πρὸς τῶν ἑκασταχόθι ἀρχόντων ἐκαύθη· ὕστερον δὲ ἐξεδόθη τε αὖθις (ἄλλοι τε γὰρ καὶ μάλιστα ἡ θυγάτηρ αὐτοῦ Μαρκία συνέκρυψεν αὐτά) καὶ πολὺ ἀξιοσπουδαστότερα ὑπὸ τῆς τοῦ Κόρδου συμφορᾶς ἐγένετο, Dio 57, 24. *Ingenium patris tui in usum hominum reduxisti et a vera illum vindicasti morte ac restituisti in publica monimenta libros, quos vir ille fortissimus sanguine suo scripserat: optime meruisti de Romanis studiis, magna eorum pars arserat,* Sen. cons. ad Marc. c. 1. „Exstant fragmenta librorum, ex quibus genus dicendi colligas, in Sen. Suas. VII. de morte Cic. *Libros per aediles cremandos censuere Patres,* quod alias per triumviros (capitales, de quibus v. ad 5, 9, 2. vel potius per octo eorum lictores) factum, alias per praetorem. v. Tac. Agr. 2. et Valer. Max. 1, 1, 12. Primus Romanorum hanc ingenii sui poenam subiit Labienus. v. Sen. patris Controv. lib. V. pr.“ *Lips.* Cf. 14, 50. Agr. 2. Liv. 40, 29. Plin. ep. 7, 9. Sall. Cat. c. 55. Suet. in Tib. 61. in Dom. 8. 10. Caligula *T. Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Severi scripta SCtis abolita requiri et esse in manibus lectitarique permisit, quando maxime sua interesset, ut facta quaeque posteris tradantur,* Suet. Cal. 16. *sed manserunt* edd. Lips. et rec. *et manserunt* MS. et edd. vet. *abditi* pro *editi* coni. Vertran. „Legendum potius crediderim *redditi.* Similiter *dissimulatum ad praesens et mox redditum odium* 16, 5. et *in usum hominum reduxisti — restituisti* ap. Sen. l. l. Libri certe iam dudum editi fuerant, nunc restituti.“ *Ern.* „Sed ante *editos* h. e. vulgatos cremaverant aediles: dein rursus describendi copia facta est, h. e. editi sunt. Accuratius idem dicit Dio l. l.“ *Walth.* — *socordiam,* v. ad 4, 31, 1. *socordia* MS. — *praesenti potentia,* hominum nunc potentium, *exstingui posse sequentis aevi memoriam,* ut Agr. 2. *illo igne vocem populi Rom. et libertatem senatus et conscientiam generis humani aboleri.* — *nam contra,* e contrario, *punitis ingeniis* et crematis libris *gliscit auctoritas* ingeniorum librorumque, qui tum cupidius leguntur.

CAPUT XXXVI.

Ceterum postulandis reis tam continuus annus fuit, ut fe-

riarum Latinarum diebus Praefectum Urbis Drusum auspicandi gratia tribunal ingressum adierit Calpurnius Salvianus in Sex. Marium: quod a Caesare palam increpitum causa exsilii Salviano fuit. Obiecta publice Cyzicenis incuria caerimoniarum divi Augusti, additis violentiae criminibus adversum cives Romanos. Et amisere libertatem, quam bello Mithridatis meruerant circumsessi, nec minus sua constantia quam praesidio Luculli pulso rege. At Fonteius Capito, qui proconsul Asiam curaverat, absolvitur, comperto, ficta in eum crimina per Vibium Serenum. Neque tamen id Sereno noxae fuit, quem odium publicum tutiorem faciebat. Nam ut quis districtior accusator, velut sacrosanctus erat: leves, ignobiles poenis afficiebantur.

1. *feriarum Latinarum diebus:* nam Servius rex ad exemplum Amphictyonum vel Pylaici concilii s. conventus, qui statis diebus esse solebat, omnium civitatum Latini nominis conventum, *πανήγυριν*, instituit ad templum Dianae sacrificiis ludisque celebrandum. Quod sapiens consilium mox secutus Tarquinius secundus omnes Latii populos (XLVII oppida) in magnum coegit foedus, cuius caput esset Roma quodque ex eo tempore in monte Albano, in quo templum Iovi Latiali s. Latiari exstructum a rege illo erat, quotannis die a rege et deinde a consulibus principio fere anni et magistratus, prius quam in bella proficiscerentur, indicto, a legatis horum populorum renovatum est et epulis communibus, sacrificiis ludisque per IV dies celebratum; quae *feriae Latinae* et simpl. *Latinae* dictae sunt. v. Liv. 1, 45. 49—53. 5, 17. 9, 8. 21, 63. Plut. Camill. extr. et inpr. Dionys. Hal. 4, 23 sq. et 45—50. „*Feriarum Latinarum diebus* (quibus maxima civium Patrumque pars et magistratus Urbe aberant in monte Albano) Urbi praeficiebatur adolescens aliquis ex prima nobilitate et nondum senatoriae aetatis. v. Gell. 14, 8. Ex Augusti tamen instituto *ἐν ταῖς ἀνοχαῖς αἱρετοὶ ὑπὸ τοῦ Καίσαρος πολίαρχοι παῖδες ἄνηβοι ἐξ ἱππέων, ἀλλ' οὐκ ἐκ βουλευτῶν γεγονότες ἦρξαν*, Dio 49, 42. Ita et Nero praefectus Urbi a Claudio. v. Suet. Ner. 7. (cf. Dio 54, 17. 60, 5. Suet. Claud. 4.) *Drusum* Germanici filium, (cf. cap. 4. et 8.) *auspicandi gratia tribunal ingressum:* nam moris erat, ut, quicunque munus aut magistratum caperent et inirent, primo eius die auspicii saltem seu *auspicandi gratia* vel dicis et boni ominis causa leviter aliquid delibarent: unde *auspicari magistratum* et *dies auspicalis*. v. Ascon. ad Cic. Verr. 1, 40. et Paneg. Maximiani c. 6. ubi clare de hoc ritu: *primo consulatus tui auspicali die tu solus omnium consecutus es, ut, quod tempus antea incipiendis tantummodo rebus aptum esse videbatur, tunc primum potuerit sufficere peragendis, unoque sol curriculo — et officia te consulis inchoantem videret et Imperatoris implentem:* nam leves tantum et tralaticiae causae adolescenti solebant proponi dicis gratia et ut publice ederetur initi honoris documentum. Suet. Ner. 7. *auspicatus est et iurisdictionem praefectus Urbis sacro Latinarum, celeberrimis patronis non translaticias, ut assolet, et breves, sed maximas plurimasque postulationes certatim ingerentibus, quanquam interdictum a Claudio esset.* Hinc et h. l. *quod a Caesare palam increpitum*, et iure, quia non seriae causae, sed leves quaedam tunc agi solitae, multo minus capitales et ominis saevi ac scaevi. Nec magistratus solum, sed etiam privati homines vulgo Kal. Ianuariis artes suas religionis ominisque causa auspicabantur. v. Ovid. Fast. 1, 167. Sen. ep. 84. (83.) Suet. Ner. 46. Illud proprium studiosis, ut auspicarentur lucubrationes suas nocturnas, ut opinor, Vulcanalibus ipsis, IX Kal. Sept. *Lucubrare Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi causa, sed studendi* Plin. ep. 5, 5." *Lips.* Bene,

neque audiendus Ernestius, qui haec annotavit: „Videtur *auspicandi* verbum non de eo dictum, quod boni ominis causa initio cuiusque magistratus faciebant, sed de initio iurisdictionis et primo gradu honorum gerendorum et rei publicae capessendae. Solebant Principum liberi et nepotes a praefectura Urbis auspicari h. e. initium facere honorum et rei publ. administrandae; quod patet ex h. l. Taciti et illo Suet. Ner. 7.“ *auspicandi gratia*, h. e. ut initium faceret capessendae praefecturae: nam solebant magistratum ineuntes eo die, quo munus inciperent, aliquod officium peragere, quo publicum ederent documentum capessiti honoris; *Walth.* Cf. ad 6, 10, 2. et 6, 11, 1. *praefectum Urbis* MS. et edd. omnes, ut H. 3, 64. „Sic et *praefectus praetoriarum cohortium, castrorum* et *classis* 1, 7. 20. 23. H. 3, 47. *praefectum Urbi* codex (MS. fictitius) Ursini, ut in MS. et edd. vet. infra 6, 10. ubi *praefectus Urbis* plerique nunc edunt auctore Wopk. Ita et *castris praefectus* 1, 20. Nam utramque formulam Noster usurpat et Dativum ponit, quotiens *praefectus* participium, Genitivum, quotiens substantivum est.“ *Walth.* — *tribunal ingredi*, conscendere. v. ad 1, 75, 1. — *adierit in Sex. Marium*, ut eum accusaret. Alius fortasse Marius 6, 19. Ex ea gente duumvir quoque in numis Calagurit. ap. Vaillant. in NN. Coll. sub Augusto occurrit; *Oberl.* — *causa exsilii Salviano fuit quod a Caesare increpitum*, haec Tiberii increpatio. Cf. Ind. III. v. *Participia Perf. Pass. pro Substant. abstr.* Neque Tiberius eum pelli iussit, sed Patres audaciam Salviani displicere Caesari cernentes; *Freinsh.*

2. *Obiecta publice*, ut civitati. „*Publice* referendum ad *Cyzicenis*, ut exquisite dictum sit pro *Cyzicenae civitati*, non ad *obiecta*; ut contra ap. Cic. ad div. 4, 13. *nulla me privatim iniuria pepulit*. (Germ. für meine Person.)“ *Ern.* Sic ap. Suet. Tib. 37. *Cyzicenis publice libertatem ademit*, h. e. libertatem publicam, ius publicum leges et magistratus suos habendi, αὐτονομίαν. Cf. Suet. Aug. 17. Tib. 48. et al. „Cyzicenis et Augustus iam a. U. 734. libertatem ademerat ob cives Rom. in tumultu flagris caesos, sed restituerat a. 740. v. Dio 54, 7. et 23. Eam iis iterum ademit Tiberius, quoniam *obiecta* illis *incuria caerimoniarum D. Augusti — Romanos*, h. e. quia obiectum iis, quod fanum honori Augusti coeptum non perfecissent et quod cives quosdam Rom. in vincula coniecissent. Ita Dio 57, 24. Cf. Suet. Tib. 37. Strabo l. XII. p. 576. Cyzicum liberam fuisse ait suo etiam aevo, ex quo vides, eum desiisse vivere aut scribere ante hunc Tiberii annum.“ *Lips.* Immo desiisse eum scribere ante mortem Germanici et Drusi ex libri VI fine notari potest; *Ryck.* — *et amisere libertatem, quam bello Mithrid. meruerant — pulso rege*, cf. Suet. Tib. 37. Strab. XII. p. 575. 576. Appian. B. Mithrid. p. 221 sq. Plut. vita Luculli p. 497.

3. *At* C. *Fonteius Capito*, qui consul fuit a. U. 765. et fortasse pater C. Font. Capit. cos. a. 812. De hoc v. 14, 1. et de utroque intpp. Iuvenal. 13, 17. — *qui proconsul Asiam curaverat*, administraverat, rexerat, ei praefuerat. v. Ind. II. — *comperto*, v. ad 1, 46, 1. — *Vibium Serenum* scil. filium, de quo v. cap. 28. 29. 30. — *ut quis districtior accusator, velut sacrosanctus erat*, v. ad 4, 23, 2. Plane ex Sall. Iug. 31. *quam quisque pessume fecit, tam maxime tutus est* sub tyrannis; *Lips.* „*districtior* est acrior, acerbior, gravior, saevior, ut *distr. censura* et *feneratrix* ap. Valer. Max. 2, 9, 6. et 8, 2, 1.“ *Freinsh.* et *Ern.* „Immo: pluribus accusationibus occupatus et quasi distractus. (Sic *distringi negotiis, bellis, curis* cet.) Opponuntur *leves* et *ignobiles* i. e. raro accusantes nullamque ex accusando famam habentes.“ *Ryck.* Sed oppositio magis firmat illam explicandi rationem.

CAPUT XXXVII.

Per idem tempus Hispania ulterior, missis ad senatum legatis, oravit, ut exemplo Asiae delubrum Tiberio matrique eius exstrueret. Qua occasione Caesar, validus alioqui spernendis honoribus et respondendum ratus iis, quorum rumore arguebatur in ambitionem flexisse, huiuscemodi orationem coepit. *Scio, P. C., constantiam meam a plerisque desideratam, quod Asiae civitatibus nuper idem istud petentibus non sim adversatus. Ergo et prioris silentii defensionem, et quid in futurum statuerim, simul aperiam. Quum D. Augustus sibi atque urbi Romae templum apud Pergamum sisti non prohibuisset; qui omnia facta dictaque eius vice legis observem, placitum iam exemplum promptius secutus sum, quia cultui meo veneratio senatus adiungebatur. Ceterum ut semel recepisse veniam habuerit, ita per omnes provincias effigie numinum sacrari ambitiosum, superbum: et vanescet Augusti honor, si promiscuis adulationibus vulgatur.*

1. *Hispania ulterior oravit, ut exemplo Asiae — exstrueret,* cf. cap. 55. et ad 4, 15, 3. *exstrueret,* exstruere posset, sibi liceret. Cf. ad 2, 85, 1. — *validus spernendis honoribus,* v. ad 3, 10, 2. — *in ambitionem flexisse* sc. se, ut 1, 13. 34. 70. 4, 20. 6, 15. 13, 3.

2. *Quum D. Augustus sibi atque urbi Romae templum apud Pergamum* (Pergami; cf. Ind. II. v. *Apud*) *sisti non prohibuisset,* v. ad 1, 10, 4. „Exemplum huius adulationis a *Persis, qui non solum pie, sed etiam prudenter reges suos inter deos coluere: maiestatem enim imperii salutis esse tutelam,* Curt. 8, 5, 11. Eadem Augusto mens, sed ut leniret invidiam, non sibi soli permisit templa statui, sed coniunctim, *urbi Romae,* quae scil. iam pridem inter deas. v. Suet. Oct. c. 52. et de templo a. U. 725. Pergami statuto Dio 51, 20. et denarios lapidesque veteres, in quibus templi forma cum inscriptione COM. (Commune) ASIAE ROMAE ET AUG. et FLAMINI ROM. ET AUG. (v. Spanh. de usu et pr. NN. T. II. p. 650. Eckhel D. NN. vet. T. II. p. 466. Pocock's descr. of the East II, 2. p. 61. Mém. de l'Acad. des Inscr. T. XII. ad p. 253.) Apud Rufum templum Romae et Augusti in ipsa urbe. Soli quoque urbi Romae tanquam deae templum exstructum tam in provinciis et primum quidem a Smyrnaeis a. U. 558. ab Alabandensibus annis XXIV circiter post, quam in ipsa urbe commune cum Venere et singulare ad radices Palatini montis. v. 4, 56. Liv. 43, 6. Prudent. in Symm. 1, 219 sq. Claudian. in I. Cos. Stil. 2, 227." *Lips.* Cf. et Spartian. in Hadr. c. 19. Lips. de magn. Rom. 3, 6. et inpr. intpp. Ammiani 16, 10, 14. — *qui omnia facta dictaque eius vice legis observem,* cf. ad Agr. 13. n. 3. Quod de se hic Tiberius, tribuit illi etiam Strabo l. VI. extr. *κανόνα τῆς διοικήσεως καὶ τῶν προσταγμάτων ποιούμενος ἐκεῖνον, Lips. ficta dictaque* MS. — *cultui meo* (mei) *veneratio senatus adiungebatur,* v. ad 4, 15, 3. — *veniam habuerit,* ignosci possit; *Ern.* — *sacrari* edd. Lips. et rec. *sacra* MS. et edd. vet. — *si promiscuis adulationibus vulgatur* honor. *Vulgari* dicitur, quod vulgare, commune, promiscuum fit, vel omnibus sine discrimine conceditur, ut 11, 23. et ap. Liv. 1, 4. 10. 2, 41. 3, 6. 4, 2. 10, 6. al.

CAPUT XXXVIII.

Ego me, P. C., mortalem esse et hominum officia fungi satisque habere, si locum principem impleam, et vos testor et

meminisse posteros volo, qui satis superque memoriae meae tribuent, ut maioribus meis dignum, rerum vestrarum providum, constantem in periculis, offensionum pro utilitate publica non pavidum credant. Haec mihi in animis vestris templa, hae pulcherrimae effigies et mansurae. Nam quae saxo struuntur, si iudicium posterorum in odium vertit, pro sepulcris spernuntur. Proinde socios, cives et deos ipsos precor; hos, ut mihi ad finem usque vitae quietam et intelligentem humani divinique iuris mentem duint, illos, ut, quandoque concessero, cum laude et bonis recordationibus facta atque famam nominis mei prosequantur. Perstititque posthac secretis etiam sermonibus aspernari talem sui cultum; quod alii modestiam, multi quia diffideret, quidam ut degeneris animi interpretabantur. *Optumos quippe mortalium altissima cupere. Sic Herculem et Liberum apud Graecos, Quirinum apud nos deum numero additos. Melius Augustum, qui speraverit. Cetera Principibus statim adesse; unum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam: nam contemptu famae contemni virtutes.*

1. *Ego me, P. C., mortalem esse* cet. Cf. locus sim. Hom. Od. 7, 208 sq., *Aurel.* — *hominum officia fungi,* v. ad 3, 2, 1. — *si locum principem impleam,* v. ad H. 1, 16, 7. — *qui satis superque memoriae meae tribuent,* scil. si hoc tribuent, *ut maioribus* cet. Ita Croll. et Walth. Cf. Ind. III. v. *Ellipses* N. II. et Ramsh. Gr. p. 687. Broterius *ut* dictum putat pro *quum* vel *dum, dummodo,* Hermannus pro *siquidem,* Germ. gesetzt daſs. Ernestius *si* vel *ubi* scribendum censebat, et Walch. emend. Liv. p. 88. contendit, *ut* h. l. et ap. Liv. 5, 16. alibique conditionem exprimere et esse id. qd. *si.* Ante *maioribus* excidit *me* vel intell. est; *Brot.* Ad *dignum* intell. potius *me,* quod latet in *memoriae meae* h. e. mihi; *Walth.* — *nam quae saxo struuntur — spernuntur*: „Atqui in sepulcris sanctitatem esse dicit Cic. Phil. 9. eaque statuis praefert c. 6. Nec acumen sententiae video, si templa mortuorum et eorum sepulcra *sperni* dicantur, etsi oppositio in templis et sepulcris clarior est. Fortasse leg. *pro sepultis,* non secus atque ipsi mortui et sepulti, quorum honori et memoriae talia tribuuntur. Nam eiusmodi quid, quod ad hominem pertineat, requirere videntur illa: *si iudicium posterorum in odium vertit.*" *Ern.* Commode Hiller. racem. 30. notat, non hic agi de sepulcris universe, verum de tumulis eorum, qui *in odium posterorum* inciderint; *Oberl.* Haec delubra contemptorum Principum verius sepulcra erant quam templa: sepulcris destinantur aeque ac sepulcra spernuntur; *Brot.* Immo sententia h. l. est: *nam* templa, statuae, effigies, *quae saxo struuntur* et quidem tum diis vel iis, qui cultu divino digni censentur, tum vivis, sive diis sive hominibus in deos relatis, *spernuntur pro sepulcris,* non pluris aestimantur quam sepulcra, quae tum mortalibus s. hominibus, tum mortuis exstruuntur, *si iudicium posterorum* de illis, quibus structa sunt, *in odium vertit* se s. vertitur, nisi simul *in animis* posterorum honorifica, grata et *mansura,* perpetua, viget memoria et *effigies* mortuorum, qui meritis id consecuti sunt, ut templa aut statuae in eorum honorem struerentur. Cf. Agr. 46. Sall. Cat. 2. Iuvenal. 8, 53 sq. 83 sq. Sil. 6, 546 sq. *pro sepulcris spernuntur,* tanquam vel aeque, non secus, non minus ac sepulcra, Germ. als, so gut als, nicht weniger als, als wenn es nur Gräber wären. Sic *pro* 4, 13 pr. 11, 24. 12, 39. *pro Apolline ornatum* et *pro ianitore appositus* Suet. Aug. 70. 91. ut ap. Livium *pro victis* 2, 7. 8, 1.

10, 35. 21, 9. *pro victoribus esse* 25, 34. *pro perfuga* 27, 15. *pro transfuga* 24, 45. *pro firmato* 4, 7. „Sententia est: Templa *spernuntur* ita, ut non pluris aestimentur quam sepulcra aestimari solent. Nam sepulcra, licet non spernantur, immo sanctitatem habeant, non tamen sunt templa nec eodem cultu habentur. Templum igitur, quod non pluris aestimatur quam sepulcrum, recte dicimus *sperni*.“ *Walth.* — *Proinde*, v. ad 3, 17, 1. — *et deos ipsos* edd. Pich. et rec. *et deos et deos ipsos* MS. Inde *et deos et deas ipsas* edd. vet. ante Pich. „Optime: nam est sollennis precatio exemplo Graecorum: θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις Demosth. de cor. 1. et saepius. Est a fonte Hom. Il. 8, 5. κέκλυτέ μοι πάντες τε θεοὶ πᾶσαί τε θέαιναι.“ *Lips.* Ita et Cic. ad Brut. ep. 16. „Addo Tac. Ann. 6, 6. et Suet. Tib. 67. Sed quanquam illis in locis bene se habent *dii deaeque*, quia deae diis opponuntur, ut denotentur numina quaecunque, hic tamen *dearum* vocabulum inutile est, quum *dii sociis civibusque* oppositi *deas* haud dubie simul innuant.“ *Walth.* Iac. Gronovius male coni. *socios, cives, exteros et deos ipsos*: nam *socii* etiam sunt *exteri*. Heinsius leg. putabat *et deos hos ipsos* vel *deos adeo hos ipsos*, ut δεικτικῶς dicta sint haec, quia Victoriae aliorumque numinum arae et statuae in curia fuerint. Sed probabilius est, *et deos* per incuriam a librariis in MS. geminatum esse, ut alia innumeris et huius MS. et aliorum locis. — *mentem duint* ἀρχαϊκῶς et in priscis precum formulis pro *mentem dent*, ut ap. Liv. 10, 19. 22, 10. Terent. et Plaut. — *quandoque concessero*, ut 11, 30. scil. fato, ut 2, 71., vel naturae, vel vita, ut 1, 3. 2, 71. 3, 30. 6, 39. 12, 39. 14, 51. *quandoque* MS. et edd. rec. *quandocunque* edd. vet. ante Ern. v. ad 1, 6, 2. et 1, 57, 1.

2. *quod alii* ut, tanquam *modestiam*, *multi quia diffideret*, ut diffidentiam, se dignum esse tali cultu, *quidam ut degeneris animi* indicium *interpretabantur*, cf. Ind. III. v. *Constructio verborum variata et permixta*. Forsan rectius *quasi diffideret*: sed alterum, licet durius, quia sic etiam Sall. Iug. c. 82, Nostro placuisse puto; *Wopkens.* — *Liberum*, Bacchum. — *Melius Augustum* scil. egisse, fecisse. v. ad G. 19. n. 12. et Agr. 19. n. 2. — *qui speraverit*, se deorum numero additum iri. Qui confisus sit, se divinos honores mereri et consequi posse; *Freinsh.* Qui id non arrogaverit sibi, sed fiducia gloriae reliquerit posterorum in se favori; *Walth.* „Augustus fatetur ipse in literis ad dissimillimum sibi successorem: *benignitas mea me ad coelestem gloriam efferet*, Suet. Oct. 71. Livius 1, 7. *haec tum sacra Romulus una ex omnibus peregrina suscipit, iam tum immortalitatis virtute partae, ad quam eum sua fata ducebant, fautor.*“ *Gron.* — *Cetera Principibus statim adesse*, „perpetuo, aequaliter, ut saepe *statim*, si prima syll. producitur. v. Donat. ad Terent. Phorm. 5, 3, 7.“ *Croll.* Cito potius vel ab initio principatus; *Hiller.* „*Statim* est sine mora, εὐθύς, simul cum principatu, ita ut non debeant parari aut exspectari. Sic *statim* et *postea* sibi invicem opponuntur ap. Suet. Oct. 51. et Ner. 34. Perperam et Croll. explicat, et Mur. coni. *affatim* prob. Ern.“ *Walth.* — *prosperam sui memoriam*, ut *prospera fama* c. 52. 14, 51. H. 1, 14. *posteram* male coni. Chifflet. „Scilicet datur etiam *praepostera* vel *antecedens memoria!*“ *Walth.*

CAPUT XXXIX.

At Seianus nimia fortuna socors et muliebri insuper cupidine incensus, promissum matrimonium flagitante Livia, componit ad Caesarem codicillos: moris quippe tum erat, quanquam praesentem scripto adire. Eius talis forma fuit: *Benevolentia patris Augusti et mox plurimis Tiberii iudiciis ita*

insuevisse, ut spes votaque sua non prius ad deos quam ad Principum aures conferret. Neque fulgorem honorum unquam precatum: excubias ac labores ut unum e militibus pro incolumitate Imperatoris malle. Attamen, quod pulcherrimum, adeptum, ut coniunctione Caesaris dignus crederetur. Hinc initium spei: et quoniam audiverit, Augustum in collocanda filia nonnihil etiam de Equitibus Romanis consultavisse, ita, si maritus Liviae quaereretur, haberet in animo amicum sola necessitudinis gloria usurum. Non enim exuere imposita munia: satis aestimare firmari domum adversum iniquas Agrippinae offensiones, idque liberorum causa. Nam sibi multum superque vitae fore, quod tali cum Principe explevisset.

1. *Seianus nimia fortuna socors*, in marg. ed. Lips. *vecors*. Sed v. ad 4, 31, 1. — *muliebri*, mulieris, Liviae, *cupidine incensus*, ut fere *muliebribus instinctus furiis Tarquinius* Liv. 1, 47. — *Livia* Germanici filia, Drusi vidua. Cf. cap. 3 sq. — *codicillos*, propr. *codicillum*. Cf. ad 1, 6, 6. — *Moris quippe* tum erat, (v. ad 1, 35 extr.) Caesarem *quanquam praesentem scripto adire:* „Probus sapiensque mos, cuius repertor fuit Caesar, de quo Plut. Caes. p. 716. λέγεται δὲ καὶ τὸ διὰ γραμμάτων τοῖς φίλοις ὁμιλεῖν Καίσαρα πρῶτον μηχανήσασθαι, τὴν κατὰ πρόσωπον ἔντευξιν ὑπὲρ τῶν ἐπειγόντων τοῦ καιροῦ, διά τε πλῆθος ἀσχολιῶν καὶ τῆς πόλεως τὸ μέγεθος, μὴ περιμένοντος, quod referri non nisi ad amicos praesentes posse clarum est. Tenuit coluitque eundem morem Augustus, *qui sermones cum singulis atque etiam cum Livia sua graviores non nisi in scriptis et e libello habebat, ne plus minusve loqueretur.*“ *Lips.* Tiberius retinuit, ut in politica sua arte obscurior esset, imperiosius regnaret certiusque falleret; *Brot.* — *eius* (sc. *scripti*) *talis forma fuit* et sententia.

2. *Tiberii iudiciis*, ut ap. Plin. ep. 4, 8. 15. 10, 3, 8. Liv. 3, 51. Cic. ep. ad fam. 10, 1. 13, 46., *Walth.* — *insuevisse* sc. se, quod etiam suppl. ad infinitivos seqq. — *ut coniunctione Caesaris dignus crederetur;* „Verbum *crederetur* refer ad hominum de Seiano opinionem. *Coniunctionem Caesaris* nondum adeptus erat mortuo filio Claudii ante initum cum Seiani filia matrimonium. (v. ad 3, 29, 3.) Attamen ea gloria iam gaudebat, ut tali coniunctione dignus vulgo crederetur. Cf. de verbo *credere* ad 4, 2, 1.“ *Walth.* — *Augustum in collocanda filia n. e. de Eq. Rom. consultavisse* Agrippa mortuo. Cf. c. 40. et Suet. Oct. c. 63. — *amicum* se Tiberii *sola necessitudinis gloria usurum*, v. ad 1, 9, 3. et 3, 57, 2. — *non enim exuere* se *imposita munia:* „intellige praefecturam praetorii, munus equestre: nolle se altius ascendere, ad maiores honores provehi, ut ea de causa hoc matrimonium expetat. Sic c. 50. *sua quisque munia servarent immoti*, maneret quisque in loco faceretque mandata.“ *Ern.* — *idque liberorum causa:* „Non hoc dicit, quod in fronte videtur, velle se matrimonium liberorum causa, uti formula et lex erant; sed firmandae Drusi domus, quae desolata iam illo mortuo erat, contra Agrippinam; firmandae, inquam, *liberorum* Drusi *causa*, et ut illos (nepotes Tiberii) tueretur. Sequentia id affirmant alioqui longinqua: *nam sibi multum — explevisset*, quasi dicat, de se non angi aut sua posteritate, felice, si cum Principe vivat obeatque.“ *Lips.* „Immo *liberorum* suorum *causa*, ut bene ostendit Freinsh. Suam domum firmari volebat adversus Agrippinam et quidem maxime liberorum suorum causa: nam de se non magnopere laborare, quippe satis sibi diuturnam vitam fore, si modo ad Tiberii finem vivat atque interea cum ipso vivat.“ *Ern.* Cf. cap. 40.

CAPUT XL.

Ad ea Tiberius, laudata pietate Seiani suisque in eum beneficiis modice percursis, quum tempus tanquam ad integram consultationem petivisset, adiunxit: *Ceteris mortalibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent: Principum diversam esse sortem, quibus praecipua rerum ad famam dirigenda. Ideo se non illuc decurrere, quod promptum rescriptu, posse ipsam Liviam statuere, nubendum post Drusum an in penatibus iisdem tolerandum haberet: esse illi matrem et aviam, propiora consilia. Simplicius acturum, de inimicitiis primum Agrippinae, quas longe acrius arsuras, si matrimonium Liviae velut in partes domum Caesarum distraxisset. Sic quoque erumpere aemulationem feminarum eaque discordia nepotes suos convelli: quid si intendatur certamen tali coniugio? Falleris enim, Seiane, si te mansurum in eodem ordine putas et Liviam, quae C. Caesari, mox Druso nupta fuerit, ea mente acturam, ut cum Equite Romano senescat. Ego ut sinam, credisne passuros, qui fratrem eius, qui patrem maioresque nostros in summis imperiis videre? Vis tu quidem istum intra locum sistere; sed illi magistratus et primores, qui te invito perrumpunt omnibusque de rebus consulunt, excessisse iam pridem equestre fastigium longeque antisse patris mei amicitias, non occulti ferunt perque invidiam tui me quoque incusant. At enim Augustus filiam suam Equiti Romano tradere meditatus est. Mirum hercule, si, quum in omnis curas distraheretur immensumque attolli provideret, quem coniunctione tali super alios extulisset, C. Proculeium et quosdam in sermonibus habuit insigni tranquillitate vitae, nullis rei publicae negotiis permixtos. Sed si dubitatione Augusti movemur, quanto validius est, quod M. Agrippae, mox mihi collocavit? Atque ego haec pro amicitia non occultavi: ceterum neque tuis neque Liviae destinatis adversabor. Ipse quid intra animum volutaverim, quibus adhuc necessitudinibus immiscere te mihi parem, omittam ad praesens referre. Id tantum aperiam, nihil esse tam excelsum, quod non virtutes istae tuusque in me animus mereantur, datoque tempore vel in senatu vel in concione non reticebo.*

1. *Ad ea Tiberius — adiunxit*, scite respondens ad singula. „Dubitatur, eane *adiunxerit* voce an scripto. Censeo, Seianum ipsum sua manu porrexisse Tiberio codicillos Tiberiumque illis perlectis voce statim pietatem Seiani laudavisse ac sua in eum beneficia modice percurrisse, deinde petito ad consultationem tempore scripto illi dedisse responsum. Quod innuunt verba seq. *ideo se non illuc decurrere, quod promptum rescriptu.*“ *Pich.* Ex his potius colligas, Tiberium pauca primum rescripsisse, *laudasse — percurrisse — petivisse*; nunc vero iis *adiunxisse* haec. — *integram consultationem*, v. ad 3, 8, 1. — *Ceteris mortalibus in eo stare consilia — Principum diversam esse sortem* cet. Tacitus respexit ad Sall. Cat. 51. ubi Caesar pari sententia disserit; *Lips.* Cf. etiam Sall. Iug. 85. et Iuvenal. 8, 138 sq. *in eo stare*, subsistere. Non excedere id, sich darauf beschränken; *Walth.* — *praecipua rerum*, v. ad 4, 41, 1. — *Ideo se non illuc*, ad id, *decurrere, quod promptum*

rescriptu fuisset, quod facile respondere potuisset, scil. *posse ipsam Liviam statuere*, utrum *nubendum post Drusum an tolerandum haberet*, sibi esset. cf. Ind. II. v. *Habere* et ad O. 1. n. 3. *tolerandum*, patienter manendum, Germ. sich gedulden, *Freinsh.* — *esse illi matrem*, Antoniam, *et aviam*, Liviam, *propiora consilia*, v. ad Agr. 6. n. 7. *propiora consilia* per apposit., nisi comma delere malis et iungere *matrem et aviam esse illi propiora consilia.* — *Simplicius acturum* se cum eo. Cf. ad G. 22. n. 7. — *convelli*, ut 6, 48. *convulsus*, Germ. verdorben; *Walth.* Eo tamen sensu non dicitur hoc verbum. „*Convelli* est ad discordiam redigi et odia *nepotes suos*, quum patres eorum, Drusus et Germanicus, bene concordes fuerint et certaminibus proximorum inconcussi. v. 2, 43. et ad 4, 4, 1.“ *Ern.* — *quid* fore, *si* cet. Cf. ad O. 20. n. 6.

2. *Falleris enim Seiane*, oratio obliqua in rectam transit. — *si te mansurum in eodem ordine*, conditione, ut paulo post *istum intra locum sistere.* Respondet verbis Seiani c. 39. *non enim exuere se imposita munia.* — *Liviam, quae* primum *C. Caesari, mox Druso nupta fuerit*, cf. ad 2, 43, 3. — *ut cum Equite Rom.* (Seiano, de quo v. cap. 1.) *senescat*, si uxor tua fuerit, in privata conditione semper maneat, neque potius te ad imperium affectandum exhortetur, ut Tullia Tarquinium Liv. 1, 47. — *Ego ut*, quamvis, *sinam* id, patiar. — *fratrem eius*, Germanicum. — *patrem*, Drusum. — *istum intra locum sistere*, v. ad 3, 52, 3. — *invito:* in MS. *invite.* — *perrumpunt*, „excedunt fines istos, intra quos continere te vis, expugnant modestiam tuam eique vim faciunt; ut fere c. 67. *ne quis quietem eius irrumperet* i. e. turbaret adeundo, appellando, petendo. Hanc interpretationem et contextus ipse desiderat et seqq. c. 41. *tacita suspicionum, vulgi rumorem, ingruentem invidiam deprecatur.* Nam non ita obtusus erat Seianus, ut non sentiret, hic per ambages sibi obiici a Tiberio istas primorum salutationes et obsequia. Itaque excogitavit deinde, quomodo salva potentia adeuntium coetus arceret, ne receptando materiam criminantibus inimicis atque adeo suspicaci Tiberio praeberet, si salutaretur velut princeps civitatis omnibusque de rebus consuleretur.“ *Ern.* Sed fortasse scribendum, quod et Heinsius coniecit, *qui te invitum perrumpunt*, ad te penetrant, quo sensu vulgatum accepit Pich. Sic 3, 15. *ne quo affectu perrumperetur.* — *excessisse* sc. te *iam pridem equestre fastigium*, cf. ad 1, 14, 4. „Quare aut quo in facto? Credo, quia praetoriis honoribus insignitus Seianus a Tiberio atque ita velut exemptus Equiti et insertus in senatum. Sed et postea consulem eum fecit et senatorem palam. Igitur verba Suet. Tit. 6. praefecturam praetorii nunquam *ad id tempus nisi ab Equite Rom. administratam* caute legenda videntur et cum exceptione tum huius exempli, tum alius, de quo v. H. 4, 68.“ *Lips.* Huc etiam referenda, quae traduntur de Seiani potestate et honoribus 3, 66. 72. 4, 2. 26. 68. et de vi praefecturae praetorii, quam valde intendit 4, 2. *per idem* MS. pro *pridem*, ut 6, 3. — *longeque:* in edd. Ber. et Rhen. 1. vitiose *legeque.* — *antisse*, anteisse, *patris mei amicitias*, amiciorem filio esse quam patri meo fueris; *Ern.* Immo *anteisse* te *patris mei*, Augusti, *amicitias*, h. e. amicos, ut 2, 27. 77. 5, 2. Cf. ad 12, 49, 1. et Ind. III. v. *Abstracta Nomina pro Concr.* Intelligit Agrippam aut Maecenatem; *Lips.* Immo Maecenatem, Sallustium, Proculeium et alios: nam Agrippam hic computari locus non patitur; *Freinsh.*

3. *At enim*, ut Gr. ἀλλὰ γάρ, *Walth.* — *Augustus filiam suam Equiti Rom. tradere*, nuptum dare, collocare, (ut c. 75.) *meditatus est*, quae verba spectant ad illa Seiani c. 39. *Augustum in collocanda filia* cet. — *Mirum hercule — permixtos:* „Sensus est: non debemus mirari, si Augustus aliquando deliberavit, an Equiti filiam collocaret. Etenim ille pro sua prudentia, qua rem quamque in primisque tantam ab omni parte

considerabat cogitabatque, quid publice privatimque nasci a coniugio tali posset, videbat, tali coniunctione tantum attolli homines, ut facile possent spiritus sumere et sibimet ipsi molesti esse, si iam per se nobiles et honorati essent. Itaque cogitavit, annon melius et tutius foret, Equitem generum deligere, qui expers rei publicae procul ab honoribus et negotiis publicis egisset: nam tamen maiorem ceteris ista coniunctione fore et nihil contra se moliturum." *Ern.* — *C. Proculeius* Eques Romanus, vir egregius et candidus, patronus hominum doctorum, perpetuus Augusti comes omniumque consiliorum eius particeps, frater Terentiae, quae Maecenatis uxor fuit, L. Licinii Varronis Muraenae, qui contra Augustum coniuravit, et M. Terentii Varronis Muraenae, qui in a. U. 731. consul creatus, sed paulo ante mortuus est. Cum his fratribus bello civili spoliatis patrimonium suum aequis partibus divisit. v. intpp. Hor. od. 2, 2, 5—8. Fabric. et Reimar. ad Dion. 54, 3. Burm. et Spald. ad Quintil. 6, 3. Hard. ad Plin. 7, 45. Masson. vit. Hor. p. 304. — *in sermonibus habuit*, in consilium adhibuit, *quosdam insigni tranquillitate vitae*, cf. Ind. III. v. *Ablativi qualitatis pendentes ex intell. Participio verbi substant.* — *nullis rei publ. negotiis permixtos*, v. ad 3, 38, 1. — „*Sed si dubitatione*, deliberatione, *Augusti movemur, quanto validius est — collocavit*, quanto magis moveri debemus eius decisione; nam, quod audivisti, in collocanda filia nonnihil etiam de Equitibus Rom. consultavit, (ita cap. 39.) eam vero non Equiti, sed Agrippae et mihi collocavit, ergo longe aliud probavit decrevitque et ipso pacto exsecutus est." *Lips.* *Dubitare* etiam Cic. p. Rosc. Am. 31. de off. 1, 3. et noster 4, 57. dixit pro considerare, deliberare; *Ern.* Cf. et 6, 46 pr. 12, 20. 13, 50. — *collocavit* filiam suam; quae ellipsis est dura. — *quibus adhuc necessitudinibus i. te m. parem*, mente agitem. — *dato tempore* opportuno, ut *dato die* 13, 40. et sim. — *vel in senatu vel in concione* populi, ut 4, 42. *se vel statim*, (erat autem in senatu) *vel in concione* (nam ita scrib. pro *cognitione*) *purgaturum; Freinsh.* Sed neque populus tum convocari et coire, neque Imperator concionari solebat, et intell. potius *concio* amicorum in consilium de hac re adhibitorum; nisi et h. l. leg. *cognitione*, ut 4, 42. Cf. ad H. 2, 79, 7.

CAPUT XLI.

Rursum Seianus, non iam de matrimonio, sed altius metuens, tacita suspicionum, vulgi rumorem, ingruentem invidiam deprecatur. Ac ne assiduos in domum coetus arcendo infringeret potentiam aut receptando facultatem criminantibus praeberet, huc flexit, ut Tiberium ad vitam procul Roma amoenis locis degendam impelleret. Multa quippe providebat: sua in manu aditus literarumque magna ex parte se arbitrum fore, quum per milites commearent: mox Caesarem vergente iam senecta secretoque loci mollitum munia imperii facilius tramissurum: et minui, sibi invidiam adempta salutantum turba, sublatisque inanibus vera potentia augere. Igitur paulatim negotia urbis, populi accursus, multitudinem affluentium increpat, extollens laudibus quietem et solitudinem, quis abesse taedia et offensiones ac praecipua rerum maxime agitari.

1. *Rursum*, v. ad 1, 80, 2. — *Seianus non iam de matrimonio metuens*, ne matrimonii istius spes irrita esset, *sed altius metuens*, ne maiora incommoda sequerentur, *tacita suspicionum — deprecatur*, vel precatur, ne Princeps iis credat, vel coram vel potius per epistolam

alteram; *Ern.* *non iam* edd. Lips. a. 1607. Pich. in marg. Bern. et rec. paene omnes ex emend. Mur. *non tam* MS. et edd. vet. *tacita suspicionum,* tacitas suspiciones sc. regni affectati, ut paulo post et c. 40. *praecipua rerum.* Cf. Ind. III. v. *Adiectiva neutra num. sing. et plur. pro Substant.* — *sua in manu,* potestate, (cf. Ind. II.) *aditus fore* ad Tiberium. — *quum per milites commearent,* ad Caesarem solerent transmitti. „Hi *speculatores* dicti H. 2, 73. et Suet. Cal. 44. (v. ad H. 1, 24, 3.) Plutarchus in Galba p. 1056. Nymphidium praef. praet. valde offensum scribit, quod consules literas et diplomata μὴ πάρ' αὐτοῦ καὶ σφραγῖδα καὶ στρατιώτας λαβόντες ἀνέπεμψαν.“ *Lips.*

2. *vergente iam senecta;* Wopkens. coni. *urgente,* ut ap. Cic. de sen. 1. „Nam senectus per se est aetas *vergens* sc. ad finem vitae. Cf. ad 2, 43, 1. Potest tamen *vergens senecta* accipi de grandiore senecta, ut *provecta senectus* 1, 4.“ *Walth.* — *munia imperii facilius tramissurum,* permissurum alii, Seiano. — *sublatisque inanibus,* v. ad 5, 10, 2. *s. manibus* MS. Verba seqq. dicta putant pro *vera potentia* (sexto casu) *augere* sc. se h. e. augeri, ut *res auxit* ap. Gell. 18, 12. *magnitudinem auxisse* in Sall. fragm. hist. et similiter *vertere*, *flectere*, *mutare* et alia. v. ad G. 31. n. 1. Ind. III. v. *Verba activa passive vel intrans. dicta* quosque Ern. et Ob. laudarunt, Duk. ad Liv. 3, 6. Cort. ad Sall. fragm. l. 1. p. 947. et in Exc. 6. ad Iug. c. 85. Obbarius in d. krit. Bibl N. Folge a. 1828. N. 15. p. 116. „Sed ubi *augere* passive reperitur, semper ita est, ut possit intelligi *se* aut aliud pronomen tale, quod hic fieri non potest.“ *Ern.* „Legendum vel cum Rhen. *vera potentia agere* sc. se, i. e. veram sibi potentiam esse, ut 2, 73. 6, 27. H. 2, 58. 5, 1. G. 46. vel cum Mur. *veram potentiam augere* sc. se, ut H. 3, 45.“ *Wopkens.* *augeri* ed. Ald. *Veram potentiam augeri* coni. Heins. et *vera potentiae augeri* Ryck. Hic verum videtur assecutus: nam *inania* et *vera potentiae* recte inter se opponuntur; *Kiessl.* — *maxime agitari,* melius quam in strepitu Urbis *agitari* mente, ponderari, expendi, (v. ad H. 2, 1, 8.) vel tractari, vel parari.

CAPUT XLII.

Ac forte habita per illos dies de Votieno Montano celebris ingenii viro cognitio cunctantem iam Tiberium perpulit, ut vitandos crederet Patrum coetus vocesque, quae plerumque verae et graves coram ingerebantur. Nam postulato Votieno ob contumelias in Caesarem dictas, testis Aemilius, e militaribus viris, dum studio probandi cuncta refert et quanquam inter obstrepentes magna asseveratione nititur, audivit Tiberius probra, quis per occultum lacerabatur, adeoque perculsus est, ut se vel statim vel in cognitione purgaturum clamitaret precibusque proximorum, adulatione omnium aegre componeret animum. Et Votienus quidem maiestatis poenis affectus est: Caesar, obiectam sibi adversus reos inclementiam eo pervicacius amplexus, Aquiliam adulterii delatam cum Vario Ligure, quanquam Lentulus Gaetulicus consul designatus lege Iulia damnasset, exsilio punivit, Apidiumque Merulam, quod in acta D. Augusti non iuraverat, albo senatorio erasit.

1. *Votieno Montano:* „cuius inter celebres oratores mentio Senecae controv. 3, 20. 4, 28. 9, 5. et inter poetas Ovid. ex P. 4, 16, 11.“ *Lips.* — *cunctantem iam,* dubitantem, utrum vitam procul Roma degeret, quod

suaserat Seianus c. 41. *nutantem* coni. Mur. et Acid. „Sed nihil correctione opus. *Cunctari* est deliberare, sed quum nondum decreveris. v. Suet. Dom. 2. Gron. obss. 1, 18. et Cort. ad Sall. Cat. 52.“ *Ern.* Cf. Ind. II. v. *Cunctari* et *Cunctatio*. — *coram ingerebantur*, ipsi et praesenti saepius dicebantur. *Ingerere* ap. Tac. est vel crebro et hostili animo in aliquem mittere et ei inferre, ut 1, 39. 65. 2, 81. H. 3, 85. Liv. 2, 65. 31, 46. 36, 18. vel saepius repetere, commemorare, inculcare in alicuius honorem contumeliamve, ut h. l. et 1, 72. 2, 79. H. 4, 78. 0. 7. Similiter *aggerere* 2, 57. 3, 67. et *immittere*, de quo v. ad 6, 45, 2. Cf. Forcell. et Boettich. Lex. Tac. in his vocc. — *postulato*, v. ad 1, 74, 1. *postulatio* ed. Ber. — *Aemilius e militaribus viris*, cf. Ind. II. v. *E et Ex*, ε. — *magna asseveratione nititur* sc. probare. Cf. ad 4, 19, 2. — *se vel statim vel in cognitione purgaturum*, refutaturum sc. probra, vel quae sibi obiicerentur. *vel statim* ab edito Aemilii testimonio, *vel in cognitione*, vel post, ubi de istis rebus cognitio, disceptatio futura esset; *Ern.* „Rectius alii *cognitionem* interpretantur iudicium de hac ipsa re instituendum. Promittebat Caesar, se causam esse dicturum coram senatu vel iis, quos senatus ad id iudicium delegasset.“ *Walth.* *in concione* male coni. Freinsh. et Paschal. Cf. ad 4, 40, 3. — *componeret animum*, se mitigari pateretur; *Ern.* Cf. ad 12, 32, 1.

2. *Votienus maiestatis poenis affectus est*, cf. ad 1, 72, 2. *Votienus Montanus Narbonensis orator in Balearibus insulis moritur illuc a Tiberio relegatus* Euseb. in Chron. ad a. III. Olymp. a. CCI. — *amplexus*: „nam *amplecti* non de manibus tantum, sed de mente etiam et animo dicitur, ut nostrum in Gedanken umfangen. Sic h. l. et 6, 8. H. 3, 84. Hinc Agr. 25 pr. est id. qd. consilia aliquo vertere.“ *Roth.* in Quaest. Gramm. et ad Agr. p. 50. 51. — *Aquiliam adulterii delatam* (v. 1, 74, 1.) *cum Vario Ligure*, adultero eius. — *Lentulus Gaetulicus consul designatus*, qui primus sententiam erat rogatus et dixerat. v. ad 3, 22, 3. et de hoc Lentulo ad 4, 44, 1. *Gaetulicus* edd. Iac. Gron. et rec. *Caetulicus* MS. *Getulicus* edd. vet. ut in inscr. Gruter. p. 382, 6. „Apud Graecos etiam scriptores nunc Γετοῦλοι, nunc Γαιτοῦλοι leguntur. cf. Reimar. ad Dion. 43, 4.“ *Walth.* Cf. ad 4, 44, 1. 4, 46, 1. — *lege Iulia damnasset*, v. ad 2, 50, 1. 2. 3, 25, 1. *damnasset*, damnandam censuisset. v. ad 2, 85, 1. — *Apidium*: in ed. Ald. *Apidum*. — *in acta D. Augusti non iuraverat*, v. ad 1, 7, 3. — *albo senatorio erasit*: „*Album*, τὸ λεύκωμα, i. e. tabulae albatae, in quibus nomina aliudve quid inscriptum, ut album praetoris, decurionum, iudicum et in Tertull. adv. Marc. 5, 1. album apostolorum. *Album* autem *senatorum* primus instituit Augustus a. U. 746. quum recenso senatu mulctas infrequentibus imposuisset et simul definisset numerum, intra quem SCtum non fieret. Eas ad res visum necessarium *album*, quod renovatum quotannis et in curia propositum. Augustus τά τε ὀνόματα συμπάντων τῶν βουλευόντων ἐς λεύκωμα ἀναγράψας ἐξέθηκε, καὶ ἐξ ἐκείνου καὶ νῦν κατ᾽ ἔτος οὕτω ποιεῖται, Dio 55, 3.“ *Lips.* De *albo* v. Salmas. de mod. usur. p. 678.; *Ern.*

CAPUT XLIII.

Auditae dehinc Lacedaemoniorum et Messeniorum legationes de iure templi Dianae Limnatidis, quod suis a maioribus suaque in terra dicatum Lacedaemonii firmabant annalium memoria vatumque carminibus, sed Macedonis Philippi, cum quo bellassent, armis ademptum ac post C. Caesaris et M. Antonii

sententia redditum. Contra Messenii veterem inter Herculis posteros divisionem Peloponnesi protulere, *suoque regi Dentheliatem agrum, in quo id delubrum, cessisse, monimentaque eius rei sculpta saxis et aere prisco manere. Quod si vatum, annalium ad testimonia vocentur, plures sibi ac locupletiores esse: neque Philippum potentia, sed* [1] *ex vero statuisse. Idem regis Antigoni, idem imperatoris Mummii iudicium. Sic Milesios permisso publice arbitrio, postremo Atidium Geminum praetorem Achaiae decrevisse.* Ita secundum Messenios datum. Et Segestani aedem Veneris montem apud Erycum vetustate dilapsam restaurari postulavere, nota memorantes de origine eius et laeta Tiberio. Suscepit curam libens ut consanguineus. Tunc tractatae Massiliensium preces probatumque P. Rutilii exemplum: namque eum legibus pulsum civem sibi Smyrnaei addiderant. Quo iure Vulcatius Moschus exsul, in Massilienses receptus, bona sua rei publicae eorum ut patriae reliquerat.

1. *de iure templi*, quibusnam templum proprie esset et ius asyli, de quo etiam ab aliis certatum. Cf. 3, 36. 60. 4, 14. — *Dianae Limnatidis:* ita edd. Micyll. Brot. et deinde omnes ex emend. Lips. *Limenatidis* MS. et ed. Iac. Gron. Cf. ad 3, 69, 3. *Limenetidis* edd. vet. Hanc scripturam iuvare aliquid videntur versus Callim. H. in Dian. v. 38. καὶ μὲν ἀγυιαῖς ἔσσῃ καὶ λιμένεσσιν ἐπίσκοπος, viarum portuumque praeses et custos; *Lips.* Cf. Spanh. ad eum locum et Creuzeri Symbol. T. II. p. 171. ed. pr. Eo tamen sensu λιμενῖτις potius dicta Ἄρτεμις. „Tu nihil ambigens repone *Limnatidis:* ita historia hic postulat et consensio scriptorum. Sive enim a *Limnis* vico Messeniae, qui aliter Amyclae dictus, sive ἀπὸ τῆς λίμνης, a palude, agnominata ea dea, certe scrib. *Limnatis* sive *Limnetis.* Prioris sententiae Strabo l. 8. p. 361. esse videtur: τὸ δ' ἐν Λίμναις τῆς Ἀρτέμιδος ἱερὸν Λιμναῖον, ἐφ' ᾧ Μεσσήνιοι περὶ τὰς παρθένους ὑβρίσαι δοκοῦσι τὰς ἀφιγμένας ἐπὶ τὴν θυσίαν, ἐν μεθορίοις ἐστὶ τῆς Λακωνικῆς καὶ τῆς Μεσσηνίας, ὅπου κοινὴν συνετέλουν πανήγυριν καὶ θυσίαν ἀμφότεροι. Nec dissimilia l. VI. p. 257. At a lacu derivat plane Pausan. (3, 2, 6. 3, 7, 4. 3, 23, 6. 4, 4, 2.) 4, 31, 3. 7, 20, 4. 5. (8, 53, 5.) itemque Artemidorus 2, 35. qui Dianam in somniis visam boni ominis piscatoribus esse vult, quoniam et Λιμνῆτις dicatur." *Lips.* De hac Diana v. etiam Heins. ad Ovid. Met. 5, 48. et Meurs. in Lacon. 1, 2.," *Ern.* Cf. Nitzschii Lex. mythol. s. v. *Diana* ibique Klopf. p. 618., *Kiessl.*

2. *veterem inter Herculis* posteros, „Aristomachi filios, Temenum, Aristodemum et Cresphontem, *divisionem Peloponnesi* in tria regna, Argivum, Lacedaemonium et Messenium. v. Isocr. Archidamus p. 282. (131.) et Prideausius ad marm. Oxon. ep. 6." *Ern.* Cf. de reditu Heraclidarum in Peloponnesum (anno LXXX post Troiam captam), de expugnatione Peloponnesi et sortitione super ea inter Heraclidas facta Pausan. 2, 19. 4, 3. Polyaen. 1, 6. Wessel. ad Diodor. 4, 58. inpr. Heyne ad Apollod. 2, 8, 2. et 4. *Peloponnesi* edd. Lips. 1600. et deinde omnes. *Peloponesi* edd. vet. — *suoque regi Dentheliatem agrum cessisse* in hac divisione vel potius sortitione. *suoque recident heliatem a. c.* MS. edd. Rhen. 1. et Ald. *regi dent Heliatem* Rhen. 2. 3. *regi Dentheliatem a.* edd. Ber. Lips. et dein omnes. Haec lectio repudiata a Lipsio, quia *Dentheletae* vel potius *Danthelitae* populus Thraciae. Sed memorabilis est locus Stephani: Δελθάνιαι πόλις μία τῶν περιμαχήτων Μεσσηνίων καὶ Λακεδαιμονίων. Hinc Meursius in Lacon. 1, 2. *Delthaniatem* h. l., at Holstenius et Ryck. apud Steph. Δενθάλιοι legendum censebant; et suspicari possis,

scribendum esse vel *Denthaliatem* vel *Δενθέλιοι* s. *Δενθήλιοι*. Haec probabiliora quam quae alii coniecerunt." Placet *regi Penthilo* vel *Pentheo* vel *Temeno* vel *dein Eleatem agrum*. Penthilus Arcadiae et, nisi fallor, Messeniorum rex, filius Orestis. v. Strabo XIII. p. 582. et Vell. 1, 6. Hic vero non e posteris Herculis fuisse traditur. Temenus certe inter Heraclidas est: sed is Argis regnum habuit. v. Pausan. 2, 18. 19. qui etiam refert 4, 3. Cresphonti nomen fuisse *Messeniorum regi* eique in divisione Peloponnesi per fraudem liquescentis sortis terram eam obvenisse. *Eleatem agrum* sane retineo, quia Strabo VIII. p. 345. mihi auctor, totam regiunculam inter Dymen et Messeniam *Eleam* vocatam fuisse." *Lips*. Mercerus leg. putabat *suoque regi dein Tegeatem* aut *Thuriatem agrum*; et posterius, non prius, (nam ille ager in Arcadia fuit) arridere possit, quia testante Pausan. 4, 31, 2. 3. in Thuriate agro *Limnas* fuit vicus Dianae cultu celeber et Spartanis datus, nec tamen *C. Caesaris et M. Antonii sententia*, sed D. Augusti. *suoque regi datum Heliatem agrum* corr. Chifletius in epist. ad Lips. (in Coll. Burm. T. I. p. 728.) — *manere*, superesse, ut 1, 74. et al. — *vatum, annalium*, „ut supra *annalium memoria vatumque carminibus*: nam non modo historicorum, sed etiam poetarum testimoniis veteres usos in dirimendis controversiis de finibus, satis notum est e Strab. et aliis. v. Menag. ad Laert. 1, 47. et Meurs. in Solone c. 7. Durior autem copulae omissio, quae supra addita est." *Ern*. Hinc *annaliumque* coni. Grut. Pich. Heins. Ob. et *vatum atque annalium* Lips. Sed supra aliud est dicendi genus; *Walth*. Cf. Ind. III. v. *Asyndeta*. — *annalium ad testimonia vocentur* Messenii. *annalium testimonia advocentur* corr. Heins. Brot. Oberl. „Cave ne credas: nam *vocari* est verbum iudiciale et exquisite dicitur de iis, qui invitantur ad certamen vel ut rationem reddant, ut *vocare ad pugnam* 6, 34. et *ad quorum exempla me vocas* O. 13. *Ad testimonia vocentur* h. e. invitentur, ut certent testimoniis." *Walth*. Cf. ad H. 4, 80, 3. — *regis* Macedonum *Antigoni* II. Soteris, a quo expugnata est Sparta. v. Iustin. 28, 4. Plut. in vita Cleomenis et Arati. — L. *Mummii* cos. Rom. a quo diruta Corinthus et Graecia in formam provinciae Rom. redacta est a. U. 608. v. Vell. 1, 12. Iustin. 34, 2. Plin. 34, 7. Frontin. Strat. 4, 3. *Mummii* edd. Lips. et rec. *Mumii* edd. vet. — *permisso* iis *publice arbitrio* a Lacedaemoniis et Messeniis. *publice*, publico consilio et decreto civitatum litigantium; *Ern*. Decreto rei publ. Milesiorum; *Freinsh*. Sed tum ad voc. *Milesios* potius quam ad *permisso* scriptor posuisset *publice*; *Walth*. *publicae* MS. — *Ita*, hinc, has ob causas, *secundum Messenios*, in commodum et favorem vel ex commodo et voto s. sententia eorum, (zu Gunsten, zum Vortheil, *en faveur*) *datum* sc. ius templi, de quo certabatur, (v. ad princ. cap.) vel ius s. lis s. sententia, ut *secundum praesentes facillime dabat* Suet. Claud. 15. *secundum aliquem litem dare* Liv. 23, 4. et Cic. p. Rosc. Com. 1. Cf. H. 3, 7 pr. Liv. Epit. 74. Cic. ep. ad Att. 4, 2. 43. 16, 16.

3. *Et* (etiam) *Segestani* (in Sicilia, quorum oppida Segesta et Eryx ad radices Erycis montis) *aedem Veneris montem apud Erycum*, in Eryco s. Eryce monte. Cf. Ind. II. v. *Apud* et Ind. III. v. *Praepositiones nominibus postpositae*. *Eryx* et urbs et mons Siciliae fuit et celeberrimum Veneris templum in ipso montis vertice. v. Strabo VI. p. 188. (272.) Diodor. 4, 83. Polyb. 1, 55. 58 sq. 2, 7. Heyne Exc. II. ad Virg. Aen. 5, 759 sq. „Ad eius instar etiam Romae templum erectum Veneris Erycinae ad portam Collinam, de quo v. Ovid. rem. am. v. 549. et Liv. 22, 10. 23, 30. 40, 34. At illud mirum, quod Noster hic Tiberio tribuit, id Claudio adscripsisse Suet. Claud. 25. An hic id scripsit ἀλογιστί? an vere instauratum iterum a Claudio fuit? quod tamen haud facile creditu tam pauco annorum intervallo." *Lips*. *Erycem* dedit Brot. et alii conie-

cerunt *Erycium* et *Erycinum.*" Sed *Erycus* legitur in optimis libris ap. Cic. Verr. 2, 8. et 47. ut *Eryco* ap. Flor. 2, 2. in cod. Nazariano. Plura quoque sunt nomina, quae duobus modis formantur, altero rariori, ut *Arabs* et *Arabus*. v. Serv. ad Virg. Aen. 7, 605. Heins. et Burm. ad Ovid. Her. 15, 76. Bimard. diss. 1. c. 5. in Murat. Thes. inscr. T. I. p. 26. — *vetustate dilapsam* edd. rec. ex emend. Ern. *delapsam* edd. vet. „Cf. Graev. ad Cic. p. Marc. 8. (*omnia quae dilapsa iam fluxerunt*) et Drak. ad Liv. 4, 20. *aedem Feretrii Iovis, quam vetustate dilapsam refecit*; quem locum in animo habuit Tacitus." *Ern.* „*Remeante flumine dilapsa* H. 1, 86. Contra *aera legum vetustate delapsa* H. 4, 40. Utrumque bonum suo loco. De aede Veneris et *dilabi* et *delabi* quidem dici potest. In inscriptt. tamen de aedibus plerumque legitur *dilabi*. Cf. Piranesi Antichita Romane T. I. tab. 17. Gruter. p. 177, 1." *Walth.* *Templum Veneris Erycinae vetustate collapsam* dixit Suet. Claud. 25. Cf. inf. ad c. 74. n. 2. — *nota memorantes de origine eius* templi, quod in ditione Segestanorum semper mansisse Cicero tradit in Verrinis et cuius conditorem alii Aeneam faciunt, Anchisae et Veneris filium, alii Erycem, Butae et Veneris filium: multi enim Troiani ante et post urbis suae excidium venisse in Siciliam ibique consedisse perhibentur et oppida condidisse, Eryx Erycem, Acestes vel Egestes, Egestus, Aegestus Acestam sive Egestam, Aegestam, Segestam, (litera S. praeposita, ne obscoeno nomine nuncuparetur, si Festo fides habenda) Entellus Entellam, Helymus s. Elymus Elyma. v. Heyne Exc. I. II. III. ad Virg. Aen. V. — *laeta Tiberio — ut consanguineo*: nam hic ab Augusto adoptatus et ita in gentem Iuliam ascitus erat, quae originem trahebat ab Iulo s. Ascanio, Aeneae filio, Anchisae et Veneris nepote; (cf. ad 4, 9, 1.) templum vero Veneris Erycinae ab Aenea vel Eryce, Veneris filiis, exstructum. Minus apta h. l. ratio a Lipsio allata: quia Segestani aeque ac Romani a Troianis orti. Ad hanc potius originem communem referenda verba Cic. Verr. 4, 33. *Segestani cognatione se cum populo Romano coniunctos esse arbitrantur*, et similia Eumenii pan. c. 3. de Mamertinis in Sicilia et Iliensibus, de quibus et inf. 4, 55. *Ilienses parentem Romae Troiam referentes.* — *suscepit curam* restaurationis. Haec ab eo commissa C. Considio Noniano videtur ex numo apud Ursinum; *Ryck.*

4. *Tunc*, tum, deinde, *tractatae Massiliensium preces*, ut retinerent bona Vulcatii, qui scil. *bona sua rei publicae eorum ut patriae reliquerat*, quemadmodum *P. Rutilius Smyrnaeis*, de quo v. ad 3, 66, 1. *ut patriae*: „nam Massilia ab eo loco patriae habita, quia ibi factus civis. Cf. Virg. Aen. 11, 25. et Flor. 2, 6." *Freinsh.* *Rutilii* MS. et deinde *bonas varie publicae eorum ut patriae reliquerat.*

CAPUT XLIV.

Obiere eo anno viri nobiles Cn. Lentulus et L. Domitius. Lentulo super consulatum et triumphalia de Gaetulis gloriae fuerat bene tolerata paupertas, dein magnae opes innocenter paratae et modeste habitae. Domitium decoravit pater civili bello maris potens, donec Antonii partibus, mox Caesaris misceretur. Avus Pharsalica acie pro optimatibus ceciderat; ipse delectus, cui minor Antonia Octavia genita in matrimonium daretur. Post exercitu flumen Albim transcendit, longius penetrata Germania quam quisquam priorum; easque ob res insignia triumphi adeptus est. Obiit et L. Antonius multa claritudine generis, sed improspera: nam patre eius Iulo Antonio ob adulte-

rium Iuliae morte punito, hunc admodum adolescentulum, sororis nepotem, seposuit Augustus in civitatem Massiliensem, ubi specie studiorum nomen exsilii tegeretur. Habitus tamen supremis honor ossaque tumulo Octaviorum illata per decretum senatus.

1. *Cn. Lentulus* Cossus Gaetulicus. „Vir venerandae senectutis, qui de Gaetulis triumphavit et consul fuit a. U. 753. Cf. praeter hoc caput 1, 27. 2, 32. 3, 68. Non idem, opinor, *Cn. Lentulus* Augur 3, 59. homo non minus dives quam avarus, iners, sine ingenio et liberis. v. Sen. de ben. 2, 27. et Suet. Tib. 49. Filius vero Gaetulici et eiusdem nominis fuit consul a. 779. poeta et historicus, interfectus a Caligula, postquam X annos Germaniae praefuerat. v. 4, 29. 42. 46. 6, 30. Plin. ep. 5, 3. Vell. 2, 116. Dio 57, 24. 59, 22. Suet. Cal. 8. et in Claud. 9. Martial. prooem. l. 1. Anthol. Gr. 3. et 6. (Brunck. Anal. T. II. p. 166 sq.) Sidon. ep. 2, 10. et carm. 9, 260.“ *Lips.* — *triumphalia* insignia. v. ad 1, 72, 1. — *de Gaetulis* edd. Lips. a. 1607. Iac. Gron. et rec. *digetes* MS. *de Getis* id. MS. in marg. et edd. Ber. Rhen. 1. *de Getulis* Rhen. 2. 3. Ald. et cet. — *bene tolerata paupertas, dein magnae opes i. paratae et m. habitae,* cf. Ind. III. v. *Participia formae pass. pro Substant abstr.* — *paratae* edd. omnes, nisi quod vitiose *patae* in Rhen. 3. et *partae* in Lipss. — *modeste habitae,* possessae sine insolentia ex illis et profusione; *Ern.* — *Domitium decoravit pater — misceretur,* cf. Suet. Ner. 1. Appian. B. C. 5, 55. 61. Vell. 2, 72. *decoravit,* cf. ad 3, 62, 1. — *Avus Pharsalica acie* cet. v. Suet. Ner. 2. Lucan. 7, 599 sq Caes. B. C. 3, 99. — *pro optimatibus,* pro optimatum, Pompeianorum partibus pugnans, — *Ipse delectus, cui minor Antonia — daretur,* cf. Suet. Ner. 4. et 5. *delectus* edd. rec. ex emend. Pich. *deiectus* MS. *electus* edd. vet. et Brot. De qua vulgari confusione v. ad 2, 60, 1. et 4, 25, 3. *cui minor Antonia* cet. „Sic et 12, 64. sed *maior Ant.* ap. Plut. in Anton. c. 87. p. 955. et Sueton., qui in Ner. 5. maiorem Domitio et in Cal. 1. minorem Druso Germanici patri tribuit. Succurrere voluit Iac. Gron. legendo *cui minori,* h. e. quum adhuc aetate esset ea, qua nondum magistratum gessisset. Quod mihi durum videtur.“ *Ern.* Novum non est, ut dissensus aliquis scriptorum sit, (cf. ad 1, 6, 1.) nec Plut. id clare dicit; *Lips.* ad 12, 64. „Verba Plut. sunt: *ἀπολειπομένων τῶν Ἀντονίου καὶ Ὀκταβίας δυοῖν θυγατέρων τὴν μὲν Δομίτιος Αἰνόβαρβος ἔλαβε, τὴν δὲ σωφροσύνῃ καὶ κάλλει περιβόητον Ἀντωνίαν Δροῦσος ὁ Λιβίας υἱὸς, πρόγονος δὲ Καίσαρος.* Dio 48, 54. proavum Neronis cum avo confundit in verbis *καὶ ἐκεῖνος* (Antonius) *τῷ Δομιτίῳ, καίτοι τοῦ Καίσαρος σφαγεῖ τε γενομένῳ ... τὴν ἑαυτοῦ* (*θυγατέρα*) *τὴν ἐκ τῆς Ὀκταουΐας οἱ γεννηθεῖσαν ἐνηγγύησε.* Suetonio tamen in his rebus accuratissimo plus fidei habendum esse quam aliis putat Baumgarten-Crusius editor eius.“ *Walth.* — *Post exercitu flumen Albim transcendit — adeptus est,* cf. ad G. 1. n. 3. et Suet. Ner. 4. — *insignia triumphi,* v. ad 1, 72, 1.

2. *L. Antonius multa claritudine generis,* (cf. Ind. III. v. *Ablativi qualitatis*) *sed improspera: nam patre eius Iulo Antonio* cet. v. ad 1, 10, 2. Alius L. Antonius triumviri frater, de quo v. Suet. Aug. 9. 14. — *Iulo* edd. Lips. et rec. *Iulio* MS. et edd. vet. Cf. ad 1, 10, 2. — *sorori nepotem,* Octaviae, cuius filia erat Marcella, L. Antonii mater. v. ad 1, 10, 2. — *seposuit Augustus in civitatem Massiliensem,* v. ad 3, 12, 2. — *ubi specie studiorum nomen exsilii tegeretur,* cf. ad 1, 4, 6. et 2, 5, 1. Massilia (hod. Marseille) a Phocaeis condita et a Caesare obsessa, (v. Iustin. 43, 3. Mel. 2, 5. Suet. Caes. 34. Dio 41, 19. 25.) non tantum portu, (Lacydon) commerciis monumentisque, sed etiam humanitate morum et studiis literarum olim celeberrima fuit. v. Agr. 4. Strab. IV.

p. 125. al. 181. Cic. p. Flacco c. 26. Varro ap. Isidor. 15, 1. Ruffi hist. de la ville de Marseille Par. 1796. Mannerti Geogr. T. II. p. 74. Grosson recueil des monuments de Marseille. — *Habitus tamen supremis honor*, v. ad 1, 8, 1. — *ossaque tumulo Octaviorum illata*, v. ad 1, 8, 6. et 3, 4, 1.

CAPUT XLV.

Iisdem consulibus facinus atrox in citeriore Hispania admissum a quodam agresti nationis Termestinae. Is praetorem provinciae L. Pisonem pace incuriosum ex improviso in itinere adortus uno vulnere in mortem affecit, ac pernicitate equi profugus, postquam saltuosos locos attigerat, dimisso equo, per derupta et avia sequentis frustratus est; neque diu fefellit. Nam prehenso ductoque per proximos pagos equo, cuius foret cognitum; et repertus, quum tormentis edere conscios adigeretur, voce magna, sermone patrio, *frustra se interrogari*, clamitavit: *assisterent socii ac spectarent: nullam vim tantam doloris fore, ut veritatem eliceret*. Idemque quum postero ad quaesitionem retraheretur, eo nisu proripuit se custodibus saxoque caput afflixit, ut statim exanimaretur. Sed Piso Termestinorum dolo caesus habetur, qui pecunias e publico interceptas acrius, quam ut tolerarent barbari, cogebat.

1. *a quodam agresti* MS. edd. Oberl. et sqq. *agreste* edd. vet. — *nationis Termestinae*, cuius opp. *Τέρμες*, *Τερμάντια*, *Τερμισὸς* et rectius *Τερμησὸς*, nunc *Tiermes* dicitur, ut incolae eius *Termestini*, *Τερμαντεῖς*, *Τερμήσιοι*, non *Τερμίσιοι*. v. Hard. ad Plin. 3, 4. Schweigh. ad Appian. r. Hisp. c. 66. 67. 99. Wessel. ad Diodor. Exc. Leg. XXX. T. II. p. 629. *Termaestinae* MS. — *Is* omissum in ed. Ald. — *pace incuriosum*, quia pax erat; *Ern.* Cf. Ind. III. v. *Ablativi Substantivorum absoluti*. — *uno vulnere in mortem affecit*, v. ad 2, 62, 2. et H. 2, 49, 5.

2. *quum postero ad quaesitionem retraheretur*, v. ad 3, 38, 1. *postero* sc. die, ut 15, 57. *in posterum* c. 73. et al. *hesterno*, *cottidiano*, (Plaut. Capt. 3, 5, 67.) et *anno*, *horno*, *anniversario*, *voluntario*, *commodo*, fere adverbiorum in morem; *Lips.* — *quaesitionem* ἀρχαϊκῶς pro *quaestionem*, ut variis locis Plautus; *Ern.* Ast ap. Plautum ubivis *quaestioni* et *quaestione* legitur; *Oberl.* „Et quid tandem accidit Tacito, ut hic potissimum ἀρχαϊκῶς scriberet, alibi, ut 2, 30. 14, 60, vulgari scriptura uteretur? Pro lubitu eum sic egisse nemo mihi persuadebit.“ *Walth.* — *saxoque caput afflixit*, ut 14, 8. Cf. ad H. 1, 41, 2. *s. c. allisit* vet. cod. Ursini. — *Termestinorum:* in MS. *permestinorum*. — *qui pecunias e publico*, quae ad publicos reditus pertinebant, ab aliquibus *interceptas*, *acrius cogebat*, acerbius exigebat quam homines barbari et praeferoces pati possent; *Freinsh.* Intellige pecunias retentas, non solutas a debitoribus rei publicae; *Walth.* „Cf. ad 2, 54, 1. 13, 48. Plin. ep. 10, 28. 34. et pan. 70.“ *Gron.*

CAPUT XLVI.

Lentulo Gaetulico, C. Calvisio Coss. decreta triumphi ingnia Poppaeo Sabino, contusis Thracum gentibus, qui monam editis inculti atque eo ferocius agitabant. Causa motus per hominum ingenium, quod pati delectus et validissimum temque militiae nostrae dare aspernabantur, ne regibus qui-

dem parere nisi ex libidine soliti aut, si mitterent auxilia, suos ductores praeficere, nec nisi adversum accolas belligerare. Ac tum rumor incesserat, fore ut disiecti aliisque nationibus permixti diversas in terras traherentur. Sed ante quam arma inciperent, misere legatos amicitiam obsequiumque memoraturos, et mansura haec, si nullo novo onere tentarentur: sin ut victis servitium indiceretur, esse sibi ferrum et iuventutem et promptum libertati aut ad mortem animum. Simul castella rupibus indita collatosque illuc parentes et coniuges ostentabant bellumque impeditum, arduum, cruentum minitabantur.

1. Cn. *Lentulo Gaetulico*, v. ad c. 44. n. 1. *Gelulito* ed. Ber. *Getulico* edd. Rhen. et cet. ante Iac. Gron. Cf. ad c. 42. n. 2. — C. *Calvisio* Sabino, cuius pater eiusdem nominis consul fuit a. U. 750. — *contusis Thracum gentibus, qui* in *montium* (Haemi potissimum) *editis* locis *inculti agitabant*, v. ad 1, 68, 1. Hi sunt, quos Thucydides 2, 96. ὀρεινοὺς Θρᾶκας et αὐτονόμους appellat describitque; *Lips*. *incultu* MS. — *rumor incesserat*, v. ad 1, 5, 1. — *disiecti*, v. ad 1, 32, 2. — *diversas in terras traherentur*, v. ad 1, 17, 2. et 2, 60, 1.

2. *arma inciperent*, v. ad 1, 2, 1. — *amicitiam obsequiumque memoraturos*, in memoriam revocaturos. „Sic 2, 58 pr. Verbum signatum et proprium in hac re, de quo vide quae notavimus ad Plaut. Pseud. 5, 1, 36." *Gron*. — *tentarentur:* in edd. Ber. et Rhen. l. *temptarentur*. — *promptum libertati aut ad mortem animum*, non minus ad illam defendendam, quam ad hanc subeundam paratum. Cf. Ind. III. v. *Constructio verborum variata*. — *castella rupibus indita*, v. ad 3, 28, 3.

CAPUT XLVII.

At Sabinus, donec exercitus in unum conduceret, datis mitibus responsis, postquam Pomponius Labeo e Moesia cum legione, rex Rhoemetalces cum auxiliis popularium, qui fidem non mutaverant, venere, addita praesenti copia ad hostem pergit compositum iam per angustias saltuum. Quidam audentius apertis in collibus visebantur, quos dux Romanus acie suggressus haud aegre pepulit, sanguine barbarorum modico ob propinqua suffugia. Mox castris in loco communitis valida manu montem occupat angustum et aequali dorso continuum usque ad proximum castellum, quod magna vis armata aut incondita tuebatur: simul in ferocissimos, qui ante vallum more gentis cum carminibus et tripudiis persultabant, mittit delectos sagittariorum. Ii dum eminus grassabantur, crebra et inulta vulnera fecere; propius incedentes eruptione subita turbati sunt receptique subsidio Sugambrae cohortis, quam Romanus promptam ad pericula nec minus cantuum et armorum tumultu trucem haud procul instruxerat.

1. *donec exercitus in unum* locum *conduceret*, immo *conduceretur*; *Pich*. et *Kiessl*. — *postquam Pomponius — venere* dederunt Iac. Gron. Brot. Bekk. in ed. II. Kiessl. Walth. *quam — venire* MS. „Vitium e compendio scripturae *p̃quam* oriri potuit. *dum — veniret* edd. Ber. et cet. ante Gron. ut et ed. Bekk. 1. et Naudeti. Sed *donec — conduceret* et *dum — veniret* non possunt ita se excipere, et duo subiecta *Pomponius*

et *Rhoemetalces* poscebant *venirent*, non *veniret*. v. ad 3, 12." *Walth.* *quum* — *venere* edd. Bip. et Lün. *quum* — *venissent* coni. I. Fr. Gron. et *quum* — *veniret* Lempel. Sed *quum* — *cum* — *cum* aures offendit et in MS. est *quam*, non *quum*, neque *dum*. — *Pomponius Labeo*, v. 6, 29. — *Rhoemetalces*, v. Ind. I. — *addita praesenti copia* militum. v. ad 4, 4, 2. Licet nulla esset legio in Thracia, Sabinus tamen *copiam praesentem*, secum, habebat aliquot cohortium, quas *addidit legioni e Moesia* adductae et *auxiliis* Thracum; *Brot*. — *compositum*, per manipulos et ordines, vel suis locis dispositum, collocatum. v. ad 1, 1, 4. — *audentius* — *visebantur*, v. ad 1, 10, 3. et 11, 22, 1. — *sanguine barbarorum modico*, modice effuso. Cf. Ind. III. v. *Adiectiva in sexto casu absolute posita.*

2. *castris in loco communitis*, v. ad 1, 63, 4. et Agr. 33. n. 2. — *magna vis armata aut incondita*, imbellis et inermis, ut *ingens multitudo bellatorum*, *imbellium* cap. 49. Male *at* pro *aut* dedere Rhen. Ald. Micyll. nec meliores aliorum coniecturae *sed* et *haud*. v. ad 1, 16, 1. — *more gentis cum carminibus et tripudiis persultabant*, (saltabant) — *cantuum et armorum tumultu trucem* cohortem. v. ad H. 2, 22, 3. *praesultabant* edd. Lips. — *inulta* (impune) edd. vet. et rec. nisi quod *multa* Lips. *ultima* Gron. Ryck. aliae. — *propius incedentes*, v. ad 1, 35, 3. — *Sugambrae* edd. Lips. et rec. *Sugranbrae* MS. *Sycambrae* edd. vet. v. ad 2, 26, 3. et Agr. 31. n. 1.

CAPUT XLVIII.

Translata dehinc castra hostem propter, relictis apud priora munimenta Thracibus, quos nobis affuisse memoravi: iisque permissum vastare, urere, trahere praedas, dum populatio lucem intra sisteretur noctemque in castris tutam et vigilem capesserent. Id primo servatum: mox versi in luxum et raptis opulenti omittere stationes, lascivia epularum aut somno et vino procumbere. Igitur hostes, incuria eorum comperta, duo agmina parant, quorum altero populatores invaderentur, alii castra Romana appugnarent, non spe capiendi, sed ut clamore, telis, suo quisque periculo intentus sonorem alterius proelii non acciperet. Tenebrae insuper delectae augendam ad formidinem. Sed qui vallum legionum tentabant, facile pelluntur: Thracum auxilia repentino incursu territa, quum pars munitionibus adiacerent, plures extra palarentur, tanto infensius caesi, quanto perfugae et proditores ferre arma ad suum patriaeque servitium incusabantur.

1. *Translata dehinc castra hostem propter*, prope, propius ad hostem v. ad 1, 50, 3. et Ind. III. v. *Praepositiones nominibus postpositae*. Sic et mox *lucem intra*. — *memoravi* cap. 47. — *dum*, dummodo, *populatio lucem intra*, interdiu, *sisteretur*, v. ad 3, 52, 3. — *noctem in c. tutam ac vigilem cap.*, v. ad 12, 49, 1. *capescerent* ed. Ald. Cf. ad 11, 34. 12, 11. al. — *raptis opulenti* MS. edd. Pich. Lips. a. 1607. 1627. 1648. et rec. *rapti opulentia* edd. vet. quod fortasse verum est. v. ad 14, 5, 4. *capti opulentia* edd. Lips. priores.

2. *quorum altero populatores invaderentur*, *alii*, ceteri, (v. ad 1, 30, 3.) *castra Rom. appugnarent*, alterum castra R. appugnaret, *non spe capiendi* ea, *sed ut clamore, telis*, propter clamorem et telorum, armorum, strepitum, *suo quisque — non acciperet* auribus, audiret Cf. ad 1, 67, 1. *appugnarent*, v. ad 2, 81, 1. — *repentino incursu* et *palarentur* MS. edd. Pich. et rec. *repentino concursu* et *pabularentur* edd. vet. — *tanto in-*

fensius caesi, quanto — incusabantur, v. ad 3, 5, 2. *caesi*, propr. *caesa*. v. Ind. III. v. *Synesis* et Küster ad Aristoph. Plut. v. 292.

CAPUT XLIX.

Postera die Sabinus exercitum aequo loco ostendit, si barbari successu noctis alacres proelium auderent. Et postquam castello aut coniunctis tumulis non degrediebantur, obsidium coepit per praesidia, quae opportune iam muniebat: dein fossam loricamque contexens quatuor millia passuum ambitu amplexus est: tum paulatim, ut aquam pabulumque eriperet, contrahere claustra arctaque circumdare. Et struebatur agger, unde saxa, hastae, ignes propinquum iam in hostem iacerentur. Sed nihil aeque quam sitis fatigabat, quum ingens multitudo bellatorum, imbellium uno reliquo fonte uterentur. Simul equae, armenta, ut mos barbaris, iuxta clausa egestate pabuli exanimari: adiacere corpora hominum, quos vulnera, quos sitis peremerat: pollui cuncta sanie, odore, contactu. Rebusque turbatis malum extremum discordia accessit, his deditionem, aliis mortem et mutuos inter se ictus parantibus. Et erant qui non inultum exitium, sed eruptionem suaderent, neque ignobiles, quamvis diversi sententiis.

1. *si barbari — proelium auderent:* „Ita Gr. εἰ cum Optativo et Germ. ob, ob wohl. Cf. Herman. ad Viger. notis 190. 303. 312. Matthiae Gram. Gr. §. 526. Optantis est, ut 1, 48. 12, 28. 15, 13. H. 1, 31. 3, 30. 52. Caes. B. G. 2, 9. Cf. inf. ad 11, 23.“ *Walth.* — *successu noctis*, rei per occasionem noctis gestae, *alacres*; *Ern.* Cf. ad Agr. 33. n. 1. — *castello aut coniunctis tumulis*, v. ad 1, 16, 1. De *castello* v. cap. 47. — *degrediebantur* MS. edd. Pich. et rec. *digrediabatur* ed. Ber. *digrediebantur* edd. Rhen. et cet. ante Pich. Cf. ad 4, 74, 2. — *obsidium* castelli *coepit per praesidia*, v. ad 2, 67, 1. — *quae opportune iam muniebat*, quia barbari castello non degrediebantur et proelium audebant. *immuniebat* (in tumulis istis muniebat) coni. Freinsh. et Heins. pro *iam muniebat*, et *communiebat* Ern. „Sed *iam* est Germ. jetzt, vor der Hand, zunächst et opponitur particulae *dein*. Sententia: quae non statim iusta et completa munitione circumdabat, sed primum talibus locis imponebat, quae sua natura subitam munitionem admittebant et munitioni opportuna erant: *dein fossam* cet.“ *Walth.* — *fossam loricamque contexens*, struens, ut *texere* ap. Cic. ad Att. 4, 15. et Suet.; *Ern.* Proprie ad *loricam* referendum. v. ad 2, 20, 2. *Loricam* dici putant quodvis munimentum pectus tegens (ut *lorica*) et vel ex viminibus, pluteis, cratibus, vel ex lapide vel ex terra contextum, aut vallum, quod memoratur c. 51 pr. Locus class. est Veget. 4, 28. *Obsidentes ultra iactum teli fossam faciunt eamque non solum vallo et sudibus, sed etiam turriculis instruunt, ut erumpentibus ex civitate possint obsistere; quod opus loriculam vocant, et saepe, quum obsidio describitur, invenitur in historiis, loricula urbem esse circumdatam.* Cf. H. 4, 37. intpp. Caes. B. G. 5, 39. 7, 72. 8, 9. Curt. 9, 4, 30. Lips. Poliorc. 2, 2., Schel. ad Hygin. p. 126. — *contrahere claustra arctaque circumdare*, arctiora reddere munimenta, quibus ex propinquo magis clausi, cincti hostes; *Ern.* *arctaque* edd. Ber. Rhen. Ald. *artaque* edd. Lips. et rec. tantum non omnes.

2. *Simul equae et armenta iuxta clausa*, una cum iis. „*Simul eque*

MS. ex quo emendo *equae*. Solebant enim illarum regionum nationes multitudinem alere equarum ad genus faciendum. v. Iustin. 9, 2 fin. Quas cum *armentis clausas* non miraberis." *Walth.* *Simul aeque* edd. Ber. Rhen. Ald. al. *Simul equi* edd. Pich. Lips. sqq. *simulque* ed. Bekk. II. ex emend. Lips. *uterentur simul*. *Aeque armenta* coni. Iac. Gron. — *peremerat*, non *peremerant*. v. ad 12, 45, 1. — *rebusque turbatis malum extremum discordia accessit* gnome ad vitam et usum notanda, quam et Polyb. 5, 93. affirmat; *Lips.* Cf. ad Agr. 29. n. 4. „Coniungunt intpp. *discordia, malum extremum, turbatis rebus accessit*. Immo cohaerent haec sic: *accessit discordia, malum extremum turbatis rebus*." *Walth.*

CAPUT L.

Verum e ducibus Dinis provectus senecta et longo usu vim atque clementiam Romanam edoctus ponenda arma unum afflictis id remedium disserebat, primusque se cum coniuge et liberis victori permisit. Secuti aetate aut sexu imbecilli et quibus maior vitae quam gloriae cupido. At iuventus Tarsam inter et Turesim distrahebatur. Utrique destinatum, cum libertate occidere; sed Tarsa, properum finem, abrumpendas pariter spes ac metus clamitans, dedit exemplum demisso in pectus ferro: nec defuere, qui eodem modo oppeterent. Turesis sua cum manu noctem opperitur, haud nescio duce nostro. Igitur firmatae stationes densioribus globis. Et ingruebat nox nimbo atrox, hostisque clamore turbido, modo per vastum silentium incertos obsessores effecerat, quum Sabinus circumire, hortari, ne ad ambigua sonitus aut simulationem quietis casum insidiantibus aperirent, sed sua quisque munia servarent immoti telisque non in falsum iactis.

1. *Utrique destinatum* simul *cum libertate occidere*, ut 2, 15 extr. *tenere libertatem aut mori ante servitium*. — *properum finem*: immo *properandum*, et illud ex comp. script. ortum; *Rickl.* — *oppeterent*, v. ad 2, 24, 1.

2. *hostisque* modo *clamore turbido, modo per vastum silentium*, ut H. 3, 13. et Agr. 38. altum, ingens, late patens, nulla voce, nullo sono interruptum, vel quale in loco *vasto*, deserto, esse solet. v. ad 3, 4, 1. Alterum *modo* omissum, ut 6, 32, 1. 13, 44, 1. Liv. 26, 15. et similia divisionis verba in membro priori. v. c. alterum *rursus* H. 3, 22. *cum* vel *tum* fortasse 15, 62, 1. *simul* Sall. Iug. 4, 2. *partim* Cic. Verr. 2, 65. et alia, quae laudavit Ramshorn. Gram. p. 532. et 689. Cf. Ind. III. v. *Ellipses* n. 8. et Ruhnken. ad Vell. 2, 110. — *quum Sabinus circumire* cet. v. ad 2, 40, 1. — *casum insidiantibus aperire*, committere, ut insidiatores aliquid audeant, efficiant; *Ern.* Cf. ad 1, 13, 2. — *sua quisque munia servarent immoti*, cf. ad 4, 39, 2. — *immoti telisque non in falsum iactis*, ut *in cassum* ap. Liv. 10, 29. et *vana tela, ictus*. Cf. Ind. II. v. *In*. Ablativi absoluti aeque pendent e verbo *servarent* ac voc. *immoti*; *Walth.* Cf. ad 5, 10, 1.

CAPUT LI.

Interea barbari catervis decurrentes nunc in vallum manualia saxa, praeustas sudes, decisa robora iacere; nunc virgultis et cratibus et corporibus exanimis complere fossas: quidam

pontes et scalas ante fabricati inferre propugnaculis eaque prehensare, detrahere et adversus resistentis cominus niti; miles contra deturbare telis, pellere umbonibus, muralia pila, congestas lapidum moles provolvere. His partae victoriae spes et, si cedant, insignitius flagitium, illis extrema iam salus et assistentes plerisque matres et coniuges earumque lamenta addunt animos. Nox aliis in audaciam, aliis ad formidinem opportuna, incerti ictus, vulnera improvisa, suorum atque hostium ignoratio et montis anfractu repercussae velut a tergo voces adeo cuncta miscuerant, ut quaedam munimenta Romani quasi perrupta omiserint. Neque tamen pervasere hostes nisi admodum pauci; ceteros, deleto promptissimo quoque aut saucio, appetente iam luce, trusere in summa castelli, ubi tandem coacta deditio et proxima sponte incolarum recepta. Reliquis, quo minus vi aut obsidio subigerentur, praematura montis Haemi et saeva hiems subvenit.

1. *catervis decurrentes* tumulis castello coniunctis, de quibus v. cap. 49 pr. „*catervis* h. e. catervatim, ut *nituntur cuneis* H. 3, 29. Cf. Matthiae Gram. Gr. §. 404. et Ramsh. Gr. §. 139. ab init." *Walth.* — *manualia saxa,* quae Veget. 4, 8. dicuntur saxa minima, manibus iacienda, *χερμάδια* Hom. Jl. 16, 774. et Odyss. 10, 121. — *robora decisa* in tumulis, de quibus v. cap. 49 pr. — *cratibus complere fossas,* cf. ad 1, 68, 1. — *inferre eas propugnaculis,* „non turribus, sed vallo: nam turribus munita quidem castra Romana, sed non nisi stata et diuturniora. v. Lips. de mil. Rom. 5, 5. Intellige *loricam textam* c. 49." *Freinsh.* et *Ern.* Immo turriculas, de quibus vide verba Vegetii in nota 1. ad c. 49. adscripta. — *eaque prehensare* enitendi causa, ut *summa valli prensant* 1, 68. *prehensare* edd. vet. *prensare* edd. Pich. et rec. — *pellere umbonibus,* cf. ad H. 2, 42. — *muralia pila,* maiora iis, quae in acie iacerentur, facilius deiicienda et maiori cum vi. *Ern.* Cf. Caes. B. G. 5, 40. 7, 82. — *extrema iam salus,* reputatio, hanc esse unam et ultimam salutis viam; *Ern.* — *assistentes plerisque matres — animos,* cf. ad G. 7. n. 7.

2. *Nox aliis in audaciam opportuna,* ut impetum facerent in hostem incautum, *aliis ad formidinem,* ut fugerent aut latebras quaererent. — *munimenta Romani omiserint,* v. ad 3, 47, 1. — *pervasere* Romanos eorumque munimenta et evasere. — *appetente iam luce,* instante, ingruente, ut H. 2, 19 pr. Agr. 10. Liv. 5, 44. 8, 38. et al. — *trusere* Romani *in summa,* supremam partem, *castelli,* de quo v. cap. 47. et 49 pr. nam plura *castella rupibus indita* cap. 46. *in summa* MS. edd. Ern. et rec. *ad summa* edd. priores. — *sponte incolarum,* ut 13, 39. Cf. ad 2, 59, 2. *incolarum* edd. Pich. et rec. *incorum* MS. Cf. ad 2, 63, 2. *inimicorum* edd. vet. *vicorum* corr. Iac. Gron. et *istorum* Bip. — *Reliquis, quo minus,* ne. — „*Montis hiems* singularis dictio et forsan leg. *praeter naturam montis Haemi.* Sic *natura montis* ap. Liv. 28, 20. 26. et Caes. B. G. 1, 21." *Wopk.* Sed vulgatum haud mutandum.

CAPUT LII.

At Romae commota Principis domo, ut series futuri in Agrippinam exitii inciperet, Claudia Pulchra sobrina eius postulatur accusante Domitio Afro. Is recens praetura, modicus dignationis et quoquo facinore properus clarescere, crimen impudicitiae, adulterum Furnium, veneficia in Principem et

devotiones obiectabat. Agrippina semper atrox, tum et periculo propinquae accensa, pergit ad Tiberium ac forte sacrificantem patri reperit. Quo initio invidiae, *Non eiusdem*, ait, *mactare divo Augusto victimas et posteros eius insectari. Non in effigies mutas divinum spiritum transfusum, sed imaginem veram coelesti sanguine ortam. Intelligere discrimen, suscipere sordes. Frustra Pulchram praescribi, cui sola exitii causa sit, quod Agrippinam stulte prorsus ad cultum delegerit oblita Sosiae ob eadem afflictae.* Audita haec raram occulti pectoris vocem elicuere, correptamque Graeco versu admonuit, *non ideo laedi, quia non regnaret.* Pulchra et Furnius damnantur. Afer primoribus oratorum additus divulgato ingenio et secuta asseveratione Caesaris, qua suo iure disertum eum appellavit. Mox capessendis accusationibus aut reos tutando prosperiore eloquentiae quam morum fama fuit, nisi quod aetas extrema multum etiam eloquentiae dempsit, dum fessa mente retinet silentii impatientiam.

1. *commota Principis domo*, turbata, labefactata, moerore afflicta propter Drusi mortem; *Ern.* et alii. „Immo *commota* per iram et discordiam factionum. Recte sic Hackius unus. Cf. c. 12. et 40." *Walth.* — *Claudia Pulchra postulatur acc. Domitio Afro*, cf. Dio 59, 19. qui historiam hanc recensuit inter acta Caii; *Lips.* Hic Domitius summis honoribus multaque eloquentia vigebat, sed magnum quoque odium sibi contraxerat accusationibus. v. huius cap. fin. et 4, 66. 14, 19. Dio l. l. Quintil. Inst. Or. 5, 7, 7. (ubi cf. Spald.) 5, 7, 10. 6, 3. 8, 5. 9, 2—4. 10, 1. 11, 3. 12, 10. 11. Plin. ep. 2, 14. 8, 18. — *Sobrina eius* Agrippinae. „Quomodo hoc, nondum reperi: hoc tantum, filium eius Quintilium Varum desponsum filiae Germanici. Hunc censeo filium esse infelicis patris, qui in Germania caesus, eumque c. 66. *Caesaris propinquum* dici, quia Germanici filiam duxisset uxorem. Seneca contr. 1, 1, 3. *declamaverat apud illum hanc controversiam Varus Quintilius, tunc Germanici gener et praetextatus.* Itaque absocer illi Tiberius fuit. An etiam *propinquus* alia de causa? Puto, quia *Claudia Pulchra*, Vari mater, *Sobrina Agrippinae* h. l. dicitur: nec tamen ultra reperi." *Lips.* — *recens praetura*, v. ad 1, 41, 3. — *modicus dignationis*, modicae, parvae dign. *Dignatio* semper indicat conditionem, per quam dignatione quis fruitur, *dignitas* qualitatem alicuius; *Walth.* ad 1, 34. Cf. 13, 20. 42. H. 3, 80. et ad G. 26. n. 4. — *devotiones*, v. ad 2, 69, 2.

2. *Agrippina semper atrox*, cf. 1, 33. et 2, 72. „*Atrox* ab *atro*, ut *ferox* a *fero*, dicitur tristis, terribilis, minax, trux, contumax, et *atrocia* proprie speciei et formae adhaerent, ut *saeva* animo et viribus, unde *atrocissima effigies saevissimi domini* ap. Plin. pan. 53. Ita Doederl. Synon. I. p. 38 sq." *Boett.* in Lex. Tac. Cf. Ind. I. et intpp. Hor. od. 2, 1, 24. — *Quo initio invidiae*, sumpta ea occasione invidiae Tiberio faciendae, ut c. 53. 6, 29. 15, 19.; *Ern.* — *non eiusdem* sc. esse, eundem decere. — *Non in effigies mutas divinum spiritum transfusum, sed* (sc. *in*) *imaginem* Augusti *veram*, *coelesti* eius *sanguine ortam*, in se (Agrippinam) suosque liberos, genuinos Augusti posteros. *Intelligere* cet. Ita haec melius distincta a Walthero, quam vulgo: *Non in effigies — transfusum; sed imaginem veram*, (hanc meam, me) *coelesti sanguine* (Caesaris et Augusti) ortam, (cf. ad 6, 42, 2.) *intelligere* cet. *Se imaginem veram* coni. Mur. et *ortos* Gron. „Ad *intelligere* intell. *se*, quod saepius omittitur, ut 1, 7. 8. 35. 4, 59. 14, 48. 15, 17." *Walth.* Cf. ad

5, 5, 1. et Ind. III. v. *Ellipsis* n. 14. — *discrimen* et Claudiae Pulchrae sobrinae et suum. — *suscipere se sordes*, v. ad 2, 29, 1. et 5, 5, 1. — *frustra Pulchram praescribi*, praetexi, obtendi, (ut 11, 16.) h. e. occultari consilium sui perdendi Pulchra in discrimen vocanda, tanquam haec peteretur, non per latus eius ipsa; *Freinsh.* et *Ern.* „*Praescribi* dicuntur, quae scribuntur in fronte alicuius rei, ut librorum tituli, a quibus haud raro multum discrepant, quae intus latent. Hinc *frustra Arminium praescribi* 11, 16. *praescriptum Vespasiani nomen* H. 3, 13. *ut honesta praescriptione rem turpissimam tegeret* Caes. B. G. 3, 32.“ *Walth.* — *Sosiae*, v. cap. 19. — *correptamque Graeco versu admonuit, non ideo se laedi, quia non regnaret*, cf. Suet. Tib. c. 53. qui cum interrogatione idem expressit, quod Tacitus sine ea; *Ern.* Hic recte inseruit *non*, quia in MS. est ñ; quod omissum in ed. vet. et Brot. *num* malebant Pich. et Croll. Sed huic non aptum *admonuit*. „Ceterum Tiberius aspexit vocem Iasonis in tragoedia quapiam emissam. Ἰάσων ἔφη πεινῆν, ὅτε μὴ τυραννοῖ, ὡς οὐκ ἐπιστάμενος ἰδιώτης εἶναι Aristot. Polit. 3, 4.“ *Lips.* — *suo iure disertum eum appellavit*, appellandum dixit, censuit, ut c. 26 extr. *appellaret*, i. e. a senatu appellatum diceret, nuntiaret, et Cic. p. Arch. 11. *praedicationem nobilitatemque despiciunt*, i. e. despiciendam dicunt, docent; *Ern.* Cf. Ramshorn. Gram. p. 387. „*Suo iure disertus* est is, cui id epitheton denegari nequit: nam *suo iure* et *concesso iure* sibi opponuntur, et hoc denegari potest, neque vero illud. Cic. p. Arch. c. 8. *suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poetas.*“ *Walth.* — *prosperiore eloquentiae quam morum fama fuit*, cf. Quintil. 12, 11, 3. *fama* MS. edd. vet. ante Gron. et rec. tantum non omnes: nam *forma* male edd. Gron. Ern. Ob. Naud. — *retinet silentii impatientiam:* „Omnes literarum et artium alumnos spectat dictum Hor. epist. 1, 1, 8. 9. De Domitio Afro *irridentes dicebant, malle eum deficere quam desinere* Quintil. 12, 11.“ *Brot.*

CAPUT LIII.

At Agrippina pervicax irae et morbo corporis implicata, quum viseret eam Caesar, profusis diu ac per silentium lacrimis, mox invidiam et preces orditur: *subveniret solitudini, daret maritum. Habilem adhuc iuventam sibi, neque aliud probis quam ex matrimonio solatium. Esse in civitate . . . . . . Germanici coniugem ac liberos eius recipere dignarentur.* Sed Caesar non ignarus, quantum ex re publica peteretur, ne tamen offensionis aut metus manifestus foret, sine responso quanquam instantem reliquit. Id ego a scriptoribus annalium non traditum reperi in commentariis Agrippinae filiae, quae Neronis Principis mater vitam suam et casus suorum posteris memoravit.

1. *pervicax irae*, ut *p. recti* H. 4, 5. Cf. ad 1, 19, 1. — *invidiam et preces orditur*, h. e. preces cum invidia mixtas: queritur enim, dum precatur; *Walth.* „Easdem voces iungit 3, 67. absque figura hend. Sed h. l. ἓν διὰ δυοῖν esse ea ipsa, quae dicens Agrippina inducitur, demonstrant. Erant enim preces, sed importunae atque unde liqueret, despectam desertamque sibi videri mulierem.“ *Roth.* de synon. ap. Tac. p. 26. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin.* — *habilem adhuc iuventam sibi* sc. marito ducendo; *Ern.* Cf. ad 2, 6, 1. — *esse in civitate . . . . . Germanici coniugem ac l. e. r. dignarentur:* ita MS. ut et edd. tam vet. quam rec. nisi quod *dignaretur* est in vett. Magna est lacuna, in qua explenda viri docti frustra laborarunt, vel una vocula *qui* vel pluribus insertis v. c. *residuos qui;*

tanta qui; nobiles multos qui; qui Augusti neptim; qui Agrippinam — dignarentur; pateretur: — dignaretur; quem — dignaretur. Petavius et Moebius in Seebod. bibl. crit. a. 1820. p. 470. lacunam incuriae librariorum, qui falso aliquid excidisse crediderint, tribuendam et verba sic distinguenda putant: *solatium esse in civitate: Germanici — dignaretur.* Ita et Rutgers. lect. Venus. c. ult. et Fr. Malherbius in Gevart. Elect. 3, 3. Sed ille malebat *solatium esse in orvitate* h. e. *orbitate*, hic *sol. esse in ea aetate.*

2. *quantum ex re publica peteretur:* „cui illo coniugio cum Augusti nepte velut alterum caput dabatur. Ideo de *metu* sequitur, quem silentio dissimulavit." *Lips.* — *offensionis aut metus manifestus*, cf. ad 2, 85, 1. — *in commentariis Agrippinae filiae:* „Quae mulier perita et industria praeter sexum. Citat eam Plin. 7, 8. s. 6. et in Ind. libri VII. vocatque *Agrippinam Claudii* sc. uxorem. Augusti laudes ap. Suet. Oct. 86. non pertinent ad hanc, sed ad matrem eius, quae Augusto neptis: ista proneptis. Nec dubium, quin haec quidem vivo Augusto plane adhuc puera." *Lips.* Cf. ad H. 4, 40, 9.

CAPUT LIV.

Ceterum Seianus maerentem et improvidam altius perculit, immissis, qui per speciem amicitiae monerent, paratum ei venenum, vitandas soceri epulas. Atque illa simulationum nescia, quum propter discumberet, non vultu aut sermone flecti, nullos attingere cibos, donec advertit Tiberius, forte an quia audiverat. Idque quo acrius experiretur, poma, ut erant apposita, laudans nurui sua manu tradidit. Aucta ex eo suspicio Agrippinae et intacta ore servis tramisit. Nec tamen Tiberii vox coram secuta, sed obversus ad matrem, *non mirum*, ait, *si quid severius in eam statuisset, a qua veneficii insimularetur.* Inde rumor parari exitium, neque id Imperatorem palam audere; secretum ad perpetrandum quaeri.

1. *improvidam altius perculit*, v. ad 1, 12, 3. et 2, 82, 2. — *immissis*, v. ad 6, 45, 2. — *soceri*, Tiberii. — *simulationum nescia*, ignara rem simulari tantum; *Ern.* Sed v. ad 3, 1, 1. et 12, 49, 1. — *quum propter*, iuxta Tiberium, *discumberet* ad mensam, in convivio. — *non vultu aut sermone flecti*, „h. e. nemo aut vultu aut sermone illam flectere potuit scil. ab ea ira et indignatione, quam prae se ferebat simulationum nescia. Namque fuerunt haud dubie, qui nollent Tiberium offendi et propterea et vultu et sermone operam darent, ut flecterent ferocem Agrippinae animum. Germanice: gegen jeden Blick, jede Rede unbeugsam." *Walth.* — *advertit*, v. ad 2, 32, 3. — *nurui sua manu tradidit* edd. Rhen. 2. 3. et dein omnes. *nurui suae m. t.* MS. edd. Ber. et Rhen. I.

2. *Aucta ex eo suspicio Agrippinae* cet. cf. Suet. Tib. 53. qui eadem, sed minus accurate tradit; *Brot.* — *servis tramisit*, qui ad fulcra lecti stabant, ut ministrarent, unde οἱ ἑστῶτες sive παρεστῶτες. — *vox coram secuta*, statim, *Brot.* Opp. iis, quae dixit *obversus* ad aliam, matrem; *Ern.* — *statuisset* Optativus Aoristi; *Walth.* Cf. Ind. III. v. *Verborum Modi.* — *secretum*, artem et viam arcanam; *Ern.* Immo secretum locum, ubi *perpetraretur* scelus, *exitium pararetur* Agrippinae.

CAPUT LV.

Sed Caesar, quo famam averteret, adesse frequens senatui legatosque Asiae ambigentes, quanam in civitate templum sta-

tueretur, pluris per dies audivit. Undecim urbes certabant pari ambitione, viribus diversae; neque multum distantia inter se memorabant de vetustate generis, studio in populum Romanum per bella Persi et Aristonici aliorumque regum. Verum Hypaepeni Trallianique Laodicenis ac Magnetibus simul tramissi ut parum validi. Ne Ilienses quidem, quum parentem urbis Romae Troiam referrent, nisi antiquitatis gloria pollebant. Paulum addubitatum, quod Halicarnassii mille et ducentos per annos nullo motu terrae nutavisse sedes suas vivoque in saxo fundamenta templi asseveraverant. Pergamenos (eo ipso nitebantur) aede Augusto ibi sita satis adeptos creditum. Ephesii Milesiique, hi Apollinis, illi Dianae caerimonia occupavisse civitates visi. Ita Sardianos inter Smyrnaeosque deliberatum. Sardiani decretum Etruriae recitavere ut consanguinei: nam Tyrrhenum Lydumque Atye rege genitos ob multitudinem divisisse gentem; Lydum patriis in terris resedisse, Tyrrheno datum, novas ut conderet sedes: et ducum e nominibus indita vocabula, illis per Asiam, his in Italia: auctamque adhuc Lydorum opulentiam missis in Graeciam populis, cui mox a Pelope nomen. Simul literas imperatorum et icta nobiscum foedera bello Macedonum ubertatemque fluminum suorum, temperiem coeli ac dites circum terras memorabant.

1. *quo* (ut) *famam averteret* „ab hac re ad alias et populi sermones alibi occuparet. Eo enim fine ipse in senatu creber et res illustriores actae, ne vacare ipse privatis videretur neve populo de iis loqui esset.“ *Lips.* „Cf. Suet. Cal. 48. fin. et Plin. pan. 28 pr. Nota fabula de cane Alcibiadis.“ *Gron.* — *adesse frequens senatui,* frequenter, ut ap. Liv. 3, 24. 39, 53. Cic. p. Rosc. Am. 6. Cf. ad Agr. 20. n. 2. et cap. 37. n. 5. — *quanam in civitate templum statueretur,* cf. cap. 15. et 37. — *distantia inter se* MS. edd. Iac. Gron. et rec. *inter se dist.* edd. vet. — *per bella Persi* (Persei) *et Aristonici.* Illud notum ex Liv. 40, 5—45. hoc ex Liv. epit. LIX. Vell. 2, 4. Iustin. 36, 4. Flor. 2, 20. *Persi,* ut ap. Liv. 42, 25. 49. 52. 43, 7. 8. 45, 19. Etenim et *Perses* et *Persa* dicitur, non tantum *Perseus,* a quo et patrio casu *Persi,* ut *Achilli, Ulyssi, Euripidi, Sophocli, Theodecti, Mithridati, Themistocli, Aristoteli, Theophani, Ariobarzani; Gron.* ad Liv. 42, 25. Cf. Drak. ad eum locum, Cort. ad Sall. fragm. p. 934. Heyne et Wagner ad Virg. Aen. 1, 30. 220. 2, 7. — *Hypaepa, Tralles, Laodicea* et *Magnesia* Lydiae oppida. *peni tralitanique* MS. — *Laodicenis ac Magnetibus simul,* v. ad 3, 64, 2. *ac* MS. edd. vet. et rec. *et* edd. Lips. et cet. ante Ern. — *tramissi,* nulla eorum ratio habita; ut *tramittere* pro praetermittere (silentio), praeterire, non curare, 1, 13. 4, 21. 15, 31. 16, 12. H. 4, 9. — *parum validi,* ut *colonia virium et opum* vel *copiis valida* H. 2, 19. 3, 8. Supra *urbes viribus diversae* et paulo post *pollebant.* — *Ilienses, quum parentem urbis Romae Troiam referrent,* cf. ad 3, 63, 2. et 4, 43, 3. Res ipsa vel tironibus nota ex Livio 1, 1—8. et Virg. Aen. III. ubi v. Heynii Exc. I. et II. coll. Exc. III. et IV. ad Aen. VII.

2. *Paulum addubitatum* a senatu, in quanam urbe templum statueretur. — *Halicarnassii* edd. Rhen. 2. 3. et dein omnes. *Alicarnasii* MS. *Alicarnassi* ed. Ber. *Alicarnassii* Rhen. 1. Cf. intpp. ad Herodoti titulum et Schaeferi Melet. crit. p. 1. — *nullo motu terrae nutavisse sedes suas,* ut contra saepius urbes in his regionibus. Cf. ad 2, 47, 1. *nutavisse* MS. et

edd. vet. ante Oberl. in qua vitio operarum *mutavisse*, quod tamen retinuere Bekk. I. Lün. Kiessl. al. — *vivo in saxo* nativo, quale nascitur et effoditur, ut ap. Virg. Aen. 1, 167. et Ovid. Fast. 5, 661. Sic et *vivus pumex* et *vivum sulphur* ap. Ovid. Fast. 2, 315. 4, 739. *nativo specu* inf. c. 59. Cf. Plin. 35, 15. — *fundamenta templi* sc. iactum iri, poni posse. — *aede Augusto ibi sita*, v. ad c. 37. n. 2. Ita edd. Lips. et rec. *aedem A. ibi sitam* MS. et edd. vet. quod non spernendum putat Walth. servata distinct. rec. non veteri: *Pergamenos* (*eo ipso — sitam*) *satis ad. creditum*: tum enim accusat. *aedem* pendere e verbo *adeptos* ut appositionem. Sed praeferenda Lipsii emendatio. „Verba *eo ipso nitebantur* ab aliis referuntur ad praecedentia, ut ita Pergameni *eo ipso* nisi dicantur, quo Halicarnassii, (sed tum scribendum fuisset *iis ipsis* vel *iisdem*) ab aliis rectius ad sequentia, ut Pergamenos cogites *eo ipso* nisos, quod apud se *aedes Augusto sita* et dicata. Senatui contra visum eo ipso *satis adeptos* honoris.“ *Walth.*

3. *Ephesii Milesiique, hi Apollinis*, (v. ad 2, 54, 1.) *illi Dianae caerimonia*, cultu, (v. ad 1, 62, 2. et 3, 61 pr.) satis *occupavisse civitates* suas *visi* senatui. — *Ita Sardianos inter* (v. ad 2, 47, 2. et Ind. III. v. *Praepositiones nominibus postpositae*) *Smyrnaeosque* (v. ad 3, 63, 2.) *deliberatum* sc. a senatu, utris concederetur, quod petebant; *Ern.* — *nam Tyrrhenum Lydumque Atye rege*, Herculis et Omphales filio, *genitos* cet. „Ita fere Strabo V. p. 219. (al. 335. 336. 339.) et Tertull. de spect. 5. Paulo diversus tamen ab istis Dionys. Hal. 1, 25. 27. 28. et Vell. 1, 1.“ *Lips.* „v. Scalig. Canon. Isag. II. p. 159. III. p. 327. qui primos reges Lydorum Atyadas facit; a quo discedit Rupertus ad Besold. p. 104. et 112.“ *Ern.* Cf. intpp. Herodoti 1, 94. et in primis Heyne in Exc. III. ad Virg. Aen. 8, 478 sq. et in Comm. soc. Goett. II, 2. p. 36 sq. — *divisisse*: in MS. *divise*. v. ad 2, 63, 2. — *in Italia* edd. Lips. et rec. *in Italiam* edd. vet. — *cui* (Graeciae propriae) *mox a Pelope nomen*, ἡ Πέλοπος νῆσος. *Pelopem* vulgo Phrygem et Tantali filium, sed Pausan. 5, 1, 5. et alii Lydum faciunt; *Lips.* Cf. Diodor. 4, 75. Schol. ad Pind. Olymp. 1, 37. Muncker. ad Hygin. fab. 83. 84. — *icta* edd. Rhen. 2. 3. et dein omnes. *dicta* MS. edd. Ber. et Rhen. 1.

CAPUT LVI.

At Smyrnaei repetita vetustate, seu Tantalus Iove ortus illos sive Theseus divina et ipse stirpe sive una Amazonum condidisset, transcendere ad ea, quis maxime fidebant in populum Romanum officiis, missa navali copia non modo externa ad bella, sed quae in Italia tolerabantur; seque primos templum urbis Romae statuisse M. Porcio consule, magnis quidem iam populi Romani rebus, nondum tamen ad summum elatis, stante adhuc Punica urbe et validis per Asiam regibus. Simul L. Sullam testem afferebant, gravissimo in discrimine exercitus ob asperitatem hiemis et penuriam vestis, quum id Smyrnam in concionem nuntiatum foret, omnes qui adstabant detraxisse corpori tegmina nostrisque legionibus misisse. Ita rogati sententiam Patres Smyrnaeos praetulere: censuitque Vibius Marsus, ut M'. Lepido, cui ea provincia obvenerat, super numerum legaretur, qui templi curam susciperet; et quia Lepidus ipse deligere per modestiam abnuebat, Valerius Naso e praetoriis sorte missus est.

1. *Smyrnaei*, v. ad 3, 63, 2. — *Theseus* rex Atheniensium *divina stirpe*, filius Aegei et Aethrae aut Neptuni. v. Plut. Thes. p. 2. Diodor. 4, 61. Hygin. fab. 37. et Apollod. 3, 15, 7. ubi v. Heyne. „Smyrnam a Theseo et Atheniensibus conditam dicit auctor epigr. 4, 4. (36. in Brunck. Anal. T. III. p. 216. 217.) ab *una Amazonum*, Smyrna, Strabo l. XIV pr. Plin. 5, 29. s. 31 et Steph.“ *Lips. illos*, Smyrnaeos, *condidisset*, v. ad G. 2. n. 6 extr. — *transcendere* (transibant) *ad ea, quis* — *officiis* pro *ad ea officia in populum Rom., quibus maxime fidebant*, ut ap. Hor. Sat. 1, 10, 16. Sil. 1, 280. et alios. — *missa navali copia*, navibus militibusque, non modo *externa ad bella* a Romanis gesta, (de quo v. Liv. 37, 16. 54. 38, 39. Appian. B. Syr. c. 2. 29.) *sed* etiam ad ea, *quae in It. t.* cf. ad 1, 60, 1. — *seque primos templum urbis Romae statuisse M. Porcio consule* a. U. c. 558. v. ad 4, 37, 2. et Pigh. Ann. ad a. U. 558. — *templum urbi Romae statuisse* corr. Heins. Utraque formula per se bona est, sensu tamen paulum diverso; *Walth*. Cf. Drak. ad Liv. 43, 6. — *magnis quidem iam populi Rom. rebus*, cf. Ind. II. v. *Res* et Ind. III. v. *Adiectiva in sexto casu absolute posita*. Haec vero causa templi exstructi. — *quum id Smyrnam in concionem nuntiatum foret*, perlatum; *Pich*. Nonnulli corr. *Smyrnae* et alii *in concione*. „Sed utroque modo dicitur. Sic *nuntiatur in castra* ap. Lactant. de morte persec. c. 46. Cf. intpp. Iustin. 19, 2. et 34, 2.“ *Wopk*. „Dictum hoc more Graecorum, qui verbis dicendi, nuntiandi addunt *εἰς*, ut indicent eum, cui aliquid dicatur vel nuntietur. Ita *εἰςήγγελλον εἰς τὴν βουλὴν* Isocr. de Big. p. 348. *οἱ - πατέρες - πολλὰ δὴ καὶ καλὰ ἔργα ἀπεφήναντο εἰς πάντας ἀνθρώπους* et *ποιηταὶ - εἰς πάντας μεμηνύκασιν* Plat. Menex. p. 239. A. et B. Cf. Matthiae Gr. Gr. §. 578. Nempe *nuntiatum est* pro *nuntius perlatus est*.“ *Walth*. — *qui adstabant*: vera ratio latinitatis postulat *adstarent*; *Ern*. Sed v. Ind. III. v. *Verborum modus indicativus* n. 2. Sic et paulo post *obvenerat*.

2. *Smyrnaeos praetulere* MS. edd. Iac. Gron. et rec. *S. praetulerunt* edd. vet. „Ad rem ipsam spectat numus Smyrnae, in quo signum Tiberii in medio templo. v. Spanh. de usu et pr. num. T. I. p. 139. et Eckhel. doctr. num. T. II. p. 547.“ *Oberl*. — *Vibius Marsus*; in MS. *V. Marcus*. — *M'. Lepido, cui ea provincia obvenerat*, sc. Asia. v. ad 1, 13, 2. 3, 32, 2. Male *M. Lepido* edd. paene omnes. *ut* (a) *M'Lepido* — *legaretur* h. e. legatus deligeretur: nam *legare* etiam dicitur pro *legatum facere aliquem, legare sibi aliquem* pro *deligere eum legatum, sibi legare*, v. c. ap. Cic. p. l. Manil. 19. ep. ad Att. 4, 2. fin. 4, 15 extr. 13, 6. 15, 11. ep. ad fam. 6, 6. Sall. Iug. 28. al. 30. Cf. Ind. III. v. *Ablativi, in primis instrumenti, pendentes ex omissa praep. a*. — *ut legaretur supra numerum* „sc. eum, qui aut usitatus esset in quaque provincia, aut praefinitus in SCto, quo provincia decreta fuisset. Olim quidem SCto numerus definitus legatorum, quo provincia ornabatur: at quia Lepido optio legati data, videtur tum moris fuisse, ut praesides in provinciis senatus et populi legatos legerent, ut olim libera re publica, quanquam et tum variatum in ea re.“ *Ern*. Legati, Proconsulum Propraetorumque consiliarii, adiutores et vicarii in iurisdictione et re militari, vel dari iis a senatu, vel senatus permissu ab illis asciscì (*legari*), vel extra ordinem constitui solebant, (v. Cic. p. Vatin. 15. in Verr. 1, 17. Manut. ad Cic. ep. ad fam. 1, 7. 13, 55.) et numerus eorum vel maior vel minor erat pro numero legionum, quibus proconsules praeerant, pro magnitudine provinciae et conditione rei. Hinc quatuor aderant Ciceroni, decem Caesari, quinque et viginti Pompeio in bello piratico. v. Cic. Phil. 2, 13. ep. ad fam. 1, 7, 26. 15, 4, 17. Sigon. de ant. iur. prov. 2, 2. Fabret. ad col. Trai. p. 9. Lips. de mil. Rom. 2, 11. — *deligere* MS. edd. Pich. et rec. *deligi se* edd. vet.

CAPUT LVII.

Inter quae diu meditato prolatoque saepius consilio, tandem Caesar in Campaniam specie dedicandi templa, apud Capuam Iovi, apud Nolam Augusto, sed certus procul Urbe degere. Causam abscessus quanquam secutus plurimos auctorum ad Seiani artes retuli; quia tamen caede eius patrata sex postea annos pari secreto coniunxit, plerumque permoveor, num ad ipsum referri verius sit saevitiam ac libidinem, quum factis promeret, locis occultantem. Erant qui crederent, in senectute corporis quoque habitum pudori fuisse: quippe illi praegracilis et incurva proceritas, nudus capillo vertex, ulcerosa facies ac plerumque medicaminibus interstincta; et Rhodi secreto vitare coetus, recondere voluptates insuerat. Traditur etiam matris impotentia extrusum, quam dominationis sociam aspernabatur neque depellere poterat, quum dominationem ipsam donum eius accepisset. Nam dubitaverat Augustus Germanicum sororis nepotem et cunctis laudatum rei Romanae imponere; sed precibus uxoris evictus Tiberio Germanicum, sibi Tiberium ascivit: idque Augusta exprobrabat, reposcebat.

1. *diu meditato prolatoque*, et dilato, *saepius consilio*, cuius causae mox memorantur. — *tandem Caesar in Campaniam* sc. ivit, profectus est. Ita Pich. et Hiller. racem. 31. Cf. Ind. III. v. *Ellipses* n. 4. et Duk. ad Flor. 3, 6. *Caesar iit Campaniam* leg. putabat Lips. (quod in ordinem recepit Brot.) *Caesar adit C.* Heins. *consilio tendit* vel *tendere Caesar in C.* Bip. — „*dedicandi templa apud Capuam Iovi*, quod *Capitolium* dictum, *apud Nolam Augusto*, qui mortuus ibi. Cf. Suet. Tib. 40. et Dio 56, 46.“ *Lips.* Cf. ad 1, 10, 4. *templa* MS. edd. Ern. et rec. *templum* edd. vet. *apud*, cf. Ind. II. — *sed certus procul Urbe degere*, cf. ad 11, 1, 2.

2. *Causam abscessus — ad Seiani artes retuli* cap. 41. — *caede eius*, Seiani, *patrata sex postea annos pari secreto* Capreis *coniunxit*, h. e. sex annos continuos post illos quinque superiores annos exegit, mansit in eodem secreto, ut *consulatus coniungere* Suet. Cal. 17. dixit; *Ern.* Sed ibi *coniungere* est continuare, ut inf. 6, 26. Seianus periit a. U. 784. et Tiberius mortuus est a. 790. „Idem vero Tiberius abiit Urbe a. 779. exeunte nec rediit. Ergo abfuit XI annos continuos (cf. cap. 58.) et erravit Plut. de exsilio p. 602. cuius verba sunt Τιβέριος δὲ Καῖσαρ ἐν Καπρέαις ἑπτὰ ἔτη διῃτήθη μέχρι τῆς τελευτῆς, nisi scrib. δέκα vel ἕνδεκα ἔτη. Non enim iuverit eum, quod non statim Capreas secessit Tiberius, quippe qui in Campania vix haesit dimidiatum annum, ut templa dedicaret. cf. cap. 67. Etiam ap. Suet. Tib. 51. (*toto quidem triennio, quo vivente matre abfuit*) malim *toto biennio*: egressus enim Tiberius fine a. 779. et mater obiit principio a. 782. v. inf. 5, 1.“ *Lips.* Cf. intpp. Suet. — *plerumque*, saepe vel nonnunquam, v. ad 3, 28, 4. — *permoveor:* „mihi venit in mentem, dubito an *verius sit, ad ipsum referri* causam. Verbum *moveri, permoveri* e contextu intelligendum, diciturque etiam ingenium moveri.“ *Ern.* Insolentior tamen dictio est; fortasse pro *permoveor* ad reputandum. — *quum factis promeret*, cf. ad 3, 36, 1. — *occultantem*: in MS. et ed. Ber. *occultantis*. — *corporis quoque habitum* MS. edd. Ern. et rec. *quoque corporis habitum* edd. priores. — *quippe illi praegracilis et incurva proceritas* cet. „Pugnat haec delineatio e diametro cum verbis Suet. Tib. 68. De veritate secundum neutrum pronuntio.“ *Lips.* Immo Suetonii verba intell. de vegeta Tiberii aetate, Taciti de *senectute* eius decrepita et

effeta; *Hiller*. Frustra *quippe illi praegravis* corr. Lampugn. e c. Mirand. — *ulcerosa facies* cet. „Totum Tiberii corpus ulcerosum fuisse docet Iulianus in Caesaribus p. 309. ὤφθησαν ὠτειλαὶ κατὰ τὸν νῶτον μυρίαι, καυτῆρές τινες καὶ ξέσματα καὶ πληγαὶ χαλεπαὶ καὶ μώλωπες, ὑπό τε ἀκολασίας καὶ ὠμότητος ψῶραί τινες καὶ λειχῆνες οἷον ἐγκεκαυμέναι. Haec et Taciti verba Valesius (in Valesianis p. 14 sq.) ad luem veneream tanquam morbum antiquissimum trahit, sed rectius ad cutis vitia et ulcera Rich. Mead in medica sacra p. 6. et Ioh. Astruc de morbis venereis 1, 3. et 4. Libidinis vero, vel in ipsa senectute, ita immodicus fuit Tiberius, ut in Atellanico exodio *hircus vetulus* dictus fuerit (v. Suet. Tib. 45.) et Iuliani l. l. ὁ γέρων οὗτος ὁ Σάτυρος." *Brot. Facie honesta, in qua tamen crebri et subtiles tumores* Suet. Tib. 68. „Ibi *subiti tumores* in MSS. quibusdam. Sed scribe *substilli* vel *substilles tumores*. Non enim potuit magis aptiore verbo exprimi liquor saniesque, quae in eiusmodi tumoribus minutatim stillat. Ita Festo *substillum tempus ante postque pluviam, quod iam stillaret aut nondum desiisset*; ap. Tertull. de pallio 2. *imbres ruunt, — dehinc substillum, et denuo sudum*. In stranguria *substillum* ap. Cat. R. R. 156." *Lips*. „Coniicere possis ap. Suet. *lividi tumores* vel *rubidi* e vinolentia, nisi potius vulgatum *subiti tumores* est verum et intelligendum, assidue et semper exortos esse tales tumores novos; *Ern*. ad Suet. A Tacito et Suet. designatur morbus Campanus, de quo v. intpp. Hor. Sat. 1, 5, 62. et Boettigeri Amalth. T. I. p. 362. — *plerumque medicaminibus interstincta* facies, multis emplastris tecta. Cf. Iuvenal. 6, 471 sq. Galenus de compos. medicam. 5, 12. pastillos unciasque tres Meconii, aluminis fissi et acaciae praescribit πρὸς ἕρπητας Tiberii; *Brot*. — *Rhodi secreto*, secessu, de quo v. ad 1, 4, 6. *Rhodio s.*, ut c. 15., coni. Heins. — *recondere voluptates*, occulto iis indulgere; *Ern*.

3. *Traditur etiam matris* Liviae *impotentia extrusum* scil. eum fuisse Urbe, impulsum ad vitam procul Roma degendam. Cf. Ind. III. v. *Accusativi cum Infinitivis* n. 4. *matris impotentia*, abusu potentiae et regnandi cupidine, ut *matrem muliebri impotentia* 1, 4. extr. et *mater impotens* 5, 1. ubi plerique intpp. haec verba male explicant et Gron. ita: „non est indulgens iuri materno in liberos et id extendens quod Romae parvum aut nullum erat, sed indulgens στοργῇ et studio potentiae filii, cui adversus domum mariti et adversus rem publicam et adversus nepotem ex modestiore filio omni bono maloque modo favit ac servivit, prorsus id. qd. 1, 10, *gravis in rem publicam mater, gravis domui Caesarum noverca*." Immo *impotens* non est tantum qui *nil potest*, infirmus, invalidus; sed etiam qui ira, vindicta aliisque affectibus, inprimis superbia et potentiae cupidine, incitatus sui *non potens* est et sibi ipse haud imperat, qui potentia abutitur eiusque modum excedit offendens alios ac laedens. Cf. Ind. II. v. *impotens* et *impotentia*, Liv. 3, 36. 5, 37. 7, 39. 41. 8, 5. 28. al. Günth. ad Nep. Lys. 1, 4. De hac Liviae *impotentia* v. loca class. Dionis 57, 12. et Suet. Tib. c. 50. 51. quibus plane eadem traduntur et praeter alia etiam haec: *Matrem Liviam gravatus velut partes sibi aequas potentiae vindicantem. — Illa commota veteres quosdam ad se Augusti codicillos de acerbitate et intolerantia morum eius e sacrario protulit atque recitavit. Hos et custoditos tamdiu et exprobratos tam infeste adeo graviter tulit, ut quidam putent, inter causas secessus hanc ei vel praecipuam fuisse.* Ad eandem Liviae impotentiam spectant Taciti verba seqq. — *depellere* a dominationis societate. — *dubitaverat Augustus*, v. ad 4, 40, 3. — *precibus uxoris evictus*, v. ad H. 2, 64, 6. 3, 74, 4. — *Tiberio Germanicum, sibi Tiberium ascivit*, v. ad 1, 3, 7. — *idque* beneficium *Augusta exprobrabat* et (v. Ind. III. v. *Asyndeta*) *reposcebat*, eius gratiam sibi referri volebat et tale reddi societate dominationis concessa. „Ceterum Bocalinus alias secessus causas subiicit et probabiliores, scil. quod crederet Tibe-

rius, Romam facilius toleraturam tyrannidem eius, si e longinquo eam exerceret, quam praesens et coram; deinde et quidem praecipue, quod ita se magis tutum adversus conspirationes crederet, quum quotidie tot illustres viri interficerentur. Cf. 4, 42." *Ryck.*

CAPUT LVIII.

Profectio arcto comitatu fuit: unus senator consulatu functus Cocceius Nerva, cui legum peritia: Eques Romanus praeter Seianum ex illustribus Curtius Atticus: ceteri liberalibus studiis praediti, ferme Graeci, quorum sermonibus levaretur. Ferebant periti coelestium, iis motibus siderum excessisse Roma Tiberium, ut reditus illi negaretur: unde exitii causa multis fuit properum finem vitae coniectantibus vulgantibusque. Neque enim tam incredibilem casum providebant, ut undecim per annos libens patria careret. Mox patuit breve confinium artis et falsi, veraque quam obscuris tegerentur. Nam in Urbem non regressurum, haud forte dictum: ceterorum nescii egere, quum propinquo rure aut litore et saepe moenia Urbis assidens extremam senectam compleverit.

1. *Profectio* cum *arcto comitatu fuit*, ut ap. Cic. Catil. 3, 2. et Verr. 4, 30; *Wopk.* Cf. Ind. III. v. *Ablativi ex omissa Praep.* cum (ut ex Gr. σὺν) *pendentes*, ad G. 40. n. 9. Gron. et Drak. ad Liv. 23, 41. 43. 25, 22. Periz. ad Sanct. Min. 4, 6, 18. *arcto* edd. vet. ante Lips. *arto* edd. rec. Cf. ad c. 32. n. 2. — *unus* (unicus) *senator consulatu functus* (v. ad 2, 33, 1.) M. *Cocceius Nerva*, cos. suff. cum C. Vibio Rufino a. U. 775. (v. inscr. Grut. p. 187, 13.) et curator aquarum. v. Frontin. de aquaed. 102. — *cui peritia legum*, v. ad 3, 75, 1. et 6, 26, 1. — *Eques Romanus ex illustribus* sc. ὤν. v. Ind. II. v. *E, ε* et ad 1, 73, 1. — *Curtius Atticus*, v. 6, 10. Ovid. ex P. 2, 4. et 7. — *ceteri*, e quibus duo memorantur 6, 10. — *liberalibus studiis*, ut 3, 43. v. ad Agr. 4. n. 4. — *ferme Graeci*, v. ad 2, 2, 2. Suet. Tib. 56. 70. Iuvenal. 10, 94. — *quorum sermonibus levaretur*, recrearetur, oblectaretur; *Ern.* Similiter *vario viam sermone levabat* ap. Virg. Aen. 8, 309.

2. *Ferebant periti coelestium rerum*, Chaldaei, astrologi, planetarii, *iis motibus siderum* cet. v. ad 2, 27, 1. — *coniectantibus vulgantibusque:* „structura graeca. v. Buttman. Gr. Gr. §. 131. de construct. particip." *Walth.* — *neque enim providebant, tam incredibilem casum* scil. futurum esse, tam incred. rem eventuram esse, *ut* cet.; *Ern. casum* MS. edd. Ber. Rhen. 1. 2. Micyll. Iac. Gron. et rec. *caussam* edd. Rhen. 3. Ald. al. *providebant* id. qd. praevidebant. Cf. ad 2, 14, 1. et G. 8. n. 4. — *undecim per annos*, cf. ad cap. 57. n. 2.

3. *Mox patuit breve confinium artis et falsi*, fraudis, ut 12, 26. Bald ward die schmale Grenzlinie zwischen der Kunst und dem Truge offenbar; *Woltm.* — *haud forte dictum*, non temere, non sine idonea causa: unde veritas praedictionis; *Ern.* Non ita dictum, ut fortuitus esse videretur eventus et alienus a vaticinio; *Walth.* — *ceterorum* eventuum *nescii egere*, fuere. v. ad 1, 68, 1. — *moenia Urbis assidens*, ut 6, 43. Liv. 26, 22. et Sall. fragm. ap. Priscian. VIII. p. 830. ed. Putsch. Dativo *assidere* iungitur H. 2, 22. et Agr. 45. Cf. ad 3, 39, 1. et 6, 43, 1.

CAPUT LIX.

Ac forte illis diebus oblatum Caesari anceps periculum

auxit vana rumoris praebuitque ipsi materiem, cur amicitiae constantiaeque Seiani magis fideret. Vescebantur in villa, cui vocabulum *Speluncae*, mare Amuclanum inter Fundanosque montes nativo in specu. Eius os lapsis repente saxis obruit quosdam ministros. Hinc metus in omnes et fuga eorum, qui convivium celebrabant. Seianus genu vultuque et manibus super Caesarem suspensus opposuit sese incidentibus, atque habitu tali repertus est a militibus, qui subsidio venerant. Maior ex eo et, quanquam exitiosa suaderet, ut non sui anxius cum fide audiebatur. Assimulabatque iudicis partes adversus Germanici stirpem, subditis, qui accusatorum nomina sustinerent maximeque insectarentur Neronem proximum successioni et, quanquam modesta iuventa, plerumque tamen, quid in praesentiarum conduceret, oblitum, dum a libertis et clientibus apiscendae potentiae properis exstimulatur, ut erectum et fidentem animi ostenderet: velle id populum Romanum, cupere exercitus; neque ausurum contra Seianum, qui nunc patientiam senis et segnitiam iuvenis iuxta insultet.

1. *vana rumoris*, cf. Ind. III. v. *Adiectiva neutra pro Substant.* — *Vescebantur* Tiberius et Seianus *in villa, cui vocabulum Speluncae*, ubi nunc *Sperlonga* oppidulum ab ea dictum et mare Amuclanum, *mar di Sperlonga*; *Hard.* ad Plin. 3, 5. s. 9. cuius verba sunt *dein locus Speluncae* sc. dictus vel ubi est Spelunca illa inclita. Cum loco nostro conf. Suet. Tib. 39. qui dicit, eum coenasse *iuxta Tarracinam in praetorio, cui Speluncae nomen.* „Locutus est more sui saeculi, quo omnes *villae* elegantiores et non rustici usus *praetoria* dictae. Nomen illi villae a re, quia imposita vel adiuncta huic nativae speluncae. Id secutos in positura villae Romanos docet locus Sen. ep. 55. de villa Vatiae." *Lips.* „Add. Strab. V. p. 233. qui prope Tarracinam dicit esse σπήλαια ὑπερμεγέθη κατοικίας μεγάλας καὶ πολυτελεῖς δεδεγμένα, i. e. triclinia, diaetas, non aedes. *Praetorium* dicitur villa principalis, interdum vero etiam pars eius cultior et domini habitationi destinata, atque adeo triclinium cubiculumque domini, quemadmodum in urbanis aedibus praecipuum conclave. Cf. Suet. in Aug. 72. in Cal. 37. in Tito 8. et Periz. diss. de praetorio VIII, 15." *Ern.* — *mare Amuclanum* edd. Rhen. 2. 3. et rec. *amundanum* MS. et ed. Rhen. 1. *amūclanū* ed. Ber. Mare *Amuclanum* s. *Amyclanum* et *Amyclaeum* sinus maris, cui nomen ab *Amyclis*, oppido iuxta mare sito inter Tarracinam et Caietam, quod a serpentibus deletum vel propter multitudinem eorum ab incolis desertum crediderunt Plin. 3, 9. 8, 29. Solin. 2, 32. 7, 8. Serv. ad Virg. Aen. 10, 564. et alii laudati a Cluver. Ital. ant. p. 1093. Ab hac urbe diversae *Amyclae* Laconicae, oppidum a Doriensibus ex improviso captum, saepius temere nuntiato hostium adventu et, quum vere illi venissent, nemine nuntiante; unde silentio periisse perhibentur et dictae *tacitae*. v. Heyne Exc. II. ad Virg. Aen. X. — *Fundanos montes* prope *Fundos*, hod. *Fondi*, opp. inter Tarracinam et Formias ad mare situm. — *nativo in specu*, v. ad c. 55. n. 2. — *qui convivium celebrabant*, v. ad c. 62. n. 1.

2. *Seianus genu — super Caesarem suspensus*, extentus; *Ern.* „Haec positio facile capitur, si cogitas iacentem in lecto Tiberium, ut solent vescentes. Seianus igitur tali habitu super eum, ut tueretur." *Lips.* — *incidentibus* saxis. — *Maior ex eo*, maioris potentiae, auctoritatis et gratiae apud Principem; quo sensu et *crescere* dicitur; *Ern.* — *sui anxius*, v. ad 4, 12, 3. — *cum fide audiebatur*, cum assensu et auctoritate; *Ern.*

— *Assimulabatque iudicis partes*, cf. Ind. II. v. *que*. *indicis* pro *iudicis* substituere editores rec. ex emend. Mur. quam etiam probavit Gron. quia talem se gesserit apud Tiberium Seianus, tanquam invitus, fide ac devotione cogente, Principi domus suae vomicas indicaret. „Revera quidem *index* erat, sed speciem eius et invidiam vitabat *subditis*, subornatis aliis, (v. ad 1, 6, 6.) qui accusarent Germanici liberos. Ita vero leg. videtur *dissimulabatque*.“ *Kritz.* in Ephem. schol. Darmst. a. 1830. II, 17. „Immo nil mutandum: nam *indicis partes* non debebat *assimulare* h. e. speciem indicis prae se ferre, quum alius esset; sed debebat dissimulare, quoniam nolebat auctor criminationis videri. *Iudicis partes assimulabat*, h. e. primum subornabat, qui Germanici stirpem accusarent apud se et Tiberium; (ne putes apud senatum) deinde ipse cum Tiberio consultabat de criminibus et rogatus sententiam dicebat, tanquam ab omni partium studio alienus.“ *Walth.* Ita quoque Heinsius, qui id a Phaedro in prol. ad 3, 41 sq. exprobrari dicit Seiano, et Freinsh. Recte: nam Seianus *iudicis* demum partes agebat *subditis, qui accusatorum nomina sustinerent*, postquam accusatores subornaverat. — *Neronem*, Germanici filium. — *in praesentiarum* ab aliis una voce scribitur *impraesentiarum*. Utrumque monstrose formatum, ut *de praesentiarum* ap. Petron. 58, 3. 74, 17. Plerique illud ex *in praesentia rerum* contractum, nonnulli dictum putant pro *in tempore praesentiarum* h. e. rerum praesentium. Cf. intpp. Nep. Hannib. c. 6. Ruddim. inst. gram. T. I. p. 313. T. II. p. 334. Ramshorn. Gr. p. 290. Doederl. Lat. Synon. T. I. p. 141. — *conduceret*, aptum et utile esset, prodesset. *conducet* MS. v. ad 2, 63, 2. — *ut erectum et fidentem animi ostenderet* sc. *se*. v. ad 5, 5, 1. *Frustra animum* corr. Pich. *erectum*, ut *erectus et celsus* Cic. or. 1, 4. mens ardua, *erectus et acer, nil breve* (parvum) *moliri* Claudian. in Stil. 1, 39 sq. Cf. ad Agr. 4. n. 7. — *iuxta insultet*, v. ad 1, 6, 6.

CAPUT LX.

Haec atque talia audienti nihil quidem pravae cogitationis; sed interdum voces procedebant contumaces et inconsultae, quas appositi custodes exceptas auctasque quum deferrent neque Neroni defendere daretur, diversae insuper sollicitudinum formae oriebantur. Nam alius occursum eius vitare: quidam salutatione reddita statim averti: plerique inceptum sermonem abrumpere, insistentibus contra irridentibusque, qui Seiano fautores aderant. Enimvero Tiberius torvus aut falsum renidens vultu. Seu loqueretur seu taceret iuvenis, crimen ex silentio, ex voce. Ne nox quidem secura, quum uxor vigilias, somnos, suspiria matri Liviae atque illa Seiano patefaceret, qui fratrem quoque Neronis Drusum traxit in partes spe obiecta principis loci, si priorem aetate et iam labefactum demovisset. Atrox Drusi ingenium super cupidinem potentiae et solita fratribus odia accendebatur invidia, quod mater Agrippina promptior Neroni erat. Neque tamen Seianus ita Drusum fovebat, ut non in eum quoque semina futuri exitii meditaretur gnarus, praeferocem et insidiis magis opportunum.

1. *Haec atque talia audienti* sc. Neroni. — *appositi custodes* a Seiano, ut c. 67. *quis additus miles*, (honoris quidem specie, sed re vera ut custodiae causa eorum lateribus adhaererent) et custodes *additi*, *inditi*. Cf. ad 3, 28, 3. H. 4, 74, 1. Gron. ad Sen. Herc. fur. v. 1237. Heyne ad

Virg. Aen. 6, 90. et Mitscherl. ad Hor. od. 3, 4, 78. — *exceptas*, v. ad H. 3, 32, 6. — *auctas deferrent*: „pro *deferentes augerent*: nam Participia Praet. Pass. ponuntur pro Part. Praes. vel Aoristi, ut H. 1, 6. 64. 3, 7. 4, 39. Liv. 2, 36. (*sub furca caesum medio egerat circo*) Hor. Sat. 2, 7, 90. Virg. Aen. 1, 69. 481. 9, 565. Ge. 1, 339. v. Ramshorn. Gram. p. 456. Sanct. Min. I. p. 156 sq. ed. Baueri, Heind. ad Hor. Sat. 1, 2, 66. Multo saepius occurrit in construct. Ablativi absoluti, ut H. 1, 2. 6. 40. 63. 68. 82. 4, 18. 62. 80. al.“ *Selling*. obss. crit. ad Tac. Agr. p. 22. 23. Cf. ad Agr. 5. n. 1. et Ind. III. v. *Participia Perf. Pass. pro Part. Praes.* — *neque Neroni*, harum Seiani artium insidiarumque inscio, *defendere daretur*, liceret. Cf. ad 12, 23, 4. — *diversae insuper sollicitudinum formae oriebantur*: „Acidalius putat, post *daretur* quaedam deesse, quae illam periodum absolvant et ab integro scribenda sequentia, quae cum superioribus necti in unam periodum nequeant. Sane *insuper* hic durius est nec commodum sensum habet.“ *Ern.* Crollius *insuper* dictum putabat pro *continenter* et Oberl. pro *super his, exinde*, ob exceptas acutasque et in vulgus sparsas voces. *his super* corr. Wopk. „Sana potius omnia et integra. Neroni iam erant plurimae formidinis causae propter voces suas contumaces et inconsultas, quae exceptae auctaeque ad Tiberium deferebantur quasque defendere minime dabatur. *Insuper* diversae sollicitudinum formae oriebantur, quum videret Nero alium, qui ipsius occursum vitaret, quosdam, qui cet. *Insistebant* autem et *irridebant*, *qui Seiano fautores aderant*, ut Neronem magis ad contumaciam provocarent novasve ei sollicitudines crearent.“ *Brot.* „Immo *inter daretur* et *diversae* Tacitus more suo et ex usu Graecorum omittit, quae e contextu facile possunt intelligi. Plenius scripsisset: *quum deferrent neque N. d. daretur, non poterat non in discrimen et sollicitudinem venire*; *sed diversae insuper s. f. o.* Sic *ut tali sorte, cruciatum effugere* c. 62. ubi v. not. 2.“ *Walth.* Cf. Ind. III. v. *Ellipses* n. 11. — *Nam alius occursum eius vitare* cet. „Pulchra et graphica descriptio eorum, qui amant, metuunt, volunt, nolunt iungi. Simillima in Sidon. ep. 1, 11.“ *Lips.* Cf. et Iuvenal. 10, 84 sq. — *salutatione reddita* etiam pro *sal. data* dictum videri potest; *Freinsh.*

2. *Tiberius torvus aut falsum renidens* pro *falso s. false* dictum more Graecorum et poetarum, qui nomina adiectiva adverbialiter ponunt ac verbis neutris (nonnunquam et activis, ut *Lalagen dulce loquentem* Hor. od. 1, 22, 24.) eorumque participiis accusativos adiectivorum neutrius generis et utriusque numeri iungunt. Cf. ad 3, 29, 2. et Ind. III. v. *Adiectiva pro Adverbiis posita.* Similes vero dictiones sunt *perfidum ridens* Hor. od. 3, 27. *saevum arridens* Sil. 1, 398. *torvum clamat* Virg. Aen. 7, 394. Gr. δεινὸν ἐπιμειδήσας et μειδιάων. „Indicatur autem malignus animus salse et sarcastice ridentis adiecta contemptus significatione. Sic *malis ridentem alienis* dixit Hor. Sat. 2, 3, 72. οἷον σεσηρὼς ἐξαπατήσειν μ' οἴεται Aristoph. Vesp. 896. ἀχρεῖον ἐγέλασσε Hom. Od. 18, 162. quod Apollonius Lex. Hom. exposuit οὐκ ἀπὸ γνώμης. v. Valken. ad Theocr. 20, 14.“ *Mitscherl.* racem. Venusin. fasc. I. in Progr. Goett. 1827. Melior verborum interpunctio debetur Lipsio. Maxima post *taceret* posita in edd. Rhen. Ald. et aliis. — *uxor* Neronis Iulia, Drusi Caesaris et *Liviae* filia. v. ad 2, 43, 2. 3. 3, 29, 3. — *somnos*, somnia. Quid per somnum faceret aut diceret; *Ern.* — *illa Seiano patefaceret*, cf. cap. 3. — *spe obiecta*, oblata, indita, ut ap. Liv. 6, 14. et *obiicere alicui mentem* et *terrorem* ap. Liv. 5, 15. 27, 1. *metum*, *sollicitudinem* ac similia.

3. *Atrox Drusi ingenium*, v. ad 4, 52, 2. odia v. ad 12, 49, 1. — *Agrippina promptior Neroni erat*, „facilior, propensior ad gratificandum. Alii mallent *pronior*, quod verum puto. Id saepe dativo iungitur, ut a Suet. Ner. 4. Galb.

12, al." *Ern.* Immo *promptus* Tacito paene id. qd. *pronus*, et utrumque vel dativo vel praepos. *in* et *ad* iungi solet; et quidem dativo 1, 2. 48. 2, 76. 78. 4, 46. 12, 1. 4. 15, 45. Cf. Ind. II. et Ruddim. inst. Gr. T. II. p. 96. 97. et Forcell. „*Promptus mihi* est, qui libenter mihi satisfacit petenti vel iubenti." *Walth.* — *opportunum* passive; *Ern.*

CAPUT LXI.

Fine anni excessere insignes viri, Asinius Agrippa claris maioribus quam vetustis vitaque non degener, et Q. Haterius familia senatoria, eloquentiae, quoad vixit, celebratae: monimenta ingenii eius haud perinde retinentur. Scilicet impetu magis quam cura vigebat; utque aliorum meditatio et labor in posterum valescit, sic Haterii canorum illud et profluens cum ipso simul exstinctum est.

1. *Fine anni excessere*, v. ad 2, 71, 1. — M. *Asinius Agrippa*, v. ad 1, 12, 2. — *claris maioribus quam vetustis*, v. ad 1, 57, 1. et inpr. Ind. III. v. *Comparationis usus* n. 2. *a.* Asinia gens in lucem protracta ab Augusto, qui non iniuria extulit avum huius, Pollionem; *Lips.* Cf. ad 1, 12, 2. et *Q. Haterius fam. sen.*, *eloq. cel.* de quo v. 1, 13. 2, 33. 3, 57. et ad 2, 51, 1. „Cf. Suet. Tib. 29. L. Sen. ep. 40. inpr. M. Sen. contr. 4. et 6. Eusebius in Chron. dicit, eum promptum et popularem fuisse oratorem et usque ad XC prope annum summo honore consenuisse." *Lips.* Cf. de eius ingenio sufflaminando Hieron. ep. LXI. ad Pammach. c. 4.; *Brot.* *Haterius familia senatoria, eloquentiae celebratae*, Ablativus et Genitivus qualitatis iunguntur variationis causa. Cf. ad 3, 52, 1. *et quae Haterius* MS. et *qua ad* pro *quoad*, ut 6, 51. — *monimenta* (v. ad 3, 23, 1. et G. 3. n. 7.) *ingenii eius haud perinde retinentur*, non pro fama, quam vivus obtinuerat, habentur et aestimantur,; *Freinsh.* Retinentur quidem, sed non pro monimentis celebratae eloquentiae habentur; *Walth.* De voce *perinde* v. ad 3, 17, 1.

2. *impetu magis quam cura vigebat* Haterius orator. „*vigebat*, placebat, probabatur, florebat. Cf. ad Suet. Ner. 20 pr." *Ern.* — *in posterum valescit*, etiam post eorum mortem viget. — *canorum et profluens*, „suavitas vocis et volubilitas verborum, facilitas in dicendo, ut *profluenter loqui* ap. Cic. Tusc. qu. 5, 18." *Ern.* *Canorum*, vox sonora: *profluens*, ut *profluens eloquentia* 13, 3. *profluens quiddam habuit Carbo et sonorum* Cic. de or. 3, 7. *genus sermonis non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile, aridum, concisum ac minutum* ib. 2, 38. *flumen ac torrens dicendi copia* ap. Quintil. 3, 8, 60. et Iuvenal. 3, 74. 7, 18. 10, 9. Cf. ad O. 2. n. 3.

CAPUT LXII.

M. Licinio, L. Calpurnio Coss. ingentium bellorum cladem aequavit malum improvisum. Eius initium simul et finis exstitit. Nam coepto apud Fidenam amphitheatro Atilius quidam libertini generis, quo spectaculum gladiatorum celebraret, neque fundamenta per solidum subdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit, ut qui non abundantia pecuniae nec municipali ambitione, sed in sordidam mercedem id negotium quaesivisset. Affluxere avidi talium imperitante Tiberio procul voluptatibus habiti, virile ac muliebre secus omnis aetas, ob propinquitatem loci effusius: unde gravior pestis fuit, conferta mole, dein convulsa, dum ruit intus aut in exteriora

effunditur, immensamque vim mortalium, spectaculo intentos aut qui circum adstabant, praeceps trahit atque operit. Et illi quidem, quos principium stragis in mortem afflixerat, ut tali sorte, cruciatum effugere. Miserandi magis, quos abrupta parte corporis nondum vita deseruerat, qui per diem visu, per noctem ululatibus et gemitu coniuges aut liberos noscebant. Iam ceteri fama exciti, hic fratrem, propinquum ille, alius parentes lamentari. Etiam quorum diversa de causa amici aut necessarii aberant, pavere tamen; neque dum comperto, quos illa vis perculisset, latior ex incerto metus.

1. *M. Licinio* Crasso Frugi. „Hic fuit filius M. Licinii Crassi cos. a. 740. pater Pisonis, quem Galba Imp. adoptavit, et M. Crassi Frugi cos. a. 816.“ *Ryck.* ad h. l. et H. 1, 14. — *L. Calpurnio* Pisone, de quo v. ad 3, 17, 3. — *malum improvisum*, ruina *amphitheatri coepti apud Fidenam* s. *Fidenas* h. e. Fidenis. Cf. Ind. II. v. *Apud.* De re ipsa v. Suet. Tib. 40. et Oros. 7, 4. *Fidenam* omnes libri h. l. et ap. Virg. Aen. 6, 773. Sil. 15, 91. Sed *Fidenas* H. 3, 79. Liv. 2, 19. Suet. Tib. 40. Graecis urbs dicebatur *Φιδήνη*, at plerumque *Φιδῆναι*, ut et Romanis. „Verba *coepto apud Fidenam amphitheatro* post *generis* legenda: si enim stant suo loco, amphitheatrum non ab Atilio institutum est, sed ab alio; quod sequentia et res ipsa non patiuntur.“ *Ern.* Immo stant suo loco et non sunt ablativi absoluti, sed dativi verbis *subdidit* et *superstruxit* iungendi. „Tacitus incipit ab *amphitheatro*, non ab *Atilio*, quoniam in illa voce versatur totius narrationis vis. More autem suo locum in brevius contraxit. Plenius dixisset: *Nam amphitheatro, quod apud Fidenam Atilius q. l. g. coeperat, quo spect. glad. celebraret, neque* cet.“ *Walth.* *libertini generis:* „ergo in municipiis coloniisque permissum videtur libertis edere ludos et vetitum Romae tantum. Cf. Suet. Claud. 28.“ *Lips.* „Atilius ipse forsan ingenuus, sed libertino patre natus, ut Horatius.“ *Freinsh.* „Sed verba illa de libertino esse capienda, e 2, 85. patet. Sensus autem huius loci est: Atilius quidam libertinus *coepit*, aedificare instituit, (v. ad 1, 60, 1.) amphitheatrum ligneum et temporarium, in *quo spectaculum gladiatorum celebraret*, ederet, vel potius (ne hoc sensu supervacua videantur ista verba) ut frequentius efficeret munus aut eo frequentiores homines ad spectaculum concurrerent, quod tali amphitheatro structo longe plures spectare possent; sed id neque solidis fundamentis imposuit, neque ipsum satis firmiter coagmentavit. Causa erat, quod neque tantos sumptus sustinebat res hominis, neque *ambitionis*, gratiae et gloriae causa id munus edebat, sed propter *sordidam mercedem*, quaestum: unde quam levissima impensa defungi volebat. *Celebrare spectaculum* pro frequens efficere, ut c. 59. *qui convivium celebrabant*, nisi hoc est: frequentes aderant.“ *Ern.* Sic *celebrare* ap. Liv. 1, 4, 12. Cic. de or. 1, 45. Sall. Iug. 85. Iuvenal. 3, 249. *celeraret* (h. e. acceleraret, ut 2, 5.) non male coni. vir doctus in Allg. Deutsch. Bibl. T. 49. — *per solidum*, solida, vel loco solido. Cf. Ind. II. v. *Per.* Er hatte weder eine feste Grundlage, noch das Fachwerk darüber mit sicherem Verbande gebauet; *Woltm.* — *ut qui*, cf. Ind. II. — *non abundantia* — *ambitione*, cf. Ind. III. v. *Ablativi Substantivorum absoluti.* — „*Municipalis ambitio* est studium gratiae municipalium comparandae, ut ad duumviratum aliosque honores municipales pervenias: nam quaestus in talibus non solebat spectari, sed gratia et gloria; unde quaestus vocatur *sordida merces.*“ *Ern.* Cf. ad 4, 2, 2. — *in sordidam mercedem*, eius causa. „Non dubitavi recipere emendat. Pichenae Ernestio aliisque probatam. Nam licet vulgatum *in sordida mercede* quodammodo expli-

care possis ex usu Graecorum, qui ἐν ita ponunt, ut significet, quomodo quid factum sit; maioris tamen momenti videntur exempla nostrae lectionis 11, 6. G. 24. Liv. 21, 43. Lapsus facilis fuit omissa lineola super literis finalibus. Cf. ad H. 1, 12." *Walth.*

2. *Affluxere* „toto Latio ac maxime Roma *avidi talium* et eo avidiores Romani, quod *imperitante Tiberio p. v. h.* Notum de iis dictum Iuvenal. 10, 80. 81." *Brot.* Cf. et Iuvenal. 3, 223. 6, 87. 8, 118. 11, 53. 193 sq. 14, 262 sq. Plin. ep. 9, 6. — *imperitante Tiberio procul voluptatibus habiti*, cf. Suet. Tib. 34. Sapiens fuit consilium Augusti, qui spectaculis, congiariis otioque pellexerat plebem; sed huius animi *imperitante Tiberio* iam fracti erant et servitio adsueti. Cf. 1, 2. Iuvenal. 10, 77 sq. Suet. Oct. c. 40—45. — *virile ac muliebre secus omnis aetas* MS. edd. Iac. Gron. Ern. et rec. Recte: nam in hac formula *secus* non nisi quarto casu et more Graecorum omisso κατὰ ponitur, ut in similibus *omne genus aves, seminaria* cet. Cf. ad H. 5, 13. Charis. ap. Putsch p. 61. Gron. ad Plaut. Rud. 1, 2, 19. id. et Drak. ad Liv. 26, 47, Ern. et Wolf. ad Suet. Oct. c. 44. Cort. ad Sall. fragm. Hist. II. p. 960. Oudend. ad Frontin. 1, 2, 6. Ruddim. inst. Gr. T. I. p. 32. 33. 128. ed. Stallb. et Forcell. *virilis ac muliebris sexus, omnis aetas* edd. Ber. Rhen. Ald. *virile ac muliebre sexus* edd. Pich. et al. — *ob propinquitatem loci*, nam XL stadia aberat a Roma. — *effusius affluxere*, cf. ad 1, 23, 1. et 2, 76, 1. *effusius* edd. Lips. et rec. *effusus* edd. vet. — *gravior pestis fuit*, v. ad 2, 47, 2. — *mole* amphitheatri, amplissimo amphitheatro, (ut 13, 31. H. 2, 21. cf. ad Agr. 17. n. 3.) *conferta*, hominibus referta. Cf. ad 6, 35, 1. — *praeceps trahit* MS. edd. vet. Pich. et rec. „Ita 6, 17. (*famam praeceps dabat*) Ammian. 29, 1. (*praeceps in exsilium acti*) Vict. Caes. 12. Auson. Mos. 271." *Wopk.* Vulgo *in praeceps* et *praecipitem trahere, dare* dicitur. Hinc et *in praeceps trahit* edd. Lips. priores et aliae, ut 4, 22. 6, 49. Liv. 5, 47. 27, 27. — *quos principium stragis in mortem afflixerat*, v. ad 2, 62, 2. et Ind. III. v. *Oratio praegnans*. — *ut tali sorte*, non omnino, sed quoad in tali casu fieri poterat, *cruciatum effugere*; *Freinsh.* quantum tali sorte licet, *Brot.* „Brevius haec dicta pro: *et illi — ut tali sorte, felices, qui cruciatum effugissent.* Hoc res et sequens *miserandi magis* desiderat." *Ern.* „Forsan leg. *letali* vel *fatali sorte*; sed malim mutare hoc modo distinctionem: *et illi quidem — ut tali sorte cruciatum effugere*, (ita) *miserandi magis, quos* cet." *Wopk.* „Frustra nec satis eleganter. E seqq. intelligendum est *minus miserandi fuerunt, quia cruciatum effugere.* Cf. ad c. 60. n. 1. *Ut* restringit sententiam, ne in universum intelligatur, sed de tali tantum sorte: da es einmal das Verhängnifs so wollte. Sic *ut tali in tempore* 1, 65. *ut temporibus illis* ap. Cic. Brut. 28." Mihi nihil horum satis probabile videtur. Verba potius *ut tali sorte* cum praecedd. iungenda et vulgari sensu accipienda pro: *ut tali sorte* (tali in casu) scil. *fieri solet.* v. ad G. 2. n. 8. — *qui per diem visu* cet. „Hi sunt illi ipsi, *quos nondum vita deseruerat.* Noscebant coniuges aut liberos, qui et ipsi dilaniati iuxta iacebant aut qui ipsi quidem salvi lamentando casum suorum augebant dolores miserorum, quum opem ferre nequirent. Perperam nonnulli ante *qui* addunt *seu, vel*, et alii intelligunt homines expertes mali, qui interdiu viderint, noctu audiverint miserias suorum." *Walth.* Similis locus Plin. ep. 6, 20, 4. *alii parentes, alii liberos, alii coniuges vocibus requirebant, vocibus noscitabant.* — *Iam ceteri fama exciti, hic fratrem, propinquum ille, alius parentes lamentari* coepit s. lamentabatur. *Hic — ille — alius*, ut Gr. ὁ μὲν - ὁ δὲ - ἄλλος. Cf. ad H. 3, 2?, 5. 3, 83, 1. Ramshorn. Gram. p. 334. — *pavere tamen*, verebantur, ne affuissent spectaculo amici ac propinqui et periissent. — *neque dum*, et nondum, *comperto*, v. ad 1, 46, 1. — *illa vis*, v. ad 3, 72, 3.

CAPUT LXIII.

Ut coepere dimoveri obruta, concursus ad exanimos complectentium, osculantium; et saepe certamen, si confusior facies, sed par forma aut aetas errorem agnoscentibus fecerat. Quinquaginta hominum millia eo casu debilitata vel obtrita sunt, cautumque in posterum senatus consulto, ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res, neve amphitheatrum imponeretur nisi solo firmitatis spectatae. Atilius in exsilium actus est. Ceterum sub recentem cladem patuere procerum domus, fomenta et medici passim praebiti; fuitque Urbs per illos dies, quanquam maesta facie, veterum institutis similis, qui magna post proelia saucios largitione et cura sustentabant.

1. *dimoveri obruta*, rudera, ruinae. — *si confusior facies* (mutata elisione nec facile agnoscenda) — *fecerat*, cf. Lucan. 2, 167. Iuvenal. 15, 56 sq. Sil. 4, 242. 9, 398. — *sed par forma* e MS. restitutum a Bekk. nobisque pro vulg. *et par forma*. — *Quinquaginta hominum millia*: „Supra *viginti* hominum millia periisse eo casu aiunt Suet. Tib. 40. et Orosius 7, 4. Noster *quinquaginta*, sed latius sumens, *debilitatos*, non solum *obtritos*.“ *Lips*. — *debilitata*, mutilata. — *gladiatorium munus*: in MS. *gladiatorum manus*, unde Bekk. dedit *gladiatorum munus*. — *cui minor* esset quam *quadringentorum millium* HS. *res* sc. familiaris, census equester. v. Plin. 33, 2. Suet. in Caes. c. 33. in Ner. c. 11. in Dom. c. 8. Plin. ep. 1, 19. Ruhnk. ad Vell. 2, 32. Ernestii clav. Cic. in Ind. leg. p. 35. „Hackius dicit, *rem* h. l. non esse rem familiarem, Vermögen, sed reditus, Einkünfte, quadringentorum enim millium censum non suffecturum fuisse damno reficiendo, ad quod reficiendum illud SCtum spectaverit. Hoc vero non ad id referendum, sed ne quis *in sordidam mercedem tale negotium quaereret*, ut Atilius. v. cap. 62.“ *Walth*. Hic pecuniae modus muneris ipsius facultatem dat, non amphitheatri struendi; *Ern*.

2. *sub recentem cladem*, statim post illam, ut 15, 23. Cf. Drak. ad Liv. 2, 55. — *medici*, v. ad 1, 71, 2. et 6, 50. — *veterum institutis — sustentabant*, v. ad 1, 71, 2. et 3, 5, 2.

CAPUT LXIV.

Nondum ea clades exoleverat, quum ignis violentia Urbem ultra solitum affecit deusto monte Caelio: feralemque annum ferebant et ominibus adversis susceptum Principi consilium absentiae qui mos vulgo, fortuita ad culpam trahentes, ni Caesar obviam isset tribuendo pecunias ex modo detrimenti. Actaeque ei grates apud senatum ab illustribus famaque apud populum, quia sine ambitione aut proximorum precibus ignotos etiam et ultro accitos munificentia iuverat. Adduntur sententiae, ut mons Caelius in posterum *Augustus* appellaretur, quando cunctis circum flagrantibus sola Tiberii effigies sita in domo Iunii senatoris inviolata mansisset. *Evenisse id olim Claudiae Quinctae, eiusque statuam vim ignium bis elapsam maiores apud aedem Matris deum consecravisse: sanctos accep-*

tosque numinibus Claudios; et augendam caerimoniam loco, in quo tantum in Principem honorem dii ostenderent.

1. *Nondum ea clades exoleverat*, v. ad 4, 34, 2. — *ignis violentia Urbem ultra solitum affecit deusto monte Caelio* cet. cf. Suet. Tib. 48. Vell. 2, 130. et inf. ad 6, 45, 1. *affecit*, v. ad 1, 64, 2. et 12, 26, 2. — *ominibus*: in MS. *omnibus*, ut 5, 4. et *omnia* 6, 37. Cf. ad 2, 63, 2. — *fortuita ad culpam* Principis *trahentes, ni Caesar obviam isset*, v. ad 1, 35, 3. — *ab illustribus famaque* οὖσιν, ab iis qui fama erant *apud populum*. Cf. Ind. III. v. *Ablativi qualitatis*. — *sine ambitione*, v. ad H. 1, 1, 5.

2. *mons Caelius*, al. *Coelius*, ut plerumque in inscriptt. et scriptis Graecorum. Cf. ad c. 65 pr. — *in posterum Augustus appellaretur*, quod Suet. Tib. 48. pro more suo iniurius Tiberio in reprehensionem vertit; *Brot.* — *Evenisse id olim Claudiae Quintae* a. U. 643. et 756. Cf. Valer. Max. 1, 8, 11. *Quintae* MS. edd. Pich. Lips. et rec. *Quinctiae* et *Quintiae* edd. vet. „Sed duo nomina gentilitia huic feminae? non est Romanum. *Secunda, Tertia, Quarta, Quinta* sunt mulierum agnomina ab ordine nascendi, ut diminutiva *Secundilla, Tertulla, Quartilla*. Lectionem MSti firmat historia, quia Ap. Claudio huius patri quinque filiae fuerunt. v. Cic. Cat. 11.“ *Lips.* — *Matris deum*, receptae a Claudia, de quo v. Ovid. Fast. 4, 305 sq.; *Oberl.* — *caerimoniam*, sanctitatem, nomine Augusti imponendo; *Ern.* v. ad 1, 62, 2. Partem Iunianae domus, in qua *Tiberii effigies sita*, consecratam significari, e Suet. Aug. 5. colligebat Freinsh. — *ostenderent* edd. vet. quod restituere Walth. et Bekk. *ostenderint* edd. Lips. et rec. „Sed sermo est de re diuturna, non de re facta. Supererat enim Tiberii effigies igne inviolata cernebaturque ut signum tanti in Principem honoris. Sic *ostendebat* 1, 16. et *ostendere* 13, 35.“ *Walth.*

CAPUT LXV.

Haud fuerit absurdum tradere, montem eum antiquitus *Querquetulanum* cognomento fuisse, quod talis silvae frequens fecundusque erat; mox *Caelium* appellitatum a Caele Vibenna, qui dux gentis Etruscae, quum auxilium appellatum itavisset, sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco, seu quis alius regum dedit; nam scriptores in eo dissentiunt. Cetera non ambigua sunt, magnas eas copias per plana etiam ac foro propinqua habitasse, unde *Tuscum vicum* e vocabulo advenarum dictum.

1. *Haud fuerit absurdum tradere* cet. Certe minime fuit necessarium, nec ob rem levissimam ab egregia in Annalibus brevitate deflectendum; *Brot.* — *montem eum antiquitus Querquetulanum cognomento* (cf. Ind. II.) *fuisse*, (quae rarior loquendi ratio est, ut *Valvomeres cognomento* ap. Ammian. 15, 7.; *Wopk.*) *quod talis* (querneae) *silvae frequens fecundusque erat: mox Caelium appellitatum a Caele Vibenna, qui — dissentiunt.* Claudii verba in oratione, quam typis exprimendam curavit Lips. in Exc. ad Tac. Ann. 11, 24., haec sunt: *Servius Tullius, si nostros sequimur, captiva natus Ocresia, si Tuscos, Caeli quondam Vivennae sodalis fidelissimus omnisque eius casus comes, postquam varia fortuna exactus cum omnibus reliquiis Caeliani exercitus Etruria excessit, montem Caelium occupavit et a duce suo Caelio ita appellitavit; mutatoque nomine (nam Tusce Mastarna ei nomen erat) ita appellatus est ut dixi;* Varronis autem de L. L. 4, 8. *Caelius mons a Caele* (ita MS. Flor. pro vulg. *Caelio*) *Vibenna Tusco duce nobili, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Sabinum regem. Hi post Caelis obitum, quod nimis munita loca tenerent neque sine suspicione essent, deducti dicuntur in planum. Ab eis*

dictus vicus Tuscus, et ideo ibi Vertumnum stare, quod is deus Etruriae. Principes de Caelianeis, qui a suspicione liberi erant, traductos volunt in eum locum, qui dicitur Caeliolus. Cf. Festus v. *Coelius mons*, *Querquetulanae* et *Vicus Tuscus*, Strabo lib. V. Dionys. Hal. 2, 34. 36. 74. 3, 1. Plin. 16, 10 pr. Gori Museum Etruscum T. II. p. 68. inpr. Sachse Gesch. d. alt. St. Rom. T. I. p. 67. 84. 115 sq. 182 sq. 197. 198. 274. et Niebuhrii hist. Rom. T. I. p. 422 sq. *a Caele*, qui aliis *Coeles* et *Coelius*, sed rectius *Caeles* et *Caelius* dicitur. Hinc et *Caelimontana porta*, quae prius appellata videtur *Querquetulana*, in vinea, ubi nunc Spedale di S. Giovanni in Laterano. v. Sachse l. l. p. 197. 198. *Vibenna* nomen gentilitium Etruscorum, ut *Porsenna*, *Perpenna*, *Spurinna*, *Caecina*; sed *Vivenna* dicitur in oratione Claudii, in qua etiam *Caeli* est genit. nominis *Caeles* ideoque prisca forma, ut *Persi*, nisi scrib. CAELI h. e. CAELII, gen. nom. *Caelius*. Festus autem v. *Coelius mons*, tradit, Caelem et Vibennam fuisse fratres. — *quum auxilium appellatum itavisset* dedi ex emend. Waltheri, qui haec annotavit. „In MS. *appellatum..tavisset*. Hinc Rhenanus coniecit *quum a. appellitavisset*, (quod edidit Aldus) et *q. aux. appellatum abisset* i. e. ad auxilium appellandum arcessendumque. Lipsius: *q. auxilium tulisset*, ratus, *appellatum* e priori versu perperam repetitum delendumque esse. Ferrettus et Vertranius *q. aux. appellatum ductavisset*, quod nunc vulgo editur. Pichena: *q. aux. ad bella tum ductavisset*, quod recepere Brot. et Oberl. omissa particula *tum*. Acidalius: *q. aux. ad bella Rom. ductavisset*. Faernus: *q. aux. appellatus tulisset*. Heinsius: *q. aux. popularium adductavisset*. Chiffletius in epist. ad Lipsium: *q. in auxilium appellatus itavisset*. Crollius: *q. aux. tentavisset* vel *apportavisset* Caelius quippe extorris. Ernestius: *q. aux. ab illo* vel *belli tentavisset* i. e. petiisset rex Romanus, vel *tentavissent* sc. Romani, coll. Virg. Aen. 3, 146. (Boetticher: *q. auxilio civitatem iuvisset*.) Quorum nihil receptione dignum esse video. Nam quis unquam dixit *auxilium ductare* vel *adductare* pro ferre, afferre? Minime vero est credibile, quod non nisi a Varrone et Festo proditum, regem Tarquinium Priscum auxilium ab Etruscis unquam petivisse, et diserte Dionysius Hal. 2, 36. tradit, Caelen sponte nec appellatum venisse. Praeterea qui auxilium petenti affert, non solet sedem cum suis accipere a petitore; immo sedem accipit, qui sede caret, exsul, patria profugus. Nemo autem mihi persuadebit, tum temporis ducem copiarum publice ab Etruscis in auxilium Romanis missum cum exercitu suo Romae fixisse sedem. Quare nil dubito, legendum esse *appellatum* (Supin.) *itavisset*, ut *perditum ibat* c. 66. et similia. (v. Ind. II. v. *Ire*.) *Appellare auxilium* est implorare, orare, (quo sensu Livius simpl. *appellare* dixit 24, 5. et *app. tribunos*, *collegam* cet. 2, 19. 27. 9, 26. 26, 3.) et verbum *itare*, quod de crebris itionibus etiam apud Cic. aliosque obvium est, h. l. aptissimum, quoniam, qui auxilium aut sedem quaerit, ab una civitate ad alteram supplex proficiscitur. Iam vero *dux gentis Etruscae* non est qui imperium eius omniumve copiarum Etruscarum haberet, sed dux et caput familiarum hominumve ad unam gentem pertinentium cum clientibus, Anführer, Haupt eines Etrusc. Geschlechts: nam *gens* etiam dicitur de numero familiarum iisdem maioribus utentium. Is cum suis et copia gentili ob vim adversariorum patria profugus quum auxilium civitatum vicinarum implorasset, sedem accepit a Tarquinio. Haec mea opinio plane confirmatur verbis Claudii supra laudatis." Haec Walth. et ingeniose; neque est quod nimis displiceat *appellatum*, quia paulo ante Tacitus dixerit *appellitatum*. Ita et in oratione Claudii *appellitavit*. — *appellatus est*. Cf. Ind. III. v. *Verba eadem repetita* et *Verba vulgo dicta frequentativa*. Scrupulum tamen iniicere nobis possit lacuna in MS., quae maior esse videtur, quam ut expleri possit unica litera inserta. — Paulo post *sex quoie* ed. Ald. vitiose.

2. *unde Tuscum vicum e vocabulo advenarum dictum*, Tuscorum, Etruscorum. Cf. ad G. 2. n. 7. Aliter visum Livio 2, 14. et Varro l. l. item leviter dissentit; *Lips.* Loquuntur tamen et hi de Etruscis specie supplicum Romam delatis; *Walth.* Cf. Chr. Müller de foro Rom. p. 84. Heindorf. ad Hor. Sat. 2, 3, 228. Odofr. Müller: die Etrusker T. I. p. 116.

CAPUT LXVI.

Sed ut studia procerum et largitio Principis adversum casus solatium tulerant, ita accusatorum maior in dies et infestior vis sine levamento grassabatur: corripueratque Varum Quintilium divitem et Caesari propinquum Domitius Afer, Claudiae Pulchrae matris eius condemnator, nullo mirante, quod diu egens et parto nuper praemio male usus plura ad flagitia accingeretur. Publium Dolabellam socium delationis exstitisse miraculo erat, quia claris maioribus et Varo connexus suam ipse nobilitatem, suum sanguinem perditum ibat. Restitit tamen senatus et opperiendum Imperatorem censuit; quod unum urgentium malorum suffugium in tempus erat.

1. *adversum casus* pro vulg. *adv. casum* recte, opinor, ex emend. Heinsii editum a Bekkero, Kiessl. et Walth. ut *casus* sint ruina amphitheatri et ignis violentia in Urbe, de quibus v. cap. 62. et 64. Non male tamen *adversis casuum* (ut 3, 24.) coni. Mur. — *solatium tulerant*, et quidem *proceres* domos, fomenta et medicos ruina amphitheatri debilitatis praebendo, *Princeps* pecunias post incendium Urbis ex modo detrimenti tribuendo; *Pich.* In MS. *sol. telerant.* — *corripueratque*, v. ad 4, 3, 1. — *Varum Quintilium*, v. ad 1, 3, 8. et 3, 75, 1. — *Caesari propinquum:* Germanici gener dicitur Sen. contr. 1, 1, 3. — *Domitius Afer Claudiae Pulchrae matris eius condemnator*, v. ad 2, 85, 1. et 4, 52, 1. — *parto nuper praemio* — *accingeretur*, cf. cap. 52.

2. *Varo connexus*, v. ad 2, 43, 2. *connexus* edd. Lips. et rec. *conixius* MS. *connixus* edd. vet. — *perditum ibat*, v. ad c. 1. n. 1. — *opperiendum Imperatorem*, qui Urbe abierat et nunquam rediit. Cf. ad 4, 57, 2. — *suffugium in tempus*, v. ad 1, 1, 2.

CAPUT LXVII.

At Caesar, dedicatis per Campaniam templis, quanquam edicto monuisset, ne quis quietem eius irrumperet concursusque oppidanorum disposito milite prohiberentur, perosus tamen municipia et colonias omniaque in continenti sita Capreas se in insulam abdidit trium millium freto ab extremis Surrentini promontorii diiunctam. Solitudinem eius placuisse maxime crediderim, quoniam importuosum circa mare et vix modicis navigiis pauca subsidia, neque appulerit quisquam nisi gnaro custode. Caeli temperies hieme mitis obiectu montis, quo saeva ventorum arcentur: aestas in Favonium obversa et aperto circum pelago peramoena; prospectabatque pulcherrimum sinum, antequam Vesuvius mons ardescens faciem loci verteret. Graecos ea tenuisse Capreasque Telebois habitatas, fama tradit. Sed tum Tiberius duodecim villarum nominibus et molibus insederat, quanto intentus olim publicas ad curas, tanto occultior in luxus et malum otium resolutus. Manebat quippe suspicionum et credendi temeritas, quam Seianus augere etiam

in Urbe suetus acrius turbabat non iam occultis adversum Agrippinam et Neronem insidiis. Quis additus miles nuntios, introitus, aperta, secreta velut in annales referebat; ultroque struebantur, qui monerent, perfugere ad Germaniae exercitus vel celeberrimo fori effigiem divi Augusti amplecti populumque ac senatum auxilio vocare. Eaque spreta ab illis, velut pararent, obiiciebantur.

1. *dedicatis per Campaniam templis*, v. ad 4, 57, 1. — *quanquam edicto monuisset, ne quis quietem eius irrumperet*, v. ad 3, 6, 1. 4, 40, 2. et cf. Suet. Tib. 40. — *Capreae* hod. Capri, *insula* ad sinum Neapolit. et Sirenum scopulos ex adverso *Surrenti*, ubi villa fuit Iovis et arx Tiberii, qui, relicto Romae Seiano, secesserat eo, ut libidinibus indulgeret. v. Strab. I. p. 15. V. p. 171. VI. p. 178. Plin. 3, 6. Dio 52, 43. Suet. Tib. 40. 43. 65. Iuvenal. 10, 71—92. Heyne ad Apollod. p. 312. et Exc. VIII. ad Virg. Aen. 7, 733. — *trium millium* passuum. — *ab extremis* sc. partibus. cf. ad 2, 82, 1. „Ab ea parte, quae longissime excurrit et protenditur. Cf. H. 3, 47.“ *Freinsh.* — *promontorii:* in MS. *promuntirii.* In eodem *promunturium* 6, 50. et *promuntorium* 14, 4. 15, 45. — *vix modicis navigiis pauca subsidia*, stationes et tutiora loca, in quibus *vix modica navigia* subsidere et suffugium habere possent; *Lips.* Cf. ad 3, 36, 2. — *neque appulerit quisquam* unum parvumque litus, *nisi gnaro custode*, propter loca vadosa et rupes immensae altitudinis, quibus undique septa est insula; (*saxa* 5, 1.) unde et pharus ibi fuit. v. Suet. Tib. 40. 74. Stat. Silv. 3, 5, 100 sq. Hinc *custos* h. l., ut Walthero et mihi olim visum, idem qui dicitur Gr. ναυφύλαξ, (v. Pollux 7, 139,) Germ. Lothse, Gall. *le lamaneur, le pilote-côtier.* Alii designari putant *custodes* litoris, excubias ibi a Tiberio dispositas, ut advenientes appellentesque scrutarentur. Ita *inquisitores algae* ap. Iuvenal. 4, 48. Cf. Suet. Tib. 60. Paulo ante dictum *disposito milite*, nec tamen iisdem locis et eandem ob causam.

2. *Saeva ventorum*, saevities ventorum borealium. Cf. Ind. III. v. *Adiectiva neutra pro Subst.* — *aestas in Favonium obversa*, calor, aestate temperata Zephyri seu occidentalium ventorum flatibus; *Brot.* — *prospectabatque peramoena*, v. ad c. 12. n. 3. — *prospectabatque* sc. insula, ut ap. Phaedr. 2, 5. *quae prospectat Siculum mare* de villa Misenensi; *Walth.* — *pulcherrimum sinum*, Neapolitanum. Cf. ad Agr. 30. n. 4. — *Vesuvius mons ardescens* a. U. 832. sub Tito; quod notissimum vel ex Plin. ep. 6, 16. et 20. — *Graecos ea* loca *tenuisse Capreasque a Telebois habitatas*; nam Teleboae Taphum, unam ex Echinadibus insulis Acarnaniae obiectis, reliquisse et duce Telone Capreas occupasse feruntur. v. Heyne ad Virg. Aen. 7, 735. intpp. Sil. 7, 418 sq. *Thelebois* edd. vet. ante Ryck. Sed Τηλεβόαι dicti. „Augustus emit sive permutavit Capreas cum re publ. Neapolitanorum traditis earum vice Pithecusis sive Aenaria, (hod. Ischia) quas alii duas faciunt insulas, alii vero unam. v. Strabo V. p. 248. Suet. Aug. 92. Dio 52, 43. Ab hac causa Capreae in censu Caesarum.“ *Lips.*

3. *Sed tum Tiberius* Capreas *duodecim villarum nominibus et molibus insederat*, ibi consederat in duodecim villis clarorum nominum ob veteres possessores, nec minus substructionum magnificentia conspiciendis; *Gron.* ut Woltm. Stromb. et Herm. Villis XII in hac insula conditis, quarum ob substructiones ac moles illustria erant nomina; *Brot.* „Ἓν διὰ δυοῖν esse puto, quia, si *et molibus* auferas, Tacitus longe diversa dicturus sit: duodecim villis, quae nomine tenus exstabant; quod ille minime dictum voluit. Itaque sic interpretabere: molibus XII villarum, quibus singulis suum nomen erat.“ *Roth.* p. 26. Cf. Ind. III. v. *Hendia-*

dyoin. „Immo: *Tiberius insederat,* occupaverat, impleverat, (cf. ad H. 3 69, 5.) totam insulam duodecim villis, ita ut eius nulla pars superesset praeter villarum *nomina et moles;* ut, quamcunque insulae partem adires, ab aliqua XII villarum nominaretur et molibus eius occuparetur. Nam *nomine* aliquo aliquid impleri dicitur, si id nomen totam rem sibi vindicat.“ *Walth.* Sententia haec verbis praeced. aptissima, nec tamen ita capienda, ut nulla insulae pars aliis incolis relicta, sed ut res in maius aucta sit: neque est quod displiceat *nominibus,* et huic voci *nemoribus* vel *culminibus* vel *montibus* substituendum censeas. Sed probabile est, *duodecim villas* a totidem diis maiorum gentium fuisse cognominatas: unde *villa Iovis* ap. Suet. Tib. 65. „Ceterum *duodecim villarum* loca detegere sategit ante L annos Accuccius medicus, et omnis generis monumenta ibi reperta describit Norb. Hadrawa in epistolis Italice editis et Dresdae 1794. Germanice redditis.“ *Oberl.* — *quanto* magis *intentus olim publicas ad curas, tanto* magis nunc *resolutus occultior in luxus et malum otium,* cf. Ind. III. v. *Comparationis usus modusque minus vulgaris,* ad rem vero Suet. Tib. 43. *Principis angusta Caprearum in rupe sedentis Cum grege Chaldaeo* Iuvenal. 10, 93. ubi *sedere* est segne otium consumere et vitam agere obscuram, ut ἧσθαι et καθῆσθαι. v. Klotz. ad Tyrt. p. 143. *occultos* edd. Ern. et rec. ex emend. Gron. *occultior* edd. vet. quod defendit Wopk. ad 3, 29. „Sed quomodo *tanto occultior* opponi possit verbis *quanto intentus,* non satis video, nisi forte *tanto* pertineat ad *resolutus* et *occultior* sit e conspectu hominum remotus et insula abditus, Germ. in seiner Verborgenheit.“ *Walth. Occultior* dictum pro adv. *occultius* et *tanto* iungendum cum *resolutus.* v. Roth. ad Tac. Agr. p. 209.

4. *Quis* (quibus, Agrippinae et Neroni) *additus miles,* v. ad c. 60. n. 1. — *ultroque struebantur qui monerent,* ut *struere* et *moliri accusatores* 11, 12. 12, 22., insolentius iuncto accusativo personae; *Wopk.* — *qui monerent perfugere ad Germaniae exercitus,* ut, si parerent vel etiam probare viderentur, eos rerum novarum cupidos maiestatisque reos facerent; *Brot.* Cf. ad 2, 39, 1. et 11, 1, 2. — *celeberrimo fori* tempore, frequenti foro, sive quo tempore forum sit plenissimum hominibus, qui accurrere, misereri, opem ferre possint; *Ern.* Intell. potius *loco,* celeberrima fori parte: nam illud dici oportuerat *celeberrimo foro; Wopk.* „Hunc locum divino fuisse Rostra, quae in foro fuerunt et quibus non clarior locus ad statuas. v. Liv. 7, 14. et Cic. p. Deiot. c. 12.“ *Freinsh.* „Immo praeferenda Ernestii interpretatio: nam *forum* non solum de loco fori valet, sed etiam de multitudine hominum in foro agentium, ut ap. Virg. Ge. 2, 502. et Aen. 2, 758. Locus autem fori satis definitur per *effigiem divi Augusti.*“ *Walth.*

CAPUT LXVIII.

Iunio Silano et Silio Nerva Coss. foedum anni principium incessit, tracto in carcerem illustri Equite Romano Titio Sabino ob amicitiam Germanici. Neque enim omiserat, coniugem liberosque eius percolere, sectator domi, comes in publico post tot clientes unus eoque apud bonos laudatus et gravis iniquis. Hunc Latinius Latiaris, Porcius Cato, Petitius Rufus, M. Opsius praetura functi aggrediuntur cupidine consulatus, ad quem non nisi per Seianum aditus; neque Seiani voluntas nisi scelere quaerebatur. Compositum inter ipsos, ut Latiaris, qui modico usu Sabinum contingebat, strueret dolum, ceteri testes adessent, deinde accusationem inciperent. Igitur Latiaris iacere fortuitos primum sermones: mox laudare constantiam,

29 *

quod non, ut ceteri, florentis domus amicus afflictam deseruisset: simul honora de Germanico Agrippinam miserans disserebat. Et postquam Sabinus, ut sunt molles in calamitate mortalium animi, effudit lacrimas, iunxit questus; audentius iam onerat Seianum, saevitiam, superbiam, spes eius: ne in Tiberium quidem convicio abstinet. Iique sermones, tanquam vetita miscuissent, speciem arctae amicitiae facere. Ac iam ultro Sabinus quaerere Latiarem, ventitare domum, dolores suos quasi ad fidissimum deferre.

1. *Iunio Silano:* in edd. Ber. Rhen. Ald. *Sillano.* v. ad 13, 1, 1. „*Appius Iunius Silanus* dicitur in Dionis Indice, sed Dioni 60, 14. (ubi mentio mortis Caligulae iussu ei indictae) *C. Appius Silanus* cum duplici praenomine, ut L. Servius Rufus in numo, M. Servius Sulpicius ap. Nepotem et Q. Servius Sulpicius apud Cic. Filius videtur C. Iunii Silani cos. a. 763. et vivente adhuc Augusto Aemiliam Lepidam, Augusti proneptem, duxit uxorem! v. Plin. 7, 13. E quo matrimonio M. et L. Silani, D. Iunius Torquatus et Iunia Calvina procreati. Hic est qui *Silani filius* appellatur *homo* Claudio *affinis* ap. Suet. Claud. 4. et ad hunc, non ad *Salanum,* scriptam existimo Ovidii epist. ex Ponto V. lib. II. ubi in commilitium studiorum assumptus dicitur a Caesare Germanico Claudii fratre. Postea consocer Claudii Imp. factus. v. inf. ad 11, 37. P. *Silius Nerva* videtur filius P. Silii Nervae cos. a. 733. esse et pater A. Silii Nervae cos. a. 819. v. inf. 15, 18. Quod si verum, frater fuit C. Silii cos. a. 765. Hic enim P. F. dicitur in fastis Capitol. et Vell. 2, 116. frater A. Licinii Nervae Silani cos. a. 760. qui adoptione transiit in gentem Liciniam. Atque ita appellatus est *Silianus.* Idem fortasse patruus fuit *A. Silii Nervae* cos. a. 819. eumque adoptavit.“ *Ryck.* Cf. 15, 48. ubi hinc *Silianus* pro *Silius* legendum censebant Lipsius, Periz. ep. ad Heins. in coll. Burm. T. IV. p. 760. et Noris. opp. T. II. p. 893. sq. et ita quoque appellatur in vet. inscr. ap. Panvin. corrupte vero A. Licinius Nerva Silanianus a Phlegonte mirab. c. 23. et *Silanus* in vasculo inscripto ap. Murator. Thes. inscr. T. I. p. 305. Hanc tamen legitimam rationem Romanis hac aetate non in usu perpetuo fuisse putabat Ern. — *foedum anni principium incessit,* venit, ingruit, fuit, ut ap. Liv. 2, 27. 8, 3. 9, 4. Cf. Ind. III. v. *Incedere.* — *illustri Equite Rom.*, v. ad 1, 73, 1. — *Titio Sabino, ob amicitiam Germanici,* cf. ad c. 18. n. 1. — *percolere* cet. v. ad 3, 33, 3. 4, 12, 3. 4, 34, 2. — *post tot clientes unus,* ex tot clientibus unus, et *gravis iniquis,* molestus et invisus iis, qui odissent eos; *Ern. iniquis,* inimicis Germanici. v. ad 3, 4, 2. *Latinius* vel *Latiaris,* qui *Latiarius* dicitur Dioni 58, 1. Cf. de eo c. 71. et 6, 4. — *Petitius,* ut *Petitius* et *Peticius Rufus* in pluribus inscriptt. a Grutero et Murat. editis. *Petilius* ed. Lips. 1627. in marg. et hinc aliae. — *praetura functi,* v. ad 2, 33, 1. — *aggrediuntur,* v. ad 4, 3, 1. — *Seiani voluntas,* benevolentia, ut ap. Suet. Caes. 27. — *quaerebatur,* v. ad 1, 35, 1.

2. *Latiaris iacere — sermones,* v. Ind. II. v. *Iacere.* — *honora,* v. ad 1, 10, 6. — *effudit lacrimas, iunxit questus,* cf. Ind. III. v. *Asyndeta.* — *audentius iam onerat Seianum* invidia, probris, *saevitiam, superbiam, spes eius,* cf. ad 1, 69, 3. — *tanquam vetita* dici *miscuissent* sermonibus, tanquam consilia prava agitassent aut socii scelerum fuissent; *Ern.* — *species arctae amicitiae* et argumentum est *vetita* colloqui; *Brot.* — *facere,* immo *fecere;* Mur. aliique. — *Ac iam,* vitiose *At iam* in edd. Oberl. et Lün.

CAPUT LXIX.

Consultant, quos memoravi, quonam modo ea plurium auditu acciperentur. Nam loco, in quem coibatur, servanda solitudinis facies, et si pone fores assisterent, metus visus, sonitus aut forte ortae suspicionis erant. Tectum inter et laquearia tres senatores haud minus turpi latebra quam detestanda fraude sese abstrudunt, foraminibus et rimis aurem admovent. Interea Latiaris repertum in publico Sabinum, velut recens cognita narraturus, domum et in cubiculum trahit, praeteritaque et instantia, quorum affatim copia, ac novos terrores cumulat. Eadem ille et diutius, quanto maesta, ubi semel prorupere, difficilius reticentur. Properata inde accusatio, missisque ad Caesarem literis ordinem fraudis suumque ipsi dedecus narravere. Non alias magis anxia et pavens civitas: egens adversum proximos congressus, colloquia: notae ignotaeque aures vitari: etiam muta atque inanima, tectum et parietes circumspectabantur.

1. *Consultant, quos memoravi,* Latiaris, Cato, Petitius, Opsius. Cf. Dio 58, 1. — *auditu acciperentur*, v. ad 1, 67, 1. — *metus* (nom. plur.) *visus* (gen. sing.) *sonitus aut forte ortae suspicionis erant* MS. Sensus est: *metus* (Germ. Furcht vor) *visus erant* cet. metuebant, ne conspicerentur, ne sonitum facerent et his aliisve fortasse causis in eorum, qui in aedibus Sabini essent, aut ipsius Sabini animo moveretur suspicio insidiarum, vel aliquem foribus adstantem aucupaturum esse sermones. *metus* (nom. plur. Germ. Gegenstände der Furcht) *visus, sonitus aut forte ortae suspiciones erant* edd. vet. ante Ryck. *metus — suspicionis erat* edd. Ryck. Gron. Brot. *metui visus — suspiciones erant* edd. Oberl. Lün. Bekk. Kiessl. ex emend. Ern. „Sed *metui esse* aliud quid significat, nempe affici aliqua re in metum, (es verursacht mir etwas Furcht) quod ab h. l. alienum est. Non *metui erant* visus, sonitus cet., sed metuebant illi, ne visus, sonitus aut suspiciones orirentur; igitur visus, sonitus et suspiciones metus eorum erant. Restituenda potius lectio edd. vet. et similis structura est 6, 29 extr. *incitamentum mortis et particeps fuit Sextia*, 12, 40. *ut compositi* (sc. *hostes*, ut 3, 38. 12, 32. 55.) *maior laus*, maiori laudi, scil. essent, H. 1, 15. *et iudicii mei documentum sint non meae tantum necessitudines, sed et tuae*, G. 13. *nec rubor inter comites aspici.*" *Walth.* Sed v. ad 12, 7, 2. 12, 49, 1. et Roth. ad Tac. Agr. p. 182.

2. *Tectum* aedium *inter* (cf. Ind. III. v. *Praepositiones nominibus postpositae*) *et laquearia sese abstrudunt tres senatores*, Cato, Petitius et Opsius. Simile fraudis scelestae exemplum ex Thucyd. 1, 133. attulit Lipsius, aptius e Cic. Top. 20. s. 75. I. Fr. Gron. et plane congruum ex Valer. Max. 6, 7, 2. Iac. Gron. *Laquear* s. *lacunar*, Gr. χαμάρα, Germ. Decke, tectum fornicatum templi, cubiculi, triclinii. „*Lacunar* dicitur a *lacunis* s. *lacubus* parvis, (Vertiefungen, tiefe Felder) in ligneo tecto arte caelatis. v. Serv. ad Virg. Aen. 1, 726. *Laquear* videtur idem dici a *laqueis*, marginibus lacuum eminentibus et varie tractis pro formarum varietate, quas lacus habent, modo rotundi, modo quadrati, modo rhombiformes s. scutulati. Lucem affert locus Iosephi Ant. Iud. 8, 3, 2. ubi tabulae tecti dicuntur fuisse *ἐξεσμέναι εἰς φατνώματα καὶ προσκόλλησιν χρυσοῦ*, quae est de-

scriptio lacunaris s. tecti laqueati; in qua φατνώματα sunt illi, quos dixi, lacus. De his tectis est erudita nota Valesii ad Euseb. vit. Constant. M. 3, 32. quam exscripsit totam, non laudato auctore, Hard. ad Plin. 35, 11. s. 40. et quae egregie illustrari potest locis Suet. Ner. 31. et 34.“ *Ern.* ad Suet. et in clave Cic. v. *lacunar.* Cf. Isidor. 19, 12. Vitruv. 7, 3. et Salmas. ad Vopisci Aurel. c. 46.

3. *Eadem ille,* Sabinus, scil. dixit, (v. Ind. III. v. *Ellipses* n. 5.) quae ad Tiberium et Seianum spectant, *et* tanto *diutius, quanto difficilius maesta reticentur.* Cf. Ind. III. v. *Comparationis usus minus vulgaris.* In edd. Ber. Rhen. 1. Pich, et rec. *quanto,* in MS. *qaranto,* in edd. Rhen. 2. 3. Ald. et aliis *quando.*

4. *Non alias magis anxia et pavens civitas, egens adversum proximos: congressus, colloquia, notae* eet. „Ita vulgo distinguuntur haec verba, ut *egens* pertineat ad *civitas, congressus* ad *vitari.* Sed *civitas* habet epitheta sua, et post illa languerent verba *egens adv. pr.* Ac ne sensus quidem in his est. Scilicet ad *egens* intelligunt *fide, consilii,* sed contra omnem latinitatem. Nec meliora, quae pro *egens* substituuntur: *tegens, satagens, se tegens, se tegere, egerat etiam, egit etiam.* Immo *egens* pertinet ad *congressus* et *colloquia.* Solet enim praedicatum in num. sing. poni ob proximum subiectum, licet pertineat simul ad subiecta plur. num. remotiora. v. ad 12, 45, 1. Iam *egens* in hoc verborum contextu est quod nos dicimus dürftig, egens verbis, inops, ieiunus, qualis est congressus et colloquia eorum, qui sibi invicem sunt suspecti.“ *Walth.* — *circumspectabantur* „id. qd. *suspectabantur,* quod Acid. malebat. Ita H. 4, 8. Sall. Iug. 72. Cic. Pis. c. ult.“ *Wopk.*

CAPUT LXX.

Sed Caesar, sollennia incipientis anni Kal. Ianuariis epistola precatus, vertit in Sabinum, corruptos quosdam libertorum et petitum se arguens, ultionemque haud obscure poscebat. Nec mora, quin decerneretur; et trahebatur damnatus, quantum obducta veste et astrictis faucibus niti poterat, clamitans, *sic inchoari annum, has Seiano victimas cadere.* Quo intendisset oculos, quo verba acciderent, fuga, vastitas: deseri itinera, fora; et quidam regrediebantur ostentabantque se rursum, id ipsum paventes, quod timuissent. *Quem enim diem vacuum poena, ubi inter sacra et vota, quo tempore verbis etiam profanis abstineri mos esset, vincla et laqueus inducantur? Non prudentem Tiberium tantam invidiam adiisse. Quaesitum meditatumque, ne quid impedire credatur, quo minus novi magistratus, quo modo delubra et altaria, sic carcerem recludant.* Secutae insuper literae grates agentis, quod hominem infensum rei publicae punivissent, adiecto, trepidam sibi vitam, suspectas inimicorum insidias, nullo nominatim compellato: neque tamen dubitabatur, in Neronem et Agrippinam intendi.

1. *Sed Caesar sollennia* vota *incipientis anni Kal. Ianuariis epistola precatus* bonis, faustis verbis. „Scripserim *praefatus;* nec tamen *precatus* damno sententia ista, ut sacra auspiciaque eius diei prima *epistola* vel principio eius veneratus sit Caesar. Ita supra legi *principio literarum veneratus deos.* Sane dies ille, si quis alius, religiosus in vulgus. *Primum incipientis anni diem laetis precationibus invicem faustum ominamur* Plin. 28, 5. Templa aperiebant, vota concipiebant pro sua quisque publicaque salute: stipem strenasque accipiebant et dabant; quem mo-

rem adeo aversabatur Tiberius, ut plerumque extra Urbem ageret Kal. ipsis, ne admitteret strenas. Sed et ludi tum in palatio. v. Suet. Oct. 57. Ovid. Fast. 1, 175. Prudent. in Symm. 1, 237 sq. Iulian. in Misopog. p. 339. Dio 57, 8. D. Maximi de Kal. Ian. increpatio, Augustini epist. 64. (22.) ad Aurelian." *Lips.* Cf. ad c. 17. n. 1. *Ianuarius* MS. *Ianuarias* edd. vet. *Ianuariis* edd. Iac. Gron. et rec. — *vertit* se vel verba. v. ad c. 41. n. 2.

2. *et trahebatur damnatus* unco ad scalas Gemonias. v. ad 3, 14, 3. et ad rem cf. Dio 58, 1. et inpr. Plin. 8, 40. s. 61. — *obducta veste* ori *et adstrictis faucibus* laqueo et vinculis paulo post memoratis. Cf. Iuvenal. 10, 88. et Suet. Vit. 17. — *quo verba acciderent,* v. ad H. 4, 29, 3. *acciperent* MS. — *Quem enim diem vacuum poena* fore, *ubi inter sacra et vota* cet. Hae sunt cogitationes hominum; *Freinsh.* — *quo tempore verbis etiam profanis,* mali ominis, nedum tristibus factis suppliciisque, *abstineri mos esset;* nam quum *sacra,* festa et mysteria celebrarentur, non modo arcere solebant profanos, (ἑκὰς ἑκὰς ἔστε βέβηλοι, ἑκὰς, ἑκὰς, ὅστις ἀλιτρὸς, procul, procul este, profani!) sed etiam εὐφημεῖν, favere linguis, vel tacendo, vel dicendo bona verba, preces ac vota, inpr. *Kal. Ian.*, quoniam omina inesse credebantur principiis et templa auresque deorum patere. Cf. Ovid. Fast. 1, 71. 72. 178 seq. 2, 654. intpp. Virg. Aen. 3, 112. et Sil. 17, 22. 28. Brisson. de form. 1, 11—15. et quos Lipsius laudavit, Sen. Contr. 5, 4. Philo contra Flacc. p. 976. Xen. Mem. Socr. 4, 8. Appian. B. C. 5, 34. Suet. Tib. 61. et inpr. Plut. Mar. p. 432. B. *quod temporis* ed. Ald. — *vincla et laqueus inducantur,* v. ad 1, 7, 9. — *Non prudentem Tiberium tantam invidiam adiisse:* „Vulgi sunt voces culpam a Principe, qui non sponte hoc iusserit, sed Seiani artibus deceptus, amoventis, quamvis simulate et in Seianum reiicientis: qui mos in Principum aulis perpetuus." *Pich.* Post *adiisse* signum interrogandi ponendum censebat Iac. Gron. hoc sensu: An credemus, Tiberium de tempore non cogitantem iussisse id peragi et hinc cecidisse in rumores tam adversos insontem et inopinantem? Immo id totum sic fuisse *quaesitum meditatumque* cet. Cf. ad 2, 15, 2. *Non prudentem* MS. edd. Ber. Rhen. 1. Pich. Ern. Ob. al. *Non imprudentem* edd. Rhen. 2. 3. Ald. Lips. Freinsh. Ryck. Bekk. — *carcerem recludant,* cf. cap. 68 pr.

CAPUT LXXI.

Ni mihi destinatum foret, suum quaeque in annum referre, avebat animus anteire statimque memorare exitus, quos Latinius atque Opsius ceterique flagitii eius repertores habuere, non modo postquam C. Caesar rerum potitus est, sed incolumi Tiberio, qui scelerum ministros, ut perverti ab aliis nolebat, ita plerumque satiatus et oblatis in eandem operam recentibus veteres et praegraves afflixit. Verum has atque alias sontium poenas in tempore trademus. Tum censuit Asinius Gallus, cuius liberorum Agrippina matertera erat, petendum a Principe, ut metus suos senatui fateretur amoverique sineret. Nullam aeque Tiberius, ut rebatur, ex virtutibus suis quam dissimulationem diligebat. Eo aegrius accepit recludi, quae premeret. Sed mitigavit Seianus, non Galli amore, verum ut cunctationes Principis aperirentur, gnarus, lentum in meditando, ubi prorupisset, tristibus dictis atrocia facta coniungere. Per idem tempus Iulia mortem obiit, quam neptem Augustus convictam adulterii damnaverat proieceratque in insulam Trimerum haud

procul Apulis litoribus. Illic viginti annis exsilium toleravit Augustae ope sustentata, quae, florentes privignos quum per occultum subvertisset, misericordiam erga afflictos palam ostentabat.

1. *Ni mihi destinatum foret — avebat animus* cet. Cf. Ind. III. v. *Verborum Modi* I, 1. — *suum quaeque in annum referre*, in Annalibus meis ordine memorare res in quolibet anno gestas. — *anteire*, prius, ante tempus referre. *antire* MSS. et edd. vet. ante Lips. quod revocavit Bekk. ut et 5, 10. — *exitus*, v. ad 2, 71, 1. — *Latinius atque Opsius ceterique flagitii eius repertores*, v. cap. 68. — *C. Caesar*, Caligula, *rerum potitus est*, v. ad 3, 55, 1. — *non modo* — *sed* etiam. v. ad 1, 60, 1. — *plerumque*, v. ad 3, 28, 4. — *veteres et praegraves*, διὰ χόρου γενόμενοι, postquam praegraves sibi facti erant; *Walth.* Copula h. l. pro *sed*, vel ἐξηγητικῶς dicta. Cf. ad 1, 13, 2. ad G. 17. n. 5. et Ind. II. v. *Et.* — *in tempore trademus*, v. ad 1, 1, 2. De *Latinio* v. 6, 4. Poenas Opsii, Catonis et Petitii tradidit in libris deperditis.

2. *Asinius Gallus, cuius liberorum Agrippina matertera erat:* nam Vipsania, uxor Asinii, consanguinea Agrippinae soror fuit, i. e. eodem patre Vipsanio, diversa matre nata; *Lips.* Asinius Gallus uxorem duxerat Vipsaniam Agrippinam, Tiberio primum nuptam, M. Agrippae et Pomponiae filiam, sororem ex patre Agrippinae Germanici uxoris, quae ex M. Agrippa et Iulia, Augusti filia, erat genita; *Brot.* Cf. ad 1, 12, 2. et 3, 19, 3. — *petendum:* in ed. Ald. *repetendum.* — *ut rebatur* ad seqq. *ex virtutibus suis* refer: perperam putabat *dissimulationem* esse virtutem; *Lips.* Cf. 6, 50 pr. — *sed mitigavit Seianus* sc. Tiberium iramque eius. v. ad Agr. 4. n. 8. — *non Galli amore, verum* odio Neronis et Agrippinae, *ut cunctationes Principis aperirentur:* ita MS. et edd. vet. (nisi quod in iis est *contationes*) prob. Pich. Freinsh. Brot. Kiessl. hoc sensu: ut *cunctationes* h. e. meditationes, (sic 5, 4 pr.) cogitationes, (quod frustra coni. Lipsius) consilia occulta et diu agitata *Principis aperirentur*, detegerentur tandem et *prorumperent*, erumperent, ut ille *tristibus* consiliis et *dictis atrocia facta coniungeret.* Cf. ad 4, 21, 1. et 4, 42, 1. *operirentur* malebant Lips. et Ryck. h. e. ut odium in Gallum maius mora conciperetur tegereturque, donec omnia ad eum opprimendum parata haberet. Plerisque vero arrisit coniectura Mureti *opperiretur* sc. Seianus, eodem fere sensu: ut specie clementiam suadentis Tiberio daret occasionem cunctandi differendique Gallum in maturius odium, donec maior offensio uno impetu eum prosterneret. Ita Gron. — *lentum in meditando*, cf. ad 3, 70, 1.

3. *Iulia mortem obiit — neptis Augusti convicta adulterii* cet. cf. ad 3, 19, 3. 3, 24, 2. Suet. Aug. 65. — *proieceratque in insulam Trimerum*, v. ad 1, 3, 6. *Trimerum* MS. et edd. vet. ante Freinsh. Ab hoc scriptum *Tremetum*, ab aliis *Trimetum*, quia a Geogr. Raven. *Tremetis* et hod. *Tremiti* appellatur. — *florentes*, v. ad 1, 41, 1. — *privignos*, Augusti nepotes, Caium, Lucium, Postumum Agrippam ipsumque Germanicum; *Brot.* — *per occultum*, occulto, fraude; *Ern.* Cf. Ind. II. v. *Per.*

CAPUT LXXII.

Eodem anno Frisii transrhenanus populus pacem exuere, nostra magis avaritia quam obsequii impatientes. Tributum iis Drusus iusserat modicum pro angustia rerum, ut in usus militares coria boum penderent, non intenta cuiusquam cura, quae firmitudo, quae mensura, donec Olennius e primipilaribus,

regendis Frisiis impositus, terga urorum delegit, quorum ad formam acciperentur. Id aliis quoque nationibus arduum apud Germanos difficilius tolerabatur, quis ingentium beluarum feraces saltus, modica domi armenta sunt. Ac primo boves ipsos, mox agros, postremo corpora coniugum aut liberorum servitio tradebant. Hinc ira et questus et, postquam non subveniebat, remedium ex bello: rapti, qui tributo aderant, milites et patibulo affixi. Olennius infensos fuga praevenit receptus castello, cui nomen *Flevum*, et haud spernenda illic civium sociorumque manus litora Oceani praesidebat.

1. *Eodem anno* U. c. 781. *Frisii Transrhenanus populus pacem exuere*, ut a. U. 774. Treveri et Aedui. v. 3, 40—46. De *Frisiis* v. ad G. 34. n. 3. et cap. 35. n. 2. — *nostra magis avaritia*, v. ad Agr. 12. n. 10. et Ind. III. v. *Ablativi Substant. absoluti*. — *Tributum iis Drusus* (Germanici pater) *iusserat modicum — ut coria boum penderent:* nam verbum *iubere* iungitur vel cum Dativo personae et Accus. rei, ut h. l., vel cum Dativo personae, quem excipit Infinitivus, ut ap. Liv. 42, 28. *cui iussum erat creare*, aut coniunctio *ut*, aut Coniunctivus omisso *ut*. Sic *quibus iusserat, ut* 13, 40. *iussit, ut* 11, 32. *Britannico iussit*, (ut) *exsurgeret* 13, 15. Cf. Drak. et Duk. ad Liv. 23, 21. 32, 16. Plerumque vero absolute ponitur et tum sequitur vel Infinitivus, vel coniunctio *ut*, vel Coniunctivus omisso *ut*. Cf. ad H. 1, 38, 5. et 4, 34, 6. „Verbum *iubere* natura sua, ut alia eiusdem significationis verba, (inpr. *imperare*) postulat Dativum personae, cui aliquid iubeatur, et Accusativum rei, quae iubeatur. Iam vero si scribo *iubeo te adesse*, tum *te* non significat personam, cui aliquid iubeatur, sed illud *te adesse* est res, quam iubeo. Accusativus in hac formula trahitur ab Infinitivo." *Walth.* Locutionem *iubere alicui* soloecam esse contendunt Gron. ad Liv. 27, 24. Duk. ad Liv. 23, 21. 26, 41. 27, 24. Drak. ad Liv. 27, 24. 32, 16. et ad Sil. 12, 607. Burm. ad Petron. c. 71. Cort. ad Sall. Iug. 84. intpp. Suet. Vesp. 23. et alii. Sed permultis eam exemplis firmarunt Scheller et Forcell. in Lexicis, Periz. ad Sanctii Min. 2, 4, 6. et Ruddim. inst. Gr. T. II. p. 132. 133. — *angustia rerum*, facultatum, opum, ut O. 8. *modicum pro angustia rerum*, nam *pro re* est id. qd. secundum rem, quod ei consentaneum, Gall. *selon*, *à proportion*, Germ. nach Verhältnifs, der Sache gemäfs. Sic *latiorem quam pro numero terrorem faciunt* H. 5, 21. (ut Gr. μείζων ἢ κατὰ s. ἢ πρός τι, Germ. als man nach Verhältnifs der Anzahl hätte erwarten sollen) *patientius quam pro solita Germanorum inertia* (als man nach der gewöhnlichen Trägheit der Germaner erwarten sollte) G. 45. Cf. Ann. 12, 21. 24. 14, 53. H. 5, 13. 5, 15. Liv. 10, 14. 21, 29. 25, 13. 16, 19. 26, 41. 27, 6. 30, 10. 33, 8. 36, 7. 10. Ind. II. v. *Pro γ.* et Ramshorn Gr. p. 309. Similiter *ut*, de quo v. ad G. 2. n. 8. — *ut in usus militares coria boum penderent*" nempe ad scuta, ad tentoria militum, etiam ad machinarum paratum. Simile tributum in Bosporo tempore Graecanicorum Imperatorum pensum Cedrenus docet ad a. Chr. 527. et appellat τὰς συντελείας τῶν βοῶν. Addit autem, (quam vere nescio) *Bosporo* nomen esse ἀπὸ τοῦ τελεῖν Ῥωμαίοις κατ' ἔτος ἀντὶ χρημάτων βόας. Lego et equos medio aevo a Dalmatis datos in tributo." *Lips.* Cf. idem de mil. Rom. 5, 5. — *Olennius e primipilaribus*, v. ad 2, 11, 1. et Ind. II. v. *E. et Ex* n. ε. — *terga urorum*, boum ferorum, (Auerochsen, Waldrinder) qui improprie dicuntur *bubali*, Ital. *bufali*, Germ. Büffel: nam *bubalos* proprie sic dictos, qui vitulis cervisque similes sint, in Africa gigni, non in Germania et Italia, docet Plin. 8, 15. Cf. Sen. Hippol. 65. (*latisque feri*

cornibus uri) Plin. l. l. (*boves feri iubati, bisontes, excellenti vi et velocitate, quos Germania gignit*) intpp. Virg. Ge. 2, 374. 3, 532. et inpr. loc. class. Caes. B. G. 6, 28. Vox *urus* est Gallica sec. Macrob. Sat. 6, 4 extr. sed Graecae originis ab ὄρος (bos montanus) sec. Serv. ad Virg. Ge. 2, 374.

2. *apud Germanos, quis ingentium belluarum feraces saltus, modica domi armenta sunt,* v. ad G. 5. n. 4. „Sensus est: Frisiis id tributum propterea *difficilius tolerabatur,* quia belluae, quarum terga pro norma coriorum accipiebantur, ingentes erant in illis saltibus, armenta autem domestica modica, ut ita coriis boum suorum non possent assequi formam praescriptam. Igitur *quis* ponitur pro *quia iis,* ut c. 74 extr. et al.“ *Walth.* — *Ac primo boves ipsos, mox agros — tradebant,* scil. quum tam magna boum coria pendere non possent; *Brot.* — *postquam non subveniebat* scil. Olennius: nam ad eum deferebant questus, iniqua se pati non ab Olennio, sed ab iis, qui tributo accipiendo aderant, rati; *Walth.* Olennius agnoscens hanc difficultatem debuit precibus Frisiorum moveri: adhuc enim in Frisia erat, nec excessit, nisi postquam Frisii despondentes arripuerunt arma; *Iac. Gron.* Legendum *subveniebatur* aut *nemo subveniebat; Lips.* Hoc est in ed. Micyll., illud in edd. Pich. Bekk. et al. Sed bene *subveniebat* MS. et edd. vet. Referendum vero ad Olennium, non ad *questum,* quod putabant Petavius et Brot. *Questus* est potius plur. num. et *questibus* subveniendum erat, *remedium* quaerendum: nec latine dicitur *subvenit questus* pro: usui est, prodest. — *rapti* a Frisiis *qui tributo aderant milites* Romani. „*tributo* sc. exigendo; nisi tributum hic non est id quod tribuitur, sed tributi exactio per enallagen. Milites vero non ipsi exigebant tributum, sed aderant ei, qui tributum exigebat.“ *Walth.* Verbum *adesse* h. l. vel simpl. pro *adiuvare,* vel exquisite in deteriorem partem, ut vim, odium, ferociam, saevitiam indicet, (cf. Cort. ad Sall. Iug. 50.) dictum videri potest, vel ad *tributo* intell. *exigendo; Ern.* Posterius praeferendum.

3. *receptus castello, cui nomen Flevum:* Heinsius malebat *Flevo.* Sed v. ad cap. 28. n. 1. Castelli locum olim fuisse putant vel ad Hunsae sive Unsingae fluvii os, ubi hod. Flie s. Flieland aut Vliesfliet, Fliedorp; (v. Menso Alting. notit. Batav. et Fris. ant. p. 62.) vel ad Flevum Rheni ostium (Φληοῦμ Ptol. 2, 11.) s. Isalam, nunc Issel, Yssel; (v. Hard. ad Plin. 4, 15. s. 29. intpp. Mel. 3, 2. et Luden Gesch. d. Deutschen T. I. p. 335. 685.) vel ad Amisiae ostium, (v. Wilhelmi Germanien p. 153.) vel ad Manarmanin portum; (v. Ptol. l. l.) vel non longe a Maarsa, ubi nunc Vleuten in prov. Ultraiect. (v. Wersebe über die Völker d. a. Teutschl. p. 102. 103.) Cf. Reichardi Orbis terr. ant. — *litora Oceani praesidebat.* v. ad 3, 39, 1.

CAPUT LXXIII.

Quod ubi L. Apronio inferioris Germaniae propraetori cognitum, vexilla legionum e superiore provincia peditumque et equitum auxiliarium delectos accivit ac simul utrumque exercitum Rheno devectum Frisiis intulit, soluto iam castelli obsidio et ad sua tutanda digressis rebellibus. Igitur proxima aestuaria aggeribus et pontibus traducendo graviori agmini firmat, atque interim repertis vadis alam Canninefatem, et quod peditum Germanorum inter nostros merebat, circumgredi terga hostium iubet; qui iam acie compositi pellunt vi turmas sociales equitesque legionum subsidio missos. Tum tres leves cohortes ac rursum duae, dein tempore interiecto alarius eques

immissus; satis validi, si simul incubuissent: per intervallum adventantes neque constantiam addiderant turbatis, et pavore fugientium auferebantur. Cethego Labeoni legato quintae legionis, quod reliquum auxiliorum, tradit; atque ille dubia suorum re in anceps tractus, missis nuntiis, vim legionum implorabat. Prorumpunt quintani ante alios et, acri pugna hoste pulso, recipiunt cohortis alasque fessas vulneribus. Neque dux Romanus ultum iit aut corpora humavit, quanquam multi tribunorum praefectorumque et insignes centuriones cecidissent. Mox compertum a transfugis, nongentos Romanorum apud lucum, quem *Baduhennae* vocant, pugna in posterum extracta confectos, et aliam quadringentorum manum, occupata Cruptoricis quondam stipendiarii villa, postquam proditio metuebatur, mutuis ictibus procubuisse.

1. *Germaniae propraetori* edd. Rhen. 3. Ald. et rec. *propraetore* MS. edd. Ber. Rhen. 1. 2. v. ad 1, 74, 1. et 2, 52, 2. — *vexilla legionum*, v. ad Agr. 18. n. 3. — *e superiore provincia*, v. ad G. 1. n. 1. — *castelli* (Flevi, c. 72.) edd. rec. ex emend. Rhen. *castello* edd. vet. — *ad sua tutanda*, v. ad Agr. 28. n. 3. — *alam Canninefatem* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. et rec. *Caninefatem* edd. Lips. et aliae ante Ern. *alam Cannanefatum* (ut ap. Gruter. p. 385, 1.) vel *Canninefatum* scribendum videtur; *Brot.* De hoc populo et de scriptura nominis v. ad H. 4, 15, 2. — *pellunt vi* MS. ed. Iac. Gron. *pelluntur* edd. Ber. Rhen. 1. 2. quae lectio orta ex illa MSti. *pellunt* edd. Rhen. 3. Ald. et rec. omisso *vi*, quod etiam inutile additamentum videri potest. — *turmas sociales*: „equites ex alis sociorum. Primo pars equitatus alarii impetum fecit, mox *equites legionum*, tandem universus *equitatus alarius*.“ *Ern. Turma* erat XXXIII equitum. v. Veget. 2, 14. Sic dicta pro *terma* = *terna*. v. Varr. L. L. 4, 16. — *alarius eques* edd. rec. ex emend. Freinsh. *acrius eques immissus* edd. vet. „Hoc defendit Woltmannus argumentis tamen infirmis. Loquitur Noster de genere copiarum, quae *immitterentur*, (cf. ad 6, 45, 2.) a qua recensione illud *acrius* saltem alienum erat.“ *Walth.* „In eo nescio an assentiendum sit Freinshemio, quod *equites legionum* et *alarios* sic distinguit, ut illos e Romanis, hos ex sociis sumptos dicat. Nam istis temporibus equitatus omnis videtur fuisse e sociis, in quos Romani onerosissima militiae transtulere: sed dividebatur sic, ut pars adiungeretur legionibus, quarum olim quaeque equites trecentos habuerat *alae* nomine, post quingentos fere, pars cohortibus sociorum; qui *equites alarii* dicti. Olim aliter fortasse fuit: nam Livius 35, 5. et 40, 40. *equites legionarios* et *alarios* clare distinguit et illos vocat Romanos. Sed fortasse *Romani equites* ibi dicuntur, qui cum Romanis erant, ut *alarii* etiam equites sociorum, non quia e sociis lecti, quanquam hoc quoque, sed quia cum ipsis pugnabant. Sic et Victorius ad Cic. ep. 2, 17. iudicat. Neque tamen hic aliquid pro certo affirmem. Ceterum Schelius ad Hygin. p. 68. contra Salmasium disputans, qui legioni etiam sub Imperatoribus equites trecentos recte attribuit, perperam negat, Tacitum aut alium aetatis eius scriptorem uspiam *legionarii equitis* mentionem fecisse, contenditque nullos alios nisi *alarum equites* illis temporibus fuisse: quod refellitur hoc Taciti loco, ubi diserte *equites legionum* et *alarii* distinguuntur, et illo H. 1, 57. ubi *equites legionis* occurrunt. Fuere quidem *equites legionum*, sed non ex ordine equestri. Idem Schelius ad Hygin. p. 298. *alas Pannonicas ac Moesicas* H. 3, 2. intelligit de equitatu legionum Pannonicae ac Moesicae: quod

non necessarium puto. Nec illud certum, eas e civibus Rom. lectas fuisse: nam legionibus etiam sociorum equites fuisse additos iam Caesaris et extremis liberae rei publ. temporibus, clarum est ex Hirtii B. Alex. c. 34. ubi Cn. Domitius legioni XXXVI equites centum a Deiotaro totidemque ab Ariobarzane adiungit." *Ern.* „Immo *alarius eques* sociorum erat et diversus ab *equitibus legionum*, ut patet ex h. l. et Liv. 40, 40. Equites hos Romanos fuisse equestris ordinis minime dixerim; at cives Romanos fuisse existimo. Diu quidem legiones equitibus caruere; sed postea *proprios et sibi insitos equites legionarios iisdem matriculis tenuere*. Ita Veget. 2, 2. Nec probabilis videtur Ernestii sententia, istis temporibus equitatum omnem e sociis constitisse." *Brot.* Equites sociorum *alarii* dicuntur etiam 3, 39. 12, 27. 13, 35. 15, 10. Liv. 40, 40. ut *cohortes alariae* s. *alares* Liv. 10, 40. eorum peditatus. Socialis enim exercitus in duo corpora dividebatur, in *alam dextram* et *sinistram*. v. Liv. 10, 40. 27, 2. 31, 21. 35, 5. 40, 31. 40. Sed *ala* etiam equites Romani dicuntur Liv. 2, 49. 8, 39. 23, 45. 29, 1. et al. Cur vero altera ala vocata sit *dextra*, altera *sinistra*, non satis constat, nec docuit nos Polyb. 6, 26. v. Lips. de mil. Rom. 2, 27. et Duk. ad Liv. 27, 14. Ille suspicabatur, ita dici duas peditatus equitatusque sociorum partes, quia plurimum, ut *alae* in avibus, corpus illud legionum utrimque texissent; (cf. Gell. 16, 4 extr.) hic vero non a locis, quem in acie tenuissent (quia tam dextram in sinistro, quam sinistram in dextro cornu pugnasse vel unus locus Liv. 27, 2. ostendat) sed pro arbitrio imperatorum haec illis nomina fuisse imposita a locis, quae occupassent in castris, h. e. ex eo quod altera earum in dextra, altera in sinistra castrorum parte tetendisset. Cf. Liv. 26, 14. 27, 14. 31, 21. — *si simul incubuissent*, v. ad c. 24. n. 1.

2. *Cethego Labeoni legato quintae legionis*, de qua v. 1, 45. *Cethego* edd. Lips. et rec. *Cethecio* vitiose edd. vet. — *acri pugna* inter Sneck et Lewarde commissa, de qua v. Alting. Germ. inf. ant. p. 14. 15.; *Brot.* — *Neque dux Romanus ultum iit* illud. Cf. ad 4, 1, 2. *Romanos* coni. Pich. — *insignes centuriones*, v. ad 2, 11, 1. — *apud lucum* sacrum, (v. ad G. 9. n. 7.) *quem Baduhennae vocant* lucum, „a nomine Padae deae, nunc *Holt Pade* in Frisiae occidentalis parte, quae Sevenwolden dicitur. Non procul inde eiusdem deae vocabulum loco edito tributum reperitur, vulgo *Padesto* seu *Paesto* i. e. Padae excelsum. Et in Chattorum finibus vel prope est fons Padae sacer, a quo *Padaeborna* appellata. Cluverius Germ. ant. I, 26. p. 574. vocis etymon deducit ab arab. *Bedon*, lat. *principium*, Germ. tanfang, atque putat idem fuisse numen *Baduhennam* et *Tanfanam*. „*Menso Alting*. notit. Batav. et Fris. ant. T. I. p. 14. Sed lucum Baduhennae fuisse in Batavia septentr., parte Galliae provinciae, contendit Reichard. in Orbe terr. ant. et quidem in tab. IX. Indicis topograph. v. *Flevum*. Cf. Adelung ält. Gesch. d. Deutschen p. 326. et v. Wersebe über die Völker und Völkerbündn. d. a. Teutschl. p. 103. — *in posterum* sc. diem. Cf. ad c. 45. n. 2. — *Cruptoricis villa* in Frisia haud procul ab urbe Sneck; *Brot.* „*Hem-Ryck* vicus in Opsterlandia, quasi *Heem van Rike*, villa Ricis, omissa prima nominis parte, quod praenomen esse potuit aut patris nomen, *Crabbe Ryks* seu *Grebber Ryks*, vel *Cruppele Rike*, a claudicatione, ex vulnere; unde *quondam stipendiarii*." *Alting*. l. l. p. 52. — *quondam stipendiarii*, ut 4, 20 pr.; *Freinsh.* et *Walth*. Immo: qui stipendia olim in exercitu Rom. meruerat; *Brot.*

CAPUT LXXIV.

Clarum inde inter Germanos Frisium nomen, dissimulante Tiberio damna, ne cui bellum permitteret. Neque senatus in

eo cura, an imperii extrema dehonestarentur: pavor internus occupaverat animos, cui remedium adulatione quaerebatur. Ita, quanquam diversis super rebus consulerentur, aram Clementiae, aram Amicitiae effigiesque circum Caesaris ac Seiani censuere, crebrisque precibus efflagitabant, visendi sui copiam facerent. Non illi tamen in Urbem aut propinqua Urbi digressi sunt: satis visum, omittere insulam et in proximo Campaniae aspici. Eo venire Patres, Eques, magna pars plebis, anxii erga Seianum, cuius durior congressus atque eo per ambitum et societate consiliorum parabatur. Satis constabat, auctam ei arrogantiam foedum illud in propatulo servitium spectanti. Quippe Romae sueti discursus et magnitudine Urbis incertum, quod quisque ad negotium pergat. Ibi campo aut litore iacentes nullo discrimine noctem ac diem iuxta gratiam aut fastus ianitorum perpetiebantur, donec idque vetitum. Et revenere in Urbem trepidi, quos non sermone, non visu dignatus erat: quidam male alacres, quibus infaustae amicitiae gravis exitus imminebat.

1. *imperii extrema* μέρη, (cf. ad 2, 82, 1. et Ind. III. v. *Adiectiva neutra*) propr. dignitas maiestasque imperii Rom. in ultimis eius partibus. — *pavor internus* edd. Rhen. 2. 3. Lips. et rec. *internos* ed. Ber. et Rhen. 1. *intentus* ed. Ald. *internus* de interno rei publ. statu; *Ern.* Ob interna pericula et mala, a Tiberio et potissimum Seiano metuenda. Cf. cap. 1. 8. 12. — *diversis super rebus consulerentur* senatus, (nom. collect.) Patres. v. ad 2, 33, 2. — *aram Clementiae, aram Amicitiae,* v. ad 1, 14, 2. — *circum* ponendas.

2. *Non tamen in Urbem aut propinqua Urbi* loca *digressi sunt illi* a Capreis et Campania. Cf. cap. 67. *degressi* h. l. et aliis male dederunt Ern. Bip. Ob. Bekk. *Degredi* est ex altiori loco in inferiorem ire, descendere, ut 4, 49. 12, 30. 13, 14. H. 1, 61. 3, 69. Agr. 18. 37. Id vero ab h. l. alienum. *Digredi* significat ab aliquo sive homine sive loco ad alium abire, se conferre, ut h. l. et 1, 27. 4, 30. 6, 1. 50. 13, 18. 14, 23. Eodem sensu *digressus* leg. videtur 11, 21. ubi Walther dedit *degressus* et annotavit, *degredi* etiam dici pro: de loco cedere, statione abire, Germ. abgehen, abtreten, abziehen. Ut vero distinguenda sunt verba *degredi* et *digredi*, ita et cognata *decedere* et *discedere*, (v. ad 2, 44, 2.) *deripere* et *diripere*, (v. ad 1, 20, 2.) *delabi* et *dilabi* (v. ad 4, 43, 3.) et alia, quorum primae syll. sunt *de* et *di*. Cf. intpp. Liv. 40, 22. Cort. ad Sall. Iug. 49. Bremi ad Nep. Lys. 2. Ellendt ad Cic. Brut. p. 63. 65. Herzog. ad Caes. B. G. 1, 25. Frotscher ad Quintil. X. p. 192. — *omittere insulam,* v. ad 3, 47, 1. — *aspici,* se tantum conspectui praebere; *Ern.*

3. *Eo venire Patres, Eques,* Equites. v. ad G. 6. n. 5. — *cuius durior congressus,* difficilior aditus erat, „h. e. difficilius impetrabatur, *atque eo,* ideo, *per ambitum parabatur,* per homines gratia apud Seianum valentes eorumque commendationem et intercessionem, *et societate consiliorum,* si quis promptus esset ad se emancipandum illi, ut ita congressum petere et servitium Seiani fieri idem esset.“ *Walth.* „Familiares eius prensando et conscientia atque opera ad illa, quae machinabatur Seianus: quae *societas consiliorum* iniri potuit ante *congressum* per proxenetas, pararios, sequestres, commendatores, internuntios, ut 2, 28.“ *Gron.* Hinc paulo post *male alacres* et *infausta amicitia,* societate consiliorum parta; *Ern.*

4. *Satis constabat,* v. ad 1, 6, 3. — *illud in propatulo servitium:* in MS. *illum in propatibulo serv.* — *magnitudine* edd. Rhen. 2. 3. et

dein omnes. Cf. Ind. III. v. *Ablativi Substantivorum absoluti.* Male *magnitudini* edd. Ber. et Rhen. 1. — *iuxta*, v. ad 1, 6, 6. — *gratiam aut fastus ianitorum* Seiani *perpetiebantur*, cf. 6, 8. f. Dio 58, 5. Iuvenal. 3, 184 sq. 5, 66. „Sic ap. Cic. ep. ad div. 6, 14. *quum omnem illius conveniendi indignitatem sustinuissemus.* Est vero h. l. Syllepsis: nam proprie *fastus* tantum, non *gratia*, verbo *perpetiebantur* convenit.“ *Ern.* Cf. ad 2, 20, 2. — *idque* pro *id quoque*, quod sine necessitate substituerunt Ern. Bip. Ob. Bekk. Lün. Kiessl. v. ad 2, 37, 1. — *quidam male alacres*, perperam, stulte, sine causa laeti, ut 2, 55. *mala obsequia*, perversa; *Freinsh.* „Malim: in perniciem suam, re sibi perniciosissima laeti. Sic Virg. Aen. 6, 278. *mala gaudia*, quae perniciem afferunt, et Ovid. Trist. 2, 342. *in poenas suas ingeniosus*, qui perit ingenio suo.“ *Ern.* — *infaustae:* in MS. *infastae.*

CAPUT LXXV.

Ceterum Tiberius neptem Agrippinam Germanico ortam quum coram Cn. Domitio tradidisset, in Urbe celebrari nuptias iussit. In Domitio super vetustatem generis propinquum Caesaribus sanguinem delegerat: nam is aviam Octaviam et per eam Augustum avunculum praeferebat.

1. *neptem* (per adoptionem) *Agrippinam Germanici* filiam *coram*, ipse, *Cn. Domitio* (patri Imp. Neronis) *tradidisset*, v. ad 4, 40, 3. et de re numus Panormit. ap. Vaill. Coll. NN. T. I. p. 39. Agrippina peperit L. Domitium, deinde vero nupsit Crispo Passieno et postremum Claudio Imp. qui filium eius L. Domitium Neronem adoptavit. v. 11, 11. 12. 12, 3. Suet. Ner. 5. 6. 7.

2. *propinquum Caesaribus sanguinem delegerat*, in eo delegendo spectaverat et secutus erat; *Ern.* „Nam hic Domitius fuit filius L. Domitii Ahenobarbi et Antoniae maioris; haec autem ex M. Antonio et *Octavia* sorore Augusti nata. Ergo *Augustus* illi *avunculus* maior.“ *Lips.* Cf. ad 2, 27, 2. — *praeferebat*, v. ad 2, 53, 2.

ANNALIUM

LIBER V.

BREVIARIUM LIBRI V.

Cap. 1. *Livia Augusta mortua et pro rostris laudata a C. Caesare.* 2. *Tiberius etiam mortuae iniquus.* 3. *Liberior eius et Seiani saevitia. Recitatae in senatu literae Tiberii, in quibus arrogantia Agrippinae et impudicitia Neroni obiectata.* 4. 5. *Patrum et populi favor in reos. Ira Seiani et Principis.* Magna libri lacuna. 6 — 9. *Seiani supplicium; damnatio amicorum et liberorum interemptio.* 10. *Pseudo-Drusus captus a Poppaeo Sabino.* 11. *Consulum discordia.*

Haec gesta annis circiter tribus 782 — 784.

C. RUBELLIO GEMINO ET C. FUFIO GEMINO
M. VINICIO QUARTINO ET L. CASSIO LONGINO
TIBERIO CAESARE V. ET L. AELIO SEIANO COSS.

CAPUT I.

Rubellio et Fufio Coss., quorum utrique Geminus cognomentum erat, Iulia Augusta mortem obiit aetate extrema, nobilitatis per Claudiam familiam et adoptione Liviorum Iuliorumque clarissimae. Primum ei matrimonium et liberi fuere cum Tiberio Nerone, qui bello Perusino profugus, pace inter Sex. Pompeium ac triumviros pacta, in Urbem rediit. Exin Caesar cupidine formae aufert marito, incertum an invitam; adeo properus, ut, ne spatio quidem ad enitendum dato, penatibus suis gravidam induxerit. Nullam posthac sobolem edidit, sed sanguini Augusti per coniunctionem Agrippinae et Germanici annexa communes pronepotes habuit. Sanctitate domus priscum ad morem, comis ultra quam antiquis feminis probatum, mater impotens, uxor facilis et cum artibus mariti, simulatione filii bene composita. Funus eius modicum, testamentum diu irritum fuit. Laudata est pro rostris a C. Caesare pronepote, qui mox rerum potitus est.

1. ***Rubellio et Fufio coss.*** edd. rec. ex emend. Mur. ***Fusio*** edd. vet. „Nulli vero tum *Fusii*, sed invaluit, ut *Furii* dicerentur, quemadmodum nemo *Valesius* dicebat aut *Papisius*, sed *Valerius* et *Papirius*. v. Pearcius ad Cic. de or. 2, 22. *C. Fufius Geminus, L. Rubellius Geminus coss.* in inscripptt. ap. Fabrett. p. 217. et Murator. ad a. 775. Sic et Pagius in Crit. Bar. et Noris. in Ep. Cons. et Tertull. adv. Iudaeos c. 8.“ *Ern.* ad h. l. et in clave Cic. *Idem* Fufius maiestatis damnatus a. U. 784. et uxor eius Publia Prisca necem sibi consciverunt. v. Dio 58, 4. ubi corrupte dici videtur Γάϊος Ροῦφος Γεμίνιος. *Necata vero Vitia Fufii Gemini mater, quod filii necem flevisset*, inf. 6, 10. ubi itidem *Fusii* in edd. vet. His coss. baptizatus Christus; *Mur.* „Immo passus. v. Tertull. l. l. Lactant. inst. l. IV. et Augustin. de civ. dei l. 18. cap. ult.“ *Aurel.* — *quorum utrique Geminus cognomentum erat:* Heinsius ad h. l. et Burm. ad Vell. 2, 12. corr. *Geminis.* v. ad 4, 28, 1. — *Iulia Augusta,* propr. Livia, Augusti uxor. v. ad 1, 8, 2. — *mortem obiit aetate extrema:* „cf. Plin. 14, 6. s. 8. et Dio 58, 2. Ille ei annos LXXXII. hic LXXXVI tribuit.“ *Lips.* — *nobilitatis per Claudiam familiam:* nam pater eius fuit App. Claudius Pulcher, primus quoque maritus Ti. Claudius Nero, qui eam Augusto cessit. — *adoptione Liviorum Iuliorumque clarissimae:* „Ipsa fuit e Claudiis, unde et cognomen tenuit Drusillae: sed adoptione transiit in Iuliam gentem per testamentum Augusti, (v. 1, 8.) et pater eius in Liviam Cf. ad 6, 51, 1. et Suet. Tib. 3. Hinc patri nomen *Livius Drusus* Claudianus ap. Vell. 2, 75. et simpl. *Livius Drusus* ap. Dion. 44, 48. qui eum post pugnam Philippensem manus ait attulisse sibi, quum a Bruto stetisset.“ *Lips.* — *cum Tiberio* Claudio *Nerone* praet. a. U. 712. et pontifice, viro docto magnique animi, *qui bello Perusino profugus — rediit,* cf. Vell. 2, 75. 77. Suet. Tib. 4. 6. Dio 48, 36. Appian. B. C. p. 700. 713. Hinc 6, 51. *proscriptum patrem exsul secutus* in Siciliam Tiberius. *perusinio* MS. — *cupidine formae,* captus amore eius propter pulchritudinem. Cf. Ind. III. v. *Ablativi Substantivorum absoluti.* — *aufert marito — induxerit,* v. ad 1, 10, 3. — *ad enitendum* sc. partum, fetum. Cf. ad O. 11. n. 2. *penatibus suis gravidam induxerit,* v. ad 1, 3, 3.

2. ***Nullam posthac sobolem edidit,*** cf. Suet. Aug. 63. ***sobolem,*** v. ad 2, 42, 1. — ***sanguini Augusti — annexa:*** nam Germanicus Druso ortus

Liviae sanguis, Agrippina ex Iulia sanguis Augusti; *Lips.* — *communes pronepotes:* Agrippina enim, Germanici uxor, neptis erat Augusti, Germanicus nepos Liviae; *Brot.* — *mater impotens*, ut contra *uxor facilis*. v. ad 4, 57, 3. et 6, 15, 2. „cf. Suet. Aug. 71. inpr. Dio 58, 2. qui hoc inter apophthegmata eius recenset: *Interrogante quodam, qua ratione et arte Augustum ita sibi devinxisset ac paene subiecisset, respondit*, ὅτι αὐτή τε ἀκριβῶς σωφρονοῦσα, καὶ πάντα τὰ δοκοῦντα αὐτῷ ἡδέως ποιοῦσα, καὶ μήτε ἄλλο τι τοῦ ἐκείνου πολυπραγμονοῦσα, καὶ τὰ ἀφροδίσια αὐτοῦ ἀθύρματα μήτε αἰσθάνεσθαι προςποιοῦσα." *Lips.* „De insigni eius comitate, prudentia magnoque animo v. Macrob. Sat. 2, 5. Sen. de clem. 1, 9. et consol. ad Marc. 2. 3. 4." *Mur.* — *cum artibus mariti* et (v. Ind. III. v. *Asyndeta*) *simulatione filii bene composita*, adhibens modum quendam ac temperamentum inter artes Augusti simulationemque Tiberii, adeo ut cum utroque *bene composita* potentiam et auctoritatem apud ipsos conservaverit; *Pich.* „Interpretor: et *marito*, cui erat difficile probari et bene comparatum haberi, sive ipsi, sive per famam ob magnas multiplicesque, interdum ambiguas, saepe bonas eius artes; et *filio*, Tiberio, quem dissociabilem et molestum reddebat tecta et obscura natura, unice respondens, conveniens, digna visa et quasi a fatis lecta, quae utrumque, quantum erat salubre, temperaret." *Gron.* „*Bene composita* est formula, quae dicitur de gladiatoribus, quorum paria *bene composita* sunt, si pari sunt arte et pugnandi dexteritate. Sic *bene compositum par* ap. Horat. Sat. 1, 7, 19. Hinc Seneca de prov. c. 2. ubi per totum locum sub illa imagine verbis ludit: *Ecce par deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus.* Igitur sententia huius loci est, Liviam talem fuisse, qualem esse oportuerit, ut consuetudinem cum *marito* artibus et calliditate pleno et cum *filio* abstrusae simulationis bene toleraret et sine offensa ageret, h. e. et ipsam callidam et simulationis gnaram fuisse." *Walth.* Cf. ad G. 10. n. 7. Agr. 4. n. 5. O. 26. n. 3. — *Funus eius modicum, testamentum diu irritum fuit*, cf. Dio 58, 2. Suet. Tib. c. 50. 57. „Caligula tandem legata ex testamento eius cum fide ac sine calumnia repraesentata persolvit. v. Suet. Cal. 16. et Dio 59, 2." *Walth.* — *Laudata est pro rostris a C. Caesare*, Caligula, *pronepote*, v. ad 2, 81, 1. et cf. Suet. Cal. 10. — *qui mox rerum potitus est*, cf. ad 1, 5, 5.

CAPUT II.

At Tiberius, quod supremis in matrem officiis defuisset, nihil mutata amoenitate vitae, magnitudinem negotiorum per literas excusavit, honoresque memoriae eius ab senatu large decretos quasi per modestiam imminuit, paucis admodum receptis et addito, *ne coelestis religio decerneretur: sic ipsam maluisse.* Quin et parte eiusdem epistolae increpuit amicitias muliebres, Fufium consulem oblique perstringens. Is gratia Augustae floruerat, aptus alliciendis feminarum animis, dicax idem et Tiberium acerbis facetiis irridere solitus, quarum apud praepotentes in longum memoria est.

1. *Tiberius, quod supremis in matrem officiis* (v. ad 1, 8, 1.) *defuisset* — *maluisse*, cf. Dio 58, 2. et Suet. Tib. 51. — *magnitudinem negotiorum excusavit*, v. ad 1, 59, 2. — *ne coelestis religio decerneretur*, ἀποθέωσις. „Quam tamen postea ei tribuit Claudius effigie eius in templo Augusti consecrata sacrisque institutis, quae Vestales facerent, edicto etiam, ut per nomen eius feminae iurarent. v. Dio 60, 5. et Suet. Claud. 11. Consecrata ea a Claudio habitu et nomine Iunonis, quanquam eo nomine affecta a poetis etiam viva. v. Prudent. in Symm. 1, 251 sq. et

Ovid. ex P. 3, 1, 145. Sic Drusilla a Caio consecrata habitu Veneris et cognomento Pantheae. v. Dio 59, 11. et Gruteri inscr. 59, 3." *Lips.* „Cf. Reines. var. lect. 1, 21. et ep. 35. ad Rupert. p. 220. Hard. ad Plin. 7, 46. et Eckhel. D. NN. T. VI. p. 158." *I. Gron.* et *Oberl.*

2. *parte eiusdem epistolae:* in MS. et edd. Ber. Rhen. Ald. Bekk. *epistulae,* ut ubique et in inscr. ap. Gruter. p. 61, 4.; *Walth.* — *amicitias muliebres,* cum muliere, Livia, vel amicos mulieris, ut *amicitiae et familiaritates* Liviae ap. Suet. Tib. 51. Cf. ad 4, 40, 2. — *oblique,* tectis verbis, *perstringens,* leviter carpens, pungens, ut 2, 55. 3, 35. 5, 11. Cf. ad H. 1, 84, 6. — *acerbis facetiis, quarum apud praepotentes in longum* (cf. Ind. III. v. *In*) *memoria est,* cf. 15, 68 extr.

CAPUT III.

Ceterum ex eo praerupta iam et urgens dominatio. Nam incolumi Augusta erat adhuc perfugium, quia Tiberio inveteratum erga matrem obsequium, neque Seianus audebat auctoritati parentis anteire. Tunc velut frenis exsoluti proruperunt, missaeque in Agrippinam ac Neronem literae, quas pridem allatas et cohibitas ab Augusta credidit vulgus: haud enim multum post mortem eius recitatae sunt. Verba inerant quaesita asperitate: sed non arma, non rerum novarum studium; amores iuvenum et impudicitiam nepoti obiectabat. In nurum ne id quidem confingere ausus arrogantiam oris et contumacem animum incusavit, magno senatus pavore ac silentio, donec pauci, quis nulla ex honesto spes, (et publica mala singulis in occasionem gratiae trahuntur) ut referretur, postulavere, promptissimo Cotta Messalino cum atroci sententia: sed aliis a primoribus maximeque a magistratibus trepidabatur; quippe Tiberius, etsi infense invectus, cetera ambigua reliquerat.

1. *praerupta dominatio,* ut *animo praeruptus* 16, 7. *praerupta audacia* ap. Cic. pro Rosc. Am. c. 24. et Gr. ἀπότομος, cui *praeruptus* exacte respondet; *Walth.* Sic et *abruptus, praefractus* et *praeceps,* propr. mons, rupes, (Germ. steil, schroff) hinc res vel ardua et periculosa, vel dura, acerba, severa, crudelis. Cf. ad 4, 30, 2. et Agr. 42. n. 5. Drak. ad Liv. 38, 2, 14. et Ruhnk. ad Vell. 2, 2. — *urgens dominatio,* premens, gravis, onerosa, iniusti iugi aut oneris, nempe ob saevitiam et violentiam; *Gron.* „Sic *urgens egestas* Virg. Ge. 1, 146. *urgens malum* Cic. Tusc. qu. 3, 25." *Ern.* Lipsius male coniecit *vergens,* ut esset cadens aut praeceps, non ultra in statu. Dominatio tum quidem minime vergens, sed in dies crescens; *Walth.* Cf. ad G. 33. n. 8. — *anteire* insolenter dictum pro obviam ire, se opponere. — *proruperunt* in scelera, ut *prorumpere in dedecora, minas* cet. 6, 51. 11, 35. 12, 54. H. 2, 73. *velut frenis exsoluti* equi *prorumpunt* e carceribus Circi aut in hostes. — *allatas et cohibitas,* v. ad 1, 13, 2. — *haud multum post mortem eius:* „Heinsius coni. *multo* contra latinitatem. Nam formula *haud multo post* per se constat, Germ. nicht lange nachher, ut 1, 5. 27. 44. 57. al. Si additur terminus, post quem, uti hic *post mortem, multo* non locum habet. Etenim *multo* comparationem instituit, quanto post; *multum* mensuram temporis significat, quantum post aliquam rem." *Walth.* Sed *haud multo* (tempore) *ante adventum eius* dictum Agr. 18 pr. et sic alia.

2. *Verba inerant quaesita asperitate,* v. ad 3, 26, 2. — *non rerum*

novarum studium, (cf. 4, 68 extr.) sed *amores* — *obiectabat* Tiberius. Cf. Ind. III. v. *Ellipses* n. 7. — *In aurum*, Agrippinam. — *contingere*: in MS. *confringere*. — *magno senatus pavore ac silentio*: „per ἓν διὰ δυοῖν dicta; nam *silentium* erat ob *pavorem*, Germ. unter tiefem, verzagtem Schweigen.“ *Roth*. p. 26. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin*. Sed, nisi fallor, hic duo potius sunt distinguenda, quanquam non nego, haec fuisse coniuncta; *Walth*. — *publica mala* (a) *singulis in occasionem gratiae* apud Principem primoresque *trahuntur*, cf. Ind. III. v. *Dativus subiectivus* et *Oratio praegnans*. *Occasio* Gr. εὐκαιρία, ap. Cic. off. 1, 40. *tempus actionis opportunum*. Cf. Ind. II. v. *Occasio*. — *ut referretur* de his literis a consulibus ad senatum. v. ad 2, 33, 2. — *promptissimo Cotta Messalino* „scil. ad postulandam relationem, eamque postulavit *cum atroci sententia*. Ita non est quod displiceant verba *cum atroci sententia*, quae Lange (v. Acta Semin. reg. et societ. philol. Lips. T. I. p. 80.) ineptissimum dicit additamentum esse e loco 6, 5. eiusque primis verbis intrusum.“ *Walther*. Sed durae sunt ellipses. De hoc Cotta v. ad 2, 32, 1. et cf. 6, 5.

CAPUT IV.

Fuit in senatu Iunius Rusticus, componendis Patrum actis delectus a Caesare eoque meditationes eius introspicere creditus. Is fatali quodam motu, (neque enim ante specimen constantiae dederat) seu prava sollertia, dum imminentium oblitus incerta pavet, inserere se dubitantibus ac monere consules, ne relationem inciperent: disserebatque, *brevibus momentis summa verti: posse quandoque Germanici exitium poenitentiae esse seni.* Simul populus effigies Agrippinae ac Neronis gerens circumsistit curiam festisque in Caesarem ominibus, *falsas literas et Principe invito exitium domui eius intendi*, clamitat. Ita nihil triste illo die patratum. Ferebantur etiam sub nominibus consularium fictae in Seianum sententiae, exercentibus plerisque per occultum atque eo procacius libidinem ingeniorum. Unde illi ira violentior et materies criminandi: *spretum dolorem Principis ab senatu; descivisse populum; audiri iam et legi novas conciones, nova Patrum consulta: quid reliquum, nisi ut caperent ferrum et, quorum imagines pro vexillis secuti forent, duces imperatoresque deligerent?*

1. *Iunius Rusticus*, cf. ad 16, 26. — *componendis Patrum actis delectus*, v. ad 3, 3, 1. — *meditationes eius introspicere*, consilia eius nosse; *Ern*. *meditationes* edd. Rhen. 2. 3. et rec. *meditationis* edd. Ber. et Rhen. 1. — *fatali quodam motu*, animi impetu. — *seu*, v. ad 1, 6, 6. — *incerta* pericula et mala *pavet*, plus timens ab heredibus imperii quam a Tiberio; *Rhen*. — *ne relationem inciperent*, v. ad 2, 33, 2. — *brevibus momentis summa*, res summas, maximi momenti, *verti posse*, v. ad H. 4, 85, 2. *Momentum*, quasi *movimentum*, proprie est pondus, quo librae lanx deprimitur, deinde res, qua aliquid eiusque eventus decernitur, Entscheidungspunkt, Ausschlag, Crisis, ut *momentum morbi* Agr. 43. ex quo pendet eventus eius, et aliis locis *discrimen rei* ac *pugnae*. Cf. H. 1, 59. 2, 86. 4, 58. G. 25. Liv. 1, 47. 2, 7. 3, 27. 5, 49. 23, 24. 43, 12. Lucan. 3, 337. (*non pondera rerum, non momenta sumus*) 4, 819. (*Momentumque fuit mutatus Curio rerum*). Sed h. l. *momenta* potius temporis significantur; nam *brevia* dicuntur. Sic *minimis momentis maximae inclinationes temporum fiunt* ap. Cic. Phil. 5, 10 pr.

„*levibus* aptius et usitatius est: sed voluit etiam temporis rationem habere.“ *Ern.* — *brevibus momentis summa verti: posse quandoque* (v. ad 1, 6, 2.) *Germanici exitium poenitentiae esse seni*, Tiberio. *brevibus m. summa verti: posse quandoque Germanicis titium poenitentiae senis* MS. edd. Ber. et Rhen. 1. nisi quod *Titium* est in ed. Ber. et lacuna post *senis* in utraque editione. *verti posse, dandumque interstitium poenitentiae senis* edd. Rhen. 2. 3. Ald. et cet. ante Ryck. *dandumque Germanicis* (familiae et memoriae Germanicorum, Drusi avi et filii, ut sit sive relinquatur) *interstitium* vel *spatium poenitentiae senis* scribendum putabat Lipsius. *dandumque Germanico interst. p.* s. Boxh. *dandumque domui Germanici interst. p. senis* vel *senilis* Heins. *dandumque in Germanicis spatium p. s.* Ern. *quandoque Germanici stirpem, ubi spatium p. senis, resurgere* Brot. *verti: posse quandoque Germanicis locum* (summum) *poenitentia senis reddi* Croll. *quandoque Germanici iacturam poenitentiam senem* vel *subituram p. seni* Hiller. racem. 6. 7. *verti: posse q. Germanici filium poenitentiae senis* vel *verti posse: quandoque Germanici esse filium poenitentiae senis* Woltmannus. *dandumque in Germanici prole spatium poenitentiae senis* Ricklefs. *verti posse, quandoque* (summa verterentur,) *Germanicis initium* (fore) *poen. senis* Herrmannus. Editores rec. (Ryckius, Gron. Ern. Ob. Lün. Bekk. Kiessl.) lectionem MS. et edd. Ber. Rhen. 1. corruptam retinere maluerunt quam incerta dare. Emendatio a me olim proposita nunc in ordinem recepta est, ut et a Walthero, nisi quod ille *esse seni* pro *seni esse* substituit, quod etiam mihi praeferendum videtur. „Haec proxime accedunt ad vestigia MSti et primarum edd. eamque sententiam exprimunt, quae satis conveniat loco. Posui tamen *esse seni*; nam inter *poenitentiae* et *seni* verbum *esse* facillime potuit absorberi. Litera *s* in *senis* videtur adhaesisse e seq. vocabulo *simul*, et *Germanici exitium* haud temere coniicitur, quia *t* et *x* saepius in MSS. confunduntur. Lacuna vero in libris vett. post *senis*, quae a Brot. et Croll. expletur per *resurgere* et *reddi*, potest accipi pro simpl. nota corruptelae.“ *Walth.*

2. *festisque in Caesarem ominibus:* immo leg. *faustisque*; *Ern.* „*Fausta omina* dicuntur 1, 35. Suet. in Oct. 57. 98. in Cal. 13. in Claud. 27. Cf. ad 1, 35, 2. Drak. ad Liv. 5, 34. Heins. et Burm. ad Ovid. Met. 6, 448. 17, 218. intpp. Lucani 3, 101. qui dictionem *festa omina* damnant. Attamen *omina* in tali contextu non stricte intelligenda sunt de vocibus futura praesagientibus, sed in universum de dictis factisque, quibus dicentium facientiumque animus in aliquem cognoscitur. Cf. H. 4, 49. Quo sensu *omina* haud dubie epitheton *festa* admittunt: nam *festus* est synonymum voci *laetus*. Sic *festae voces* 12, 69. *festos laetosque ritus* H. 5, 5. *festi clamores* Plin. ep. 2, 17. *festi ululatus* Ovid. Met. 3, 528.“ *Walth.* „Sed neutrum convenit verbis *in Caesarem*. Scribendum *infestisque in Caesarem omnibus*, omnibus in Caesarem incensis et exacerbatis. Cf. verba extrema huius cap.“ *Kritz.* l. l. ad 2, 30, 1. Recte opinor. *Infestis* scil. οὖσιν. v. Ind. III. v. *Ellipses* 1, γ. Voces *omnibus* et *ominibus* saepissime a librariis permutantur, et *curiam festisque* oriri potuit ex prisca scriptura *curiā infestisque*. Vulgata vero lectio magis displicere potest propterea quod contextui orationis h. l. (conf seqq.) quam quod verbis *in Caesarem* haud congruat. Nam et *faustis in Germanicum ominibus* dictum 1, 35. ubi v. nota 2. Hinc etiam suspicari possis, h. l. legendum esse *infaustis in Caesarem ominibus.* — *falsas literas*, a Seiano subornatas.

3. *Ferebantur etiam* per famam *sub nominibus consularium* senatorum; *Walth.* — *fictae in Seianum sententiae*, cf. ad 11, 20 extr. — *exercentibus plerisque* (v. ad 3, 28, 4.) *per occultum* (cf. Ind. II. v. *Per*) *libidinem ingeniorum* acerbis scriptis; *Ern.* Cf. ad 1, 72, 3. „Sententia

est: Homines de rebus illo die in senatu actis confabulantes fingebant hunc vel illum consularem (nam in eo summa erat fabulae vis, quod consulares talia censuissent) hanc vel illam sententiam adversus Seianum dixisse." *Walth.* — *spretum dolorem Principis ab senatu; desciviese populum* recte distinctum in edd. Lips. et rec. *spretum d. Principis, ab senatu d. p.* in edd. vett. — *audiri iam et legi novas conciones, nova Patrum consulta,* h. e. seditiosa, ad res novas pertinentia; *Ern.* Cf. ad 2, 78, 1. *contiones* edd. Ber. et Rhen. 1. ut et aliis locis. — *quorum imagines pro vexillis secuti forent,* v. ad 2, 83, 2. et 4, 2, 2.

CAPUT V.

Igitur Caesar, repetitis adversum nepotem et nurum probris increpitaque per edictum plebe, questus apud Patres, quod fraude unius senatoris imperatoria maiestas elusa publice foret, integra tamen sibi cuncta postulavit. Nec ultra deliberatum, quo minus non quidem extrema decernerent, (id enim vetitum) sed paratos ad ultionem vi Principis impediri testarentur.

1. *increpitaque per edictum plebe,* v. ad 3, 6, 1. — *fraude unius senatoris,* cf. cap. 4. — *elusa,* v. ad 2, 79, 1. — *integra,* v. ad 3, 8, 1. — *sed paratos* scil. se *ad ultionem vi Principis impediri testarentur:* „Post *paratos* intell. *se*: nam frequens est ellipsis Pronominum personalium ante vel post Infinitivos, et quidem α) Praesentis Activi, ut 15, 17, 1. H. 2, 18, 2. Cic. de leg. 3, 19, 43. (*Est auguris meminisse, — praesto esse debere*) de fin. 2, 15, 50. *Sine ea iucunde negat posse vivere*) Liv. 45, 13. (*Masinissam meminisse, regnum a pop. Rom. partum auctumque habere*) Curt. 3, 6, 9. (*ratus - posse deprehendere*) β) Perfecti Activi, v. c. 1, 8, 5. Cic. de or. 1, 20. (*quorum ego illi alterum facile assentiebar, nihil didicisse* sc. me) Quintil. Inst. Or. 7, 1, 60. (*ubi tentabit rusticus dicere, ne impetrare quidem aliter potuisse suorum restitutionem*) 7, 3, 1. (*qui non potest dicere, nihil fecisse*) γ) Futuri, e. gr. H. 2, 44, 5. Sic et post Infinitivum Perfecti Passivi vel, quae eius vicem implent, Participia et Adiectiva omittuntur Pronomia personalia, ut ap. Sall. Iug. 106, 6. (*Credere, proditos a Voluce*) Liv. 4, 10. (*Consul postquam inopem omnium rerum vidit*) Tac. Ann. 1, 35, 2. 4, 18, 2. 4, 59, 2. 16, 25, 1. Reperiuntur etiam Graecae dictiones, quales sunt: *ipse hostis quam socius iactabat* pro *se hostem fuisse* H. 4, 55, 2. (nisi haec directe vel absolute dicta) *retulit Aiax esse pronepos Iovis* pro *se esse pronepotem* Ovid. Met. 13, 142. *Phaselus ait fuisse navium celerrimus* Catull. 4, 1." *Walch.* ad Agr. 27. p. 319. Cf. Ind. III. v. *Ellipses* n. 14. et Ramshorn. Gram. p. 432 sq. Hic tamen p. 686. post *sed* intelligendum putat *ut*, quod post *quo minus* supplendum sit, ut post *ne* ap. Cic. Phil. 12, 5. (*Antonio denuntiatum est, ne Brutum obsideret,* ut *a Mutina discederet*) Cic. p. Cluent. 2, 6. Liv. 6, 35, 5. Nep. 18, 6, 2. 3.

CAPUT VI.

* Quatuor et quadraginta orationes super ea re habitae, ex quis ob metum paucae, plures assuetudine, * *mihi pudorem aut Seiano invidiam allaturum censui.* * *versa est fortuna, et ille quidem, qui collegam et generum asciverat, sibi ignoscit: ceteri, quem per dedecora fovere, cum scelere insectantur.* * *miserius sit, ob amicitiam accusari an amicum accusare, haud discreverim.* * *non crudelitatem, non clementiam cuiusquam experiar, sed liber et mihi ipsi probatus antibo periculum. Vos obtestor,*

ne memoriam nostri per moerorem, quam laeti, retineatis, adiiciendo me quoque iis, qui fine egregio publica mala effugerunt.

1. *Quatuor* cet. In MS. et edd. vett. magna est lacuna post verbum *testarentur* cap. 5 extr. et plures in hoc cap. „Malum tuum, Corneli, fatum! Non paginae aliquot, sed libri hic perierunt, quibus gesta fere triennii continebantur, de Agrippinae liberorumque eius exitu, de Seiani spe conatuque, de eiusdem cum agmine amicorum strage, de Liviae flagitiis et morte; ad summam flos quasi historiae tuae.“ *Lips.* „Quae praeeunt, gesta sunt Fufio et Rubellio coss. initio a. U. 782., haec autem C. Memmio Regulo et Fulcinio Trione coss. Ita interciderunt acta pleraque anni 782. omnia a. 783. et multa a. 784. quo ex Kal. Maii suffecti Tiberio et Seiano consules Regulus et Trio.“ *Ern.* „Supplementum scripsit Broterius, neque tamen ita damna reparavit. Breviorem et satis apte concinnatam harum rerum narrationem h. l. subiunxerunt Stromb., Rickl. et Herrm.“ *Walth.* Ne constat quidem, quo referenda singula *ἀποσπασμάτια* in hoc cap. et vanae sunt coniecturae Lipsii, Ryckii, Brot. et Croll. — *mihi pudorem* cet. „Virum non coram senatu, sed ad amicos loqui, ex toto loco satis apparet. Incertum vero est, an hoc et reliqua fragmenta ad unam eandemque personam pertineant. Ceterum Seianus *collega* Tiberii h. l. dici videtur non in consulatu, (v. Suet. Tib. 65.) nam hoc non eximium est nec soli Seiano contigit, sed ut consors imperii data potestate tribunicia. Cf. 4, 2. 6, 8. Dio 57, 21. 58, 4. (*κοινωνός τῶν φροντίδων*) 58, 9. Suet. Tib. 65. *Generum* vero intellige progenerum, et quidem in spe. *τὸν δὲ Σηϊανὸν ἐπὶ μέγα δόξης ἐπάρας καὶ κηδεστὴν ἐπὶ Ἰουλίᾳ τῇ τοῦ Δρούσου θυγατρὶ ποιησάμενος ὕστερον ἔκτεινε* Zonar. p. 550. Cf. 4, 40. 6, 8. Suet. Tib. 65.“ *Walth.* v. ad 2, 27, 2. — *haud discreverim,* (v. ad H. 3, 28, 3.) utrum *miserius sit, ob amicitiam accusari,* non infitiari amicitiam et hinc in periculo versari, *an amicum accusare,* prodendo fidem et eiurando amicum sese tutari, quod fecit Satrius Secundus; *Gron.* Satrius fuit coniurationis index. v. 6, 8. 47. — *non crudelitatem* — *antibo* (v. ad 3, 69, 2.) *periculum,* sc. morte voluntaria. Magni animi voces vel abrupti, ut ap. Liv. 26, 13. illae Vibii Virii; *Lips.*

2. *Vos obtestor, ne memoriam nostri per maerorem quam laeti retineatis,* v. ad 1, 57, 1. „Sensus est: ne recordatio mei et mortis huius vos magis contristet quam laetificet; ut mortem meam malitis plausu quam planctu prosequi; ut malitis eam laudare quam lugere. v. Sen. ad Marc. c. 2. et 3. Octavia Marcelli memoriam retinuit per moerorem; Livia Drusi post primum illum doloris impetum laeta.“ *Gron.*

CAPUT VII.

Tunc singulos, ut cuique assistere, alloqui animus erat, retinens aut dimittens partem diei absumpsit, multoque adhuc coetu et cunctis intrepidum vultum eius spectantibus, quum superesse tempus novissimis crederent, gladio, quem sinu abdiderat, incubuit. Neque Caesar ullis criminibus aut probris defunctum insectatus est, quum in Blaesum multa foedaque incusavisset.

1. *Tunc singulos — dimittens:* „*Retinens* verbo *assistere* et *dimittens* verbo *alloqui* respondet. *Assistere* hic est genus officii, quod si decubuisset ille magnanimus, fuisset *assidere.* Qui venerant, ut assisterent, ut ei praesto essent et praesentiam commodarent tanti viri supremis, eos *retinebat,* iis vultu, nutu, verbis significabat, gratum sibi esse quod

adessent: qui vero, ut brevi alloquio sive ob id ipsum quod agebatur, sive ob aliud negotium, potiti discederent, eos cum responso sedate placideque nihil turbatus *dimittebat.*" *Gron.* „Contorta est utriusque verbi interpretatio. Immo *assistere* est audientium et verba alterius exspectantium. Cf. O. 19. et 20. Iam *quibus animus erat assistere, alloqui,* sunt ii, qui remanere apud illum volebant, cum ut verba eius audirent, tum ut vicissim verba ad eum facerent. Hos *retinebat;* quibus ille animus non erat, eos *dimittebat.* Nam in verbis *ut cuique — animus erat* latet, quod intelligendum est, *aut non erat.* Multis vero animus fuerat assistere, alloqui; (*multo adhuc coetu*) ceteri abierant." *Walth.* — *superesse tempus novissimis,* mortem nondum instare; *Ern.* Cf. ad 1, 8, 1.

2. *ullis criminibus,* cf. ad 1, 13, 3. — *quum in Blaesum* (v. Ind. I.) *multa foedaque incusavisset,* ut *increpare* et *exsecrari in* aliquem s. aliquid; *Gron.* ad Liv. 27, 1. et 30, 20. v. ad 1, 39, 4. 13, 53, 2. et Ind. III. v. *Oratio praegnans.* Cf. etiam ad 2, 18, 1. Lipsius malebat *in* deleri. — *multa foedaque,* cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin.*

CAPUT VIII.

Relatum inde de P. Vitellio et Pomponio Secundo. Illum indices arguebant claustra aerarii, cui praefectus erat, et militarem pecuniam rebus novis obtulisse: huic a Considio praetura functo obiectabatur Aelii Galli amicitia, qui punito Seiano in hortos Pomponii quasi fidissimum ad subsidium perfugisset. Neque aliud periclitantibus auxilii quam in fratrum constantia fuit, qui vades exstitere. Mox crebris prolationibus spem ac metum iuxta gravatus Vitellius, petito per speciem studiorum scalpro, levem ictum venis intulit vitamque aegritudine animi finivit. At Pomponius multa morum elegantia et ingenio illustri, dum adversam fortunam aequus tolerat, Tiberio superstes fuit.

1. *de P. Vitellio,* v. Suet. Vit. 2. — *Pomponio Secundo,* v. ad 11, 13, 1. — *claustra aerarii et militarem pecuniam,* v. ad 1, 78, 2. — *rebus novis,* v. ad 2, 78, 1. — *praetura functo,* v. ad 2, 33, 1. — *Aelii Galli* ex emend. Lipsii pro *Velii Galli,* quia Gallus cognomen gentis Aeliae. *Aelius Gallus* celeberrimus ICtus, qui sub Augusto fuit praefectus Augustalis et libros scripsit de verborum, quae ad ius pertinent, significatione. Saepius laudatur a Festo. Cf. l. 157. D. de verb. signif. inpr. Gell. 16, 5. et Macrob. Sat. 6, 8. quibus corrupte *Caecilius Gallus* dicitur pro C. *Aelius Gallus.* — *fidissimum ad subsidium,* v. ad 3, 1, 2. — *fratrum constantia, qui vades exstitere,* v. ad 3, 22, 2. Cf. Suet. Vit. 2. qui de uno fratre, Publio, ita narrat; *Lips.* „At Suetonius de Vitellio tantum loquitur, Tacitus fratrum nomine Pomponii et Vitellii *fratres* dicit. Vitellii fratres nominantur Suet. Vit. 2. Hic vero intelligendi sunt Aulus (cos. suff. a. U. 785.) et Lucius vel unus ex his: nam Quintus senatu motus (v. 2, 48.) nil auctoritatis tum habuit." *Walth.* — *Vitellius petito per speciem studiorum* (v. ad 2, 5, 1.) *scalpro* librario cet. cf. Suet. Vit. 2. „Doctus fuit homo et scripta reliquit. Eius *commentarii* laudantur a Tertull. de anima c. 46." *Lips.*

2. *At Pomponius multa morum elegantia,* probitate, (ut *elegantia vitae* 14, 19.) *ingenio illustri,* v. ad 3, 52, 1. H. 4, 5, 3. et cf. ad 11, 13, 1. et Iuvenal. 4, 81—93.

CAPUT IX.

Placitum posthac, ut in reliquos Seiani liberos adverteretur, vanescente quanquam plebis ira ac plerisque per priora supplicia lenitis. Igitur portantur in carcerem filius imminentium intelligens, puella adeo nescia, ut crebro interrogaret, *quod ob delictum et quo traheretur? neque facturam ultra; et posse se puerili verbere moneri.* Tradunt temporis eius auctores, quia triumvirali supplicio affici virginem inauditum habebatur, a carnifice laqueum iuxta compressam: exin oblisis faucibus id aetatis corpora in Gemonias abiecta.

1. *Placitum posthac, ut in reliquos Seiani liberos adverteretur,* v. ad 2, 32, 3. „Ex h. l. patet, bis sumptum de Seiani liberis supplicium. Quum autem is tres tantum ex Apicata habuerit, (v. 4, 3.) hic vero duo dicantur supplicio affecti, sequitur unum antea morte affectum et dubio procul filium natu maximum, quasi paternae conspirationis socium, statim post patrem. Dio 58, 11. nullum notat intervallum temporis in poena de Seiani liberis sumpta; sed oscitanter Seiani historiam in plerisque exsecutus est.“ *Ryck.* De *plebis ira* v. Dio 58, 12. — *puella adeo nescia* cet.“ Dio 58, 11. testatur, hanc eandem fuisse, quam ante undecim annos filio Claudii desponderat Tiberius. Cf. sup. 3, 29. Iam vero Ryckio mirum videtur, si fuerit *adeo nescia* annum aetatis XII. tum ad minimum agens. Sunt tamen verba, quae puellae duodecimum aetatis annum agenti et carnificis aspectu territae satis conveniant. Licet etiam suspicari, hanc narratiunculam, uti fit, credulitate ortam et ornamenti causa additam, (haustam fortasse e scriptore aliquo vel e commentariis privatis illius aetatis; qualia non in acta referuntur) aut Dionem l. l. errasse et minorem filiam esse intelligendam.“ *Walth.* Seiano tres quidem liberi fuere, sed unus fortasse filius duaeque filiae, ex his vero natu maior desponsa Claudii filio et statim post patrem necata, non nunc, ut Dio tradit. — *puerili verbere moneri,* „castigari, puniri, ut ap. Suet. Oth. 2. *obiurgari flagris.*“ *Ern.* Cf. ad G. 37. n. 11.

2. *Tradunt temporis eius auctores,* v. ad 3, 3, 2. — *triumvirali supplicio,* strangulatione, et quidem in carcere: nam de eadem re Dio 58, 11. *ὡς οὐχ ὅσιον ὄν, παρθενευομένην τινὰ ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ἀπολέσθαι,* et Suet. Tib. 61. *quia more tradito nefas esset virgines strangulari.* Supplicium *triumvirale* dictum a *triumviris.* „*Triumviri* s. tresviri capitales prorsus iidem Romae, qui Athenis undecimviri, *ἕνδεκα ἀρχὴ ἐν Ἀθήναις ἐπιμελομένη τῶν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ κατακρίτων, ἐφ' ἣν ἀνήγοντο οἱ κλέπται καὶ οἱ ἀνδραποδισταί,* Suid. Munus eorum praeesse carceri et latomiis, capitis poenas ibi sumere a damnatis; itemque cognoscere de furtis admissisque servorum aut eiusmodi viliorum capitum ad Maeniam columnam.“ *Lips.* Ab iisdem eorumve servis nonnunquam libri et monumenta virorum clarissimorum damnatorumque in comitio ac foro comburebantur. v. ad 4, 35, 2. et de his triumviris intpp. Liv. 25, 1. 32, 26. 39, 14. 17. Horat. epod. 4, 11. Gell. 3, 3 extr. Sall. Cat. 55. Valer. Max. 5, 4, 7. Festus v. *Sacramentum,* Pompon. de or. iur. 2, 30. Rossini ant. Rom. 7, 27. *quia triumvirali supplicio affici virginem inauditum habebatur, a carnifice laqueum iuxta compressam:* „id quidem ita ceperim, quasi non simpliciter *virginem* dixerit, sed impubem investemque. Lex enim non tam virginitati ignotum cautumque voluit quam aetati. Ita nec pueros interfici fas nisi toga sumpta et relatos in viros. Hinc Dio 47, 6. tradit, a triumviris in proscriptione iussum puerum quendam sumere togam virilem, ut scilicet iure posset interfici. Apuleius apol. II.

p. 95. ed. Pric. de puero praecoci malitia: *hoc magis noxius, quod cum venia perniciosus est et nondum poenae, iam iniuriae sufficit.* Quam causam et hic subesse arbitror, ut *compressa* h. e. devirginata mulier videretur et plena annis." *Lips.* „Contra dicunt loca iam laudata Dionis 58, 11. et Suet. Tib. 61. Sine ulla restrictione ibi, ut apud Nostrum, sunt vocabula παρθενευομένη et *virgines*. Ceterum *habebatur* est pro *erat*, (v. Ind. II.) h. e. non qualemcunque exprimit opinionem, sed certam persuasionem sive habitum animorum." *Walth.* — *laqueum iuxta*, laqueo iuxta eam posito; *Ern.* Cf. Ind. III. v. *Praepositiones nominibus postpositae.* — *oblisis faucibus*, suffocatis, ut *elisa leonis ora* ap. Sil. 3, 33. et Gr. ἀγχθῆναι. — *corpora id aetatis*, huius s. talis aetatis sc. ὄντα, ut *hominibus id aetatis* Cic. or. 1, 47. *Principi illud aetatis* Suet. Galb. 14. *quid tibi ego aetatis videor* Plaut. Merc. 2, 2, 19. Cf. Ind. III. v. *Accusativus Graecorum more pro Ablativo positus* et *Genitivi iuncti Pronominibus neutris.* — *in Gemonias* scalas *abiecta*, v. ad 3, 14, 3. Post haec verba periisse videtur historia Apicatae, quam refert Dio 58, 11." *Ryck.* Recte: nam quae Tacitus 4, 8. et 11. significavit, haud dubie amplius debuit hic exponere; *Walth.* Cf. ad 4, 8, 1. et 4, 11, 2.

CAPUT X.

Per idem tempus Asia atque Achaia exterritae sunt acri magis quam diuturno rumore, Drusum Germanici filium apud Cycladas insulas, mox in continenti visum. Et erat iuvenis haud dispari aetate, quibusdam Caesaris libertis velut agnitus per dolumque comitantibus. Alliciebantur ignari fama nominis et promptis Graecorum animis ad nova et mira: quippe elapsum custodiae pergere ad paternos exercitus Aegyptum aut Syriam invasurum, fingebant simul credebantque. Iam iuventutis concursu, iam publicis studiis frequentabatur laetus praesentibus et inanium spe, quum auditum id Poppaeo Sabino. Is Macedoniae tum intentus Achaiam quoque curabat. Igitur, quo vera seu falsa anteiret, Toronaeum Thermaeumque sinum praefestinans, mox Euboeam, Aegaei maris insulam, et Piraeeum Atticae orae, dein Corinthiense litus angustiasque Isthmi evadit; marique alio Nicopolim Romanam coloniam ingressus ibi demum cognoscit, sollertius interrogatum, *quisnam foret*, dixisse, *M. Silano genitum*, et multis sectatorum dilapsis ascendisse navem, tanquam Italiam peteret. Scripsitque haec Tiberio: neque nos originem finemve eius rei ultra comperimus.

1. *Asia atque Achaia exterritae sunt* — *rumore*, ut H. 2, 8 pr. turbatae ad seditionem; *Ern.* *rumore*, qualis fuit de Agrippa Postumo 2, 39. 40. — *Drusum Germanici filium*, qui in ima parte palatii tum custodiebatur. v. 6, 23. Dio 58, 13. Suet. Tib. 54. 65. — *quibusdam Caesaris libertis velut agnitus per dolumque comitantibus:* in omnibus edd. vel post *agnitus* vel post *libertis* et *agnitus* virgula est posita. *agnitum* c. Mirand. Ita scribendum, ut pendeat a *comitantibus:* nam intelligere *velut agnitus esset a se*, in hoc positu durum est; *Ern.* „Durum sane: sed quis tandem haec ita supplebit? Turbat autem copula in *dolumque*. Quid igitur? Num delebimus *que* cum Mureto? an cum Acid. legemus *comitatus?* Vulgatam potius eamque sanam scripturam retinebimus. *Agnitus* pendet e *iuvenis* poscitque Dativum *quibusdam libertis*. (Cf. Ind. III. v. *Dativus subiectivus.*) Dein Tacitus, uti solet, per copulam coniungit Ablativum absolutum cum praeced. Participio *agnitus*. Cf. 4, 50

extr. *sua quisque munia servarent immoti telisque non in falsum iactis*, et 6, 35. f. *praelatus equo et fortissimis satellitum protegentibus saucium*. Sic *libertis agnitus per dolumque comitantibus* sc. iisdem libertis." *Walth.* Ita et seq. *ignari* et *promptis* cet. Cf. Ind. III. v. *Constructio verborum variata et permixta*. Verba tamen h. l. ita iungi possunt: *quibusdam per dolumque comitantibus libertis Caesaris velut agnitus*.

2. *elapsum custodiae* edd. Ern. et rec. ex emend. Lips. *lapsum custodiae* MS. et edd. vet. ante Lips. Litera *e* inter *quippe* et *elapsum* facile excidere potuit. Sed v. Roth. ad Tac. Agr. p. 267. *lapsum custodia* edd. Lips. Pich. et cet. „*Elabi custodiae* dictum, ut Ovid. Met. 9, 63. *elabar viro*, et *custodiae* pro *custodibus*. Ernestius coni. *custodias* et Brot. edidit *custodiam*, idque defendunt exemplis 1, 61. *pugnam aut vincula elapsi* et H. 3, 59. *custodias elapsum*. Sed his locis illud verbum alio significatu ponitur. Si quis *elabitur custodiam*, tum cautus est, ne in eam incidat; sin vero *elabitur custodiae*, tum e custodia, qua tenebatur, sese liberat." *Walth.* — *ad paternos exercitus*, cf. 2, 53. 59. — *Iam iuventutis concursu, iam publicis studiis frequentabatur*, circumdabatur frequentia hominum ei faventium certatimque affluentium. Cf. 12, 44. (*studio popularium accinctum*) 13, 18. (*ne coetu salutantium frequentaretur*) et H. 2, 16. (*qui Pacarium frequentabant*.) — *inanium spe*, inani spe, sperans inania, quae nunquam consecuturus erat, imperium principatumque; *Boxh.* *immanium spe* coni. Freinsh. et *inanium specie* (ut 13, 8.) Heins. „Adstipulor Heinsio: nam *inania* apud Tacitum non tam potentia dicitur, quae falso exspectatur, quam quae inani constat pompa, magis *specie* quam re atque vi notabilis est. v. 4, 41. 15, 31. H. 2, 69. Agr. 6. Eiusmodi autem *inania* iam habebat hic Drusus potius quam sperabat." *Wopk.* „Immo haec nihili sunt. *Inania* duplici modo dicuntur, primum ea, quae nullam habent vim aut veram dignitatem, ut 15, 31. Agr. 6. deinde etiam ea, quae falso creduntur, sperantur, ut *inania famae* 2, 76. *reditus inanes* Ovid. Met. 11, 576. Hinc *spes inanium* est ea, qua sperantur, quae effectum non habebunt, ut *spes inanes* Ovid. Met. 7, 336. Iam h. l. *laetus inanium spe* egregie opponitur *laeto praesentibus*." *Walth.* — *Poppaeo Sabino, qui Macedoniae* (curae eius) *tum intentus* (ei praefectus) *Achaiam quoque curabat*, v. ad 1, 76, 2. 1, 80, 1. et 4, 36, 3. *Poppaeo* edd. Rhen. 2. 3. Ald. et rec. (Cf. Ind. I. v. *Sabinus*) *pompeio* MS. edd. Ber. et Rhen. 1. ut et aliis locis, nisi quod *poppaeius* 6, 39. in MS. — *Igitur quo* (ut) *vera seu falsa anteiret*, mature iis obviam iret; *Ern.* In MS. et edd. vet. ante Lips. ut et in ed. Bekk. *antiret*. v. ad 3, 69, 2. — *Toronaeus* et *Thermaeus sinus* a Macedoniae oppidis sic dicti, ille a Torone s. Torona, hic a Therma, cuius nomen posterius fuit Thessalonica; unde *sinus Thermaeus* nunc vocatur *Golfo di Salonichi*. — *sinum praefestinans*, festinanter praeterit, *mox Euboeam — evadit*, praetervehitur; *Ern.* in Ind. „Quod non est satis aptum: nam angustias Isthmi non praetervectus est, sed superavit. *Euboeam evadit* est structura Graecorum, qui per Accusativum denotant viam, qua quis utitur in eundo. cf. Matthiae Gr. Gr. §. 418. 3." *Walth.* — *marique alio*, altero; *Ern.* Cf. Ruddim. inst. Gram. T. II. p. 86. — *ibi demum cognoscit, sollertius interrogatum, quisnam foret, dixisse*, se a *M. Silano genitum*, cf. ad c. 5. n. 1. — *foret, dixisse* MS. edd. Pich. et rec. *foret? dixisse* edd. Ber. Rhen. 1. *foret. dixit se* edd. Rhen. 2. 3. et cet. ante Pich. vitio operarum, quod peperit hanc Lipsii notam: „Locus inter mancos. Post *cognoscit* pone asteriscum et scribe *interrogato*." — *M. Silano*, de quo v. 2, 59. 6, 20. 13, 1. *Sillano* edd. Ber. Rhen. Ald. ut alibi. — *ascendisse* edd. Ber. Rhen. Ald. „Cf. Priscian I. p. 560. et Velius Longus p. 2225." *Walth.* — *neque nos originem — comperimus:* at repererunt Dio 58, 25. et Zonaras 11, 3. p. 551. qui eum a quodam agnitum, captum et perductum

ad Tiberium tradiderunt, Caligulae nuptias a. U. 788. Antii celebrantem." *Lips.* De his nuptiis v. inf. 6, 20. Dio tamen et Zonaras, ut oculatiores videantur, fingunt mendacia; *Brot.* Mira saltem Taciti inscitia.

CAPUT XI.

Exitu anni diu aucta discordia consulum erupit: nam Trio, facilis capessendis inimicitiis et foro exercitus, ut segnem Regulum ad opprimendos Seiani ministros oblique perstrinxerat. Ille, nisi lacesseretur, modestiae retinens, non modo retudit collegam, sed ut noxium coniurationis ad disquisitionem trahebat: multisque Patrum orantibus, ponerent odia in perniciem itura, mansere infensi ac minitantes, donec magistratu abirent.

1. *discordia consulum* L. Fulcinii *Trionis* et P. Memmii *Reguli*, de quibus v. Ind. I. Illi a. U. 784. Tiberio Caes. V. et L. Aelio Seiano coss. suffecti sunt idibus Maiis. v. Gruteri inscr. p. 1087. — *facilis capessendis inimicitiis*, v. ad 6, 15. et Agr. 21. n. 1. — *oblique perstrinxerat*, cf. ad c. 2. n. 2.

2. *modestiae retinens*, v. ad 2, 38, 5. — *non modo retudit collegam, sed* etiam. v. ad 1, 60, 1. *Retundere*, ut *contundere*, propr. hebetare, infringere, imminuere aliquem, h. e. impetum et vim eius; hinc refutare et vincere. *retudit* edd. et vet. et rec. nisi quod *rettudit* scripsere Bekk. et Walth. — *noxium coniurationis:* „consortem, participem, ut ap. Sall. Iug. 42. ubi cf. Corte. Contructio est Graeca, ut Latina ap. Liv. 7, 20. *noxios crimine.*" *Ern.* Sic etiam *crimine insons* et *innoxius* ap. Liv. 4, 15. et 44. „Genitivus supplementum est plerisque Adiectivis, út doceat, quo respiciant Adiectivi, plane ut apud Graecos. v. Ramshorn. Gr. §. 107. f." *Walth.* Cf. ad 1, 20, 2. et Ind. III. v. *Adiectiva relativa Genitivis obiecti iuncta.*

A N N A L I U M

LIBER VI.

BREVIARIUM LIBRI VI.

Cap. 1. *Tiberii itinera et libidines.* 2. *Actum in senatu de nota turpitudinis inurenda memoriae Liviae et Seiani. Adulatio Togonii ab ipso Tiberio irrisa.* 3. *Gallionis increpita et punita. Sextius Paconianus.* 4. *Latinii Latiaris poena. Dissidium consulum.* 5. *Cotta Messalinus accusatus.*

6. *Mala Tiberii conscientia literis expressa.* 7. *Multae et delationes et damnationes.* 8. *M. Terentii defensio.* 9. *Vestilii mors voluntaria. Multi maiestatis postulati.* 10. *Feminae ob lacrimas punitae. Supplicium Attici et Marini. Mors et funus L. Pisonis Praef. Urbi.* 11. *Excursus de praefectura Urbis.*

12. *Carmina Sibyllina a Quindecimviris recognita.* 13. *Seditio Romae orta ob gravitatem annonae et coercita.* 14. *Coniuratio Geminii, Celsi et Pompeii Equitum punita. Rubrii Fabati fuga.* 15. *Germanici*

filiae Cassio et Vinicio locatae. Tiberii itinera. 16. *Feneratores accusati.* 17. *Fides refecta liberalitate Principis.* 18. 19. *Supplicia reorum consciorumque coniurationis Seianianae.*

20. *Nuptiae C. Caesaris et Claudiae. Tiberii praesagium de Ser. Galba.* 21. *Ars Chaldaeorum et Thrasylli.* 22. *Iudicium Taciti de fato.* 23. 24. 25. *Miseranda mors Asinii Galli, Drusi, Agrippinae,* 26. *voluntaria Cocceii Nervae et Munatiae Plancinae.* 27. *Iulia Drusi filia Rubellio Blando nupta. Mors Aelii Lamiae, Pomponii Flacci et M. Lepidi.* 28. *Narrationes de phoenice in Aegypto visa.* 29. *Mors voluntaria Pomponii Labeonis, Mamerci Scauri aliorumque.* 30. *Accusatorum relegatio. Lentulus Gaetulicus solus ex Seiani affinibus incolumis.*

31. 32. *Ab Artabano Parthorum rege Armeniis Arsaces filius, sed a Tiberio Parthis petentibus Phrahates eoque mortuo Tiridates rex datur; et Orienti praeficitur L. Vitellius.* 33 — 35. *Post mortem Arsacis de possessione Armeniae certant Artabanus et Mithridates.* 36. 37. *Defectio Parthorum. Artabani fuga et Tiridatis successio in eius locum.*

38. 39. *Continua Tiberii saevitia in amicos Seiani.* 40. *Aruseii et Tigranis damnatio exitusque voluntarius Vibuleni Agrippae, Galbae, Blaesorum et Aemiliae Lepidae.* 41. *Clitarum rebellio a M. Trebellio oppressa.* 42 — 44. *Tiridates, novus Parthorum rex, ab Artabano pulsus.* 45. *Grave incendium Tiberii liberalitate mitigatum. Gratia Caligulae a Macrone captata ope Enniae uxoris.* 46. *Tiberii deliberatio de successore et praesagium de Caligula. Eius libidines morbusque dissimulatus.* 47. 48. *Acutia, Albucilla huiusque adulteri accusati. Arruntius praesagit saevius imperium et venas sibi incidit.* 49. *Mors voluntaria Sex. Papinii a matre ad incestum perpulsi.* 50. *Tiberius iniectis vestibus iussu Macronis oppressus.* 51. *Eius varii et casus et mores.*

Gesta haec annis circiter sex, a. U. c. 785 — 790.

CN. DOMITIO AHENOBARBO ET M. FURIO CAMILLO
SER. SULPICIO GALBA ET L. CORNELIO SULLA
PAULO FABIO PERSICO ET L. VITELLIO
C. CESTIO GALLO ET M. SERVILIO NONIANO
Q. PLAUTIO ET SEX. PAPINIO GALLIENO
CN. ACERRONIO PROCULO ET C. PONTIO NIGRINO COSS.

CAPUT I.

Cn. Domitius et Camillus Scribonianus consulatum inierant, quum Caesar tramisso, quod Capreas et Surrentum interluit, freto Campaniam praelegebat, ambiguus an Urbem intraret, seu, quia contra destinaverat, speciem venturi simulans; et saepe in propinqua digressus, aditis iuxta Tiberim hortis, saxa rursum et solitudinem maris repetiit pudore scelerum et libidinum, quibus adeo indomitis exarserat, ut more regio pubem ingenuam stupris pollueret. Nec formam tantum et decora corpora, sed in his modestam pueritiam, in aliis imagines maiorum incitamentum cupidinis habebat. Tuncque primum ignota ante vocabula reperta sunt *sellariorum* et *spintriarum* ex foeditate loci ac multiplici patientia; praepositique servi, qui quaererent, pertraherent, dona in promptos, minas adversum abnuentes et, si retinerent propinquus aut parens, vim, raptus suaque ipsi libita velut in captos exercebant.

1. Editores vett. unum librum ex Vto et VIto fecerunt, qui ita res novem annis gestas complectitur. Hinc eum in duos libros dispescuerunt Lipsius et editores rec. — *Cn. Domitius* Ahenobarbus et M. Furius *Camillus Scribonianus*, cf. Ind. I. v. *Domitius* et *Furius*. „In appellandis huius anni consulibus summa scriptorum varietas. *Camillus Arruntius et Domitius Ahenobarbus coss.* ap. Suet. Oth. 2. Idacium et in Fastis Vindobon. Panvinius vero coss. ordinarios fuisse *Domitium Ahenob. et A. Vitellium* perperam existimavit; siquidem *Cn. Domitius Ahenobarbus cos.* et *suff. Kal. Iul. A. Vitellius cos.* in tabula Nolana ap. Gruter. p. 1087, 1. Potior auctoritas Taciti et Dionis 58, 17." *Brot.* „Camillum hunc consulem ordinarium merito faciunt Pagius Crit. Baron. ad a. 785. et Noris. in Ep. Cons. Opp. T. II. p. 864. quem sequitur motus inscriptione antiqua ap. Grut. p. 1087, 1. Bimardus in Antiq. Curalonens. c. 5. p. 95. T. I. Thes. Inscr. Murat. Alii fastorum concinnatores suffectum faciunt." *Ern.* — *Campaniam praelegebat*, praeternavigabat, ut etiam simplex *legere* v. c. *latus*, (Agr. 38 extr.) *oram* et *litora* ap. Liv. 21, 51. 35, 27. Cf. sup. ad 2, 6, 2. — *digressus*: male *degressus* scripsere Ern. et Bekk. Mirum, quod *degredi* aliquem iubent ab insula Caprearum *in propinqua* Urbis loca; *Walth.* Cf. ad 4, 74, 2. et ad rem cap. 15 extr. et Dio 58, 21. — *aditis iuxta Tiberim hortis* Caesaris, de quibus v. ad 2, 41, 1. Cf. Ern. ad Suet. Tib. 72 pr. ubi hortos privatorum naumachiae subiacentes intelligi colligit ex Frontini sect. 13. et 22. — *saxa*, Capreas. Cf. ad 4, 67, 1. Suet. Tib. 40. Iuvenal. 10, 92. — *rursum* — *repetiit*, ut ap. Suet. Caes. 2. Sic et *rursus revocare* dixit Liv. 9, 27. *rursus recedere* Curt. 7, 6, 2. *r. resacrare* Nep. Alcib. 6. *adversus resistere* Nep. Pelop. 1. *retro remittere*, *repetere*, *redire* Liv. 9, 2. 22, 6. 23, 28. 27, 28. Cf. Ind. III. v. *Pleonasmus*. — *solitudinem maris*: Capreas insulam, ubi non ita ut in continenti ab hominibus frequentari Caesar potuit; *Wopk.* — *pudore scelerum et libidinum*: „acerbior videri potest Tacitus in Tiberium. Probabiliores reditus rationes dedit 4, 57." *Ryck.* — *more regio*, regum exterorum, inpr. orientalium et Graecorum; *Brot.*

2. *Tuncque* (regnante Tiberio) *primum ignota ante* (*antea* MS. et ed. Bekk. quod h. l. auribus ingratissimum est) *vocabula reperta sunt*, rara et in aulis fortasse Impp. Rom., non in aedibus privatorum usitata, (quod Cramer ad Schol. Iuvenal. 3, 136. ex loco memorabili Plin. 36, 15. s. 24. colligebat) *sellariorum et spintriarum ex foeditate loci ac multiplici patientia*, cf. loc. class. Suet. Tib. 43. *Secessu vero Capreensi etiam sellariam excogitavit, sedem arcanarum libidinum, in quam undique conquisiti puellarum et exoletorum greges monstrosique concubitus repertores, quos spintrias appellabat, triplici serie connexi, invicem incestarent se coram ipso, ut aspectu deficientes libidines excitaret.* Vox *spintria* originis ignotae est nec nisi a Tac. et Suet. memoratur. In MS. *sintriarum*. „*Sellarios* et *sellaria* sic dicta putant a *sella*, sive gestatoria, qua vectae sint meretrices, ut conspicuae essent, (quod argumentis firmat Scheffer. de re veh. 2, 4.) sive vulgari et humi posita, in qua ante lupanar consederint. Ernestius ad Suet. l. l. annotavit, *sellarias* scriptoribus Rom. non modo loca dici, ubi sellarii spintriaeque convenerint, sed etiam ipsas meretrices. Dubitare tamen licet, donec id certo aliquo teste probetur, quem adhuc desidero." *Cramer* l. l. Cf. intpp. Suet. Cal. 16. et Vit. 3. Martial. 5, 71, 3. Lamprid. Heliog. 5. Ferrar. Elect. 2, 8. — *multiplici patientia*; coitus ratione. Cf. ad 6, 46, 3. et 12, 49, 1. Hinc dicti *pathici*, παθικοί, qui muliebria patiuntur. — *pertraherent*, pubem violenter ad libidinem deducerent; *Ern. servi quirerent pertraherent* MS. — *dona in promptos, minas adversum abnuentes* — *vim, raptus* — *exercebant*, cf. ad 2, 20, 2. *adversum* edd. vet. *adversus* edd. Oberl. et aliae. Non video, quo iure; *Walth.* Ipse tamen alicubi anno-

tavit, *adversus* poni ante vocalem. — *libita*, ut 12, 6. 14, 2. et *cupita* 4, 3 pr.

CAPUT II.

At Romae principio anni, quasi recens cognitis Liviae flagitiis ac non pridem etiam punitis, atroces sententiae dicebantur in effigies quoque ac memoriam eius, et bona Seiani ablata aerario, ut in fiscum cogerentur, tanquam referret. Scipiones haec et Silani et Cassii iisdem ferme aut paulum immutatis verbis asseveratione multa censebant, quum repente Togonius Gallus, dum ignobilitatem suam magnis nominibus inserit, per deridiculum auditur. Nam Principem orabat deligere senatores, ex quis viginti sorte ducti et ferro accincti, quotiens curiam inisset, salutem eius defenderent. Crediderat nimirum epistolae subsidio sibi alterum ex consulibus poscentis, ut tutus a Capreis Urbem peteret. Tiberius tamen, ludibria seriis permiscere solitus, egit gratis benevolentiae Patrum: *sed quos omitti posse? quos deligi? semperne eosdem an subinde alios? et honoribus perfunctos an iuvenes? privatos an e magistratibus? quam deinde speciem fore sumentium in limine curiae gladios? neque sibi vitam tanti, si armis tegenda foret.* Haec adversus Togonium verbis moderans; neque ultra abolitionem sententiae suadere.

1. *cognitis Liviae flagitiis* ex Apicatae libello *ac punitis*, de quo v. Dio 58, 12. *Livia* Drusi uxor, soror Germanici, in Seiano adultera eiusque scelerum et poenarum socia; *Brot.* — *in effigies quoque ac memoriam eius*, v. ad 2, 32, 1. et Lips. Exc. ad h. l. „In memoriam quoque Seiani saevitum est nomenque eius erasum ex fastis et numis. Cf. Eckhel D. NN. T. I. p. 196." *Oberl. in figies quoque* MS. — *tanquam referret*, differret, interesset, utrum bona in *aerarium* an in *fiscum cogerentur:* Imperator enim aerarium quoque sibi vindicabat. *cogerentur, tum rettulere Scipiones. Haec* cet. edd. Ber. Rhen. Ald. Sed *tam referret* MS. Hinc *tanquam referret* edd. Pich. et rec. ex emend. Lipsii. Vere Lipsius: ceteri nugantur; *Gron.*

2. *asseveratione multa censebant*, v. ad 4, 19, 2. — *Togonius Gallus* — *per deridiculum auditur*, cf. Dio 58, 17. qui tamen omisso Togonii nomine universum senatum incusat; *Walth.* — *ignobilitatem:* Freinsh. coni. *novitatem*, ut 14, 53. — *magnis nominibus inserit*, cf. ad H. 2, 61, 2. O. 10. n. 3. *per deridiculum auditur*, cf. Ind. III. v. *Per α.* — *orabat deligere*, cf. ad 11, 1, 2. et Ind. II. v. *Orare.* — *quotiens* edd. vet. ubivis. Cf. ad Agr. 30. n. 1. — *Crediderat nimirum epistolae* Tiberii — *poscentis* cet. Haec est epistola a Tiberio ad senatum scripta, in qua de aliis rebus multa, de Seiano pauca scripserat et nihil aperte de eius damnatione, ne ita tumultum concitaret. Cum hac epistola missus erat ad senatum Sertorius Macro, qui veram Tiberii mentem clam declaravit. v. Dio 58, 4 — 8. Suet. Tib. 65. Iuvenal. 10, 71 sq. — *alterum ex consulibus*, P. Memmium Regulum. Cf. ad 5, 11, 1. et Dio 58, 9. 10.

3. *Tiberius — egit gratis* MS. edd. Ber. Rhen. Jac. Gron. Ern. et rec. *grateis* ed. Ald. *grates* eaedem edd. 1, 69. 4, 15. al. *gratias* edd. med. — *et honoribus perfunctos an iuvenes:* „Nam ante et sub hoc aevum mos, ut liberi senatorum honoribus nondum functi in senatu essent. Institutum ab Augusto, qui *liberis senatorum, quo celerius rei publicae assuescerent, pro-*

tenus virilem togam, latum clavum induere et curiae interesse permisit Suet. Oct. 38. Sic inf. 13, 25. *Iulius Montanus senatorii ordinis, sed qui nondum honorem capessisset,* 14, 40. *Valerius Fabianus capessendis honoribus destinatus.* Cf. Ovid. Trist. 4, 10, 28. et Stat. Silv. 3, 124. Alii sunt tribuni laticlavii.“ *Lips.* ad h. l. et ad 13, 25. Enimvero semper putem in senatum lectos quosdam nondum ullo honore functos; *Ern.* — *verbis:* in MS. *urbis.* — *neque ultra abolitionem sententiae suadere:* „nihil aliud suasit nec eo ulterius progressus est; quasi dicat: non violenter increpuit Togonium, ut postea Iunium Gallionem.“ Pich. *suaderet* MS.

CAPUT III.

At Iunium Gallionem, qui censuerat, ut praetoriani actis stipendiis ius apiscerentur in quatuordecim ordinibus sedendi, violénter increpuit velut coram rogitans, *quid illi cum militibus, quos neque dicta imperatoris neque praemia nisi ab imperatore accipere par esset? Reperisse prorsus, quod divus Augustus non providerit. An potius discordiam et seditionem a satellite Seiani quaesitam, qua rudes animos nomine honoris ad corrumpendum militiae morem propelleret?* Hoc pretium Gallio meditatae adulationis tulit, statim curia, deinde Italia exactus; et quia incusabatur facile toleraturus exsilium, delecta Lesbo, insula nobili et amoena, retrahitur in Urbem custoditurque domibus magistratuum. Iisdem literis Caesar Sextium Paconianum praetorium perculit magno Patrum gaudio, audacem, maleficum, omnium secreta rimantem delectumque a Seiano, cuius ope dolus C. Caesari pararetur. Quod postquam patefactum, prorupere concepta pridem odia, et summum supplicium decernebatur, ni professus indicium foret.

1. *Iunium Gallionem, qui censuerat* cet. cf. Dio 58, 18. Alius fortasse L. Iunius Gallio, Senecae frater, de quo v. ad 15, 73. — *praetoriani,* proprii milites et custodia Imperatoris. — *actis stipendiis,* v. ad 1, 17, 1. — *in XIV ordinibus sedendi,* „tanquam Equites essent. Causam sententiae sumpsit a primipilaribus, qui functi militia Equites censebantur.“ *Lips.* Cf. ad 15, 32. et Lips. de mil. Rom. 2, 8. — *violenter increpuit* in literis. — *quos neque dicta imperatoris — esset:* „haerent interpretes et quidem loco planissimo. Quidam delendum putant *imperatoris,* alii legendum *neque dicta* vel potius *edicta nisi imperatoris.* Immo Tiberius dicit: quia non decet milites *dicta* h. e. iussa, (ut 2, 45. 4, 2. H. 2, 19.) *imperatoris,* imperatoria, h. e. imperia, accipere, *neque praemia* sc. *imperatoris,* imperatoria, exspectare *nisi ab imperatore.*“ *Walth.* — *Reperisse prorsus,* omnino, sc. Gallionem, melius, quam *quod D. Augustus providerit:* quae εἰρωνικῶς dicta. „Singulis praetorianis, quod Seiano se non accommodassent, millia denariorum largitus erat Tiberius teste Suet. Tib. 48. Haec quidem digna Principe. Indigna vero et perniciosa, quae censebat Gallio. Illis enim irritabantur legiones praetorianis iam infensae et *corrumpebatur militiae mos.* Ipse Augustus militem a populo in spectaculis secreverat. v. Suet. Aug. 44.“ *Brot.* — *a satellite,* ministro, adiutore, *Seiani,* Gallione.

2. *Hoc pretium,* v. ad 2, 9, 2. — *custodituque domibus magistratuum,* v. ad 3, 22, 2. *domibus,* in dom., ut *domo se tenuit* ap. Nep. 15, 10. Cf. Ramshorn. Gr. p. 281. — *Sextium Paconianum,* ut c. 39 pr. in omnibus libris. *sestium pagonianum* MS. et edd. vet. ante Lips. — *perculit,* v. ad

1, 12, 3. et 4, 31, 3. — *pridem* edd. Lips. et rec. *per idem* MS. et edd. vet. Cf. ad 4, 40, 2. — *et summum supplicium decernebatur, ni p. i. foret*, cf. ad 1, 35, 3. et 3, 49, 2. *ni professus indicium* aliorum Seiani amicorum *foret*, unde periculum effugit. Cf. ad 12, 49, 1. De eius morte v. cap. 39.

CAPUT IV.

Ut vero Latinium Latiarem ingressus est, accusator ac reus iuxta invisi gratissimum spectaculum praebebantur. Latiaris, ut retuli, praecipuus olim circumveniendi Titii Sabini et tunc luendae poenae primus fuit. Inter quae Haterius Agrippa consules anni prioris invasit, *cur, mutua accusatione intenta, nunc silerent? Metum prorsus et noxiam conscientiae pro foedere haberi: at non Patribus reticenda, quae audivissent.* Regulus, *manere tempus ultionis seque coram Principe exsecuturum:* Trio, *aemulationem inter collegas, et si qua discordes iecissent, melius obliterari*, respondit. Urgente Agrippa, Sanquinius Maximus e consularibus oravit senatum, ne curas Imperatoris conquisitis insuper acerbitatibus augerent: sufficere ipsum statuendis remediis. Sic Regulo salus et Trioni dilatio exitii quaesita. Haterius invisior fuit, quia somno aut libidinosis vigiliis marcidus et ob segnitiam quamvis crudelem Principem non metuens illustribus viris perniciem inter ganeam ac stupra meditabatur.

1. *Latinium Latiarem* (v. 4, 68 sq.) *ingressus est* scil. Paconianus accusator: „nam is promiserat indicium, et postquam permissum, ut indicium ederet, *ingressus est*, nominavit Latiarem. Quare *ingredi* est id. qd. *incipere*, ut *accusator ingreditur* 16, 30. *ingredi defensionem* 11, 2. *crimina* Plin. ep. 3, 9. *disputationem* Cic. p. Caecin. c. 28. *ingredi* Virg. Aen. 6, 867. Passim ita Accusativus iungitur Verbis intransitivis, ut Caes. B. G. 1, 39. *suum fatum querebantur*, Cic. de off. 3, 10. *qui stadium currit*, Virg. Aen. 6, 121. *itque reditque viam.*" *Walth.* et ita Acid. Sic vero bene dicitur *ingredi rem*, non *i. hominem*. Neque probabilis explicatio aliorum: actionem contra eum ingressus est; etsi sententia h. l. ita exprimitur. Ernestius *ingredi* dictum putabat pro *aggredi*, ut Sall. Iug. 28. et Iustin. 41, 4. (*Numidiam* et *Parthos ingredi*) saltem Cic. de sen. 14. §. 49. qu. Acad. 4, 6. et Virg. Ge. 2, 175. ubi v. Burm. Sed *ingredi* locis Sall. et Iustini est *intrare*, in ceteris *incipere*. Cf. tam ad 12, 49, 1. extr. Rhenanus male coni. *Ut vero Latini Latiaris ingressus est accusator Arius* cet. Praeferenda emendatio Lipsii *Latiarem aggressus est*. v. ad 4, 3, 1. *lucanium latiarem* MS. — *accusator ac reus* edd. rec. ex emend. Lipsii. *accusator: acrius* edd. Ber. Rhen. 1. *accusator Acrius* edd. Rhen. 2. 3. Ald. *accusator ac reus iuxta invisi* (v. ad 1, 6, 6.) *gratissimum spectaculum praebebantur* MS. et ed. Bekk. *praebebant* malebant Lips. Mur. Pich. *praebebatur* edd. et vet. et rec. „Recte: nam *accusator et reus* non *praebebant* vel *praebebantur grat. spectaculum*, quod dici absurdum est, sed *gratissimum spectaculum praebebatur*, idque spectaculum erant *accusator ac reus*"; *Walth.* Sed neque *praebebant*, neque *praebebatur* absurdum videri potest. Sic Ovidius A. A. 2, 581. *praebent spectacula capti* et alii similia dixere. *ut vero Latinium Latiarem ingressus est accusator acrius iuxta invisum, grat. sp. praebebatur* coni. Ern. — *ut retuli* 4, 68 sq. — *luendae poenae primus*, v. ad 1, 20, 2, et 5, 11, 2.

2. *Inter quae* (vitiose *interque* ed. Ber.) *Haterius Agrippa* (cf. Ind. 1.)

consules suffectos *anni prioris*, (v. ad 1, 77, 1.) Trionem et Regulum, (de quorum discordia v. 5, 11.) *invasit*, tumultuose interrogavit; *Ern.* Cf. ad ad 4, 3, 1. — *mutua accusatione intenta*, v. ad 1, 28, 3. — *metum prorsus* (omnino) *et noxiam conscientiae pro foedere haberi*, h. e. esse. v. Ind. II. *noxiam conscientiae* MS. edd. Ber. Rhen. 1. Pich. et rec. *noxam conscientiae* edd. Rhen. 2. 3. Ald. Lips. Grut. *Noxia* est culpa s. crimen, *noxa* vero damnum; *Croll.* Alii synonyma esse putant. Cf. Drak. ad Liv. 2, 54, 10. 8, 28, 8. 10, 19, 2 Doederl. Synon. 2. p. 153. et Forcell. „Tacitus sane illud discrimen observasse videtur. Sic *noxa* 2, 6. Frustra autem coniecturis indulgent interpretes: *noxae conscientiam*, *noxiam conscientiam*, *obnoxiam conscientiam*, (cf. ad 3, 58, 3. et H. 2, 56, 4.) *noxia conscientiae*, et *habere* pro *haberi*, quod tamen h. l. est pro *esse*. Est criminatio et asseveratio in verbis, (unde *prorsus*) non coniectura. Germanice: Furcht, behauptete er, und Schuldbewufstsein vertrete hier die Stelle eines Vertrags.“ *Walth.* — *si qua*, v. ad O. 3. n. 2. et 36. n. 5. — *iecissent*, v. ad 11, 9, 2. et Ind. II. Was sie in Zwietracht etwa hingeworfen hätten; *Woltm.* — *melius obliterari*, v. ad 12, 46, 2. — *Sanquinius Maximus*, cf. c. 7. et 11, 18. „*S. maximus* male edd. vet. Fuit consul suff. a. U. 781. deinde praef. Urbi et sub Caio a. 792. iterum consul suff. v. Dio 59, 13. ubi pro Σαουΐνιος Μάξιμος leg. Σαγκίνιος M.“ *Lips.* — *dilatio exilii quaesita*, v. ad 1, 35, 1. — *somno*, inertia, socordia, ut H. 2, 90. — *marcidus*, enervatus, torpens, ut *marcens* H. 3, 36. et G. 36. ubi cf. nota 2. — *ob segnitiam Principem quamvis crudelem non metuens*, cf. ad 2, 52 extr. 13, 1, 1. H. 1, 49, 7. Suet. Galb. 9. Iuvenal. 4, 81—93. — *ganeam* MS. nonnullae edd. ante Pich. et rec. *ganeum* edd. Rhen. et al.

CAPUT V.

Exin Cotta Messalinus, saevissimae cuiusque sententiae auctor eoque inveterata invidia, ubi primum facultas data, arguitur pleraque: C. Caesarem quasi incestae virilitatis et, quum die natali Augustae inter sacerdotes epularetur, *novendialem* eam *coenam* dixisse; querensque de potentia M. Lepidi ac L. Arruntii, cum quibus ob rem pecuniariam disceptabat, addidisse, *illos quidem senatus, me autem tuebitur Tiberiolus meus.* Neque cuncta a primoribus civitatis revincebatur, iisque instantibus, ad Imperatorem provocavit. Nec multo post literae afferuntur, quibus in modum defensionis, repetito inter se atque Cottam amicitiae principio crebrisque eius officiis commemoratis, ne verba prave detorta neu convivalium fabularum simplicitas in crimen duceretur, postulavit.

1. *Cotta Messalinus, saevissimae c. s. auctor*, v. ad 2, 32, 1. — *eoque*, v. ad 1, 16, 1. — *inveterata invidia*, v. ad 3, 52, 1. et Ind. III. v. *Ablativi qualitatis*. — *arguitur pleraque*, ut paulo post *cuncta revincebatur*, cf. Ind. III. v. *Accusativi Adiectivis et Verbis iuncti more Graecorum* et ad 2, 17, 2. *pleraque* id. qd. *multa* v. ad 3, 28, 4. *arguitur pleraque*, v. c. eum C. *Caesarem*. Caligulam cet. *arguitur pleraque in C. Caesarem — dixisse, querensque — addidisse* malebant Mur. Ursin. Acid. — C. *Caesarem quasi incestae virilitatis*, ut *Abdus ademptae virilitatis* c. 31. Cf. c. 9. ad 3, 52, 2. et Ind. III. v. *Genitivi qualitatis*. *incesta virilitatis* MS. edd. Ber. et Rhen. 1. *incestae vir.* Rhen. 2. 3. Ald. et rec. *incertae virilitatis* coni. Lipsius, (h. e. ambigue virum, androgynum eum esse, ut *dubia virilitas* ap. Sen. de prov. 3.) *infestae virilitatis* Bip. *Caium Caesarem*,

quasi incertae virilitatis, dixisse ingeniose Freinsh. quod placuit Ryckio, Gron. ad Sen. de vita beata c. 13. et Ern. qui tali nominum mutatione vel ignaviam vel mollitiem perstringi docent coll. Hom. Il. 2, 235. Suet. Caes. 49. et Cal. 36. Xiphil. 82, 6. Cic. de or. 2, 68. Egesip. de exc. Hieros. 1, 31. Sed in MS. et edd. vet. C. scriptum, non litera inversa, qua notatur, *Caia*, et vulgata lectio non est mutanda. „*Dicere aliquem quasi incestae virilitatis* est ita loqui de aliquo, quasi sit incestae virilitatis. *Incestam virilitatem* explicant virilitatem incesto contaminatam. Sed quaeritur potissimum, quod *incestum* hic sit intelligendum. In universum ea vox significat libidines monstrosas, naturae et religioni repugnantes, qualis est res, quam vir habet cum viro, (Suet. Tib. 43.) filius cum matre, (Suet. Ner. 28.) frater cum sorore, et sim.; porro stupra Vestalium. (Suet. Dom. 8.) Iam *virilitatem incestam* hic intelligemus aut de virilitate maribus prostrata, aut de eo quod Caligula *praetextatus*, impuber, *adhuc Drusillam virginem*, sororem suam, *vitiavit* (Suet. Cal. 24.) et virilitate abusus est. Ne tamen putes, *incestam virilitatem* eo respicere, quod frater rem habuit cum sorore; ea enim non est *virilitas* incesta, sed simpl. incestum vel incesta libido. Vocabulum *virilitatis* satis testatur, hic esse sermonem de impudicitia, quae it contra naturam viri aut qua quis abutitur virilitate.“ *Walth.* — *die natali Augustae:* „Immo *Augusti.* cf. ad 1, 15, 3. Liviae natalem post mortem eius epulo ludisve celebratam non invenio: nec vero Tiberius, alias haud pronus in matrem, id permiserit, quum etiam minores quosdam honores a senatu ei decretos vetuerit abrogaritque. v. 1, 14. et Dio 60, 5. ubi verbum nullum de natali die Liviae.“ *Lips.* „Verum puto *Augusti.* Potuit tamen natalis etiam vivae celebrari, ut Caii et Seiani. v. Dio 54, 8. 58, 2.“ *Ern.* „Potuit haud dubie. Attamen Livia obiit a. U. 782. et narrantur res a. 785. Nonne putas, Tacitum additurum fuisse *quondam* vel simile quid, si tam veterem rem intellexisset? Certius igitur haec accipiemus de epulis natalitiis post mortem *Augustae* usurpatis. At Tiberius vetuit honores Augustae defunctae ab senatu decretos. *Vetuit*; neque tamen aperto odio aut praerupta detrectatione, sed specie moderationis; nec omnes omnino honores memoriae matris negavit, sed nimios honores memoriae eius ab senatu decretos, quos imminuit, paucis admodum receptis. v. 5, 2. et Dio 58, 2. Intercessit, ne coelestis religio decerneretur. Iam epulae die natali celebratae non sunt coelestis religio; nam et viventibus puris putis hominibus is honor habebatur, e. c. Caio Caesari, Iuliae filio, et Seiano. v. Dio 54, 8. et 58, 2. Quare nihil obstat, quo minus hic cogitemus de epulis die natali Augustae post mortem eius celebratis per collegia sacerdotum.“ *Walth.* — *inter sacerdotes epularetur*: „Observa ergo, illo die epulum fuisse et, ut apparet, per collegia. Senatores tunc convivatos in Capitolio, auctor est Dio 54, 26. Idem c. 30. videtur hoc convivium extendere ad vulgus etiam hominum. Sed fallor aut hoc de iis tantum, qui quaeve senatorii gradus. Post Principes servarunt, immo laetitiam eius diei etiam auxerunt.“ *Lips.* — *novemdialem eam coenam dixisse*: Plerique intpp. retinent lectionem *Augustae*, sed quare Cotta hanc coenam dixerit *novemdialem*, valde ambigunt. Gruterus ita dictam censebat, quod plane fuerit taciturna ob metum ex multiplici caede ortum; Heinsius, quod Augusta Tiberium pepererit feralem et exitiosum plurimis; Huetius et Broterius, quod Livia tum morti proxima fuerit et fere iam mortua; Crollius, quod ille *dies natalis* post Tiberii secessum proxime celebrata sit et potentia Augustae, imperii ante sociae et aemulae, ab eo tempore videri potuerit intermortua. Cf. 4. 57. „Alii alia comminiscuntur. Sed profecto negligentiae accusandus esset Tacitus, si tam obscurum tectumque illius vocis sensum ne uno quidem verbo lectori aperuisset. Quod quum non fecit, tutissimum erit, ut simplicissima loci interpretatione

utamur. Epulae celebratae in memoriam demortuae Augustae, non tamen novemdiales, quae mortuis vulgo celebrari solebant, sed in praecipuum illius honorem decretae et natali eius die celebrandae. Cotta iocose coenam dixit *novemdialem*, ein Leichenessen, quippe celebratam defunctae: qui iocus non poterat non in contemptum Augustae accipi." *Walth.* „Causa ioci paulo altius petenda. Mortuis ritu Romano non ante diem nonum parentabatur. Tunc iis iusta, ludi, epulae, inscriptio, et funeri finis: nono vero die praeter alia coena funebris epulaeque. cf. Donat. in Terent. Phorm. 1, 1, 6. Virg. Aen. 5, 64. Stat. Theb. 6, 238. Augustin. in Genesin 1, 182. Iul. Obseq. 112. Tertull. de testim. animae c. 4. et de resurr. carnis c. 1. Coena dicta *feralis* et *silicernium*: ei vero certi quidam cibi proprii, ova ad lustrationem adhiberi solita, lens, sal, libum. v. Iuvenal. 5, 84. 85. Plut. in Crasso c. 36. T. I. p. 555. Dio 67, 9. Tertull. apolog. 13. Festus v. *Silicernium*. Hunc morem transisse ad Christianos tradunt et excusant Paulinus in Felicis natali 9. et Augustin. confess. 6, 2. et de civ. dei 8, 27. Ad eas ergo novemdiales epulas h. l. allusum, et quum natalis Augusti, dies laetus auctorque vitae, celebraretur, videri sibi Cotta ferales potius eas epulas dixit, sive quia ille natus exitii causa multis, sive quia ante novem forte dies multi a Tiberio interfecti. Id placet, et mirum, ni is iocus, verior liberiorque quam ut Cottam deceat, ei exciderit post stragem Seiani. Non absimile illud Plauti Aulul. 2, 4, 45. *cocus ille nundinalis est, in nonum diem solet ire coctum*, i. e. feralis novemdialisque et qui mortuis tantum parat in coenam; ut praeit nobis bene Festus." *Lips.* — *querensque de potentia M. Lepidi et L. Arruntii*, v. ad 1, 13, 1. et 2. *querensque* MS. edd. Rhen. Ald. Pich. rec. *quaerensque* ed. Ber. *querentemque* edd. Lips. et Grut. „*querensque* bene restituit Pichena, sed quod inde colligit, legendum e coni. Lipsii *dixisset* — *addidisset*, idque in textum recepit, in eo fugit illum ratio: nam *querens* pendet ab *arguitur*." *Ern.* — *Tiberiolus meus*, cf. ad 1, 59, 3.

2. *neque cuncta — revincebatur*, ut paulo ante *arguitur pleraque*, (Cf. nota 1.) non omnium, quae Cotta ei obiecerat, convincebatur. *neque cuncta* MS. edd. Pich. et rec. *neque cunctatus* edd. Ber. Rhen. Ald. „Recte, pro *cunctanter*, ut saepius adiectiva pro adv. ponuntur." *Roth.* ad Tac. Agr. p. 209. *neque contatius* edd. Lips. Grut. *eaque cuncta* malebant Pich. et Freinsh. *quin aeque cuncta* Heins. *atque cuncta* Brot. *illos quidem senatus, me autem! Tuebitur Tib. meus me*: *quae cuncta* cet. Iac. Gron. „Frustra. Duo Noster affert, quae accusationis eventum impedierint: primum, quod *non cuncta revincebatur*, alterum, quod *ad Imperatorem provocavit*, quum primores civitatis nihilominus instarent." *Walth.* — *convivalium fabularum*, confabulationum, a v. *fari*. cf. ad O. 2. n. 2. — *simplicitas*, fatuitas, stultitia. Nam *simplex* dicitur vel sincerus et candidus, vel stultus, qui ob sinceritatem suam nihil fraudis suspicatur et facile fallitur. cf. ad G. 22. n. 7. — *in crimen* h. e. crimini *duceretur*. „Sic *ne quis modestiam in conscientiam duceret* Sall. Iug. c. 85." *Wopk.* Cf. ad H. 4, 68, 1. et Ind. II. v. *In.*

CAPUT VI.

Insigne visum est earum Caesaris literarum initium; nam his verbis exorsus est: *Quid scribam vobis, P. C., aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore, dii me deaeque peius perdant quam perire me quotidie sentio, si scio.* Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra praestantissimus sapientiae firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus et ictus, quando, ut corpora verberibus, ita saevitia, libidine, malis

consultis animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasque ipse poenas fateretur.

1. *Nam his verbis exorsus est*, cf. Suet. Tib. c. 67. „Huetius opinatur, haec scripsisse Tiberium propter senectutem mortis adventantis nuntiam, ea vero perperam interpretatum esse Tacitum. Libentius crediderim, illa conscientiae flagella ex reliqua epistola innotuisse. Nec credibile, tam gravem scriptorem haec temere effutiisse.“ *Brot.* — *quomodo:* in MS. *quando.* — *dii me deaeque peius perdant*, cf. ad 4, 38, 1. — *perire me* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. Lips. 1. Iac. Gron. et rec. *perire* edd. Lips. 2. et cet. Pich. Grut. Bern. Gron. Ryck. quia *me* in l. l. Suet. omissum.

2. *facinora atque flagitia sua ipsi quoque*, ut omnibus improbis tyrannisque, *in supplicium verterant*, cf. ad 4, 31. 2. — *neque frustra* (v. ad 11, 7, 2.) *praestantissimus sapientiae*, cf. ad 3, 52, 1. 12, 49, 1. et Ind. III. v. *Genitivi qualitatis.* „Is, credo, Socrates, cuius gnome talis, marmore et cedro digna, ap. Plat. de rep. IX. p. 579. ed. Steph. (T. VII. p. 254. ed. Bip. T. V. p. 20. ed. Ast.) Plura ibi (magnus enim locus est) huic rei Socrates effatur, quae Tacitus contraxit.“ *Lips.* „Cic. de sen. c. 21. *is, qui esset omnium sapientissimus oraculo Apollinis iudicatus.* Cf. id. de amic. c. 2. et 4.“ *Walth.* — *firmare*, affirmare. Cf. Ind. III. v. *Verba simpl. pro compos.* — *laniatus et ictus* — *tormenta pectoris*, cf. Cic. de off. 3, 21. et pro Rosc. Am. c. 23. 24. Suet. Ner. 34. Sen. ep. 97. 105. Sall. Cat. 11. Plat. Gorg. p. 524. E. intpp. Claudiani in Rufin. 2, 504. et Wyttenbach. de sera numinis vindicta p. 110.

CAPUT VII.

Tum facta Patribus potestate statuendi de Caeciliano senatore, qui plurima adversum Cottam prompserat, placitum, eandem poenam irrogari, quam in Aruseium et Sanquinium accusatores L. Arruntii. Quo non aliud honorificentius Cottae evenit, qui nobilis quidem, sed egens ob luxum, per flagitia infamis, sanctissimis Arruntii artibus dignitate ultionis aequabatur. Quintus Servaeus posthac et Minucius Thermus inducti; Servaeus praetura functus et quondam Germanici comes, Minucius equestri loco, modeste habita Seiani amicitia: unde illis maior miseratio. Contra Tiberius, praecipuos ad scelera increpans, admonuit C. Cestium patrem, dicere senatui, quae sibi scripsisset; suscepitque Cestius accusationem. Quod maxime exitiabile tulere illa tempora, quum primores senatus infimas etiam delationes exercerent, alii propalam, multi per occultum: neque discerneres alienos a coniunctis, amicos ab ignotis, quid repens aut vetustate obscurum. Perinde in foro, in convivio quaque de re locuti incusabantur, ut quis praevenire et reum destinare properat, pars ad subsidium sui, plures infecti quasi valetudine et contactu. Sed Minucius et Servaeus damnati indicibus accessere. Tractique sunt in casum eundem Iulius Africanus e Santonis, Gallica civitate, Seius Quadratus: originem non reperi. Neque sum ignarus, a plerisque scriptoribus omissa multorum pericula et poenas, dum copia fatiscunt aut, quae ipsis nimia et maesta fuerant, ne pari taedio lecturos afficerent, ve-

rentur. Nobis pleraque digna cognitu obvenere, quanquam ab aliis incelebrata.

1. *de Caeciliano senatore*, cf. ad 3, 36, 2. *Caesiliano* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. „Sed iidem libri 3, 37. idem nomen, non eundem virum habent *Caecilianum*. Cf. 16, 34. Unde restituit Lipsius." *Walth.* — *adversum Cottam*, cf. cap. 5. — *eandem poenam*: at de hac et de accusatione Arruntii nihil in Taciti libris, qui nunc sunt; *Lips.* Mors eius memoratur inf. c. 48. — *Aruseium*; ignotum nomen, cui h. l. et cap. 40. notius *Aruleium* substituendum censebat Reinesius. — *Sanquinium*, v. ad cap. 4. *sangunnium* MS. — *L. Arruntii*, de quo v. cap. 5. et ad 1, 13. 1. — *sanctissimis Arruntii artibus*, proprie Arruntio, qui iis insignis erat. Mox *ultioni sequebatur* MS. — *Q. Servaeus*, v. Ind. I. — *posthac*, v. ad 3, 62, 2. *inducti*, sc. in senatum (ut 4, 28.) ad causam dicendam; *Ern.* Verba *in senatum* per se intelliguntur, quoniam Noster hic versatur in rebus apud senatum actis; *Walth.* In criminalibus causis, quae coram maioribus iudicibus tractabantur, rei *inducebantur* praeconis voce citati; Vales. ad Ammian. Marc. 22, 3, 4. — *praetura functus*, v. ad 2, 33, 1. — *modeste habita Seiani amicitia*, v. ad 4, 44, 1.

2. *praecipuos ad scelera* perpetranda. Cf. 14, 58. 16, 14. et ad 1, 40, 2. — *C. Cestium patrem*, cuius et filii mentio fortasse facta in libris deperditis, nisi ille est idem qui memoratur 3, 36. et 6, 31. *Caestium* edd. Ber. et Rhen. Sed *Cestius* 3, 36. 6, 31. Plin. 10, 43. 34, 8. Dion. 58, 25. Quidam male intelligunt *patrem* conscriptum, senatorem. Alii coni. *Cestium Pium*, (de quo v. Sen. declam.) et Lipsius *C. Cestium praetorem*. „Romae exstat inscriptio sepulcri pyramidalis: C. CESTIUS L. F. POB. (*Poblilia* sc. tribu) EPULO PR. TR. PL. VII. VIR EPULONUM. Sed hic Cestius iam ante medium Augusti principatum fato functus est. Diversus quoque a. C. Cestio cos. de quo v. 6, 31. Plin. 10, 43. (qui eo et Servilio coss. funus corvi celebribus exsequiis Romae ductum prodit) et Dio 58, 25. ubi C. *Cestius Gallus*, non C. Cestius Epulo appellatur." *Ryck.* ad 6, 31. *Gestium* scripsit Bekk. 3, 35. Sed ibi tantum et cur? — *admonuit C. Cestium patrem dicere*, v. ad 11, 1, 1. — *repens* MS. omnesque edd. *recens* corr. Ursin. et Mur. Sed accuratum hic scriptorem cognoscimus, qui diligenter discernit *recens* h. e. usu nondum tritum (Gall. *neuf*) et *repens* h. e. prius incognitum, nuper ortum vel factum, Gall. *nouveau*; *Walth.* Cf. Ind. II. v. *Repens*. — *perinde*, v. Ind. II. — *quaque de re locuti incusabantur*, cf. Sen. ben. 3, 26. de effrena hac accusandi rabie; *Brot.* — *ut quis praevenire et reum destinare properat*: „Frustra coniecerunt *poterat*, *properabat*, *properarat*: nam et verbum iustum est, (qui vult *praevenire*, is *properat*) et tempus praesens in tali contextu Tacito usitatissimum. Multum vero abest, ut Imperf. requiratur, quia praecedit." *Walth.* Cf. Ind. III. v. *Verborum Tempora*. — *ad subsidium sui*, ad securitatem suam; *Ern.* Cf. Ind. III. v. *Pronomen reciprocum*. — *infecti quasi valetudine* adversa, morbo, accusandi cupidine, *et contactu* eius. cf. ad 1, 43, 3.

3. *Sed Minucius et Servaeus damnati indicibus accessere*, cf. ad c. 3. n. 2. et ad 12, 49, 1. extr. — *tractique*: in MS. *tractatique*. — *originem*, non calamitatis eorum (quod vult Kiessl.) sed Quadrati, h. e. unde ortus sit; *Walth.* *cuius originem* vet. cod. Ant. Augustini teste Ursino; quae est interpolatio. — *dum copia fatiscunt*, v. ad 3, 38, 1. — *aut quae ipsis nimia — verentur*, v. ad 12, 2, 3. — *ne pari*: in quibusdam edd. *nec pari*. Sed *ne* pendet ex *verentur* et inversa est verborum constructio. Cf. ad 12, 2 extr. — *incelebrata*, non memorata; *Ern.*

CAPUT VIII.

Nam ea tempestate, qua Seiani amicitiam ceteri falso exuerant, ausus est Eques Romanus M. Terentius ob id reus, amplecti ad hunc modum apud senatum ordiendo: *Fortunae quidem meae fortasse minus expediat, agnoscere crimen quam abnuere: sed utcunque casura res est, fatebor, et fuisse me Seiano amicum, et, ut essem, expetisse, et, postquam adeptus eram, laetatum. Videram collegam patris regendis praetoriis cohortibus, mox Urbis et militiae munia simul obeuntem. Illius propinqui et affines honoribus augebantur: ut quisque Seiano intimus, ita ad Caesaris amicitiam validus: contra, quibus infensus esset, metu ac sordibus conflictabantur. Nec quenquam exemplo assumo: cunctos, qui novissimi consilii expertes fuimus, meo unius discrimine defendam. Non enim Seianum Vulsiniensem, sed Claudiae et Iuliae domus partem, quas affinitate occupaverat, tuum, Caesar, generum, tui consulatus socium, tua officia in re publica capessentem colebamus. Non est nostrum aestimare, quem supra ceteros et quibus de causis extollas. Tibi summum rerum iudicium dii dedere: nobis obsequii gloria relicta est. Spectamus porro, quae coram habentur, cui ex te opes, honores, quis plurima iuvandi nocendive potentia: quae Seiano fuisse nemo negaverit. Abditos Principis sensus et, si quid occultius parat, exquirere, illicitum, anceps: nec ideo assequare. Ne, P. C., ultimum Seiani diem, sed sedecim annos cogitaveritis. Etiam Satrium atque Pomponium venerabamur; libertis quoque ac ianitoribus eius notescere, pro magnifico accipiebatur. Quid ergo? indistincta haec defensio et promiscua dabitur? Immo iustis terminis dividatur. Insidiae in rem publicam, consilia caedis adversum Imperatorem puniantur: de amicitia et officiis idem finis et te, Caesar, et nos absolverit.*

1. *Nam ea tempestate* cet. cf. ad 1, 21, 1. et 2, 63, 1. — *ausus est Eques Romanus, M. Terentius* cet. cf. Dio 58, 19. — *amplecti amicitiam*, cui *exuere* opponitur. „*Amplecti* et *amplexari aliquem* et *aliquid* ap. Cic. est omni ratione colere eique studere; hinc laudare, probare, defendere. Ambigue dictum *amplecti rem publicam* ap. Cic. p. Flac. 18. nam est curare rem p. eique consulere, et pecuniam ad se rapere.“ *Ern.* clav. Cic. „*Amplecti*, ut καταλαμβάνειν, προςπτύσσεσθαι, προςέχεσθαι, diverso sensu dicitur, prout verba subiunguntur et cohaerent; v. c. *amplecti* animo et cogitatione *civitates* ad subigendum Agr. 25 pr. *rem publicam*, ut servetur, Ann. 15, 59. *nimium rem p.* ut diripiatur, ap. Cic. p. Flac. 18. *magnam Brigantum partem aut victoria aut bello*, Agr. 17, quae iam Pichon et Buchn. recte interpretati sunt: *Quae victoria amplexus est, ea obtinuit, quae bello, percucurrit tantum ac vastavit, non continuit.*“ *Walch.* ad Agr. 25. p. 307. Cf. ad 4, 42, 2. — *Fortunae quidem meae* cet. „Tota haec Terentii oratio, ut et causa, si millima est illi Amyntae apud Curt. 7, 1, 26 sq. et membra sane aliquot sunt, quae dicas illinc translata.“ *Lips.* Similis oratio Cassii Clementis ap. Dion. 74, 9.; *Iac. Gron.* Cf. et Curt. 6, 10. *Walth.* — *agnoscere*: edd. Ber. Rhen. Ald. seqq. *adnoscere*; sed eaedem *adgnoscere* et *adgnitum* aliis locis. — *Videram* Seianum *collegam patris regendis praetoriis cohortibus*, v. ad 1, 7, 3. et Ind. III. v. *Dativus obiectivus*. — *honoribus augebantur*, v. ad 1, 3, 2. — *ad Caesaris amicitiam validus*, cf.

Ind. II. v. *Ad.* — *sordibus conflictabantur*, v. ad 2, 29, 1. — *novissimi consilii* de interficiendo Tiberio. cf. fin. cap. „Hoc Tiberio revelatum ab Antonia, Germanici matre, per literas Caenidis manu exaratas. v. Dio 66, 14. et Ioseph. A. Iud. 18, 6. et 8.“ *Ryck.* De Satrio Secundo coniurationis indice v. cap. 47. de priori autem consilio et *ordine sceleris* ad 4, 8, 1. et 4, 11, 2. — *Seianum Vulsiniensem*, h. e. Seianum, quamdiu privatus fuit et priusquam gratia valuit apud Principem. *Vulsiniensem*, v. ad 4, 1, 2. — *sed Claudiae et Iuliae domus partem*: „Utrumque destinatum tantum fuit. Seiani filia destinata uxor Claudii filio; (v. ad 3, 29, 3.) Seianus ipse Liviam, Germanici filiam et Drusi viduam, ducere voluerat et ducturus credebatur; unde et *gener* Tiberii dicitur ob opinionem destinatae ipsi Liviae. v. 4, 39 sq.“ *Mur.* et *Ern.* „Immo *affinitate occupaverat utramque domum:* nam Tiberius et filium Claudii destinaverat filiae Seiani, (v. 3, 29.) et Iuliam neptem suam Seiano desponderat; unde *generum* Tacitus pro *progenerum* dixit. Cf. ad 5, 6, 1. Matrimonium autem, quod Seianus inire cupiverat cum Livilla, ne destinatum quidem fuit; immo Tiberius id recusavit. Ceterum *et Claudiae et Iuliae* MS. edd. Ber. Rhen. 1. *sed Claudiae et Iuliae* edd. Rhen. 2. 3. Ald. et rec. bene: nam duplex *et* sensum loci detorquet, ut *non* etiam pertineat ad *Claudiae et I. d. partem*, antithesis demum incipiat a verbis *tuum, Caesar, generum*, quod ineptum est. Nec distinguendae erant *Claudia et Iulia domus*, sed coniungendae. Crollius haud inepte legit *at Claudiae.* Sic ap. Cic. ad Att. 7, 11. *non est in parietibus res publica, at in aris et focis.*“ *Walth.* — *Caesar*, quem absentem tanquam praesentem alloquitur orator. — *tui consulatus socium*, v. Suet. Tib. c. 65. — *tua officia in re publ. capessentem*, consortem potestatis tribun. Cf. ad 5, 6, 1.

2. *Spectamus porro*, ea tantum a nobis respiciuntur et curantur, *quae coram habentur*, quae praesentia et manifesta sunt. Cf. Ind. II. v. *Coram* et *Haberi.* — *nec ideo assequare*, etiamsi *exquiras*, quod *illicitum* est et *anceps*, periculosum. — *sedecim annos*, inde ab a. U. 767. quo *praetorio praefectus* est et ex quo *magna apud Tiberium auctoritate* fuit. Ita 1, 24. Hinc *XVIII annos* pro *XVI annos* legendum videtur. *sedecim* MS. edd. Iac. Gron. et rec. *sexdecim* edd. vet. — *Satrium*, cf. 4, 34. et 6, 47. — *Pomponium*, cf. 5, 8. et ad 11, 13. Q. Pomponium, puto, qui *moribus inquies* inf. c. 18. dicitur; *Lips.* „Sed Pomponius Secundus Seiani amicus fuit. v. 5, 8. De Q. Pomponio nil tale innotuit.“ *Walth.* — *libertis quoque ac ianitoribus eius n. pro m. a.* v. ad c. 9. n. 1. et 4, 74, 4. — *Quid ergo?* cf. ad O. 20. n. 6. et Beier ad Cic. de off. 3, 20. §, 81. — *de amicitia — absolverit*, quod attinet ad amicitiam et officia Seiano praestita, finis eorum, ut tibi, ita et mihi iusta veniae causa erit.

CAPUT IX.

Constantia orationis et quia repertus erat, qui efferret, quae omnes animo agitabant, eo usque potuere, ut accusatores eius, additis, quae ante deliquerant, exsilio aut morte mulctarentur. Secutae dehinc Tiberii literae in Sex. Vestilium praetorium, quem Druso fratri percarum in cohortem suam transtulerat. Causa offensionis Vestilio fuit, seu composuerat quaedam in C. Caesarem ut impudicum, sive ficto habita fides. Atque ob id convictu Principis prohibitus, quum senili manu ferrum tentavisset, obligavit venas, precatusque per codicillos, immiti rescripto, venas resolvit. Acervatim ex eo Annius Pollio, Appius Silanus Scauro Mamerco simul ac Sabino Calvisio maiestatis postulantur et Vinicianus Pollioni patri adiiciebatur,

clari genus et quidam summis honoribus. Contremuerantque Patres, (nam quotus quisque affinitatis aut amicitiae tot illustrium virorum expers erat?) ni Celsus urbanae cohortis tribunus, tum inter indices, Appium et Calvisium discrimini exemisset. Caesar Pollionis ac Viniciani Scaurique causam, ut ipse cum senatu nosceret, distulit, datis quibusdam in Scaurum tristibus notis.

1. *qui efferret*, v. ad 2, 63, 1. et 3, 41, 1. — *eo usque potuere*, tantum valuere, ut Gr. δύναμαι, *posse* O. 13. 36. 40. *praeposse* H. 5, 8. potentem esse. — *mulctarentur* edd. Rhen. 2. 3. Ald. Lips. 1. et al. *multarentur* edd. Ber. Rhen. 1. Lips. 2. et seqq. Cf. ad G. 12. n. 7. — *praetorium*, v. ad 2, 33, 1. — *in cohortem suam*, sc. amicorum. „Ita enim vocabant exemplo praetoriae cohortis. Plures autem amicorum *cohortes* erant et quasi gradus; unde dicebantur amici primae, secundae, tertiae admissionis, ex ordine, quo admittebantur. v. Suet. Tib. 46. et Cal. 19. Sen. de clem. 1, 10. et de ben. 6, 33. 34. Lamprid. in Alex. c. 20. Et Tiberius ipse amicos solitus describere in tres classes. v. Suet. Tib. 46. Ab hoc more manarunt admissiones, admissionales (οἱ ἐπὶ τοῦ κοιτῶνος καὶ οἱ ἀποκλείοντες τοὺς εἰςιόντας Arrian. diss. 4, 5.) et officium admittendi. v. Plin. pan. c. 47. Lamprid. c. 4. Flavius in Aurel. c. 12. Id munus fuit *libertorum*. v. ad c. 8. n. 2. et cf. Suet. Vesp. 14. et Plin. 33, 12. ubi leg. *quibus admissionum liberti ius dedissent*." *Lips.* Cf. ad 1, 29, 2. — *seu composuerat:* „Forsan ab auctore scriptum erat *quod composuerat*. Est quidem *seu* pro *seu quod* H. 1, 18. Hoc autem loco durior est illa dicendi ratio." *Wopk.* „Sane habet Noster *sive quod* — *sive* 12, 38. Sed multum interest inter utramque locutionem. Si scribis *quod composuerat* vel *seu quod composuerat*, tum affirmas, illum composuisse, idque solum in dubio relinquis, utrum hoc an illud pro causa offensionis sit habendum: quae ratio ab h. l. est aliena, propria loco 12, 38. Sin dicis *seu composuerat*, *sive ficto habita fides* sit, tum dubium esse dicis, utrum composuerit ille quaedam in C. Caesarem, an ficto habita sit fides, causam vero inde esse repetitam, quod composuisse incusaretur. Hoc sibi vult Tacitus. Ceterum formulae *sive* — *sive*, *seu* — *seu*, *sive* — *seu*, *seu* — *sive* et *sive* — *an* (quae particula *an* non est disiunctiva, sed nota dubitationis) exacte respondent graecae εἴτε — εἴτε vel ἤ. Cf. 1, 10. 62. 11, 26. 12, 8. 14, 59. G. 34. Viger. cap. VIII. sect. VI, 14. et Zeun. ad Viger. c. VII. sect. VII. not. 78." *Walth.* ad h. l. et 11, 26. Sic et *sive* — *aut*, *seu* — *aut*, *vel* — *sive*, *vel* — *aut*, *aut* — *sive*. Cf. ad H. 26, 2. G. 34. n. 8. ad O. 5. n. 5. Ind. II. v. *Seu* et *Sive*. — *in C. Caesarem ut impudicum*, cf. ad c. 5. n. 1. — *convictu Principis prohibitus*, ut ap. Suet. Vesp. 14. *ex officio admissionis expulsus*, h. e. ex amicorum cohorte, de qua paulo ante dictum. — *quum ferrum tentavisset*, *obligavit venas* sectas et deinde *resolvit*, v. ad 4, 22, 2. — *precatusque per codicillos*, v. ad 1, 6, 6. — *immiti rescripto*, cf. Ind. III. v. *Ablativi Substantivorum absoluti.*

2. *Acervatim ex eo* (tempore, exinde, ut 3, 28. et al.) *Annius Pollio*, *Appius Silanus Scauro Mamerco simul* (v. ad 3, 64, 2.) *ac Sabino Calvisio*, de quibus v. Ind. II. et de Scauro ad 1, 13, 3. de *Sabino Calv.* ad 3, 75, 1. — Annius *Vinicianus* MS. edd. Pich. et rec. Ita leg. ex Dione 60, 15. qui eum coniurasse in Claudium cum Scriboniano asserit; *Lips. Vicinianus* edd. vet. Paulo post *viciniani* MS. — *clari genus*, v. ad 2, 17, 7. et Ind. III. v. *Accusativi iuncti Adiectivis* cet. — *et quidam summis honoribus*, v. ad 3, 52, 1. — *Contremuerantque Patres* — *ni Celsus* — *exemisset*, v. ad 1, 35, 3. — *ut ipse cum senatu nosceret*, cognosceret. v. Ind. III. v. *Verba simpl. pro comp.*

CAPUT X.

Ne feminae quidem exsortes periculi. Qua occupandae rei publicae argui non poterant, ob lacrimas incusabantur, necataque est anus Vitia Fufii Gemini mater, quod filii necem flevisset. Haec apud senatum: nec secus apud Principem Vescularius Atticus ac Iulius Marinus ad mortem aguntur, e vetustissimis familiarium, Rhodum secuti et apud Capreas individui. Vescularius insidiarum in Libonem internuntius: Marino participe Seianus Curtium Atticum oppresserat. Quo laetius acceptum, sua exempla in consultores recidisse.

Per idem tempus L. Piso pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obiit, nullius servilis sententiae sponte auctor et, quotiens necessitas ingrueret, sapienter moderans. Patrem ei censorium fuisse memoravi: aetas ad octogesimum annum processit: decus triumphale in Thracia meruerat. Sed praecipua ex eo gloria, quod praefectus Urbi recens continuam potestatem et insolentia parendi graviorem mire temperavit.

1. *Qua* id. qd. *quatenus*; *Heins.* „Recte, ut Gr. ᾗ sequente vel omisso vocab. ταύτῃ. cf. Viger. c. 2. reg. 8.“ *Walth.* Sic *qua* ap. Liv. 39, 48. Ovid. Met. 9, 455. 509. et al. *Quia* coni. Mur. et Pich. *Quae* Huet. *Quando* Kiessl. — *occupandae rei p. argui*, v. ad 1, 74, 1. — *ob lacrimas incusabantur*: „Heu misera conditio sub tyrannis, ubi nec liber liberrimus affectuum dolor. Pulchre Claudian. in Ruf. 1, 257. *tacitique sepultos Suspirant gemitus indignarique verentur.*“ *Lips.* Cf. c. 19. et ad Agr. 45. n. 4. — *Fufii Gemini*, v. ad 5, 1, 1. *vugii* MS. — *necem flevisset*, quo sensu *deflere* vulgo dicitur. Cf. Ind. III. v. *Verba simpl. pro comp.* — *Haec* Vitia *apud senatum* scil. *ad mortem agitur.* — *Vescularius Atticus* MS. edd. vet. ante Pich. et rec. post Ryck. *V. Flaccus* edd. Pich. et aliae, quia Vescularius bis *Flaccus* appellatur 2, 28. Sed duplicis, immo triplicis et quadruplicis cognominis usus apud Romanos obvius; *Ryck.* His potissimum temporibus. v. ad 3, 48, 2. 13, 19. 15, 50. et Sirmond. ad Sidon. in praef. Fortasse damnato Curtio Attico Flacci cognomen sibi ascivit; *Brot.* „*Atticus* ex cognomine *Curtii Attici*, qui paulo post memoratur, huc tractum videtur et sive delendum sive mutandum in *Flaccus.*“ Groslot. in Syll. Burm. T. I. p. 349. — *e vetustissimis familiarium* sc. ὄντες. Cf. Ind. II. v. *E, e.* *familiarum* MS. — *Rhodum secuti* Tiberium. Cf. 1, 4. 53. 2, 42. — *apud Capreas* (v. ad 3, 46, 2.) *individui* a Tiberio. Cf. 4, 58. — *Vescularius insidiarum in L. i.* v. 2, 28. — *Curtium Atticum*, v. 4, 58. et ibi n. 1. — *sua exempla in consultores recidisse*, „ut *parricidii exemplum* 13, 16 extr. *finitimi exemplum metuunt* Ovid. Met. 8, 116. *suique victor operis exemplum horruit* Sen. Troad. v. 241.“ *Gron.* „Cf. Liv. 7, 38. 29, 27. Ovid. Am. 1, 4, 46. et Sen. Herc. fur. v. 735.“ *Wopk.* Sic et *sua quisque exempla debet aequo animo pati* Phaedr. 1, 26.; *Ern.*

2. *Per idem tempus L.* Calpurnius *Piso pontifex* — *fato obiit*: „quam lectionem Rezzonico disquisit. Plin. T. I. p. 288. n. 3. defendit ex inscript. ap. Murat. Thes. inscr. p. 584. *L. Calpurnius Piso Pontif. Cos.*, quem putat esse hunc ipsum dissentientibus Maffeo et Muratorio. His assentior, ut et Lipsio, Mureto aliisque, qui h. l. scribendum censent *Piso P. U.* i. e. *Praefectus Urbi*: nam etiamsi pontifex fuisset, tamen potius praefectura Urbis commemoranda erat.“ *Ern.* „Id firmatur locis Vell. 2, 98. Dionis 58, 19. Sen. ep. 83. al. 84. Plin. 14, 28. Suet. Tib. 42. quibus omnibus *Praefectus Urbi*, non *pontifex* dicitur. Pisonem quen-

dam, a. L. Pisone omnino diversum, post mortem Tiberii Urbi praefectum memorat Ioseph. A. Iud. 18, 6, 10. si in nomine nihil fuerit erratum." *Brot.* „Quum deinde Noster fusius dicat de Pisonis praefectura, inutilius videri poterit, titulum illum nomini addi. Quanquam de Pisonis pontificatu nil innotuit. Naudeti index hunc L. Pisonem mire confundit cum Calpurnio Pisone, qui memoratur 2, 34. 3, 11. 68. 4, 21." *Walth.* Cf. ad 1, 7, 3. — *rarum* illis temporibus *in tanta claritudine* et senectute. Cf. Ind. III. v. *Appositio* et Iuvenal. 4, 97. Piso ebriosus homo dicitur Sen. ep. 83. sed a Vell. 2, 98. impense laudatur; *Brot.*

3. *Patrem ei censorium fuisse memoravi*: „non quidem in his libris, qui exstant. Intelligi tamen vult L. Pisonem socerum C. Caesaris, cos. a. U. 695. et Cens. cum Appio Claudio a. U. 704. quo natus fuisse debet hic Piso, qui vixit *octoginta annos*." *Lips.* Cf. Dio 38, 9. et 40, 63. — *decus triumphale* (v. ad 1, 72, 1.) *in Thracia meruerat*, „v. Vell. 2, 98. et Dio 54, 34." *Lips. Thraecia* MS. et ed. Bekk. Cf. ad 3, 38, 2. — *praefectus Urbi*, cf. nota 1. et ad 4, 36, 1. — *recens continuam potestatem* praefecturae Urbis. Iungenda haec verba, et *recens* dictum pro *recenter*, nuper. v. Ind. II. v. *Recens*, Ind. III. v. *Adiectiva pro Adverbiis* et Ramshorn. Gr. p. 302. In novis magistratibus, ab Augusto e Maecenatis consilio institutis, prima tenuerunt loca praefectura Urbis (*potestas insolentia parendi gravior*) et praefectura praetorii. Idem vero Augustus illam potestatem, quae antea non nisi quatuor feriarum Latinarum diebus gerebatur, (cf. cap. 11 pr. *in tempus deligebatur* cet.) *continuam* fecit et ordinariam. Cf. Dio 52, 21. „Et haec *continua* potestas *recens* erat, quum Piso eam capesseret. Itaque nil opus est emendationibus Ernestii *praef. U. creatus*, Wopk. *gerens continuam pot.* et Baumgarten-Crusii ad Suet. Tib. c. 42. *recens conditam* vel *constitutam*." *Walth.* — *mire temperavit*: unde Piso Vell. 2, 98. dicitur *lenissimus securitatis urbanae custos*. Cf. ad c. 11. n. 2.

CAPUT XI.

Namque antea, profectis domo regibus ac mox magistratibus, ne Urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur, qui ius redderet ac subitis mederetur; feruntque ab Romulo Dentrem Romulium, post ab Tullo Hostilio Numam Marcium et ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium impositos. Dein consules mandabant: duratque simulacrum, quotiens ob ferias Latinas praeficitur, qui consulare munus usurpet. Ceterum Augustus bellis civilibus Cilnium Maecenatem, equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam praeposuit. Mox rerum potitus ob magnitudinem populi ac tarda legum auxilia sumpsit e consularibus, qui coerceret servitia et quod civium audacia turbidum, nisi vim metuat: primusque Messala Corvinus eam potestatem et paucos intra dies finem accepit quasi nescius exercendi. Tum Taurus Statilius, quanquam provecta aetate, egregie toleravit. Dein Piso viginti per annos pariter probatus: publico funere ex decreto senatus celebratus est.

1. *Namque antea profectis domo regibus* in bellum *ac mox magistratibus* summis, consulibus, *ne urbs sine imperio foret, in tempus* (v. ad 1, 1, 2.) *deligebatur*, et quidem primis temporibus, quibus centum senatores erant, primus eorum vel decuriae primae et decem primorum, qui Dionysio Hal. 2, 12. 4, 84. interrex, sed plerumque *praefectus Urbis* et proprie *custos Urbis*, ὁ τῆς πόλεως φύλαξ dicitur, (v. Lydus de mensibus 19. et

de magistrat. 1, 38.) ut in absentia regum *ius redderet* (v. ad 1, 72, 3.) *ac subitis*, non provisis rebus ac periculis, (ut *subita* 15, 59. H. 1, 7. *subita belli* et *rerum* ap. Liv. 6, 32. 9, 43. 25, 15.) *mederetur*, prospiceret, officio regum consulumve fungeretur, v. c. Patres vocaret, curias in suffragia mitteret, milites conscriberet, consulum comitiis praeesset cet. Cf. ad 4, 36, 1. Drak. de praef. Urbis et Niebuhrii hist. Rom. T. II. p. 126 sq. *praefectis demum regibus* MS. edd. Ber. Rhen. 1. — *Dentrem Romulium*: quia ap. Liv. 10, 1. *M. Livius Denter* occurrit, Muretus et Ursinus coniiciunt, hic leg. *Livium* pro *Romulium*, quasi necessario ille Livianus *Denter* e posteris illius primi Praefecti, et non genti quoque Romuliae sive Romuleiae usitatum cognomen esse potuerit; *Ern.* — *Numam Marcium*, qui gener fuit Numae Pompilii et pater Anci Marcii regis. *Mumam M.* edd. Ber. Rhen. 1. *Numae N.* (nepotem) *Marcium* e Sen. ep. 109. coni. Mercerus, quod Spanhem. de usu et praest. Num. diss. X. T. II. p. 19. 20. et Reines. inscr. class. V. n. 2. recte repudiant; *Ern.* Cf. Liv. 1, 20. et inpr. Plut. Numa p. 73. 74. qui docet, Numae ab aliis unam uxorem Tatiam, Tatii regis filiam, ab aliis duas, Tatiam et Lucretiam, a nonnullis quoque unam filiam Pompiliam, ab aliis vero praeter eam quatuor filios, Pomponem, Pinum, Calpum et Mamercum (unde Pomponii, Pinarii, Calpurnii, Mamercii et eorum cognomen *Rex*) tribui; Pompiliam autem nupsisse Marcio, patri Anci Marcii regis et filio illius Marcii, qui Numam ad regnum suscipiendum impulerit et cum eo commigraverit Romam, sed post obitum Numae, regni spe frustratus, mortem sibi consciverit. — *Sp. Lucretium*, v. Liv. 1, 59. — *impositos* et *praeficitur* sc. *Urbi*. — *consules* Urbe relicta alicui *mandabant* eius regimen et munera sua. v. Liv. 3, 3. 5, 8. 9. 24. 29. — *simulacrum* sc. summae potestatis adolescentibus nobilissimis honoris et dicis causa in paucos dies mandatae, (cf. ad 1, 77, 1.) *quotiens ob ferias Latinas* cet. v. ad 4, 36, 1. Hoc *durat* etiam nunc. v. Dio 54, 17. 60, 5. Suet. Ner. 7.

2. *Ceterum Augustus*, quum Roma abesset, *Maecenatem cunctis* rebus *apud Romam atque Italiam* (v. ad 3, 46, 2.) *praeposuit* primum *bellis civilibus*, ut a. U. 718. Siculo, deinde saepius et inde ab a. 733. quum in Oriente res componeret. v. Dio 49, 15. intpp. Vell. 2, 88. et Horat. od. 3, 8, 17. 3, 29, 25. *Cilnium Maecenatem* edd. Lips. et rec. *Cillinium Mecoenatem* MS. et edd. vet. Cf. Ind. I. v. *Maecenas*. Hic oriundus ex gente *Cilnia*, nobilissima et, si fides habenda poetis, regia apud Arretinos, unam e XII magnis Etruriae civitatibus, quibus totidem praefuere Lucumones s. στρατηγοὶ, *reges* olim dicti. v. Drak. ad Liv. 10, 3. intpp. Horat. od. 1, 1, 1. et 3, 29, 1. Prop. 3, 7, 1. Sil. 7, 29. Demster. in Etruria regali 2, 54. Meibom. vit. Maecen. L. B. 1653. cap. 1—3. Sed cf. Niebuhr Röm. Gesch. T. I. p. 137. 419. ed. 2. — *equestris ordinis*, cf. ad 3, 52, 1. et Ind. III. v. *Genitivi qualitatis*. — *Mox rerum potitus* (v. ad 1, 5, 5.) — *sumpsit e consularibus* praefectum Urbi, qui intra Urbem centesimumque ab ea lapidem otium tueretur, supremus, etiam senatorum et Equitum, iudex esset, *servitia*, servos, (v. Ind. III. v. *Abstracta Nom. pro concr.*) *coerceret* eorumque querelas adversus dominos audiret, in homines nocentes animadverteret cet. De potestate eius sensim aucta et per totam saepe vitam exercita v. Dio 52, 21. 78, 14. Suet. Aug. 37. Gell. 14, 8. L. 1. D. §. 4. de off. praef. Urbi, L. 6. D. de interd. et releg. Drak. diss. de praef. Urbi et Ioh. Tob. Krebsii epist. Cf. nota 1. et ad 13, 43. 14, 41. et H. 3, 64, 1. ubi legimus *fuisse illi proprium militem cohortium urbanarum*, ut L. 1. D. ex Ulpiano Praefectus Urbi *debet etiam dispositos milites stationarios habere ad tuendam popularium quietem et ad referendum sibi, quid in Urbe agatur.* — *primus Messala Corvinus* (v. ad 2, 32, 1.) *eam potestatem* cet. „Idem tradit Euseb. in Chron. *Messala Corvinus primus praefectus Urbis factus sexto die magistratu se abdicavit incivilem potestatem* (Heins. coni. *inhabilem potestati*) *esse contestans*. At Dio

54, 6. M. Agrippam primum facit praef. Urbi a. 733. et 54, 19. huic Taurum sufficit a. 738. nulla huius Corvini mentione facta.“ *Lips.* „Dio de Corvini praefectura tacet eamque Agrippae tribuit 54, 19. (*τὸ μὲν ἄστυ τῷ Ταύρῳ μετὰ τῆς ἄλλης Ἰταλίας διοικεῖν ἐπιτρέψας, τόν τε γὰρ Ἀγρίππαν ἐς τὴν Συρίαν αὖθις ἐστάλκει*) non 54, 6. ubi Agrippam *ἐπὶ τῇ τῆς πόλεως διαχειρίσει* missum ab Augusto tum in Sicilia absente refert; quae missio extraordinaria fuit ad sedandos populi tumultus super creandis consulibus exortos, non praefectura Urbis, de qua hic quaeritur.“ *Walth.* — *Taurus Statilius* cet. cf. ad 1, 7, 3. 2, 1, 1. et Dio 54, 19. — *egregie toleravit*, administravit, sc. potestatem hanc; *Ern.* — *Dein Piso XX per annos pariter probatus*; „Sed Plinius 14, 22. s. 28. et Suet. Tib. 42. consensu tradunt, Pisonem a Tiberio et quidem iam Principe factum praefectum Urbis. Illius verba sunt: *eaque commendatione* sc. ebrietatis *credidere, L. Pisonem Urbis Romae curae ab eo delectum, quod biduo duabusque noctibus perpotationem continuasset apud ipsum iam Principem*; huius: *Postea Princeps in ipsa publicorum morum correctione cum Pomponio Flacco et L. Pisone noctem continuumque biduum epulando potandoque consumpsit*; *quorum alteri Syriam provinciam, alteri praefecturam Urbis confestim detulit.* Ille ait diserte *apud ipsum iam Principem*, hic *postea Princeps* et *confestim detulit.* Atqui Tiberius a. U. 767. Augusto successit et vel ab initio principatus eius ad hunc diem sunt anni duntaxat XVII. Hoc amplius ex Suet. colliges, factum Pisonem praefectum sub idem tempus, quo Pomponius Syriae praetor. Ille autem Syriae non ante a. 773. praeponi potuit: Moesiam enim provinciam administrabat a. 772. v. sup. 2, 66. Non ergo tot annos Piso praefectus Urbi. Hinc corr. *decem per annos.*“ *Lips.* „Sic censet etiam Noris. ad cen. Pis. diss. 2, 16, 12. Sed fortasse scrib. *XV per annos*, vel numerus certus pro incerto positus, quod probatur Iac. Gronovio et Brot. Pagius crit. Bar. T. I. p. 7. defendit vulgatum et *correctionem morum* ap. Suet. de censura capit cum Augusto acta a. U. 765. Sed ostendendum esset, Tiberium tum iam *Principem* fuisse. Atqui non potest ostendi, vivo Imperatore, qui Augustus esset, eum, qui per tribuniciam potestatem consors imperii esset, *Principem* dici. Aliud enim patet ex Tac. Ann. 1, 7. et Suet. Tib. c. 47. 57.“ *Ern.* ad h. l. et ad Suet. Tib. 42. „At Lipsius et Ern. videntur nimis premere vocabulum *Principis*, quod est ap. Plin. et Suet. Nam *Princeps* Tiberius factus est eo tempore, quo Augustus *collegam imperii et consortem tribuniciae potestatis* eum assumpsit. v. ad 1, 3, 4. Idque accidit ante a. U. 765. Nam Suet. Tib. c. 21. refert, legem illam, ex qua Tiberius provincias cum Augusto communiter administraret, latam esse non multum post dedicatam Pollucis et Castoris aedem, quae dedicatio facta est a. U. 759. v. Dio 55, 27. et cf. Vell. 2, 121. qui ante triumphum narrat legem illam latam. Iam quis dubitet, Tiberium *collegam imperii* potuisse Syriae provinciam tradere Pomponio, praefecturam Urbis Pisoni? Idque factum esse ante Augusti obitum, alia etiam sunt indicia. Suetonius, compotationem illam, quae utrique viro potestatem suam meruit, scribit accidisse in ipsa correctione morum s. censura Tiberio demandata, qua hic fungebatur cum Augusto collega. v. Suet. Oct. 97. Tib. 21. et Monim. Ancyr. Quod attinet ad Syriae administrationem Pomponio demandatam, nihil constat de anno, quo primum ille in eam provinciam abierit. Moesiam administrabat a. U. 772. v. 2, 66. Propraetor Syriae obiit a. 786. v. 6, 27. Sed potuit ante Moesiae administrationem Syriae praeesse, inde Romam redire ad capessendum consulatum a. 770., (cf. 2, 41. Dio 57, 17.) consulatu functus in Moesiam proficisci et postea rursus in Syriam.“ *Walth.* Cf. ad 2, 66, 2. Dubia haec, neque levis momenti, quae contra disseruere Lipsius et Ern. De ebriositate Pisonis et de successoribus eius in praefectura Urbis Aelio

Lamia et Lentulo Cosso v. 6, 27. Sen. ep. 83. al. 84. et Dio 58, 19. — *publico funere*, v. ad 3, 5, 1.

CAPUT XII.

Relatum inde ad Patres a Quintiliano tribuno plebei de libro Sibyllae, quem Caninius Gallus quindecimvirûm recipi inter ceteros eiusdem vatis et ea de re senatus consultum postulaverat. Quo per discessionem facto, misit literas Caesar modice tribunum increpans ignarum antiqui moris ob iuventam. Gallo exprobrabat, quod scientiae caerimoniarumque vetus incerto auctore, ante sententiam collegii, non, ut assolet, lecto per magistros aestimatoque carmine, apud infrequentem senatum egisset. Simul commonefecit, quia multa vana sub nomine celebri vulgabantur, sanxisse Augustum, quem intra diem ad praetorem urbanum deferrentur neque habere privatim liceret. Quod a maioribus quoque decretum erat post exustum civili bello capitolium, quaesitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam et Italicas colonias carminibus Sibyllae, (una seu plures fuere) datoque sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernere. Igitur tunc quoque notioni quindecimvirum is liber subiicitur.

1. *Relatum inde ad Patres a Quintiliano trib. pl.* secundum pristinam et lege Pompeii tribunicia restitutam potestatem tribunorum plebis in senatum veniendi, eum vocandi et ad illum referendi. *Quintiliano* MS. et edd. vet. *Quinctiliano* edd. Lips. et cet. ante Iac. Gron. Cf. ad 1, 3, 8. — *Sibyllae* edd. Ern. et rec. ut paulo post edd. Ber. Rhen. Ald. *Sibullae* MS. et edd. vet. ante Ern. Cf. ad 1, 1, 2. — *eiusdem vatis* Sibyllae Cumanae. — *quindecimvirûm* e numero. Cf. Ind. III. v. E. n. ε. *quindecimvirũ* MS. unde *quindecimvirûm* edd. Iac. Gron. Ern. et rec. *quindecimvir* ed. Ber. et cet. Libri Sibyllini s. fatales tres primum a *duumviris*, deinde a *decemviris*, ab a. U. 386. creatis ex plebe et patriciis, (Liv. 6, 37.) tandem (Sullae temporibus et post ea) a *quindecimviris* scil. *sacrorum* sive *sacris faciundis* adiri s. inspici consulique ex SCto difficili reip. tempore et custodiri solebant. v. ad 3, 64, 2. et Dionys. Hal. 4, 62. nam Livius saepissime quidem horum librorum, sed nusquam originis eorum mentionem facit. — *ea de re SCtum postulaverat*, *οὐ γὰρ ἐξῆν οὐδὲν τῶν Σιβυλλείων, εἰ μὴ ἡ βουλὴ ψηφίσαιτο, ἐς τὸ πλῆθος ἐξαγγέλλεσθαι*, Dio 39, 15. — *quo per discessionem facto*. v. ad 3, 23, 2.

2. *scientiae caerimoniarumque vetus*, v. ad 1, 20, 2. 1, 54, 1. et 2, 66, 2. — *incerto auctore* libri. Cf. Ind. III. v. *Adiectiva in sexto casu absolute posita*. — *ante* rogatam *sententiam collegii* scil. Quindecimvirorum. Cf. verba extrema huius cap. — *ut assolet*, v. ad 1, 24, 2. et de Indicativo verbi Ramshorn. Gram. p. 619. — *per magistros*: magistri sacerdotii alicuius sunt, qui primum locum tenent inter sacerdotes deo cuipiam consecratos; *Wolf.* ad Suet. Cal. c. 22. „Sic *magister collegii Saliorum* Valer. Max. 1, 1, 9. *magister collegii quindecimvirum* Plin. 28, 3. ut h. l. *magister ordinis sacerdotum* Gruter. p. 313, 3. Suet. Cal. 22. et Dom. 4. *fuit in eo sacerdotio et vates et praesul et magister* Capitol. in Ant. Phil. 4.“ *Lips.* „Iam vero quaeritur, qui *magistri* hic sint intelligendi, quum unus tantum cuiusque collegii magister fuisse videatur. Ricklefs suspicatur, vel magistros diversorum collegiorum tali occasione peculiare collegium constituisse ad rem diiudicandam, vel h. l. intelligi quindecimviros universos. Sed neque illud probabile est, quoniam a ceterorum

collegiorum magistris haec res aliena fuit; neque hoc: nam diligenter discernit Noster *sententiam collegii* et *lectionem aestimationemque per magistros*. Non etiam praesides sive praesules fuisse videntur, quia *et vates et praesul et magister sacerdotii* scripsit Capitol. l. l. Hinc *magistros* unius collegii Quindecimvirorum intelligendos esse censeo. Nimirum magisterium ordinis per vices obiri solebat. cf. Suet. Cal. 22. *magisteria sacerdotii ditissimus quisque et ambitione et licitatione maxima vicibus comparabant*. Inde colligo, *magistrorum* nomine insignes fuisse in quovis sacerdotum collegio, qui magisterio functi inerant (uti *consulares*, *praetorii* dicebantur, qui id genus honorum gesserant) et ad eos pertinuisse res interioris deliberationis." *Walth.* Quae sententia parum probabilis videtur. — *apud infrequentem senatum egisset* rem, causam: nam SCtum fieri non poterat, nisi legitimus adesset Patrum numerus, et quidem centum saltem ante Augusti tempora, post ea quadringenti. v. Dio 54, 35. 55, 3. Festus v. *Numera senatum*, Liv. 38, 44. 42, 28. Drak. ad Liv. 39, 4. Duk. ad Liv. 39, 18. — *sanxisse Augustum* cet. cf. Dio 54, 17. Suet. Oct. c. 31. — *deferrentur*, deferenda essent. — *neque habere privatim liceret*: male Ern. coni. *neve*: nam duo Augustus sanxit, non disiuncta, sed unum alterumque; *Walth.* *neque* pro *et ne*, ut *nec* et *neque* saepius dicuntur. v. ad G. 45. n. 12. et Ramshorn. Gram. p. 526.

3. *post exustum civili bello Capitolium* a. U. 670. L. Scipione et C. Norbano coss. Cf. H. 3, 72. Hinc *civili* ex emend. Lipsii pro vulg. *sociali* scriptum a Walth. nobisque. „*Inter omnes convenit, Sibyllam* Cumanam *ad Tarquinium Superbum tres libros attulisse: ex quibus duo cremati ab ipsa, tertius cum Capitolio Sullanis temporibus*, Plin. 13, 13. s. 27. Contra vero Dionys. Hal. 4, 62. et Gell. 1, 19. tradunt, Sibyllam attulisse novem libros et sex ab illa crematos, tres fuisse servatos. Haec oracula absorpsit incendium Capitolinum." *Brot.* Deposita illa erant in Capitolio et quidem in cella Iovis, inscripta vero foliis palmae et lingua Graeca, partim versibus, partim notis (hieroglyphicis) expressa. v. Serv. ad Virg. Aen. 3, 444. 6, 36. et 74. Post illud incendium *multa et vana* carmina *sub* eodem *nomine celebri vulgabantur*, tanquam Sibyllina. cf. Suet. Oct. c. 31. — *quaesitis Samo, Ilio* (pro *Sami, Ilii*, v. Ruddim. inst. gr. T. II. p. 275.) *Erythris*: nam Sibylla Tarquinii temporibus ex Ionia et Erythris Romam venisse credebatur. v. Liv. 29, 10. et Varro ap. Serv. ad Virg. Aen. 6, 36. — *carminibus Sibyllae*, (*una seu plures fuere*) cf. de Sibylla et Sibyllis oraculisque earum Heyne ad Tibull. 2, 5, 19 sq. et in Exc. IV. et V. ad Virg. Aen. VI., Voss. ad Virg. Ecl. 4, 4 sq. et Niebuhrii hist. Rom. T. I. p. 559—566. ed. 2. *ilio erytrythrys* MS. — *quantum humana ope potuissent*: leg. *possent*; *Ern.* Est potius enallage satis trita; *Wopk.* Immo hic locus requirit Optativum Aoristi; *Walth.* Cf. Ind. III. p. 847. — *notioni*, v. ad 3, 59, 1. — *is liber*, de quo ad Patres retulerat Quintilianus; *Brot.*

CAPUT XIII.

Iisdem consulibus gravitate annonae iuxta seditionem ventum, multaque et plures per dies in theatro licentius efflagitata quam solitum adversum Imperatorem. Quis commotus incusavit magistratus Patresque, quod non publica auctoritate populum coercuissent; addiditque, quibus e provinciis et quanto maiorem, quam Augustus, rei frumentariae copiam advectaret. Ita castigandae plebi compositum senatus consultum prisca severitate; neque segnius consules edixere. Silentium ipsius non civile, ut crediderat, sed in superbiam accipiebatur.

1. *gravitate annonae*, v. ad 11, 4, 1. — *iuxta seditionem ventum*, ferme ad sed. v., ut 14, 42. Cf. ad c. 42. n. 1. — *in theatro licentius efflagitata*, cf. Sidon. 1, 10. ibique Sirmond. de theatralis caveae fragore, famem populi Rom. insonante; *Iac. Gron.* — *quanto maiorem, quam Augustus, rei frumentariae copiam advectaret*: nam ingens quotannis vis frumenti Romam, ubi saepe inopia eius erat et annonae caritas, in castra et in horrea publica ex Africa, Aegypto, Sicilia aliisque provinciis advehebatur *Augusti tempore ex Aegypto Urbi annua ducenties millia* sc. modiorum *frumenti inferebantur*, Aurel. Vict. Epit. de Caes. c. 1. §. 6. Hinc etiam frumentariae classes institutae, ab Augusto Alexandrina, a Commodo Africana. v. Plin. 5, 4. 18, 10. intpp. Claudiani B. Gild. v. 51 sq. Horat. od. 1, 1, 10. Lucan. 3, 68 sq. Colum. 3, 8. Bocharti Phaleg. p. 535 sq Lips. Elect. 1, 8. *advectaret*, advectandam curaret. v. ad 2, 85, 1.

2. *neque segnius consules edixere*: forsan *sequius*; *Lips.* „Sic et *sequius*, quae est vetus scriptura pro *secus*, *secius*, ap. Sall. Iug. 75 extr. pro *segnius* legi vult Cortius, ut ap. Caes. B. C. 2, 7. Davis. et Oudend. Multis quoque locis *segnius* pro *secius* irrepsisse crediderim. Sed h. l. *neque segnius* respondet verbis praec. *prisca severitate*; non ita commode *secus* vel *secius*." *Ern.* „*Neque segnius* dictum pro *non minus acriter* vel *non minus sedulo*, ut 11, 15. Cf. Arntzen. ad Victor. Caes. 40, 20." *Wopk.* — *silentium ipsius non civile*, v. ad 1, 33, 1. — *sed in superbiam accipiebatur*, ut 1, 14. „Ad superbiam trahebatur, quasi populus despiceretur ab Imperatore suo: nam hic illum solebat ipse, quum res exigeret, edicto monere." *Pich.* De his edictis v. ad 3, 6, 1.

CAPUT XIV.

Fine anni Geminius, Celsus, Pompeius, Equites Romani, cecidere coniurationis crimine. Ex quis Geminius prodigentia opum ac mollitia vitae amicus Seiano: nihil ad serium. Et Iulius Celsus tribunus, in vinclis laxatam catenam et circumdatam in diversum tendens, suam ipse cervicem perfregit. At Rubrio Fabato, tanquam desperatis rebus Romanis Parthorum ad misericordiam fugeret, custodes additi. Sane is repertus apud fretum Siciliae retractusque per centurionem nullas probabiles causas longinquae peregrinationis afferebat: mansit tamen incolumis oblivione magis quam clementia.

1. *Fine anni* cet. cf. Dio 58, 4. — *Geminius, Celsus* recte distinguitur in edd. Lips. et rec. *Geminius Celsus* in edd. vet. Plenius Dio l. l. Γάϊος Ῥοῦφος Γεμίνιος, *Walth.* — *cecidere* sc. causa s. in iudicio, ut H. 1, 77. et 4, 6. Nam *causa* et *homo* in iudicio *cadere* dicitur, si lis perditur, ut contra *stare*. Sic et *fabula*, quae vel placet vel displicet. — *coniurationis* (in Tiberium) *crimine* — *prodigentia opum ac mollitia vitae*, cf. Ind. III. v. *Ablativi Substantivorum absoluti*. — *nihil ad serium*, ita ut nihil serium ille committeret propter prodigentiam et mollitiem, certissima levissimi ingenii indicia; *Brot.* „H. e. nihil quod ad serium spectaret. Sic Graeci ponunt πρός cum Accus., ut Adverbii loco sit. v. Viger. c. 9. sect. 8. reg. 10." *Walth.* Cf. Ind. II. v. *Ad.* — *Et Iulius Celsus*, v. ad 1, 13, 2.

2. *custodes additi*, v. ad 4, 60. 1. — *Sane is repertus*, v. ad 3, 5, 2 *Sane is* edd. Pich. et rec. ex emend. Merceri. *sanus* edd. vet. *nam is* et *Canusii is* et *Messanae* scribendum censuerunt alii.

CAPUT XV.

Servio Galba, L. Sulla Coss. diu quaesito, quos neptibus suis maritos destinaret Caesar, postquam instabat virginum aetas, L. Cassium, M. Vinicium legit. Vinicio oppidanum genus: Calibus ortus patre atque avo consularibus, cetera equestri familia erat, mitis ingenio et comptae facundiae. Cassius plebeii Romae generis, verum antiqui honoratique, et severa patris disciplina eductus facilitate saepius quam industria commendabatur. Huic Drusillam, Vinicio Iuliam Germanico genitas coniungit; superque ea re senatui scripsit levi cum honore iuvenum. Dein redditis absentiae causis admodum vagis, flexit ad graviora et offensiones ob rem publicam coeptas, utque Macro praefectus tribunorumque et centurionum pauci secum introirent, quotiens curiam ingrederetur, petivit; factoque large et sine praescriptione generis aut numeri senatus consulto, ne tecta quidem Urbis, adeo publicum consilium nunquam adiit, deviis plerumque itineribus ambigens patriam et declinans.

1. *Servio* s. *Ser. Galba, L. Sulla coss.* „His coss. passus et crucifixus est Iesus Christus. Notatu quoque dignum, quod, sicuti Ser. Galba successit Cn. Domitio Neronis patri in consulatu, ipsi vero Salvius Otho Imperatoris Othonis pater, sic ipse Neroni antecessoris Domitii filio in imperio, ipsi vero Salvii istius filius. *Ser. Galba* edd. vet. ut cod. Flor. in libris Hist. aliquoties; quo *Servius* notatur, non *Sergius*. Hoc Catilinae et Pauli, illud Imperatoris Galbae praenomen fuit, idque Sulpiciae genti tam familiare, quam Claudiae Appius aut Tiberius; unde non ad Sulpiciorum, sed *Σερουΐων οἶκον* a Plut. refertur. Legitur quidem in numis quibusdam SERG. GALBA, sed in plerisque SER. GALBA, et videntur aut sculptores istorum numismatum lapsi aut descriptores, aut ipsi numi ab aeruscatoribus interpolati. Cf. ad H. 1, 1. et 2, 48. *L. Sulla* videtur is, cuius mentio 3, 31., filius L. Cornelii Sullae cos. a. 749. Qui quum *Felix* appelletur in lapide apud Gruterum, hoc ipso proditur inter posteros Sullae dictatoris.“ *Ryck.* „Ursinus ad h. l. produxit inscriptionem tesserae eburneae et gladiatoriae ap. Gruter. et Murator. Thes. I. p. 303. L. SULP. L. SULLA et Sulpiciam gentem duobus simul praenominibus Lucii et Servii usam censuit. Gronovius contra monuit, id nostris, non Romanorum, moribus consentaneum esse, et Galbam, teste Suetonio Galb. c. 4., mutato praenomine, quum Servius a patre appellatus esset, a noverca sua Livia adoptatum pro *Servio Lucium* usque ad tempus imperii, dein rursus omisso Lucio Servium usurpasse praenomen. Quum vero Galba praenomine *Lucii usque ad tempus imperii* usus sit, clarum est, in fastis consularibus scriptum esse debuisse L. GALBA, ut in illa tessera. Utrum hoc Tacitus posuerit et librarii mutarint, an Tacitus usus sit data opera praenomine, quo tum vulgo appellaretur in libris, non pro certo dicam: sed posterius mihi propius verum videtur.“ *Ern.* — *diu quaesito*, v. ad 1, 46, 1. — *neptibus suis*, scil. *Drusilla et Iulia Germanico genitis*, ut paulo post dicitur. — *postquam instabat virginum aetas* nubilis, maritis matura. „Agrippina iam nupta Cn. Domitio. v. 4, 75. Iulia XV. et Drusilla XVI. annos nata erat. v. 2, 54.“ *Brot.* — *L. Cassium* Longinum et *M. Vinicium* Quartinum *legit:* hi a. U. 783. consules ordinarii fuere, ut deinde suffecti *C. Cassius Longinus* et *L. Naevius Surdinus.* v. Gruter. p. 1087. Dio libro 58. in Indice consulum. Suet. Cal. 24. et Pomponius l. 2. §. 47. D. de orig. iur. ubi tamen haec leguntur: *Huic* (Massurio Sabino) *successit Gaius Cassius Longinus, natus ex filia*

Tuberonis, quae fuit neptis Servii Sulpicii; et ideo proavum suum Servium Sulpicium appellat. Hic consul fuit cum Quartino temporibus Tiberii, sed plurimum in civitate auctoritatis habuit eo usque donec eum Caesar civitate pelleret. Expulsus ab eo in Sardiniam, revocatus a Vespasiano diem suum obiit. Hinc Lipsius putabat, Pomponium confudisse C. Cassium Longinum cum L. Cassio Longino proc. Asiae et Tiberii progenero, quia tum praenominibus, vita et morte hi fuerint diversi, tum Tacitus inter elogia morum generisque Cassio nullam tribuerit laudem iuris; Rupertus et Reinesius in epistolis p. 140. 160. et 199., pro *Quartino* legendum esse *Surdino*; (cf. Mercer. ad h. l. et Cuiac. ad D. 1. t. 2. de orig. iuris) Ryckius, non corrigendum esse Pomponium, sed castigandum, quod Cassium ICtum consulem putaverit ordinarium cum Vinicio Quartino, quum fuerit suffectus cum Naevio Surdino, quodque eum non a Nerone, (v. 16, 9.) sed a *Caesare* (Tiberio, cuius mentio paulo ante facta) civitate pulsum scripserit. *L. Cassius Longinus* fuit progener Tiberii et consul a. U. 683., iussu Caligulae interfectus. v. Suet. Cal. 57. *C. Cassius Longinus* clarissimus ICtus, severi ingenii et multae libertatis, proc. Syriae, relegatus a Nerone in Sardiniam et a Vespasiano revocatus. v. Ind. II., ad 3, 75, 1. Dio 59, 29. (*Γάϊον Κάσσιον, τὸν τῆς Ἀσίας ἄρχοντα*) Plin. ep. 7, 24. „*M. Vinicius* Quartinus est ille, ad quem historiam suam Velleius misit cuique indecore et serviliter blanditur. Produxit vitam ad Claudium, interfectus a Messalina, quia pudorem servavit. v. Dio 60, 25. 27. *Pater* eius Publius cos. a. U. 755. *avus* Marcus cos. a. 735.“ *Lips.* *Vinucius* dicitur ap. Gruter. p. 1087. sed Dioni *Οὐϊνίκιος*, ut in omnibus paene numis, lapid. et MSS. Cf. c. 45. 14, 40. Suet. Aug. 64. 71. et Ner. 36. — *Calibus* MS. edd. Pich. et rec. *Callibus* edd. vet. et Lipsii priores. Cf. ad 4, 27, 2. — *cetera* ut Gr. *τὰ ἄλλα* pro *κατὰ τὰ ἄλλα*, quod ad cetera attinet, pro adv. *ceterum*. Cf. Ind. III. v. *Accusativi adiectivis — iuncti more poetarum et Graecorum.* — *comptae facundiae*, cf. Ind. III. v. *Genitivi qualitatis. comptae*, ornatae. Cf. ad H. 1, 19. G. 14. n. 7. G. 18. n. 5.

2. *Cassius plebeii Romae generis* pro vulg. *C. plebei R. g.* scriptum a Bekk. nobisque. — *eductus*, cf. ad 1, 4, 5. — *facilitate*, comitate, Gall. *complaisance*, unde *facilis* 4, 2. 5, 1. Agr. 40. est comis, obsequens, facile assentiens; *Freinsh.* *Facilis*, ut fere *habilis*, proprie vocatur res, inpr. cera sive argilla, quae facile fingi, tractari, ferri, acquiri et effici potest; deinde homo, qui facile flectitur, obsequitur, assentitur, comis; ut e contrario *difficilis* et *inhabilis*. Hinc *facilitas* est vel comitas, vel lenitas, clementia, Gr. *ἐπιείκεια*, Germ. Milde. Cf. Ind. II. in his vocc. et Agr. 9. ubi *facilitas* opponitur *severitati*, Gron. ad Liv. 23, 11. Cort. ad Sall. 54, 3. Inde et Agr. 3. multi defendunt lectionem *facilitatem imperii*, sed varie exponunt, v. c. lenitatem (ut lenitatem imperitantis 16, 28, 1.) Ern. Selling. Dronke et Stromb., lene et tranquillum imperium Seebode in Ephem. lit. Ien. a. 1814. sc. 94. die Erträglichkeit der Kaiserherrschaft Woltm. die Behaglichkeit des Throns Doed. Sed Traianum illo tempore vix consortem imperii et nondum Romae praesentem fuisse, annotavit Walch. ad Agr. p. 125. — *scripsit:* Bekk. dedit *scribit*. Sed cf. Ind. III. v. *Verborum tempora.*

3. *absentiae causis admodum vagis*, alienis et parum certis; *Lips.* Longe repetitis et cum fluctuatione quadam, ut appareret, eum laborasse nec a vera animi sententia protulisse; *Ern.* Non certam quandam causam absentiae afferebat, qua niti posset, sed ad varia desultabat, quorum nihil pro satis idonea causa haberi poterat; *Walth.* Ita *vagis sermonibus* 15, 54. sed alio sensu ap. Claudian. in cons. Probi et Olybrii v. 31. quem locum perperam contulit Heinsius. *vanis* h. l. coni. Lips. — *offensiones ob rem publicam coeptas*, „recens oriundas, diversas a prioribus, ut c. 30. 12, 10. H. 4, 61.“ *Wopk. et Walch.* qui recte damnarunt correctio-

nes interpretum *captas, exceptas, susceptas*. Opiniosissimus ac suspicacissimus Princeps vel fingebat *offensiones* vel *coeptas* existimabat, hasque omnes ob nimium suum in rem publicam studium parari contendebat; *Brot*. — Naevius Sertorius *Macro praefectus* sc. praetorii a Tiberio clam in locum Seiani eiusque opprimendi causa substitutus. Cf. Ind. I. Dio 58, 9 sq. 58, 13. 18. 59, 10. Suet. Cal. 25. 26. *utque Macro* — *petivit*, ut postea Claudius. v. Suet. Claud. 12. — *adeo nunquam*, v. ad 3, 34, 2. — *publicum consilium*, cf. ad G. 11. n. 2. — *ambigens patriam* urbem, ut Gr. περιάγων, nostrum sich um etwas herum treiben, drehen; *Walth*. Verba similia *ambages, ambitio, ambire, circumagere se, circumagi*. Hinc frustra coniecerunt intpp. *ambiens, ambiens pariter ac declinans, ambigens et patriam declinans*. Ad rem cf. cap. 1. et Dio 58, 21.

CAPUT XVI.

Interea magna vis accusatorum in eos irrupit, qui pecunias fenere auctitabant adversum legem dictatoris Caesaris, qua de modo credendi possidendique intra Italiam cavetur; omissam olim, quia privato usui bonum publicum postponitur.* Sane vetus Urbi fenebre malum et seditionum discordiarumque creberrima causa; eoque cohibebatur antiquis quoque et minus corruptis moribus. Nam primo duodecim tabulis sanctum, ne quis unciario fenere amplius exerceret, quum antea ex libidine locupletium agitaretur: dein rogatione tribunicia ad semuncias redacta, postremo vetita versura. Multisque plebis scitis obviam itum fraudibus, quae totiens repressae miras per artes rursum oriebantur. Sed tum Gracchus Praetor, cui ea quaestio evenerat, multitudine periclitantium subactus retulit ad senatum; trepidique Patres (neque enim quisquam tali culpa vacuus) veniam a Principe petivere: et concedente annus in posterum sexque menses dati, quis secundum iussa legis rationes familiares quisque componerent.

1. *qui pecunias fenere auctitabant*, verbum frequentat. ad feneratorum cupiditatem lucri carpendam aptissimum, et gradus *augere, auctare, auctitare*, ut *legere, lectare, lectitare*; *Buhle* obss. crit. de stylo Taciti Brunsvic. 1817. p. 49. Cf. Ind. III. v. *Verba vulgo dicta frequentativa*. Verbum non nisi ap. Arnob. reperitur. *Fenore* plerumque scribitur, sed rectius *fenere*, ut *fenebris, fenerare, fenerator, feneratrix, feneratio, feneratorius*, a prisco verbo *feo*, gigno, procreo, facio, unde *fenus, fetus, fecundus, femina*; neque probanda videtur scriptura *faenus*, quam Schneider Gram. 1, 1. p. 79. defendit, minus vero illa aliorum *foenus*. Sic et *pigneris, pigneri, pignere*, non *pignoris* cet., quia *pignerare* in plerisque et *oppignerare* vel *obpignerare* in omnibus fere MSS. et edd. vet. legitur. Ceterum *fenus* denotat tum pecuniam, quae sub usuris ponitur, vel sortem, caput, Germ. Capital, Capitalvermögen, (ut c. 17. et 14, 53. 55.) tum usuras eius, Zinsen. Hinc *mutuum* sine usuris, *fenus* cum usuris sumitur; *Non. Marcell*. 5, 70. — *adversum legem* Iuliam *dictatoris Caesaris, qua de modo credendi*, credendae pecuniae, *possidendique* praedia *intra Italiam cavetur*, h. e. qua cautum, ut certa tantum pars pecuniae in fenere poneretur, reliqua in agris praediisque Italicis collocaretur: quod sanxit Caesar, ut augerentur pretia agrorum nimis imminuta bellis civilibus. „Non dubito significari legem Treboniam iussu Caesaris latam, qua fidem publicam constituit et, ut ei in posterum caveretur, rem omnem fenebrem et pecuniariam. Ad eam

pertinent verba Dionis 58, 21. τοὺς νόμους περὶ τῶν συμβολαίων ὑπὸ τοῦ Καίσαρος τεθέντας, h. e. leges de pecuniis creditis." *Ern.* „Similiter *senatus praescripserat*, (cf. ad 1, 6, 2.) *ut duas quisque feneris partes in agris per Italiam collocaret* cap. 17 pr. ut ap. Suet. Tib. 48. *per SCtum sanxerat, ut feneratores duas patrimonii partes in solo collocarent, debitores totidem aeris alieni statim solverent*. Idem postea Traiani temporibus a senatu candidatis et a M. Antonino Phil. senatoribus peregrinis praescriptum. v. Plin. ep. 19. et Capitol. in Anton. Phil. c. 11." *Lips.* Praeter illam *legem dictatoris Caesaris* duae aliae ab eo latae. Prima: *ut debitores creditoribus satisfacerent per aestimationem possessionum, quanti quasque ante civile bellum comparassent, deducto summae aeris alieni, si quid usurae nomine numeratum aut perscriptum fuisset*. Ita Suet. Caes. c. 42. quocum conf. Caes. B. C. 3, 1. Altera: μηδένα πλεῖον πεντακισχιλίων καὶ μυρίων δραχμῶν ἐν ἀργυρίῳ ἢ καὶ χρυσίῳ κεκτῆσθαι, h. e. in pecunia numerata et supellectile vel vasis argento aurove factis. Sic Dio 41, 38. et hinc Suet. Tib. 49. refert quosdam damnatos, *quibus nihil aliud sit obiectum, quam quod partem rei familiaris in pecunia haberent*, h. e. domi seponerent velut conferendam ad res novas moliendas: nam ita haec rectius exponit Ern. quam Lipsius: *partem* maiorem, quam lege Caesaris permissum esset. Idem Ern. iam annotavit, haec Dionis et Suet. loca perperam a Lipsio et Fabricio ad eam Caesaris legem referri, de qua h. l. Taciti sermo sit. — *omissam*, neglectam, cuius nulla ratio habita.

2. *Sane vetus Urbi fenebre malum* cet. Cf. Liv. 2, 23. 27. 7, 16. 27. 28. 42. et al. Augebatur illud tum avaritia et fraudibus *feneratorum*, h. e. hominum divitum cuiuscunque ordinis, qui pecuniam (quae et ipsa *fenus* dicitur) *feneri* dabant vel sub usuris ponebant, (Germ. Capitalisten, Renteniers) tum dura conditione debitorum e plebe, et addictorum et nexorum; de quibus v. Niebuhrii hist. Rom. T. I. p. 638 sq. ed. 2. Primis temporibus *ex libidine locupletium agitabatur* fenus; (cf. ad 4, 6, 2.) sed *duodecim tabulis sanctum, ne quis unciario fenere amplius exerceret* sc. fenus. Hoc repetitum et severius sancitum videtur lege altera de fenere unciario a. M. Duillio et L. Maenio tribunis pl. lata et perlata a. U. 397. (v. Liv. 7, 16.) hinc vero haec silentio praetermissa a Tacito, illa a Livio: neque fides Tacito deneganda propterea quod prioris legis neque a Livio fit mentio, neque in mutilis duodecim tabularum fragmentis. Sed quaeritur iam, quid sit *unciarium fenus*, Germ. Unzialzins, Unzialzinsfuss. Vulgo intelligunt unciam, duodecimam assis partem, in mensem vel singulis mensibus (nam menstruum, non annuum fenus in usu erat Romanis) pro centenis assibus usurae loco solutam, vel unum assem pro centenis datum in annum; quod nos dicimus 1 pro Cent annuae usurae. v. Gron. de pec. vet. et in duplici Antexegesi, Salmas. de modo usurarum, Noodt de fenere et usuris, Ern. ad h. l. et al. „Sed incredibile est, hoc fenus potuisse nimium videri debitoribus. Omnem autem fidem superat, eosdem et tum de gravitate feneris questos, postquam fenus ad semuncias ($1/2$ pro Cent) redactum erat. Praeterea in vocabulo *unciarii feneris* nullum vestigium reperitur, quo noscatur de capite centenorum assium cogitandum esse. Id solum ex eo patet, *unciam* assis in mensem pro usura solvi. At hoc non sufficit, ut ratio constet; desideratur adhuc membrum alterum, summa sortis, pro qua uncia menstrua solvatur, nec quisquam antiquorum scriptorum prodidit, centenos asses pro sorte accipiendos esse in hac computatione. Eodem iure et multo commodius cogitabimus de denis assibus sive de denario, quod est summum in numorum genere, ut ita denarius det unciam pro fructu menstruo, 10 pro Cent in annum. Strothius ad Liv. 7, 16. haec annotavit: quum *unciam* non solum duodecimam assis, sed cuiusvis

alius rei partem esse notum sit, *unciarium fenus* illud puto, quum quotannis duodecima sortis pars seu ex quovis asse uncia usurae loco penditur; quod nos diceremus 8⅓ pro Cent. Cui rationi obstat, quod Romani usurae vocabula quaecunque intelligunt de usura menstrua, non annua. Si quis igitur *fenus unciarium* contendit esse vocabulum annuae usurae, ab omni loquendi usu recedit." *Walth. Fenus unciarium* esse idem quod nos dicimus 10 pro Cent in annum, sed legibus sancitum iis temporibus, quibus annus Romanorum decem menses comprehenderit, paucis praemonuit Niebuhr hist. Rom. T. I. p. 646. T. II. p. 383. 674. ed. 2. idque probare voluit T. III. At morte praeventus est, quod dolemus. Cf. Böckhs Staatshaush. T. I. p. 143 sq. et Hugo civilist. Magazin T. V. p. 180. — *dein rogatione tribunicia ad semuncias redacta versura* sc. a. U. 407. vel 408. quo *T. Manlio Torquato, C. Plautio coss. semunciarium ex unciario fenus factum et in pensiones aequas triennii, ita ut quarta praesens esset, solutio aeris alieni dispensata est,* Liv. 7, 27. A quibus tribunis lex rogata sit, non constat. Rogata vero est paucis annis post illam de fenere unciario: *nam etsi unciario fenere facto levata usura erat, sorte ipsa obruebantur inopes nexumque inibant* Liv. 7, 19. — *postremo vetita versura:* hoc factum putant a. U. 412. lege a L. Genucio trib. pl. rogata, *ne liceret fenerare.* v. Liv. 7, 42 pr. et Appian. B. C. 1, 54. ubi dicit: *τοῦ δ' αὐτοῦ χρόνου κατὰ τὸ ἄστυ οἱ χρῆσται πρὸς ἀλλήλους ἐστασίασαν, οἱ μὲν πράττοντες τὰ χρέα σὺν τόκοις, νόμου τινὸς παλαιοῦ προαγορεύοντος, μὴ δανείζειν ἐπὶ τόκοις, ἢ ζημίαν τὸν οὕτω δανείσαντα προσόφλειν.... Ἔθους δὲ χρονίου τοὺς τόκους βεβαιοῦντος, οἱ μὲν κατὰ τὸ ἔθος ᾔτουν, οἱ δὲ οἷον ἐκ πολέμων τε καὶ στάσεων ἀνεβάλλοντο τὰς ἀποδόσεις· εἰσὶ δ' οἳ καὶ τὴν ζημίαν τοὺς δανείσαντας ἐκτίσειν ἠπείλουν.* Hinc Lipsius et alii suspicantur, veterem legem, de qua Appianus loquatur, esse legem Genuciam eaque sancitam fuisse legem quadrupli. Sed legem potius XII tabularum intelligendam esse, probabile fit ex verbis Catonis R. R. pr. *eaedem tabulae XII posuerunt, furem duplo condemnari, feneratorem quadruplo;* ex his vero, *feneratorem* dictum fuisse eum, *qui unciario fenere amplius exerceret* fenus: nam ne quis id faceret, iisdem legibus *sancitum* paulo ante dixit Tacitus; non vero, ne quis omnino fenus exerceret. Idem firmatur verbis Asconii in Cic. divinat. in Caecil. c. 7. *qui convicti quadrupli condemnari soleant, ut aleae aut pecuniae sub gravioribus usuris feneratae quam pro consuetudine.* Eodem sensu capio in lege Genucia verbum *fenerare* et illud Appiani *δανείζειν ἐπὶ τόκοις,* ita ut non sit, quod vulgo putant, pecuniam sub fenere locare, sed pecuniam, quod Asconius dicit, *sub gravioribus usuris* locare quam *consuetudine* et legibus sancitum est. Illud enim semper et ubivis *licuit* et licebit, quia nemo erit, qui gratis credat pecuniam, nec quisquam postulabit, ut aliquis id faciat. Hinc etiam Salmasius (de modo usur. p. 292. existimabat, Genuciam legem irritam sua sponte factam et statim neglectam: quo tamen non omnis difficultas removetur. — Quo vero sensu dicta *versura,* quae *postremo vetita* est? Vulgo putant, *versuram* esse id. qd. fenus s. mutuum, quod sub fenere sumatur, vel sumptionem pecuniae mutuae, et hinc ortas duas loquendi formas: *versuram facere ab aliquo,* pecuniam ab aliquo sumere mutuam, et *versura* facta *solvere* et *dissolvere,* h. e. debitum solvere ita ut ab alio sumas. Sic Ern. in clave Cic. Salmas. l. l. Gron. de sest. p. 535, et in Antexeg. post. p. 162. aliique. „Proprie significatur mutatio creditoris. Cf. Donat. ad Terent. Phorm. 5, 2, 15. Tum *versuram facere* in universum est pecunia fenere sumpta solvere, quia pecunia fenere sumpta fere semper utimur ad solvendum aes alienum. *Versura* igitur non ponitur pro *usura, mercede,* ut videtur Obbario ad Horat. epist. 1, 1, 80. sed pro ipsa feneratione, h. e. pro negotio, quod versatur in fenere faciendo." *Walth.* Sic *vetita*

versura id. qd. lège Genucia sancitum *ne fenerare liceret*, si *fenerare* vulgari sensu acceperis pro: pecuniam sub fenere locare. Fuere etiam qui h. l. coniicerent *usura*. Sed probabilior est sententia Niebuhrii hist. Rom. T. I. p. 646. ed. 3. in usu fuisse, sortem certo die solvendam (Germ. das fällige Capital) in novum debitum, in sortem maiorem *vertere* s. mutare adiectis usuris residuis. Hinc Livius 6, 14. dicit: *multiplici iam sorte exsoluta, mergentibus semper sortem usuris.* — *Multisque*, multis quoque, (v. ad 2, 37, 1.) *plebis scitis obviam itum fraudibus — oriebantur:* quae leges ut in Urbe valerent, curabant in primis aediles et in his maxime curules, qui gravem saepe mulctam irrogabant feneratoribus. v. Liv. 7, 28. 10, 23. 35, 41. Sed irritas faciebant leges necessitas mutuantium fraudesque tam feneratorum, quam magistratuum, qui, ut plurimum locupletes, ipsi erant feneratores vel his favebant. Nec facile quisquam erat, qui numos sub parvis usuris, nedum gratis daret. Feneratores autem chirographis conventionibusque maius sibi fenus paciscebantur et tam iniquum plerumque et grande, ut usuras usurarum, (anatocismum) centesimas, (scil. sortis partes h. e. singulos asses pro centenis in mensem, ergo duodenos in annum) quin binas, ternas et quaternas centesimas exigerent. Nec deerant qui id solverent, vel in provinciis, quae gravibus tributis oneribusque premebantur et pecuniae inopia laborabant, (v. ad 3, 40, 2.) vel in Urbe, ubi primis rei publicae saeculis pauperes, propter perpetua potissimum bella, aere alieno obruebantur ac postea in dies crescebant avaritia et luxus. Quum deinde multis legibus fenebribus constricta avaritia esset, via fraudis inita est, ut in socios s. provinciales, qui non tenerentur his legibus, nomina (debitum) transscriberent, (quasi socii civibus Romanis credidissent pecunias) et ita libero fenere (ex arbitrio feneratorum pendente neque legibus definito aut iis obnoxio) obruerent debitores. v. Liv. 35, 7. et de coercendis his fraudibus in cedendis nominibus Cuiac. obss. 10, 3. Centesimae usurae factae etiam legitimae et usitatae, nec tamen ante a. U. 703. quo factum SCtum, *ut centesimae perpetuo fenere ducerentur*, h. e. penderentur sine anatocismo. v. Cic. ad Att. 5, 21. De his copiose disputavit Gronovius in libellis laudatis. Cf. et Plut. περὶ τοῦ μὴ δανείζεσθαι. *fraudibus, quae* edd. Rhen. 2. 3. et rec. *fraudibusque* edd. Ber. et Rhen. 1.

3. *et concedente* scil. eo s. Principe. Cf. ad Agr. 18. n. 9, et Ind. III. v. *Participia Praes. in sexto casu absolute posita.* Frustra *eo concedente* coni. Pich. et alii. — *secundum iussa legis* Iuliae, Caesaris. Cf. cap. princ. — *rationes familiares*, rei familiaris, ut *familiares pecuniae*, *curae*, *angustiae* 4, 15. 11, 7. 12, 52. — *quisque componerent*, ordinarent. Cf. ad 1, 1, 4. et Ind. III. v. *Nomina collectiva.*

CAPUT XVII.

Hinc inopia rei numariae, commoto simul omnium aere alieno et quia, tot damnatis bonisque eorum divenditis, signatum argentum fisco vel aerario attinebatur. Ad hoc senatus praescripserat, duas quisque feneris partes in agris per Italiam collocaret. Sed creditores in solidum appellabant, nec decorum appellatis, minuere fidem. Ita primo concursatio et preces: dein strepere praetoris tribunal, eaque quae remedio quaesita, venditio et emptio, in contrarium mutari, quia feneratores omnem pecuniam mercandis agris condiderant. Copiam vendendi secuta vilitate, quanto quis obaeratior, aegrius distrahebant, multique fortunis provolvebantur. Eversio rei

familiaris dignitatem ac famam praeceps dabat, donec tulit opem Caesar disposito per mensas millies sestertio factaque mutuandi copia sine usuris per triennium, si debitor populo in duplum praediis cavisset. Sic refecta fides, et paulatim privati quoque creditores reperti: neque emptio agrorum exercita ad formam senatus consulti, acribus, ut ferme talia, initiis, incurioso fine.

1. *Hinc inopia rei numariae* cet. cf. Suet. Tib. 48. — *commoto simul omnium aere alieno*, i. e. dum creditor quisque pecuniam creditam repetit eodem tempore, ut mox tradit Tacitus; *Ern.* Intelligatur pecuniae fenebris ratio perturbata seu periculum amissionis pecuniae creditae; *Forcell.* — *attinebatur*, v. ad 1, 35, 3. — *Ad hoc*, praeterea, (v. Ind. II. v. *Ad*, *y*.) *senatus praescripserat*, (v. ad 1, 6, 2.) *ut duas quisque partes feneris*, h. e. pecuniae sub fenere locandae, *in agris per Italiam collocaret*, v. ad cap. 16. n. 1. — *Sed creditores in solidum appellabant* „scil. debitores, qui proprie *appellari* dicuntur, quum pecunia iis credita ab ipsis reposcitur, quum de solutione monentur. (Germ. gemahnt werden.) Notissimum illud: *optima nomina non appellando fiunt mala.* (Cf. H. 1, 20 pr.) Etiam *solidum* proprium in hac re verbum, ut *in solidum solvere* Cic. p. Rab. Post. 17. *solidum petere* Quintil. 5, 10.“ *Ern.* Cf. ad 13, 53, 2. — *minuere fidem*, v. ad 13, 31, 1.

2. *Ita primo concursatio* fuit. „*Concursatio* dicitur de iis, qui anxie laborant de re aliqua, adeundo, allegando, petendo. Sic ap. Cic. epp. ad div. 1, 1. *Libonis et Hypsaei non obscura concursatio et contentio:* quem locum Tacitus in mente habuisse videtur.“ *Ern.* — *quia feneratores omnem pecuniam mercandis agris condiderant:* Salmasius legendum putabat *in mercandis* et *condere* dictum pro *ponere, collocare;* sed Pichena h. l. ita exponit: „*feneratores omnem pecuniam condiderant*, abscondiderant, ne quis posset ab iis ad *agros* obaeratorum *mercandos* fenere sumere; hac scil. mente, ut, quum alii emptores propter pecuniae inopiam non invenirentur, obaerati suos agros feneratoribus ipsis cogerentur vilissimo pretio vendere. Hinc *venditio* et *emptio*, quae alias *remedio* civium esse solent, *in contrarium mutatae*, quippe quae non ad suum cuiusque arbitrium, sed ad voluntatem et avaritiam feneratorum tantummodo exercebantur.“ Veram autem Taciti mentem assecutus est I. Fr. Gronovius, qui in Mantissa de pec. vet. cap. 1. p. m. 417. ita disputavit: „Reddit rationem historicus, quare SC. ad restituendam fidem comparatum habuerit eventum contrarium. Eo SC. continebatur, ut (quod Suet. addit, non Tac.) debitores primum duas partes aeris alieni statim solverent, quod promptissimum illis erat mutuo accepto sub usuris; dein, quoniam idem SC. *praescripserat*, ut *quisque duas feneris* h. e. patrimonii *partes in agris per Italiam collocaret*, commodo suo fundos venderent ac refecta ex illa auctione pecunia creditoribus satis facerent. Hoc irritum fuisse ostendit Tacitus, quia nemo reperiebatur, qui pecunia mutuo data illos duas partes debiti soluturos iuvaret; quod, quibus in numerato numi, hi eos *condebant* sc. in arca, et quidem *mercandis agris* h. e. ad mercandos agros, ut illis ipsi uterentur paratioresque essent ad occasionem venalium agrorum bene emendorum. Sic eveniebat, ut possessores, qui debebant, iniquo suo tempore auctionari cogerentur; et inde *vilitas*, nec refectum ex agris venditis tantum, quod sufficeret aeri alieno luendo; tum *eversio rei familiaris*. Confirmant hanc sententiam duo, quae sequuntur: prius quod, quia deerant privati creditores, *millies sestertium dispositum per mensas*, ut inde gratuitum daretur in triennium illis, qui pro accepta summa *in duplum populo cavere praediis* possent,

ut sic soluto besse aeris alieni per commodum venderent agros; alterum, quod narrat *paulatim repertos creditores privatos*, lassata illa pertinacia condendi domique comprimendi pecuniam. Si feneratores iam emerant agros, non carebant numis possessores ad duas partes feneris expungendas; deinde inane auxilium erat illius millies sestertii, quia praedia, quae obligarent publico pro mutuo accepto, iam e potestate dominorum exierant." — *quanto quis obaeratior* erat, tanto *aegrius distrahebant*, vendebant. Cf. Ind. III. v. *Comparationis usus modusque*, 2, *a*. Vendendi difficultas arbitror ex eo, quod ab iis non temere nec sine cautione emebatur propter evictionis periculum; *Pich.* Quisque *aegrius* vendebant, quia emptores necessitate vendendi cognita simulabant, sibi non opus agris, et alia similia, ut fit, ut quam minimo pretio emerent; *Ern.* Tanto *aegrius distrahebant*, h. e. eo molestior ipsis erat venditio: nam *aegre* facimus, quod inviti et aperto damno nostro facimus; *Walth.* — *famam praeceps dabat*, v. ad 4, 62, 2. — *tulit opem Caesar disposito per mensas millies sestertio* cet. v. Dio 58, 21. et Suet. Tib. 48. Cf. etiam Liv. 7, 21. 23, 21. 24, 18. 26, 36 quibus locis eodem modo refectam dicit fidem publicam creatis ob pecuniae inopiam *quinqueviris* et *triumviris mensariis*, magistratibus extraordinariis, qui pecuniam publicam ex aerario, *mensis cum aere in foro positis*, debitoribus dispensarent in tempus sine usuris. „Dio l. l. tradit, cum alias mortis causas fuisse Cocceio Nervae, tum hanc, quod Tiberius leges Caesaris περὶ τῶν συμβολαίων i. e. de pecuniis creditis renovare voluisset, (cf. ad c. 16. n. 1.) unde fidem labefieri et alios motus oriri viderit; eamque causam fuisse, quare Tiberius postea rem moderaretur et illud millies HS indigentibus per senatorii ordinis viros *sine usuris per triennium* mutuo daret. Dicendum esset potius, quod renovasset; nam Nerva ἀπεκαρτέρησε post transactam causam illam." *Ern.* ad c. 26. *sestertio* MS. et edd. omnes; *sestertium* volebant Mur. et Ursinus. Sed v. ad 2, 37, 1. — *si debitor populo in duplum praediis cavisset:* „Pichena non spernit *praediis*, ambigit tamen, num verius *praedibus*, usus loco Liv. 22, 60. ubi *praedes* et *praedia* iunguntur. Cur autem *praedibus* potius quam *praediis*, si unum sufficit? nam praedes tamen cavent praediis suis et qui praediis cavent, praedes sunt." *Ern.* „Perperam *praedibus* malebat Pichena: nam quis *in duplum praedibus cavebit?*" *Walth.* — *emptio:* in MS. *emitio.* — *acribus-initiis, incurioso fine*, v. ad 1, 5, 5. 12, 49, 1. et Ind. III. v. *Adiectiva in sexto casu absolute posita.*

CAPUT XVIII.

Dein redeunt priores metus, postulato maiestatis Considio Proculo, qui nullo pavore diem natalem celebrans raptus in curiam pariterque damnatus interfectusque. Et sorori eius Sanciae aqua atque igni interdictum accusante Q. Pomponio. Is moribus inquies haec et huiuscemodi a se factitari praetendebat, ut, parta apud Principem gratia, periculis Pomponii Secundi fratris mederetur. Etiam in Pompeiam Macrinam exsilium statuitur, cuius maritum Argolicum, socerum Laconem, e primoribus Achaeorum, Caesar afflixerat. Pater quoque illustris Eques Romanus ac frater praetorius, quum damnatio instaret, se ipsi interficere. Datum erat crimini, quod Theophanen Mytilenaeum proavum eorum Cn. Magnus inter intimos habuisset, quodque defuncto Theophani coelestes honores Graeca adulatio tribuerat.

1. *aqua atque igni interdictum,* v. ad 3, 68, 2. — *accusante Q. Pomponio — mederetur,* cf. 5, 8. et ad 11, 13, 1.

2. *Pompeiam Macrinam,* cuius *pater* Pompeius Macer *illustris Eques Rom.*, (v. ad 1, 73, 1.) bibliothecis ordinandis ab Augusto praefectus, procurator Asiae et Tiberio gratissimus, (v. Suet. Caes. 56. Strab. XIII. p. 617. Ovid. Amor. 2, 18.) *ac frater* Pompeius Macer *praetorius,* v. 1, 72. — *interficere* pro vulg. *interfecere* ex MS. revocavi. Cf. ad 1, 4, 3. — *quod Theophanen Mytilenaeum* (al. Lesbium) *proavum eorum Cn.* Pompeius *Magnus inter intimos habuisset*; Theophanes, Pompeio familiarissimus et ab eo civitate donatus in concione militum, res ab illo gestas versibus scripsit, nomen quoque eius ascivit et ad posteros transmisit. v. Plut. in Pomp. p. 641. 645. 659. in Cic. p. 880. Vell. 2, 18. Cic. p. Arch. 10. p. Balbo 25. epp. ad Att. 2, 5. 12. 17. 5, 1. 7, 7. et Strab. XIII. p. 617. Huius verba sunt: *οὗτος δὲ (Θεοφάνης) καὶ πολιτικὸς ἀνὴρ ὑπῆρξε, καὶ Πομπηΐῳ τῷ Μάγνῳ κατέστη φίλος μάλιστα διὰ τὴν ἀρετὴν αὐτὴν καὶ πάσας συγκατώρθωσεν αὐτῷ τὰς πράξεις . . . καὶ ἑαυτὸν πάντων Ἑλλήνων ἐπιφανέστατον ἀνέδειξεν. υἱόν τε ἀπέλιπε Μάρκον Πομπήϊον, ὃν τῆς Ἀσίας ἐπίτροπον κατέστησέ ποτε Καῖσαρ ὁ Σεβαστός· καὶ νῦν ἐν τοῖς πρώτοις ἐξετάζεται τῶν Τιβερίου φίλων.* „Pro *Μάρκον* scrib. *Μάκρον* et h. l. Taciti *avum* legendum videtur pro *proavum.* Si enim *Theophanis* filius *Pompeius Macer,* qui Asiae procurator sub Augusto et in praecipuis Tiberii amicis fuit initio principatus Tiberiani, (quo tempore Strabo scripsit opus suum aut potius publicavit) plus quam verisimile, hunc patrem esse *Pompeiae Macrinae* et *Pompeii Macri praetorii,* (appellatur enim *Eques illustris Rom.*) *Theophanen* vero *avum* non *proavum.* Lipsius *M. Pompeium Theophanen* horum facit *avum,* quod tamen veteris scriptoris auctoritate probandum est.“ *Ryck.* Accuratius fortasse Tacitus hanc rem novit, quam Strabo, qui filium potuit dare pro nepote; *Walth.* Gronovius ad Liv. 39, 19. haec annotavit: „Moribus introductum, ut clientes non sine consensu patronorum contraherent matrimonia et ex auctoritate patroni eiusdem gentis liberti ducerent uxores, libertae nuberent, aeque ab eodem patrono illi manumissas, hae manumissis. Inde dicitur *Theophanes proavus* omnium eiusdem gentis, quia ex ea personae iunctae connubiis.“ Haec vero refellit Fabrett. Inscr. c. 6. p. 478. *Theophanen* MS. edd. Ber. Iac. Gron. *Theophanem* edd. al. Cf. ad 11, 8, 1. *Mytilenaeum* a Walth. nobisque pro vulg. *Mitylenaeum* scriptum ex usu Graecorum. Ita etiam in omnibus numis ap. Harduin. et Holsten. In lapide quidem ap. Gruter. p. 474, 8. *Mitylenis* et sic in plerisque MSS. In his vero *i* pro *y* poni solet. Cf. Cellar. Geogr. III, 2. intpp. Melae 2, 7. Oudend. ad Suet. Caes. 2. Duk. ad Thucyd. 3, 5. Plehnii Lesbiaca p. 11. sq. Creuzer. in Annal. lit. Heidelb. a. 1823. N. 25. p. 388. — *Cn. Magnus:* in ed. Bekk. *Gnaeus Magnus,* ut ubivis. Cf. ad 11, 3, 2. — *quod — habuisset, quodque tribuerat,* cf. Ind. III. v. *Verborum Modi* III., *β*, 6. — *Theophani coelestes honores G. a. tr.* Cf. verba Strab. adscripta.

CAPUT XIX.

Post quos Sex. Marius Hispaniarum ditissimus defertur incestasse filiam et saxo Tarpeio deiicitur; ac ne dubium haberetur, magnitudinem pecuniae malo vertisse, aurariasque eius, quanquam publicarentur, sibimet Tiberius seposuit: irritatusque suppliciis cunctos, qui carcere attinebantur accusati societatis cum Seiano, necari iubet. Iacuit immensa strages, omnis sexus, omnis aetas, illustres, ignobiles, dispersi aut ag-

gerati. Neque propinquis aut amicis assistere, illacrimare, ne visere quidem diutius dabatur; sed circumiecti custodes et in maerorem cuiusque intenti corpora putrefacta assectabantur, dum in Tiberim traherentur, ubi fluitantia aut ripis appulsa non cremare quisquam, non contingere. Interciderat sortis humanae commercium vi metus, quantumque saevitia glisceret, miseratio arcebatur.

1. *Sex. Marius Hispaniarum ditissimus defertur incestasse filiam.* *Ὁ γοῦν Μάριος ὁ Σέξστος ἐκεῖνος, ὁ φίλος αὐτοῦ* (Tiberii) *καὶ διὰ τοῦτο καὶ πλουτήσας καὶ δυνηθεὶς . . . τὴν θυγατέρα ἐκπρεπῆ οὖσαν ὑπεκπέμψας ποι, ἵνα μὴ ὁ Τιβέριος αὐτὴν αἰσχύνῃ, αἰτίαν ἔσχεν ὡς συνὼν οἱ, καὶ διὰ τοῦτο καὶ συναπώλετο* Dio 58, 22. Ex ea gente duumvir sub Augusto ap. Vaill. in Num. Coll. et quidem in numis Calagurritanis; *Oberl.* Cf. ad 4, 36, 1. *defertur incestasse filiam,* v. ad 1, 74, 1. et 2, 27, 1. — *Saxo Tarpeio deiicitur,* v. ad 2, 32, 3. — *magnitudinem pecuniae malo vertisse* sc. se, s. versam esse ei in malum. Cf. ad G. 31. n. 1. et Ind. II. v. *Vertere.* — *aurariasque* pro *aurarias quoque,* ut paulo post *irritatusque.* v. ad 2, 37, 1. „Sententia est: non quidem dubium alioquin fuisse, Mario *magnitudinem pecuniae malo vertisse,* certiores tamen homines de hac re insuper esse factos eo, quod Tiberius aurarias eius sibi seposuerit. Alii *que* mutant in *quoque.* Male. Nam *quoque* omnem orationis vim trahit in vocem *aurarias,* ut Tiberius dicatur cum aliam rem, tum etiam aurarias sibimet seposuisse, quod ab h. l. alienum est. Cf. ad 1, 28.“ *Walth.* Ibi tamen docuit, *que* saepius Tacito dici pro *quoque, etiam,* et, ut haec, intendere, affirmare. Nonnulli delendum censent *que;* alii arcte iungunt *magnitudinem pecuniae malo vertisse aurariasque eius.* Faernus coni. *argentarias eius* et Iac. Gron. *vertisse aurariasque, eas, quanquam* cet. — *aurarias* sc. fodinas. De his auri fodinis in Hispaniis v. intpp. Sil. 1, 228 sq. 3, 401. Plin. 33, 4. s. 21. Vell. 1, 8. Ovid. Met. 1, 137 sq. Stat. Silv. 4, 7, 15. 16. — *quanquam publicarentur;* „*Publicare* h. l. non est für den öffentlichen oder Staatsschatz einziehen, uti Nostrates volunt, quasi venditae sint fodinae et pecuniae inde paratae in aerarium latae, sed für Staatsgut erklären, ut publice administrarentur et reditus publici essent.“ *Walth.* v. ad 3, 17, 3. — *sibimet Tiberius seposuit,* v. ad 2, 59, 2.

2. *Irritatusque* (cf. nota 1.) *suppliciis,* supplicationibus reorum ac periclitantium; *Pich.* „Quis autem pro Caesaris hostibus *supplicare* auderet? Potius *suppliciis* est sanguine, caede. Significat, crudelitatem eius non exsatiatam multitudine punitorum, sed ultro incitatam, ut grassari cuperet in plures.“ *Gron.* Bene: nam Tiberius occiso Seiano immanis beluae hominisque furibundi instar in omne civium genus saeviit. v. Suet. Tib. c. 61. 62. Hinc cum Aiace furente comparatur Iuvenal. Sat. 10, 83. 84. — *carcere attinebantur,* v. ad 1, 35, 3. — *Iacuit immensa strages* cet. cf. Dio 58, 14. 15. 16. 24. Iuvenal. 10, 81 sq. et Suet. Tib. 61. Hic dicit: *viginti uno die abiecti,* et *ducenti* pro *viginti* scribendum censebat Mur. ∞ i. e. mille *Lipsius.* „Alii aliter corrigunt, ut fit in re incertissima; quasi non, ut aliis in rebus, diversos auctores Tacitus et Suet. potuerint sequi. Praeterea in loco Suet. non est sermo de *immensa strage,* de qua h. l.“ *Ern.* Viginti homines non sunt *immensa strages,* et Tacitus non de unius diei, ut Suet., sed omnium dierum illorum strage loquitur; *Walth.* Ita etiam Scriver. et Oudend. ad Suet. l. l. — *aggerati* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. Pich. et rec. *aggregati* edd. Lips. et aliae. — *neque propinquis — dabatur,* cf. ad c. 10. n. 1. Dio l. l. refert postmodo permissa, quae Noster dicit vetita; *Walth.* —

corpora putrefacta assectabantur, comitabantur, *dum in Tiberim traherentur*, sc. unco. v. ad 3, 14, 3. *Tyberim* edd. Ber. et Rhen. 1. — *interciderat sortis humanae commercium*, „miseratio et agnitio similis fortunae, quae omnibus potest evenire. Hanc sequitur auxilium vel solatium et sepultura communi quodam iure.“ *Lips.* Sive persuasio, sortem humanam, aliorum hominum adversa ad nos pertinere, communia esse, ut ille Terentianus *nihil humani a se alienum putat*, eaque de causa misericordiam, auxilium deberi; *Ern.* Quod alteri acciderat, ab altero accipiebatur, tanquam ad se non pertineret; *Walth.* Cf. 1, 61 pr. — *vi metus:* „Male Lipsius coni. *vi*, *metu* et Heinsius *sui metu*. *Vis* est Gr. ἰσχύς, et *vis metus* id. qd. ἰσχυρὸς φόβος ap. Xenoph. Cyrop. 3, 1, 23.“ *Walth.* — *quantum saevitia glisceret*, tantum, *miseratio arcebatur*, cf. ad 1, 57, 1. et 6, 10, 1.

CAPUT XX.

Sub idem tempus C. Caesar, discedenti Capreas avo comes, Claudiam M. Silani filiam coniugio accepit, immanem animum subdola modestia tegens, non damnatione matris, non exsilio fratrum rupta voce; qualem diem Tiberius induisset, pari habitu, haud multum distantibus verbis: unde mox scitum Passieni oratoris dictum percrebruit: *Neque meliorem unquam servum neque deteriorem dominum fuisse.* Non omiserim praesagium Tiberii de Ser. Galba tum consule, quem accitum et diversis sermonibus pertentatum postremo Graecis verbis in hanc sententiam allocutus: *Et tu, Galba, quandoque degustabis imperium*, seram ac brevem potentiam significans scientia Chaldaeorum artis, cuius apiscendae otium apud Rhodum, magistrum Thrasyllum habuit, peritiam eius hoc modo expertus.

1. *Sub idem tempus C. Caesar* Caligula, Germanici filius, *discedenti Capreas avo comes* cet. cf. Dio 58, 23. Suet. Cal. 10. *avo*, v. ad 1, 3, 7. — *Claudiam M. Silani filiam*, v. ad 4, 3, 2. 13, 1, 1. H. 4, 48, 4. — *coniugio accepit*, in coniugium. v. ad 11, 10, 3. — *immanem animum subdola modestia tegens* cet. cf. Suet. Cal. 10. — *damnatione Agrippinae*, matris. Cf. cap. 25. et 5, 3. — *exsilio fratrum*, Neronis et Drusi. „Unus tantum fratrum, Nero, in *exsilium*, quod vulgo dicitur, actus erat; alter, Drusus, in ima palatii parte custodiebatur. Utriusque tamen fratris sortem *exsilii* vocabulo Noster coniunxit, ut *exsilium*, ἐξορισμός, intelligatur in universum de iis, qui limine domus principalis expellebantur.“ *Walth.* Cf. cap. 23. et Suet. Tib. c. 54. 65. — *rupta voce*, expressa s. edita; *Ern.* Sic Gr. ῥῆξαι φωνήν, δάκρυα, h. l. de eo, qui quasi invitus erumpit in vocem, in verba; *Boett.* in Lex. Tac. — *qualem diem Tiberius induisset, pari habitu*, verba obscura, quae Gron. obss. 1, 2. ita interpretatur: „*Qualem habitum*, animum vultumque quovis die *induisset*, sumpsisset vel gessisset *Tiberius*, sive laetum, sive tristem, ambiguum, severum, aut crudelem, benignum, voluntarium, negotiosum, otiosum, talem et ipse induens ac prae se ferens. *Dies* enim accipitur pro fortuna, quam fert, et pro varietate illa vitae et humanorum propositorum, quae indit dies mutatque. Notum illud Homeri τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἀνθρώποισιν, Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Hinc δούλιον, ἐλεύθερον, ὀρφανικὸν ἦμαρ, ap. Eurip. in Ione νέαν ἡμέραν, novam fortunam et spem regni, in Troad. δούλειον s. δούλιον ἡμέραν βίου, sortem et miseriam servitutis et omne tempus, quod in ea exigitur, *nox Dorica* ap. Valer. Fl. 2, 573. nox illa, qua Dores s. Graeci magna fortuna po-

titi sunt et capta Pergama incenderunt; *dies Alliensis, meus, tuus, suus, noster dies, ventus, deus; mea, tua hora*, σὴ νῦν ἐστὶν ἡμέρα, σὸς ὁ καιρὸς, h. e. tibi favens, opportuna, Polyb. 17, 18. (Cf. Liv. 9, 19 extr. Cic. Verr. 3, 19. Martial. 10, 58, 7. Sil. 1, 118. 480. 4, 650. 6, 707. Drak. ad Sil. 12, 193. Gron. ad Liv. 35, 12.) Sic *annus* pro annona, sic *ver sacrum* pro devotis vere sacro; sic et h. l. *dies* pro habitu et facie hominis in die, ut *tempus* pro illis, quae sunt in tempore. *Qualem diem*, qualiscunque diei colorem vel formam, *Tiberius induisset* assumpsissetque, *pari habitu*, ad id exemplum se formans, ut illa *comoeda natio* ap. Iuvenal. 3, 101., in easdem avo vivendi formas vertebatur ille optimus pessimi domini servus. Neque *diem induere* insolens magis quam *induere adulationem, speciem iudicis, simulationem, hostilia, seditionem, societatem, pavores* et alia. v. Ind. II.“ Ita Gron. „Cui assentiunt plerique. Nemo tamen locutionis rationem reddidit. Nempe brevius Noster dicit *qualem diem induisset* pro: qualem diem habitu induto ostendisset. *Habitus* in universum est omnis in externis sese habendi ratio. *Qualem diem* intellige tristem s. laetum, festum s. infestum, ut c. 21. *qualem diem haberet*. Alio enim habitu solent uti per diem laetum, alio per diem tristem vel vulgarem.“ *Walth.* Cf. ad 12, 49, 1. Agr. 34. n. 5. O. 13. n. 5. Rectissime Gron., etsi inest aliquid duri; *Ern.* Quidam non male coniiciunt *qualem in diem* (ἐπ᾽ ἦμαρ, singulis diebus; v. ad 1, 1, 2.) *Tiberius induisset* sc. habitum, (h. e. speciem oris, vultus, affectuum; v. ad 1, 10, 6.) *pari habitu* sc. erat. Minus probandae aliorum emendationes, qui putant, verba *qualem diem* ex pag. et cap. seq. (*qualem diem haberet*) huc translata esse aut legendum *qualem die*, vel *qualem de die*, vel *quali* s. *qualem idem Tiberium vidisset*, vel *vultu, qualem Tiberius induisset*. — *verbis*, iudiciis: hic tamen cogitandum est de imitatione sermonis; *Walth.* — C. *Passieni* Crispi *oratoris*: „Hic consul II. a. U. 797. cum T. Statilio Tauro teste Dione 60, 23. et *bis consul* dicitur Plinio 16, 44. s. 91. et Scholiastae Iuvenalis Sat. 4, 81. Pighius hunc *Passienum Crispum* perperam confundit cum *Vibio Crispo*, (de quo v. Ind. I.) ut et ille Scholiastes. *Passienus* enim mortuus temporibus Claudii, uti ex Suet. Claud. 6. clarum; *Vibius Crispus* Domitiani principatum vidit *octogenarius* scilicet, uti docet Iuvenalis 4, 81. Ceterum error Scholiastae subindicare videtur, *Passienum* etiam *Vibium* fuisse, ut totum ei nomen fuerit *C. Vibius Crispus Passienus*. Suspicionem hanc auget *Vibius Passienus* Africae proconsul sub Gallieno apud Trebellium in Celso. Quare in Fastis restituendum hoc nomen.“ *Ryck.* Cf. Sen. Qu. Nat. IV. in Praef., Quintil. 6, 2, 50. 3, 74. 10, 1. 24. Lipsii Exc. I. ad Tac. Ann. XII. Dodwelli Annal. Quintil. §. 8. et p. 189 sq. Schotti catal. Rhet. apud Senecam, a quo avus, pater et filius distinguuntur. — *percrebruit* edd. Ber. Rhen. Lips. 1. Walth. *percrebuit* edd. Ald. Micyll. Lips. posteriores, Pich. Grut. et aliae. Cf. *crebrescere* et *percrebrescere* in Ind. II. „Sic et *increbrescere, aegrescere, nigrescere* et *pigrescere*. Nam ut ab *aeger, aegri, aegresco*, a *niger, nigri, nigresco*, a *piger, pigri, pigresco*, a *scaber, scabri, scabrare*, a *teter, tetri, tetrare*, sic a *creber, crebri*, necessario deduci debet *crebrescere*; neque cur litera *r* in praeterito omitteretur, ulla fingi potest idonea causa. Ea quoque litera servatur in optimis MSS.“ *Oudend.* ad Suet. Caes. c. 79. Cf. idem et Burm. ad Suet. in Aug. 11. in Tib. 11. 45. in Vesp. 4. id. ad Caes. B. C. 3, 26. 43. et ad Frontin. 2, 1, 15. Arntzen. ad Aurel. Vict. Ep. c. 9. Ita vero scribendum etiam *rubrere* et *rubrescere*, non *rubere* et *rubescere*. — *scitum Passieni dictum: neque meliorem* cet. cf. Suet. Cal. 10.

2. *praesagium Tiberii de Ser. Galba tum consule*, (cf. cap. 15.) *quem* cet. „A Tacito stant Iosephus A. Iud. 18, 6. et Dio 57, 19. Pugnat Suet.

in Galba c. 4. ubi non Tiberio, sed Augusto praesagium hoc tribuit, nec de consule Galba, sed puero. Ita censeat aliquis, Suetonium vel alios auctores secutum vel memoria lapsum; etsi potuit uterque diverso tempore praedixisse. Sed itane verbis iisdem?" *Lips.* Cf. ad 1, 6, 1. „Quid si dicamus, Tacitum duplex praesagium Augusti et Tiberii confudisse? nam verba *seram ac brevem potentiam significans* non conveniunt satis verbis *tu quandoque degustabis imperium.*" *Ern.* Sed *sera potentia* significatur voce *quandoque,* (v. ad 1, 4, 7. et 1, 6, 2.) et *brevis* verbo *degustabis,* ut *delibare honorem* ap. Liv. 5, 12. Nam ita usurpantur verba *gustare, degustare, libare, delibare,* metaphora petita a cibis vel vinis, quae primum aut leviter et primis s. primoribus labris (prima labrorum parte) gustantur, v. c. *gustare physiologiam primis labris* Cic. de N. D. 1, 8. *degustare aliquid de fabulis* Cic. ad Att. 13, 40. *delibare obiter artes* Ovid. Fast. 1, 169. *γεύεσθαι, ἀπογεύεσθαι, προγεύεσθαι.* Similiter *odorari philosophiam* O. 19. quod proprie de canibus dicitur sagacibus. — *Graecis verbis in hanc sententiam allocutus* scil. *est.* Cf. Ind. III. v. *Ellipses 1. a.* — *Et tu, Galba, quandoque degustabis imperium,* Graece καὶ σὺ ποτὲ τῆς ἡγεμονείας γεύσῃ apud Ioseph. et Dion. ll. ll. καὶ σύ, τέκνον, τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ ap. Suet. Galba c. 4. — *scientia,* cf. Ind. III. v. *Ablativi Substantivorum absoluti.* — *Chaldaeorum artis,* v. ad 2, 27, 1. — *cuius apiscendae,* addiscendae; *Ern.* — *apud Rhodum,* v. ad 1, 4, 6. et Ind. II. v. *Apud.* — *Thrasyllum* edd. rec. *Thrasullum* et *Trasullum* edd. vet. ante Ernest. Cf. ad 1, 1, 2. *Thrasyllus* celeberrimus Mathematicus, Tiberii comes, contubernalis et praeceptor, qui fortasse et libros scripsit de re medica, quos saepius laudat Plinius. v. Suet. in Aug. 98. in Tib. 14. 62. in Cal. 19. Dio 57, 15. 58, 27. 28. inpr. 57, 11. Iuvenal. 6, 576. ubi vetus Scholion est: *Thrasillus, multarum artium scientiam professus, postremo se dedit Platonicae sectae ac deinde mathesi: qua praecipue viguit apud Tiberium, cum quo sub honore eiusdem artis familiariter vixit; quem postea Tiberius in insula Rhodo praecipitare voluit in pelagum quasi conscium praemissae (promissae* coni. Pith.) *dominationis. Quem dolum quum praesensisset, fugit.*

CAPUT XXI.

Quotiens super tali negotio consultaret, edita domus parte ac liberti unius conscientia utebatur. Is literarum ignarus, corpore valido, per avia ac derupta (nam saxis domus imminet) praeibat eum, cuius artem experiri Tiberius statuisset, et regredientem, si vanitatis aut fraudum suspicio incesserat, in subiectum mare praecipitabat, ne index arcani exsisteret. Igitur Thrasyllus iisdem rupibus inductus, postquam percunctantem commoverat imperium ipsi et futura sollerter patefaciens, interrogatur, *an suam quoque genitalem horam comperisset: quem tum annum, qualem diem haberet?* Ille positus siderum ac spatia dimensus haerere primo, dein pavescere et, quantum introspiceret, magis ac magis trepidus admirationis et metus postremo exclamat, *ambiguum sibi ac prope ultimum discrimen instare.* Tum complexus eum Tiberius praescium periculorum et incolumem fore gratatur; quaeque dixerat oracli vice accipiens inter intimos amicorum tenet.

1. *super tali negotio* edd. rec. ex emend. Pich. *superta negotio* MS. v. ad 2, 63, 2. *super negotio* edd. vet. ante Pich. *super eo n.* sc. prae-

scientiae coni. idem Pich. et *super fatali n.* Kiessl. Malim *super tanto n.* scil. imperio. — *incesserat*, v. ad 3, 26, 1. 4, 68, 1. et Ind. II. — *praecipitabat*, cf. ad 2, 34, 1. et 2, 85, 1.

2. *commoverat:* affectum laetitia super illis praesagiis se ostenderat Tiberius et propterea, *ne index* eius rei *existeret*, consilium de exitio Thrasylli ceperat; *Walth.* — *an suam* (Tiberii) *quoque genitalem horam comperisset; quem tum* (moriturus) *annum, qualem diem haberet*, (habiturus esset) — *positus siderum ac spatia dimensus*, v. ad 2, 27, 1. *qualem diem haberet*, v. ad c. 20. n. 1. — *pavescere* omnes edd. *pavescente* MS. *pavescens* corr. Iac. Gron. prob. Ern. et Walth. — *quantum introspiceret magis ac magis trepidus*, cf. Ind. III. v. *Comparationis usus* 2. *a.* *quanto* coni. Acid. „Sed *quantum* pro vulg. *quanto* (sc. magis) H. 2, 99. Liv. 32, 5. Valer. Fl. 1, 741.“ *Wopk.* Malim tamen *quantum* h. l. accipere pro *in quantum* sc. modum, ut ὅσον γ' ἐμὲ εἰδέναι, quantum sciam, pro ἐς s. ἐφ' ὅσον, ap. Aristoph. Nub. v. 1254. et ὅσα ἤδη δοκεῖν αὐτῷ Thucyd. 6, 25. Sic *quantum* 12, 12. et Agr. 17. Cf. ad G. 45. n. 21. et Matthiae Gram. Gr. p. 784. — *trepidus admirationis et metus*, cf. Ind. III. v. *Adiectiva relativa Genitivis obiecti iuncta.* — *et incolumem* pro *sed inc.* v. ad 1, 13, 2. — *gratatur:* „h. e. gratando dicit, aperit. Sic 1, 39. *increpans* sc. esse, vel increpando dicens, (ut H. 2, 44.) et *miseratur*, oratione miserationem prae se ferente disserit, 13, 43. *defendebat*, in defensione dicebat.“ *Walth.* Cf. ad 1, 39, 4. — *quaeque dixerat* sc. Thrasyllus. De eo cf. Scholion ad c. 20. n. 2. adscriptum. Ceterum Tiberius ipse olim Caligulae dixerat: σύ τε τοῦτον (hunc, h. e. me, δεικτικῶς dictum) ἀποκτενεῖς, καὶ σὲ ἄλλοι. Ita Dio 58, 23.

CAPUT XXII.

Sed mihi haec ac talia audienti in incerto iudicium est, fatone res mortalium et necessitate immutabili an forte volvantur. Quippe sapientissimos veterum, quique sectam eorum aemulantur, diversos reperias, ac multis insitam opinionem, non initia nostri, non finem, non denique homines diis curae: ideo creberrima et tristia in bonos, laeta apud deteriores esse. Contra alii Fatum quidem congruere rebus putant, sed non e vagis stellis, verum apud principia et nexus naturalium causarum: ac tamen electionem vitae nobis relinquunt; quam ubi elegeris, certum imminentium ordinem: neque mala vel bona, quae vulgus putet: multos, qui conflictari adversis videantur, beatos, at plerosque, quanquam magnas per opes, miserrimos, si illi gravem fortunam constanter tolerent, hi prospera inconsulte utantur. Ceterum plurimis mortalium non eximitur, quin primo cuiusque ortu ventura destinentur; sed quaedam secus quam dicta sint cadere fallaciis ignara dicentium: ita corrumpi fidem artis, cuius clara documenta et antiqua aetas et nostra tulerit. Quippe a filio eiusdem Thrasylli praedictum Neronis imperium in tempore memorabitur, ne nunc incepto longius abierim.

1. *fatone res mortalium et*, hoc est, (v. ad 1, 33, 2.) *necessitate immutabili an forte volvantur*, earum vicissitudines regantur, ut *Fors omnia versat* ap. Virg. Ecl. 9, 5. *Fatum* sive *necessitas immutabilis*, Ἀνάγκη, Μοῖρα, Εἱμαρμένη, Πεπρωμένη sc. Μοῖρα, Germ. Verhängniss, Vorsehung, providentia deorum, qua etiam singula reguntur. *Fors* sive

Fortuna et *Fors Fortuna*, (v. ad 2, 41, 1. et Plut. de Fort. Rom. p. 319. qui *Fortem* perperam adiective exponit: τὴν Τύχην, ἥν φόρτικαν καλοῦσιν ὅπερ ἔστιν ἰσχυρὰν ἢ ἀριστευτικὴν ἢ ἀνδρείαν) Gr. Τύχη, Germ. Schicksal, Glück, Zufall, blindes Ungefähr, casus eventusve fortuitus et incertus, Fortunae casus ludusque. Cf. ad 3, 18, 2. 14, 5, 4. *Fortuna dicta est incerta res, Fors Fortuna eventus Fortunae bonus, Donat.* ad Terent. Phorm. 5, 6, 1. *Fato* omnia regi credebant Stoici, *Forte* et caeco casu Epicurei, qui nullam rerum humanarum curam diis esse docebant secundum systema atomisticum. *Fatum* est *sempiterna quaedam et indeclinabilis series rerum et catena volvens semet ipsa et implicans per aeternos consequentiae ordines, ex quibus apta connexaque est* Chrysipp. ap. Gell. 6, 2. *Fatum est inexorabilis necessitas rerum omnium et actionum, quam nulla vis rumpat. Sapientis viri sententiam negatis posse mutari; quanto magis dei, quum sapiens quid sit optimum in praesentia sciat, illius divinitati omne praesens sit. Fata aliter ius suum peragunt nec ulla commoventur prece, non misericordia flectuntur, non gratia. Servant cursum irrevocabilem, ex destinato fluunt; et primum ordinem rerum Fati aeterna series rotat, cuius haec prima lex est stare decreto,* Sen. nat. qu. 2, 35. 36. 45. *Hunc eundem deum et Fatum si dixeris, non mentieris. Nam quum Fatum nihil aliud sit quam series implexa causarum, ille* (deus) *est prima omnium causa, ex qua ceterae pendent* Sen. de ben. 4, 7. Cf. Cic. N. D. 1, 20. 25. et de div. 1, 56. 2, 55. *Fatum* decretis aeternis et immutabilibus res, actiones et fata s. sortem hominum regere putabatur et futura tam parare, quam signis, prodigiis, oraculis, (cf. 2, 17. 53. 6, 46. 4, 58. 12, 64. 14, 9. 15, 7. 47. H. 1, 62. 2, 4. 50.) nec non rebus gestis significare iam prius et ante monstrare. Sic H. 2, 69. (*principium interno externoque bello parantibus Fatis*) G. 33. (*urgentibus imperium Fatis*) Agr. 13. n, 6. (*a Fatis monstratus Vespasianus,* tanquam futurus Princeps) Vell. 2, 110 pr. (*rumpit, interdum moratur proposita hominum Fortuna.*) Inde et *Fata victricia,* quibus ipsi dii impares esse et frustra certare credebantur: *fatum maius* 16, 5. et Sil. 5, 201. Cf. intpp. Sil. 5, 76. 9, 543. Plat. leg. VII. p. 818. (Ἀνάγκῃ οὐδὲ θεοὶ μάχονται) Menag. ad Laert. I. p. 48. Burm. ad Ovid. Her. 1, 28. Spanhem. ad Callim. H. in Del. 122. et de Pr. et U. N. XIII. p. 639. vel IX. p. 839. ed. 2. Easdem ob causas *Necessitati* tribuebatur urna fatalis et *Fortunam* tum anteire fingebatur Necessitas clavis, cuneis, unco plumboque armata, tum comitari Spes et Fides. v. loca egregia Horat. od. 1, 35, 17 sq. et 3, 1, 14 sq. De Fatorum vi v. 4, 20, 2. (ubi dubitatio quoque, ut nostro loco, exprimitur) H. 1, 10. 18. Idem Tacitus plerisque locis Stoicismum prodit, nonnullis opinionem Epicureorum, v. c. 3, 18. *ludibria rerum humanarum et Fortunae,* 16, 33. *aequitate deûm erga bona malaque documenta,* (ubi tamen Walther putat *aequitatem* non esse incuriam, socordiam, Germ. Gleichgültigkeit, sed spectare ad ἰσομοιρίαν bonorum et malorum, quae obtineat in rebus terrestribus) 14, 12. *qaae adeo sine cura deûm eveniebant,* H. 1, 3. *non esse curae diis securitatem nostram, esse ultionem,* (cf. ibi nota 3.) H. 1, 4. *casus eventusque rerum plerumque fortuiti sunt.* Cf. Ind. II. v. *Fors* et *Fortuna,* Praefat. p. XLIV. et haec verba Cic. de leg. 2, 11 extr. *Fortuna est vel Huiusce diei,* (cf. Plut. Mar. p. 420.) *nam valet in omnes dies, vel Respiciens,* (Ἐπιστρεφομένη ap. Plut. qu. Rom. p. 281.) *ad opem ferendam, vel Fors, in quo incerti casus significantur magis, vel Primigenia a gignendo,* (iudice Plut. qu. Rom. p. 289. et 319. quia principium sit omnium rerum) et *Comes.* De aliis *Fortunae* cognominibus v. Plut. qu. Rom. p. 281. et de Fort. Rom. p. 322. de *Fortuna populi Romani* et *publica* inf. ad 14, 11. De *Fato* et *Fortuna* copiose disseruerunt Cicero de Fato, Plut. περὶ Τύχης p. 97 sq. et περὶ τῆς Ῥωμαίων Τύ-

χης p. 316 sq. et περὶ Εἱμαρμένης p. 568 sq. Pabst in Ecl. Tacit. p. 138 sq. et qui ab eo iam laudati sunt *Neander* der heil. Chrysostomus Berl. 1821. T. I. p. 283. *Garve* verm. Schriften T. V. p. 81. *Schiller* in d. Horen a. 1795. VIII. p. 78. *Herder* in d. zerstreuten Blättern T. II. p. 219. *Manso* verm. Abhandl. Bresl. 1821. VII. p. 176. *v. Wessenberg* das Volksleben zu Athen im Zeitalter des Perikles Zürich 1828. p. 279 sq. Cf. I. Kil. Wolf diss. inaug. de divina mundi moderatione e mente Taciti. Fuldae 1830. — *quique sectam eorum aemulantur*, ut ap. Liv. 1, 18. — *reperias* MS. edd. Kiessl. et Walth. *reperies* et *repperies* edd. cet. — *diversos reperias*, contraria sentientes; *Ern.* v. ad 2, 60, 1. — *ac multis insitam opinionem*, sc. Epicureis. — *initia nostri*, cf. Ind. III. v. *Pronomen reciprocum*. — *creberrima et tristia in bonos, laeta apud deteriores esse* MS. et omnes edd. ante Brot. „Recte. Intellige *et* (etiam, auch) *tristia* praeter *laeta*, quum exspectares omnia laeta. Non enim dicit Tacitus *creberrima tristia in bonos*, quasi soleant boni tristia pati; sed creberrimum esse, (h. e. multis bonis id accidere) ut et tristia experiantur. *creberrime tristia* edd. Brot. et Bekk. ex emend. Freinsh. *creberrime et tristia in bonos et laeta a. d. e.* corr. Ern. quod receperunt Bip. Oberl. Kiessl. Sed dubito, an bene dici possit *tristia, laeta creberrime esse*." *Walth.* Similis dictio est *crebrae in vulgus mortes* H. 2, 93. et Adiectiva *tristia* et *laeta* pro Substantivis posita. *in bonos* et *apud deteriores*, cf. Ind. II. v. *In*, et Ind. III. v. *Constructio verborum variata*. — *Contra alii* sc. Stoici. „Horum tamen alii putabant, a diis universa tantum, interdum et singula curari, ut Sen. ep. 95., alii et haec et illa, v. c. Cic. qu. Tusc. 1, 41. de leg. 2, 11, 7. de N. D. 2, 2, 30. et Stoici seriores Arrian. Epict. 1, 12, 14. 3, 16. Antonin. 2, 11. 7, 70. 9, 11. 27. quos e christianismo haec hausisse perperam suspicabatur Brucker. hist. crit. philos. I, 2, 2. c. 9." *Pabst* Ecl. Tac. p. 141. — *Fatum quidem congruere rebus*, se immiscere; *Ern.* — *non e vagis stellis*, cf. ad 2, 27, 1. — *electionem vitae nobis relinquunt*, libertatem in deligendo vitae genere; *Ern.* — *electionem vitae n. r.; quam* sc. vitam *ubi elegeris*, cf. Ind. III. v. *Verba s. Vocabula eadem repetita*. Ernestius leg. putabat *quam ubi feceris*, vel *quam ubi decreris*, vel potius *nam ubi decreris*. „De illa libertate hominum et propria efficacia cf. Hom. Jl. 1, 218. 9, 497. 18, 328, et Odyss. 1, 31. Arrian. 4, 12. 8—12. A. W. Schlegel über dram. Kunst I, 204." *Pabst* l. l. — *certum imminentium ordinem* scil. esse putant: quae et intell. in seqq. — *neque mala vel bona* esse, *quae vulgus putet*, notissima Stoicorum doctrina. — *multos, qui conflictari — utantur:* „ita iam Solon ap. Herodot. 1, 32. Cf. Garve verm. Schriften II. p. 1 sq." *Pabst* l. l. — *at plerosque*, v. ad 3, 28, 4. *at* edd. vet. et Bekk. *ac* edd. Lips. et rec. — *gravem fortunam*, adversam. — *hi prosperâ inconsulte utantur* scil. fortunâ. Ernestius perperam annotavit, *prospera utantur* ἀρχαϊκῶς dicta esse, ut a Catone et Plauto; nam *prospera* h. l. positum in casu sexto sing., non in quarto plur. num.

2. *Ceterum plurimis mortalium non eximitur*, non eximi, eripi potest scil. opinio ista; *Gron.* obss. 2, 14. *eximitur* MS. edd. Ber. Rhen. 1. Pich. et deinde omnes. *eximi* edd. Rhen. 2. 3. Ald. Gryph. et al. „Hi decepti sunt infinitivis seqq. Sed *eximitur* Tacitus e sua persona dicit, non e sententia aliorum. Quae sequuntur inde a *quin* usque ad *tulerit* plurimorum quos dicit mortalium opinionem enuntiant." *Walth.* *eximis* coni. Lips. *eximas* Mur. *eximatur* Heins. Ad seqq. conf. Lucret. 2, 16 sq. — *ignara*, ignota. v. ad 1, 5, 3. — *fidem artis* Chaldaeorum. v. ad 2, 27, 1. — *et antiqua aetas et nostra*, v. ad 1, 1, 3. Duplex *et* in MS. edd. Ber. Rhen. 1. Pich. et rec. Prius omissum in Rhen. 2. 3. Ald. et cet. ante Pich. — *Thrasylli*, de quo v. ad c. 20. n. 2. — *in tempore memorabitur*; non est in libris, qui supersunt, id vaticinium, ne in Suet.

quidem; *Lips*. Sed ap. Dion. 61, 2. ubi narrat, astrologum quendam praedixisse, Neronem et imperaturum et matrem interfecturum; *Ern*. Similium vaticiniorum mentionem facit Suetonius Vit. 14. Vesp. 5. et Domit. 15. — *ne nunc incepto longius abierim:* „Perperam Heinsius vult *aberrem*. Immo scriptor iam *abierat*. Ne tamen longius in hoc abitu commoretur, (h. e. *ne nunc incepto longius abierim*) alibi memorabit cetera.“ *Walth*. Ἀορίστως potius dictum *abierim* pro *abeam*. Cf. ad Agr. 3. n. 6. et Ind. III. v. *Verba ἀορίστως posita*. *incepto* edd. Rhen. 1. Lips. et rec. *incoepto* edd. Ber. Rhen. 2. 3. Ald. ut c. 32. et al.

CAPUT XXIII.

Iisdem consulibus Asinii Galli mors vulgatur, quem egestate cibi peremptum haud dubium; sponte vel necessitate, incertum habebatur: consultusque Caesar, an sepeliri sineret, non erubuit permittere ultroque incusare casus, qui reum abstulissent ante quam coram convinceretur. Scilicet medio triennio defuerat tempus subeundi iudicium consulari seni, tot consularium parenti. Drusus deinde exstinguitur, quum se miserandis alimentis, mandendo e cubili tomento, nonum ad diem detinuisset. Tradidere quidam, praescriptum fuisse Macroni, si arma ab Seiano tentarentur, extractum custodiae iuvenem, (nam in palatio attinebatur) ducem populo imponere: mox, quia rumor incedebat fore, ut nuru ac nepoti conciliaretur Caesar, saevitiam quam poenitentiam maluit.

1. *Asinii Galli*, de quo v. ad 1, 12, 2. — *quem egestate cibi peremptum haud dubium*, cf. Dio 58, 3. ubi in actis a. U. 783. res ita traditur: Quum Gallus ad Tiberium legatus venisset, adhibitus in convivium comiterque habitus est; sed literae ad senatum a Tiberio simul missae, quibus eum accusabat. Ita eodem die Caesaris conviva fuit et damnatus est; missus etiam praetor, qui eum vinctum duceret ad supplicium. Quo facto Tiberius, ubi quae lata esset sententia cognovit, ne mortis quidem copiam Gallo eam appetenti permisit, sed in libera illum custodia apud consules haberi iussit, (cf. ad 3, 22, 2.) non ut caveretur ne effugeret, sed ne mori posset, utque diutius miseria affligeretur: non enim videbat quenquam, nisi quum ad sumendum cibum cogeretur; cibus vero eiusmodi erat, ut neque voluptatem ullam roburve afferret, neque mori eum sineret. Ita Tiberius etiam quendam amicorum eius in vincula coniecerat et occidi vetuerat, quia cum eo nondum rediisset in gratiam. — Idem Dio 57, 2. et 58, 23. Gallum dicit a. U. 786. necatum, et Eusebius in Chron. *eum diris suppliciis mactatum anno ante T. Livii mortem*; sed Tacitus h. l. *eum egestate cibi peremptum haud dubium; sponte vel necessitate, incertum habebatur*. Pro *vel* Ursinus coni. *an*. — *consultusque Caesar, an sepeliri sineret, non erubuit permittere*, non pudet Principem ea permittere, quae natura iusque gentium permittunt: haec enim orari pudet; *Brot*. „Vulgo interpretantur: non erubuit, talem a se et peti permissionem et dari. Immo aliter res se habet. Consulitur Caesar, *an sepeliri sineret*, h. e. an, uti mortui solebant, proponi lecto ferali, efferri, cremari, condi a propinquis omniaque mortuis iusta fieri sineret. Haec enim pertinent ad *sepulturam*, de qua consulitur Caesar. Tiberius *non erubuit permittere*, scilicet rem ab infamia sua inseparabilem. Nam quid est impudens nisi hoc, quod Tiberius crudeliter mactat hominem et defunctum solitis sepulturae honoribus effert, qui quanta fieri poterat taciturnitate humari oculisque hominum subtrahi debebat, si modo ullus

rubori locus apud illum fuisset." *Walth.* Ita vero vir doctus rem non acu tetigisse videtur. Caesar haud consultus est, an solitis honoribus, sed an omnino Gallum *sepeliri sineret*: nam ipse edictis sanxerat, ut maiestatis accusati, convicti et damnati sepultura prohiberentur, nisi ante perfectum iudicium se ipsi vita privavissent. v. ad 4, 30, 2, et 6. 29. Consultus autem est, an sepeliri Gallum sineret, quia *incertum habebatur*, utrum *sponte an necessitate* periisset. *Non erubuit permittere* et tacite ita confiteri, Gallum egestate cibi dirisque suppliciis ad mortem voluntariam compulsum. *ultroque incusare casus* cet., quum se ipse incusare debuisset: nam iudicium iussu Caesaris dilatum erat, ut diutius cruciaretur Gallus, et iam *triennium* a tempore accusationis (a. U. 783.) effluxerat. *ultroque*, v. ad 3, 36, 1. — *consulari seni, tot consularium parenti*, v. ad 1, 12, 2.

2. *Drusus*, Germanici filius, *deinde exstinguitur* — *ducem populo imponere*, cf. Dio 58, 13. 22. Suet. Tib. c. 54. 65. — *tomento*, stramine seu palustribus arundinibus, quibus culcitae vilium hominum inferciebantur; *Pich.*, „*Gnaphalion alii Chamaezelon vocant, cuius foliis albis mollibusque pro tomento utuntur*, Plin. 27, 10. s. 61. Similiter Dioscor. 3, 122. 132." *Ryck.* Cf. Hard. ad Plin. l. l. et ad ei. 24, 15. s. 88. — *praescriptum fuisse Macroni*, de quo v. ad c. 15. n. 3. *praescriptum* MS. et cod. Urs. edd. Ber. Rhen. 1. Ern. et rec. *descriptum* edd. Rhen. 2. 3. Ald. et cet. „*Describere* exquisite dicitur pro imperare, mandare aut pluribus ac per partes, aut plura simul. Cf. Hor. A. P. v. 86. et Clav. Cic." *Ern.* qui tamen praeferebat *praescriptum*. — *extractum custodiae* MS. et ed. Bekk. 2. pro vulg. *e. custodia*. — *attinebatur*, v. ad 1, 35, 3. — *rumor incedebat*, v. ad 1, 5, 1. — *nuru ac nepoti*, Agrippinae ac Druso. *nuru* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. Walth. *nurui* edd. cet. Cf. ad 3, 30, 2. — *saevitiam quam poenitentiam maluit*, crudelior factus, ne mitior haberetur; *Brot.*

CAPUT XXIV.

Quin et invectus in defunctum probra corporis, exitiabilem in suos, infensum rei publicae animum obiecit, recitarique factorum dictorumque eius descripta per dies iussit, quo non aliud atrocius visum. Adstitisse tot per annos, qui vultum, gemitus, occultum etiam murmur exciperent, et potuisse avum audire, legere, in publicum promere, vix fides, nisi quod Actii centurionis et Didymi liberti epistolae servorum nomina praeferebant, ut quis egredientem cubiculo Drusum pulsaverat, exterruerat. Etiam sua verba centurio saevitiae plena, tanquam egregium, vocesque deficientis adiecerat, quis primo alienationem mentis simulans quasi per dementiam funesta Tiberio, mox, ubi exspes vitae fuit, meditatas compositasque diras imprecabatur; ut, quemadmodum nurum filiumque fratris et nepotes domumque omnem caedibus complevisset, ita poenas nomini generique maiorum et posteris exsolveret. Obturbabant quidem Patres specie detestandi: sed penetrabat pavor et admiratio, callidum olim et tegendis sceleribus obscurum huc confidentiae venisse, ut tanquam dimotis parietibus ostenderet nepotem sub verbere centurionis, inter servorum ictus, extrema vitae alimenta frustra orantem.

1. *invectus in defunctum* Drusum. Cf. Ind. III. v. *Participia Perf.*

verborum depon. pro Part. Praes. „Cogita de epistola ad senatum de morte Drusi missa. In senatu etiam *recitari factorum dictorumque descripta iussit.*" *Walth.* Absens erat. — *probra corporis*, ut 11, 2. *mollitiam corporis*, impudicitiam; *Ern.* „Sic *probra* simpl. dicuntur flagitia impudicitiae Suet. Claud. c. 16. 26. et Vitell. c. 4. Additum *corporis* ob seq. *animum.*" *Walth.* — *exitiabilem in suos animum*, cf. 4, 60. — *factorum dictorumque eius descripta*, cf. ad 2, 53, 2. „*factorum*, intell. *plurima* vel simile quid. Cf. Suet. Ner. 37. (*horarum*) et ibi Burm." *Ern.* Locus Suet. non huc referendus, et *descripta*, substantive dictum, est Gr. ἀπόγραφον, ἀπόγραφα, catalogus; *Walth.* Cf. Ramshorn. Gram. p. 173. — *quo non aliud atrocius visum:* „Perperam a Rhen. et omnibus deinceps editoribus post *iussit* maxima et post *visum* minor distinctio posita. Verba *quo non aliud* (quidquam) *atrocius visum* ad praeced. pertinent, et infinitivi *adstitisse* ac *potuisse* pendent e vocc. *vix fides.*" *Walth.* — *nisi quod:* „id. qd. *sed*, πλήν. Cf. Doederl. ad Soph. Oed. Col. p. 247." *Kiessl.* „Est formula coarctantis antea dicta et quasi restringentis, quae saepe ad ellipsin refertur, v. c. 1, 33. ad eam, quae est post *commotior*, ubi intell. illo ingenio ne ipsam quidem culpae expertem fuisse. Sic et h. l. restringit post *vix fides.* Immo, ait, fidem habens; nam cet. Insigne exemplum est 14, 14 extr. Ita, *nisi quod* fere significat *et tamen* vel *attamen.* Sine ellipsi formula est 1, 8. 16. et alibi." *Walth.* Cf. Ind. II. et ad Agr. 6. n. 2. — *Actii centurionis et Didymi liberti*, qui erant praepositi custodiae Drusi, *epistolae servorum nomina praeferebant*, scil. tum, quum coram senatu recitarentur. — *etiam sua verba centurio — adiecerat* in epistolis, h. e. reperiebantur adiecta, quum recitatio illa fieret." *Walth.* Male *sua verba* pro *eius* Drusi *verba* accepit Ramshorn. Gram. p. 345. Cf. Ind. III. v. *Pronomen reciprocum pro Pron. demonstrat.* Sunt verba centurionis. — *tanquam egregium*, v. ad 3, 70, 2. — *vocesque deficientis* sc. viribus, Drusi, ut Agr. 43. 45. et *defectio* 6, 50. *defectus* 2, 70. 4, 29. unde *deficientia* bis cap. 50. et contra *firmitudo* c. 46. — *alienationem mentis simulans*, vel haec verba, vel seqq. *quasi per dementiam* delenda censentur tanquam glossema. „Sed aptissime adsunt et haec et illa. Nam si quis dicitur *quasi per dementiam funesta Tiberio imprecatus*, tu nondum intelligis, utrum dementiam eam simulaverit ille, an verba eius absque simulatione talia fuerint, qualia dementium esse solent. Quae ambiguitas ut tollatur, recte Noster praemittit *alienationem mentis simulans.* Sin autem deles verba *quasi per dementiam*, tum quaero, an nemo potuerit Tiberio funesta imprecari nisi per *alienationem mentis?* Immo egregia est aequalitas membrorum. Namque uti scriptor ab altera parte particulam *mox* explicat per verba *ubi exspes vitae fuit*, ita prius illud *primo* habet suum interpretamentum *alienationem mentis simulans.* Utraque rationem reddunt de statu, quo tum Drusus funesta, dira Tiberio imprecaretur. Eodem modo dein sibi invicem respondent *quasi per dementiam* et *meditatas compositasque*, quibus verbis describuntur voces Drusi in Tiberium: aliae fuerunt, quales esse solent dementium, h. e. subitae, abruptae; aliae *meditatae, compositae.* Simillimus locus est Suet. Galb. c. 20. ubi nec *prae calvitie*, nec *capillo damnandum.* Haud raro enim optimi scriptores perspicuitatis et explicationis causa quaedam admittunt, quae pleonasmi speciem habent." *Walth.* — *imprecabatur* edd. vet. et pleraeque rec. *imprecatur* edd. I. Fr. Gron. Oberl. et al. — *nurum*, Agrippinam, *filiumque fratris*, Germanicum, *et nepotes*, Neronem et Drusum. *filiumque* edd. Ber. Rhen. Ald. Pich. et rec. *filium* edd. Lips. et aliae. Cf. ad G. 1. n. 1. — *complevisset* ad proximum *domumque omnem caedibus* respicit: ad priora *nurum — nepotes* ἀναλόγως intell. *interfecisset* vel simile quid; *Walth.* De quo Zeugmatis genere v. ad 2, 20, 2.

2. *Obturbabant*, interpellabant, scil. recitantem. „Obturbabant simulato taedio et horrore talia audiendi, ne amplius audirent vel aures suas macularent talia audiendo. Adulatione id fecisse quosdam Patres, recte animadvertit Ricklefs contra Strombeck, qui formidini Patrum hoc tribuit." *Walth.* — *specie detestandi*, ut viderentur detestari talia. — *tegendis sceleribus obscurum*, cf. ad 4, 1, 3. et Ind. III. v. *Dativus obiectivus.* — *huc confidentiae venisse*, v. ad 3, 73, 1. et 4, 4, 1. „*Confidentia*, ut ap. Suet. Cal. 51. Nostrum Sicherheit." *Walth.* — *dimotis parietibus* MS. edd. vet. pleraeque rec. „Immo *demotis*, quia parietes non, ut aulaea aut plagulae lecticae, dimoventur, sed deiiciuntur. Cf. 4, 60. 6, 30. 11, 38. Burm. ad Quintil. 7. 3." *Ern.* Idem dederunt Brot. Oberl. Bekk. in ed. 1. „Sed *demovere* est movere de loco, ita tamen, ut non tollatur. Sic ap. Terent. Ad. 2, 1, 16. et inf. c. 30. *in insulas demoti sunt*, h. e. de suo loco non sublati, sed in alium locum moti sunt. *Dimovere* autem significat non solum de loco, sed etiam e conspectu movere, tollere. Igitur *demovere parietes* est die Scheidewände verrücken; *dimovere p.* Germ. sie entfernen, hinwegnehmen. Vulgatum certe non spernendum." *Walth.* Cf. ad 4, 74, 2. et Ind. II.

CAPUT XXV.

Nondum is dolor exoleverat, quum de Agrippina auditum, quam interfecto Seiano spe sustentatam provixisse reor et, postquam nihil de saevitia remittebatur, voluntate exstinctam, nisi si negatis alimentis assimulatus est finis, qui videretur sponte sumptus. Enimvero Tiberius foedissimis criminationibus exarsit impudicitiam arguens et Asinium Gallum adulterum eiusque morte ad taedium vitae compulsam. Sed Agrippina, aequi impatiens, dominandi avida, virilibus curis feminarum vitia exuerat. Eodem die defunctam, quo biennio ante Seianus poenas luisset, memoriaeque id prodendum addidit Caesar, iactavitque, quod non laqueo strangulata neque in Gemonias proiecta foret. Actae ob id grates decretumque, ut quintum decimum Kal. Novembris, utriusque necis die, per omnis annos donum Iovi sacraretur.

1. *de Agrippina* eiusque morte in exsilio. v. 14, 63. et cf. Suet. Tib. 53. — *provixisse*, v. ad 3, 66, 2. *primo*, *vixisse* (in vita mansisse) et *vitam produxisse* coni. Wopk. — *nisi si*, v. ad Agr. 32. n. 2. — *finis* vitae. Cf. ad 2, 71, 1. — *Agrippina aequi impatiens*, ut ap. Stat. Theb. 3, 603. parem fastidiens, non ferens. *Regibus aequa, nedum infima insolita sunt* 2, 42. *Aequum* est medium inter *infimum* et *summum*; *Walth.* Cf. Ind. I. v. *Agrippina, Germanici uxor.* — *feminarum vitia exuerat* „non est sie hatte abgelegt, sed sie war davon frei. Sic et *avaritiam exuerat* Agr. 9." *Walth.*

2. *iactavitque* (tanquam clementiam), *quod non* — *in Gemonias* scalas *proiecta*, abiecta, *foret*, ut Seianus. Cf. Suet. Tib. 53. et ad 3, 14, 3. H. 1, 71, 2. — *Actae ob id*, ob talem clementiam, *grates* sc. Tiberio, non diis. Cf. Suet. l. l. et sup. 3, 18. — *quintum decimum Kal. Nov.* (ut 12, 69.) MS. edd. vet. Iac. Gron. Ern. et rec. *quinto decimo K. N.* edd. Lips. et al. Ante *quintum* intell. *A. D.* quas literas in MS. Flor. legi dicit Ursinus, sed negat Iac. Gron. — *utriusque*, Agrippinae et Seiani. — *donum Iovi* Liberatori (ut in Fastis Rom.) *sacraretur*, cf. 14, 64. 15, 74. et Suet. l. l.

CAPUT XXVI.

Haud multo post Cocceius Nerva, continuus Principis, omnis divini humanique iuris sciens, integro statu, corpore illaeso, moriendi consilium cepit. Quod ut Tiberio cognitum, assidere, causas requirere, addere preces, fateri postremo, grave conscientiae, grave famae suae, si proximus amicorum nullis moriendi rationibus vitam fugeret. Aversatus sermonem Nerva abstinentiam cibi coniunxit. Ferebant gnari cogitationum eius, quanto propius mala rei publicae viseret, ira et metu, dum integer, dum intentatus, honestum finem voluisse. Ceterum Agrippinae pernicies, quod vix credibile, Plancinam traxit. Nupta olim Cn. Pisoni et palam laeta morte Germanici, quum Piso caderet, precibus Augustae nec minus inimicitiis Agrippinae defensa erat. Ut odium et gratia desiere, ius valuit, petitaque criminibus haud ignotis sua manu sera magis quam immerita supplicia persolvit.

1. *Cocceius Nerva* cet. cf. Dio 58, 21. — *continuus Principis*, ut Gr. συνήθης, substantive ponitur; *Walth.* — *omnis divini humanique iuris sciens*, ut et filius eius M. Cocceius Nerva, qui Imp. Nervae pater, Neroni familiarissimus et praetor fuit. Filius librum scripsit de usucapionibus, pater plures, quorum ne tituli quidem innotuere. v. ad 3, 75, 1. 4, 58, 1. 15, 72. et Dio l. l. — *integro statu*, v. ad 3, 28, 4. et 3, 52, 1. — *assidere*: „proprium de hac re verbum. v. Plin. ep. 1, 22. 7, 19. Quintil. decl. 2, 10.“ *Walth.* cf. etiam Agr. 45. et Horat. Sat. 1, 1, 82. — *grave — grave*, v. ad 1, 10, 2. et 3. — *abstinentiam cibi coniunxit*, v. ad 4, 57, 2. — *Ferebant gnari cogitationum eius* cet. cf. ad c. 17. n. 2. — *quanto proprius* cet. v. ad 1, 57, 1. — *intentatus* ab accusatoribus, sive periculis nondum appetitus, nondum vexatus; *Ern. intemptatus* edd. Ber. et Rhen. 1.

2. *Plancinam traxit*, v. ad 4, 13, 3. et de *Plancina* Ind. I. — *precibus Augustae*, cf. 3, 17. — *odium* Agrippinae et *gratia* Augustae *desiere*, post utriusque mortem. — *petita criminibus*, v. ad 3, 37, 1.

CAPUT XXVII.

Tot luctibus funesta civitate, pars maeroris fuit, quod Iulia Drusi filia, quondam Neronis uxor, denupsit in domum Rubellii Blandi, cuius avum Tiburtem, Equitem Romanum, plerique meminerant. Extremo anni mors Aelii Lamiae funere censorio celebrata, qui administrandae Syriae imagine tandem exsolutus Urbi praefuerat. Genus illi decorum, vivida senectus; et non permissa provincia dignationem addiderat. Exin, Flacco Pomponio Syriae propraetore defuncto, recitantur Caesaris literae, quis incusabat, egregium quemque et regendis exercitibus idoneum abnuere id munus, seque ea necessitudine ad preces cogi, per quas consularium aliqui capessere provincias adigerentur; oblitus Arruntium, ne in Hispaniam pergeret, decimum iam annum attineri. Obiit eodem anno et M. Lepidus, de cuius moderatione atque sapientia in prioribus libris satis collocavi. Neque nobilitas diutius demonstranda est:

quippe Aemilium genus fecundum bonorum civium, et qui eadem familia corruptis moribus, illustri tamen fortuna egere.

1. *Iulia Drusi filia* cet. v. ad 3, 29, 3. — *denupsit:* „Muretus interpretatur: extra cognationem suam nupsit. Id esset potius *enupsit* verbo Liviano. Si dixisset infra nobilitatem gentis, ferrem facilius. Sed arbitror simpliciter pro *nubere* capi posse. v. 15, 37. Suet. Ner. 29. Ovid. Met. 12, 196. ubi cf. Heins.“ *Ern.* „*Denupsisse* est id. qd. simpl. *nupsisse*, nisi quod illud respicit ad eam familiam, cuius fuit pars et ex qua iam transit in aliam. Contra respectu eius familiae, ad quam feminae nubendo transeunt, dicuntur *innubere*. Cf. Ovid. Met. 7, 856. 12, 196.“ *Walth.* Sic et *nubere in clarissimam familiam* dixit Cic. p. Coel. c 14. Cf. Ind. III. v. *Verba composita pro simpl.* — *Rubellii Blandi*, v. ad 3, 23, 2. et 13, 19, 2.

2. *Extremo anni*, cf. Ind. III. v. *Adiectiva, Pronomina et Participia neutra* cet. — *mors Aelii Lamiae* (v. ad 4, 13, 3.) *funere censorio celebrata*, (v. ad 3, 5, 1.) *qui administrandae Syriae imagine tandem exsolutus*, h. e. administratione imaginaria provinciae, quam nunquam adiit. v. ad 1, 80, 2. 3, 17, 2. Suet. Tib. 63. et Dio 58, 19 extr. *Suriae* edd. Ber. et Rhen. sed paulo post *Syriae*. Cf. ad 1, 1, 2. — *Urbi praefuerat*, v. ad c. 11. n. 2 extr. et Dio 58, 19. ubi tradit, Tiberium L. Pisoni praef. Urbis suffecisse *Λούκιον Λαμίαν, ὅν πρόπαλαι τῇ Συρίᾳ προστάξας κατεῖχεν ἐν τῇ Ῥώμῃ*: nam *Λαμίαν* pro *ταμίαν* et *Συρίᾳ* pro *στρατιᾷ* legendum esse iam animadvertit Casaub. ad Suet. Tib. 63. — *Genus illi decorum*, quod familia Lamiarum ducebat a Lamo Neptuni filio, prisco Laestrygonum heroe et rege, de quo v. Eustath. ad Hom. Odyss. 10, 81. Cf. intpp. Horat. od. 3, 17, 1 sq. — *non permissa provincia dignationem addiderat* ei. v. ad 3, 76, 3. — *Flacco Pomponio* (cf. Ind. III. v. *Nomina gentium cognominibus postposita*) *Syriae propraetore*, v. ad 2, 66, 2. et 6, 11, 2 extr. — *exercitibus* edd. Ald. Lips. et rec. *exercitubus* MS. edd. Ber. Rhen. Micyll. — *ea necessitudine*, v. ad 1, 9, 3. — *Arruntium, ne in Hispaniam pergeret*,. in provinciam sibi destinatam, *decimum iam annum attineri*, in Urbe retineri. v. ad 1, 35, 3. et 1, 80, 2.

3. *M. Lepidus*, v. ad 1, 13, 2. — *satis collocavi:* „h. e. (*suis locis*) commemoravi, dixi, ut *ponere* dixit Cicero Verr. 2, 38. de fin. 2, 26. de N. D. 1, 23. p. Coll. 7. de leg. 2, 3.“ *Ern.* et *Wopk.* „Sed rectius elliptice haec posita accipiemus, ut intelligamus *satis verborum* vel simile quid, Germ. ich habe beigebracht.“ *Walth.* Verbum *componere* eodem modo usurpatur; *Boett.* in Lex. Tac. Minus probabiles coniecturae *commemoravi* — *cumulavi* — *concumulavi* — *collaudavi*. — *Aemilium genus fecundum bonorum civium*, Scauri et Lepidi inclita Romanorum nomina; *Brot.* — *corruptis moribus:* „i. e. temporibus malis et morum pravitate corruptis, ut saepe; ne quis ad familiam proprie referat. Quod tamen ipsum quoque licebit, hoc sensu: qui ex illa familia mali cives fuere, tamen illustri fortuna usi sunt.“ *Ern.* Posterior ratio praeferenda et huc referendi M'. Aemilius Lepidus, (v. ad 1, 13, 2.) Mam. Aemilius Scaurus (v. 3, 66. 6, 29.) et alii. — *egere*, v. ad 1, 68, 1.

CAPUT XXVIII.

Paulo Fabio, L. Vitellio Coss. post longum saeculorum ambitum avis phoenix in Aegyptum venit praebuitque materiem doctissimis indigenarum et Graecorum multa super eo miraculo disserendi. De quibus congruunt et plura ambigua, sed cognitu non absurda, promere libet. Sacrum Soli id animal et

ore ac distinctu pinnarum a ceteris avibus diversum, consentiunt, qui formam eius effinxere. De numero annorum varia traduntur: maxime vulgatum quingentorum spatium. Sunt qui asseverent, mille quadringentos sexaginta unum interiici; prioresque alites Sesostride primum, post Amaside dominantibus, dein Ptolemaeo, qui ex Macedonibus tertius regnavit, in civitatem, cui Heliopolis nomen, advolavisse multo ceterarum volucrum comitatu novam faciem mirantium. Sed antiquitas quidem obscura. Inter Ptolemaeum ac Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt; unde nonnulli falsum hunc phoenicem neque Arabum e terris credidere, nihilque usurpavisse ex his, quae vetus memoria firmavit. Confecto quippe annorum numero, ubi mors propinquet, suis in terris struere nidum eique vim genitalem affundere, ex qua fetum oriri, et primam adulto curam sepeliendi patris; neque id temere, sed sublato murrhae pondere tentatoque per longum iter, ubi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus inque Solis aram perferre atque adolere. Haec incerta et fabulosis aucta. Ceterum aspici aliquando in Aegypto eam volucrem non ambigitur.

1. *Paulo Fabio, L. Vitellio coss.* „*L. Vitellius* pater fuit Imp. Vitellii, Orienti mox praepositus. De eo v. cap. 32. Dio 59, 27. et Suet. Vit. 2. „*Paulus Fabius* Dioni 58, 24. *Φάβιος Πρίσκος* et in Ind. Coss., qui huic libro praefixus est, *Παῦλος Φάβιος Πρίσκος* dicitur, sed *Περσικός* scrib. pro *Πρίσκος*. Sic enim cognominatur a Frontino, qui in vita Persii his coss. Persium natum tradit, aliisque. Videtur filius Pauli Maximi cos. a. 743. cum Q. Aelio Tuberone, et notandum praenomen *Pauli*, quod gentis Aemiliae cognomen fuit. Hinc Paulo Fabio Persico propter luxuriam et flagitia Q. Pompeius praetor urbanus paternis bonis interdixit. v. Sen. de ben. 1, 21. 4, 30. Valer. Max. 3, 5, 2. Iuvenal. 8, 13 sq. Dictus procul dubio et *Paulus* et *Persicus*, quoniam descendebat ab L. Aemilio *Paulo*, qui *Persen* devicerat et e cuius domo in gentem Fabiam maiores eius transierant.“ *Ryck.* Cum simpl. *l* scribendum videtur *Paulus, Paula, Paulinus, Paulina, paulus, paululus, paulo, paulum*, ut Gr. *Παῦλος* et *παῦλος*, quod dicitur pro *παῦρος*. Literas quoque conson. post diphth. *au* non geminandas esse contendit Priscian. ed. Putsch. p. 614 sq. In numis tamen librisque vet., et scriptis et editis, frequentius reperitur *Paullus* cet., idque probatur a Terent. Scauro ed. Putsch. p. 2256. aliisque Grammaticis, quia contracta sint ex *pusillus* et priscae fuerint formae *pollus* et *pollulus*. Cf. ad G. 43. n. 12. A. Manut. orthogr. epit. Antverp. 1579. p. 87 sq. Grotef. Gram. T. II. p. 203. 207. ed. 4. „Ex Dione 58, 24. nota, hos ipsos consules post celebrata decennalia Tiberii poena affectos; quod tacuit Tacitus. Ex quo non vane dixerim, narrationi huic annali deesse quaedam: non enim consulum supplicium omisisset.“ *Lips.* „Negat Muretus consules interfectos fuisse. Vitellius quidem Caligula et Claudio imperatoribus vixit. v. Suet. Vit. 2.“ *Ern.* — *post longum saeculorum ambitum avis phoenix in Aegyptum venit* cet. „Plinius 10, 2. Dio 58, 27. et Solinus c. 33. consensu tradunt, post biennium demum Q. Plautio, Sex. Papinio coss. phoenicem in Aegyptum venisse. Quare Bipontini censent, hoc caput, alieno loco positum, ablegandum esse ad c. 40 pr. post verba *eo anno*. Quae tamen opinio satis dubia esse videtur. Nam quod ab altera parte tres sunt testes contra unum, parvi est momenti: tres illi haud dubie sunt unus, nempe Plinius,

ex quo sua descripserunt Dio et Solinus. Res ipsa eius generis est, ut facillime diversae super ea narrationes potuerint prodire. Etenim potuit rara illa avis per plures annos aspectum sui praebere Aegyptiis, potuerunt diversi tempore et origine nuntii de phoenicis praesentia in Urbem venire. Dissensus scriptorum in tali re multum abest, ut offendat nos, ut potius miraremur, si consentirent ubique.“ *Walth.* Haec et alia non minus mirabilia, a Phlegonte potissimum narrata, a fraudulentis hominibus saepius variisque temporibus efficta sunt, quibus creduli fidem habuere. Cf. Boettiger Griech. Vasengemälde I, 3. p. 126. De *phoenice*, ave fabulosa, praeter Tacitum exposuere Herodot. 2, 73. Plin. 10, 2. 13, 4. s. 9. Ovid. Met. 15, 391 sq. Mela 3, 8. Claudian. carm. 45. Lactantius in eleg. de Phoenice, Philostr. vita Apoll. 3, 49. — *animal ore ac distinctu* (v. ad G. 8. n. 1.) *pinnarum a ceteris avibus diversum*, *τὰ μὲν αὐτοῦ χρυσόκομα τῶν πτερῶν, τὰ δὲ ἐρυθρά· ἐς τὰ μάλιστα αἰετῷ περιήγησιν ὁμοιότατος, καὶ τὸ μέγαθος*, Herodot. 2, 73. *Aquilae narratur magnitudine, auri fulgore circa colla, cetera purpureus, caeruleam roseis caudam pennis distinguentibus, cristis fauces, caputque plumeo apice cohonestante*, Plin. 10, 2. Pro *ore* male Pich. coni. *colore* et Heins. *decore*. — *consentiunt*, consensu tradunt; *Ern.* — *effinxere* emendatio Pich. a Walthero nobisque recepta. „*deffinere* MS. sed litera *d* a recenti manu. Inde Beroaldus fecit *definiere*, quod vulgo editur; rectius Pich. *effinxere*. Nam satis probabile est, Tacitum hic loqui de pictoribus, qui id animal *effinxere*; de quo verbo cf. 11, 14. Plin. ep. 3, 6. 4, 7. 4, 28. 5, 10. |Confirmatur opinio mea verbis Herodoti 2, 73. de phoenice: *ἐγὼ μέν μιν οὐκ εἶδον, εἰ μὴ ὅσον γραφῇ. — ἔστι δὲ, εἰ τῇ γραφῇ παρόμοιος, τοσόςδε καὶ τοιόςδε*. Neque obstant verba *sacrum Soli id animal:* nam e pictura etiam ob additum aliquod signum intelligi potuit, Soli illud sacrum; non ita bene e verbis *qui formam eius definiere*. Quanquam *effingere* etiam dicitur de iis, qui verbis alicuius rei imaginem referunt, v. c. Plin. ep. 1, 10. 9, 22.“ *Walth.* Probabilior est emendatio Pich. si in MS. *deffiniere* scriptum est, quod testatur Fea, et litera *d* a manu rec. adiecta.

2. *De numero annorum varia traduntur:* quos *annos* nonnulli referunt ad tempus, quo avis se conspiciendam praebeat, (*post longum saeculorum ambitum* et *sunt qui asseverent — interiici*) alii ad annos vitae, quia paulo post dicatur *confecto annorum numero, ubi mors propinquet — oriri*, et iidem vitae anni (*quingenti* et MCCCCLXI) ab aliis scriptoribus memorentur. „Sed non dubium est, quin illi, qui asseverabant, phoenicem *quingentos* et MCCCCLXI annos vivere, iidem sint cum illis, qui cum huius alitis vita anni magni conversionem fieri tradebant.“ *Salmas.* Exerc. Plin. p. 388. al. 551. — *maxime vulgatum quingentorum spatium*, ut ab Herodoto, Mela et Sen. ep. 42. — *sunt qui asseverent, MCCCCLXI interiici:* „hic est numerus anni magni canicularis Aegyptiorum, (*Σωθιακὴ περίοδος, κυνικὸς κύκλος*) cuius circuitu *ἀποκατάστασις* omnium planetarum fiebat, periodus canicularis annorum Aegyptiorum, qua caniculae ortus, a quo annum suum auspicabantur, ad idem principium revolvebatur, vel solis, lunae et quinque planetarum orbes ad idem signum omnes referebantur, unde profecti fuerant. Ita Censorinus c. 18. de anno magno Aegyptiorum, et Firmicus, qui in praef. operis scribit: *quantis etiam conversionibus maior ille, quem ferunt, perficeretur annus, qui quinque has stellas, lunam etiam ac solem locis suis originibusque restituit, qui MCCCCLXI annorum circuitu terminatur*. Nec alia sententia Dionis 43, 26. de calendario Caesaris: *ἐν γοῦν χιλίοις καὶ τετρακοσίοις καὶ ἑξήκοντα καὶ ἑνὶ ἔτει μιᾶς ἄλλης ἡμέρας ἐμβολίμου δέονται*. Aegyptii autem non ab aequinoctio verno, sed a caniculae exortu, quando in primam diem Thot mensis inciderat, initium anni sui magni incipiebant. Plinius dicit, *eum circa meridiem incipere, quo die signum arietis sol intraverit*. Idem: *cum*

huius alitis vita ***magni conversionem anni*** *fieri prodit* M'. *Manilius* (non poeta ille, qui libros astronom. scripsit, sed ICtus, consul a. 604. et historicus, de quo v. Ern. clav. Cic.) *iterumque significationes tempestatum et siderum easdem reverti.*" *Salmas.* l. l. „In magni anni conversione primus dies mensis Thoth ad idem caniculae principium revolvitur. Ab eo deflexerat quotannis sex horis, quia Aegyptii civilem annum habebant dierum 365 sine ullo intercalari. Illa est celeberrima magni anni conversio et quasi *ἀποκατάστασις*, reparatio, *τοῦ Ζωδιακοῦ*, quam ave *Soli sacra* et ex se renascente adumbrabant Aegyptii: unde nata apud eos phoenicis fabula." *Brot.* Cf. ad O. 16. n. 7. Iablonski opusc. II. p. 237 sq. 287. Periz. orig. Aegypt. c. 16. Boettiger myth. Vorles. p. 16. Creuzeri Symbol. T. I. p. 283. ed. 1. p. 438 sq. ed. 2. *Manilius de eo* (phoenice) *prodidit, neminem exstitisse, qui viderit vescentem; sacrum in Arabia Soli esse, vivere annis LX;* Plin. 10, 2. ubi scribendum videtur MCDLXI. — *alites Sesostride* edd. Rhen. 2. 3. et dein omnes. *aliter esse soside* MS. edd. Ber. et Rhen. 1. *alites Sesoside* (ut ap. Diodor. 1, 53. et alios) recte, opinor, corr. Iac. Gron. „A *Sesostri* ad *Amasin* XVI amplius reges recensentur et inter eos plus quingenti anni interiecti, ab Amaside vero ad *Ptolemaeum III.* s. Euergetem (qui Olymp. 139, 4. ante Chr. 221. mortuus est) numerari tantum possunt CCCXX anni. Ergo nugatorium est, re adeo vaga atque incerta, magni anni spatium determinare." *Salmas.* l. l. Pro *Amaside* Periz. l. c. *Anysi* vel *Anyside* legendum aut certe Herodoti *Anysin* intell. putat; *Ern.* — *Heliopolis, Ἡλιούπολις, ἡ τοῦ Ἡλίου πόλις,* (in sacris literis און, *Ὤν*, Gen. 41, 45. 46, 20. Exod. 1, 11. al.) in mediterraneis Aegypti, *Solis ara*, templo et cultu inclita. v. Strab. XVII. p. 553. — *Sed antiquitas quidem obscura,* ob incertam rerum historiam, non fidei, ut videtur Heinsio; *Walth.* — *usurpavisse*, habuisse (ut 6, 41.) vel fecisse, facere solitum. — *firmavit*, affirmavit.

3. *Confecto quippe annorum numero,* cf. nota 2. — *suis in terris nidum,* in Arabia turifera, *eique vim genitalem affundere, ex qua,* et ex ea, *fetum oriri;* ut ap. Plin. 10, 2. *senescentem casiae turisque surculis construere nidum, replere odoribus et super emori: ex ossibus deinde et medullis eius nasci primo ceu vermiculum, inde fieri pullum.* Ex his locis Bochartus Hieroz. II, 6, 5. aliique colligunt, fabulam de phoenice inde ortam, quod palma Gr. *φοῖνιξ* dicatur et diutissime vivat, ex trunco autem putrefacto quarundam palmarum aut cadente palmula s. dactylo novam progerminare arborem. Patres vero eccles. ex his et aliis, quae de phoenice traduntur, argumentum resurrectionis mortuorum petierunt. v. Larcher ad Herodot. T. II. p. 320. In numis etiam phoenix est symbolum aeternitatis, felicis temporum reparationis et saeculi aurei. v. Spanhem. de usu et pr. num. Diss. V. p. 285 sq. *surculis tureis* vel *e turis* coni. Heins. coll. Plin. l. l. Ingeniose: sed Noster hic potissimum in eo versatur, ut doceat, *in terris suis* h. e. Arabia nidum a phoenice construi et inde patrium corpus in Aegyptum transferri; *Walth.* — *sublato murrhae* (v. ad 1, 1, 2.) *pondere:* „cur non casiae, cinnami, nardi, costi aut amomi? Lege *suburrae pondere.*" *Heins.* „Immo verissimum esse vulgatum cognosces ex Herodoto 2, 73. *Ἐξ Ἀραβίης ὁρμεώμενον ἐς τὸ ἱρὸν τοῦ Ἡλίου κομίζειν τὸν πατέρα, ἐν σμύρνῃ ἐμπλάσσοντα, καὶ θάπτειν ἐν τοῦ Ἡλίου τῷ ἱρῷ· κομίζειν δὲ οὕτω· πρῶτον τῆς σμύρνης ᾠὸν πλάσσειν, ὅσον τε δυνατός ἐστι φέρειν· μετὰ δὲ πειρᾶσθαι αὐτὸ φορέοντα· ἐπεὰν δὲ ἀποπειρηθῇ, οὕτω δὴ κοιλήναντα τὸ ᾠόν, τὸν πατέρα ἐς αὐτὸ ἐντιθέναι· σμύρνῃ δὲ ἄλλῃ ἐμπλάσσειν τοῦτο, καθότι τοῦ ᾠοῦ ἐγκοιλήνας ἐνέθηκε τὸν πατέρα· ἐσκειμένου δὲ τοῦ πατρὸς γίνεσθαι τὠυτὸ βάρος· ἐμπλάσαντα δὲ κομίζειν μιν ἐπ' Αἰγύπτου ἐς τοῦ Ἡλίου τὸ ἱρόν.* Iam vero nostrates non debuissent dicere ein Gewicht Myrrhen vel eine Myrrhenlast,

sed die Masse von Myrrhen. Loquitur Noster de hac re ut de notissima, quae non indigeat longiore explicatione, et Herodoti verba pro commentario adscripsi." *Walth.* — *tentatoque* sc. pondere; *Croll.* Immo: quum prius tentaverit; *Mur.* Cf. ad 1, 46, 1. *tentatoque per longum* (temporis spatium) *itinere* frustra coni. Heins. — *par meatui*, aggrediendo itineri; *Ern.* — *subire patrium corpus*: „Salmasius l. l. corr. *subicere* s. *subiicere*: nam phoenicem non *subire patrium corpus* tanquam onus impositum, quod dorso, capite, humeris feratur, sed pedibus ferre ovum e myrrha factum exenteratumque et in locum excavatum *subiicere* cineres patrios, qui nihil ad illud pondus addant. Sed refellitur ab Is. Vossio ad Melam 3, 8. qui variare veteres in modo portandi docet ex Artemid. Oneirocrit. 4, 49. ubi dicit eum, qui phoenicem a se pingi somniarit, eo paupertatis venturum, ut parentis cadaver more phoenicis humeris suis efferre cogatur. Neque dubium est, Tacitum in animo habuisse illud Virg. Aen. 4, 599. *quem subiisse humeris confectum aetate parentem.* Atque etiam non nimis proprietas verbi in talibus urgenda. Idem Salmasius deinde vult *neque adolere:* nam cineres iam *in Solis aram deferri* et ibi relinqui, non comburi corpus. Sed Herodotus dicit, phoenicem θάπτειν patrem suum in templo, idque fieri in ara Noster et alii tradunt. Illud autem θάπτειν in ara quomodo fieri quaeso potest nisi *adolendo*, cremando? sive ipse abiecerit in ignem, sive sacerdotibus comburendum reliquerit. Qualis autem modus narrandi *in aram perferre neque adolere?* Non potius omisisset Tacitus hoc addere? Idem iudicandum de Ryckiano *atque avolare*." *Ern.* — *Haec incerta — ambigitur:* „Noster pugnantia dicit iudice Aldovrando ornithol. 12, 28. At Tacitus existimavit, phoenicem veram esse volucrem, sed de ea plurima ferri incerta et fabulosis auctitari." *Brot.*

CAPUT XXIX.

At Romae, caede continua, Pomponius Labeo, quem praefuisse Moesiae retuli, per abruptas venas sanguinem effudit, aemulataque est coniunx Paxaea. Nam promptas eiusmodi mortes metus carnificis faciebat, et quia damnati publicatis bonis sepultura prohibebantur, eorum, qui de se statuebant, humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi. Sed Caesar missis ad senatum literis disseruit, *morem fuisse maioribus, quotiens dirimerent amicitias, interdicere domo eumque finem gratiae ponere: id se repetivisse in Labeone, atque illum, quia male administratae provinciae aliorumque criminum urgebatur, culpam invidia velavisse, frustra conterrita uxore, quam, etsi nocentem, periculi tamen expertem fuisse.* Mamercus dein Scaurus rursum postulatur, insignis nobilitate et orandis causis, vita probrosus. Nihil hunc amicitia Seiani, sed labefecit haud minus validum ad exitia Macronis odium, qui easdem artes occultius exercebat; detuleratque argumentum tragoediae a Scauro scriptae, additis versibus, qui in Tiberium flecterentur. Verum ab Servilio et Cornelio accusatoribus adulterium Liviae, magorum sacra obiectabantur. Scaurus, ut dignum veteribus Aemiliis, damnationem anteit hortante Sexitia uxore, quae incitamentum mortis et particeps fuit.

1. *caede continua*, cf. Ind. III. v. *Adiectiva in sexto casu absolute posita.* — *Pomponius Labeo* cet. cf. Dio 58, 24. — *retuli* 4, 47. — *Pra-*

xaea, in aliquot edd. *Praxea*. — *damnati, publicatis bonis, sepultura prohibebantur* — *pretium festinandi*, v. ad 4, 30, 2. et cf. Ind. III. v. *Appositio*. — *qui de se statuebant*: „Iudice Ern. Latinitas postulat *statuerant* sive *statuissent*. Sed haec nec promiscua sunt, nec h. l. congrua: nam designant certos quosdam homines, qui certo quodam tempore de se statuerunt, qui hic sunt nulli. Noster scribit *statuebant*, quia loquitur de eo, quod saepius et a pluribus fieri solebat.“ *Walth.* — *morem fuisse maioribus* — *gratiae ponere*, v. ad 2, 70, 2. — *male administratae provinciae aliorumque criminum urgebatur* sc. nomine, causa. v. ad 1, 3, 8. et 1, 74, 1. — *arguebatur* et *vi urgebatur* coni. Wopk. — *culpam invidia velavisse*, h. e. invidia ipsi facienda velare tentasse; *Ern.* Cf. ad 4, 52, 2.

2. *Mamercus dein Scaurus rursum postulatur* maiestatis *insignis* cet. cf. c. 9. ad 1, 13, 3. 1, 74, 1. et Dio 58, 24. qui haec copiosius tradidit. — *nihil hunc amicitia Seiani, sed labefecit* — *Macronis odium*, fortasse leg. *Seiani labefecit, sed*, vel transpositio verbi facta; *Ern.* Immo consulto haec ita construxit auctor, ut altera orationis pars maiorem habeat vim; *Walth.* Cf. ad H. 1, 83, 4. — *labefecit*, cf. Ind. II. De *Macrone* v. ad c. 15. n. 3. — *exitia*, v. ad 12, 49, 1. — *easdem artes occultius exercebat*. v. ad 11, 7, 1. — *detuleratque* (v. ad 1, 74, 1.) *argumentum tragoediae a Scauro scriptae* et inscriptae *Atreus*, cuius nomine et parricidiis se insigniri credebat Tiberius; unde is dixit: *Me fecit Atrea, faciam illum Aiacem*, qui scil. se ipse interemit; *Brot.* — *additis versibus*, potissimum Eurip. Phoen. v. 396. τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας χρεὼν φέρειν. Cf. Dio 58, 24. et Cic. ad Att. 2, 25. — *flecterentur*, flecti, converti possent. — *ab Servilio et Cornelio* Thusco, de quo v. Sen. Suas. 2. — *adulterium Liviae*, quae Drusi uxor fuit, *et magorum sacra obiectabantur*, cf. ad 2, 27, 1. 4, 3 sq. Dio l. l. — *Sexitia* MS. et edd. vet. *Sextia* (ut 16, 10.) Lips. in margine, quod recepere editores rec. *Sextilia* malebat Walth. quod nomen notissimum est. Sed nostrum non fuisse Romanum, quis contendat? „In nominibus facilis et coniectura et error.“ *Brot.* — *quae incitamentum mortis et particeps fuit*, v. ad 4, 69, 1.

CAPUT XXX.

Ac tamen accusatores, si facultas incideret, poenis afficiebantur, ut Servilius Corneliusque perdito Scauro famosi, quia pecuniam a Vario Ligure omittendae delationis ceperant, in insulas, interdicto igni atque aqua, demoti sunt. Et Abudius Ruso functus aedilitate, dum Lentulo Gaetulico, sub quo legioni praefuerat, periculum facessit, quod is Seiani filium generum destinasset, ultro damnatur atque Urbe exigitur. Gaetulicus ea tempestate superioris Germaniae legiones curabat mirumque amorem assecutus erat, effusae clementiae, modicus severitate et proximo quoque exercitui per L. Apronium socerum non ingratus: unde fama constans, ausum mittere ad Caesarem literas, *Affinitatem sibi cum Seiano haud sponte, sed consilio Tiberii coeptam: perinde se quam Tiberium falli potuisse, neque errorem eundem illi sine fraude, aliis exitio habendum. Sibi fidem integram et, si nullis insidiis peteretur, mansuram: successorem non aliter quam indicium mortis accepturum. Firmarent velut foedus, quo Princeps ceterarum rerum potiretur, ipse provinciam retineret.* Haec, mira quanquam, fidem ex eo

trahebant, quod unus omnium Seiani affinium incolumis multaque gratia mansit, reputante Tiberio publicum sibi odium, extremam aetatem, magisque fama quam vi stare res suas.

1. *Ac tamen*, v. ad 3, 29, 2. — *si facultas incideret*, obveniret, ut H. 2, 10. 3, 33. — *pecuniam omittendae delationis ceperant*, v. ad 1, 3, 8. „An ipsum Ligurem deinde accusarunt et ab eodem corrupti delationem omiserunt? Potius puto, a Ligure eos pecuniam accepisse, ut ab aliqua accusatione desisterent.“ *Pich*. *Capere pecuniam* est formula propria de iis, qui contra leges pecuniam accipiunt, qui corrumpi se pecunia patiuntur; *Ern*. Cf. ei. Clav. Cic. — *in insulas, interdicto igni atque aqua, demoti*, v. ad 1, 3, 6. 3, 68, 2. et 6, 24, 2. — *Abudius*: Heinsius coni. *Aufidius*. — *functus aedilitate*, v. ad 2, 33, 1. — *Lentulo Gaetulico* cet. v. ad 4, 44; 1. *Getulico* edd. Ber. Rhen. Ald. — *destinasset* sibi. — *ultro* „bene Stromb. obenein: male Rickl. sofort. Sensus est: non solum non convicit, perdidit reum, sed invicem etiam ipse damnatus. Sic *ultro* c. 31. et al.“ *Walth*. Cf. ad 3, 36, 1.

2. *superioris Germaniae legiones*, v. ad 1, 31, 1. et G. 1. n. 1. *legiones curabat*, ut 1, 31. v. ad 4, 36, 3. — *effusae clementiae*, v. ad 3, 52, 1. — *modicus severitate*, ut c. 45. H. 1, 69. Agr. 40. *m. severitatis* corr. Mur. et Ursinus coll. 2, 73. 3, 72. 4, 52. 6, 39. „Quadruplex datur structura eodem fere sensu, diversa tamen relatione. *Modicus severitatis* oppositum habet *immodicum severitatis*; *modicus severitate* oppositum *modicum* vel *non modicum alia re*. Formula *modicae severitatis* dicit, inter alios, quorum dicta et facta ad modicam pertineant severitatem, etiam esse Gaetulicum; *modica severitate* dicit, hominis severitatem modicam esse. Hoc loco est *modicus severitate*, quia opponitur *effusae clementiae* sive *non modicus clementiae*. Iam quomodo differant *effusae clementiae* et *modicus severitate*, quaerit Ernestius et arbitratur, *effusam clementiam* esse in condonatione aut levitate poenarum, *severitatis moderationem* in disciplinae militaris parum accurata et acri exactione. Immo describitur vir, in quo clementia et severitas sunt coniunctae, h. e. qui iusto tempore clementem aut severum se praebet, ita tamen, ut clementiae modum fere nullum teneat, in severitate autem modum non excedat; minus severus quam clemens, neque tamen ab omni severitate alienus. Augustus contra *patronus dominusque non minus severus, quam facilis et clemens* ap. Suet. c. 67.“ *Walth*. — *proximo quoque exercitui* Germaniae inferioris (v. ad 1, 31, 1. et G. 1. n. 1.) per *L. Apronium* eius propraetorem. Cf. 4, 73 pr. — *unde fama constans*, v. ad Agr. 27. n. 1. — *ausum* eum esse *mittere ad Caesarem literas*, sc. in quibus scripsisset; *Ern*. Cf. ad H. 4, 21, 1. — *affinitatem sibi coeptam*, v. ad c. 15. n. 3. et Ind. III. v. *Dativus subiectivus*. — *indicium mortis*, indictionem mortis, indictam mortem; *Gron*. Immo signum mortis sibi imminentis; *Ern*. Ita c. 40. *quod ut signum mortis intellexere*. Freinshemius coni. *iudicium*, ut sensus sit: quam si capitis reus iudicatus esset eaque causa evocatus, ut supplicium de se sumeretur. — *Firmarent* — *retineret*, cf. ad 11, 6, 1. — *magis fama quam vi stare res suas*, v. ad 3, 72, 3. *quam visitare res suas* MS.

CAPUT XXXI.

C. Cestio, M. Servilio Coss. nobiles Parthi in Urbem venere ignaro rege Artabano. Is metu Germanici fidus Romanis, aequabilis in suos, mox superbiam in nos, saevitiam in populares sumpsit, fretus bellis, quae secunda adversum cir-

cumiectas nationes exercuerat, et senectutem Tiberii ut inermem despiciens avidusque Armeniae, cui, defuncto rege Artaxia, Arsacen liberorum suorum veterrimum imposuit, addita contumelia et missis, qui gazam a Vonone relictam in Syria Ciliciaque reposcerent. Simul veteres Persarum ac Macedonum terminos, seque invasurum possessa Cyro et post Alexandro, per vaniloquentiam ac minas iaciebat. Sed Parthis mittendi secretos nuntios validissimus auctor fuit Sinnaces, insigni familia ac perinde opibus, et proximus huic Abdus, ademptae virilitatis. Non despectum id apud barbaros ultroque potentiam habet. Ii, ascitis et aliis primoribus, quia neminem gentis Arsacidarum summae rei imponere poterant, interfectis ab Artabano plerisque aut nondum adultis, Phraaten regis Phraatis filium Roma poscebant: *Nomine tantum et auctore opus, ut sponte Caesaris, ut genus Arsacis ripam apud Euphratis cerneretur.*

1. *C. Cestio*, v. ad c. 7. n. 2. — *M. Servilio* Noniano, qui historicus fuit et orator. v. 14, 19. O. 23. Plin. ep. 1, 13, 3. Quintil. 10, 1, 102. Suet. in vita Persii. „Nonianus vocatur Plin. 37, 6. qui avum eius facit Nonium Senatorem propter opalem gemmam ab Antonio proscriptum. Videtur adoptatus a M. Servilio cos. a. U. 756. ut putat Pigh. Ceterum his coss. a. d. V. Kal. Apr. funus corvi celebribus exsequiis Romae ductum prodit Plin. 10, 43. — *nobiles Parthi* cet. cf. Dio 58, 26. *rege Artabano* II. v. ad 2, 1, 2. — *metu Germanici*, cf. 2, 56. 58. — *aequabilis in suos*, id. qd. *aequalis*, et hinc aequus, iustus, ut ap. Cic. off. 2, 11. *aequabilis praedae partitio*, deinde civilis, mitis, lenis; *Ern.* Cf. ei. Clav. Cic. — *fretus bellis, quae exercuerat*, v. ad 11, 7, 1. *execreverat* MS. — *senectutem Tiberii*, v. ad 1, 4, 2. et 2, 13, 2. — *ut inermem*, liberis carentem; *Freinsh.* et *Ern.* Immo carentem duce perito post mortem Germanici. Cf. ad 1, 3, 2. *Senectus* vero iure suo *inermis* dici potest, potissimum quum sermo est de bello gerendo; *Walth.* — *cui defuncto rege Artaxia* III. *Arsacem liberorum suorum veterrimum*, natu maximum, *imposuit*, cf. ad 2, 1, 2. et 2, 56. 64. *imposuit*, ut paulo ante *sumpsit*. Cf. ad 1, 53, 2. *imposuerat* frustra coni. Ern. — *addita contumelia:* „sc. in Tiberium. *Artabani laceratus est literis parricidia et caedes et ignaviam et luxuriam obiicientis monentisque, ut voluntaria morte maximo iustissimoque civium odio quam primum satisfaceret* Suet. Tib. 66. — *gazam a Vonone relictam, in Syria Ciliciaque*, cf. 2, 1—4. 2, 56. 58. 64. — *Simul veteres Persarum ac Macedonum terminos* sc. *iaciebat.* „Sic bene Hack. et Herrm. Cum praec. *reposcerent* haec coniungunt Stromb. et Rickl. que nimiam Partho audaciam tribuunt.“ *Walth.* Provincias omnes, quas olim Persae ac Macedones, *Cyrus* et *Alexander*, possederant, ita ut Romani omnibus Illyricum inter et Parthicum imperium provinciis cederent; *Brot.* — *possessa Cyro*, cf. Ind. III. v. *Dativus subiectivus.* — *iaciebat*, v. ad 1, 9, 2.

2. *insigni familia ac perinde opibus*, v. ad 3, 52, 1. et Ind. III. v. *Ablativi qualitatis*. Pater Sinnacis Abdageses. v. cap. 36. *perinde*, v. Ind. II. — *Abdus*, hebr. עבד, servus; *Brot.* *Abdus ademptae virilitatis*, spado. Cf. ad 3, 52, 1. et 6, 5, 1. — *Non despectum id apud barbaros*, (cf. ad G. 18. n. 2.) — *ultroque potentiam habet.* v. ad 3, 36, 1. et 6, 30, 1.“ Id ex instituto Cyri, qui custodiam curamque sui corporis solis commisit eunuchis et intimam aulam ex hoc semiviro genere constituit quasi fidissimo. v. Xenoph. Cyrop. 7, 5. Itaque dein-

ceps in honore. Sed et Persae primi privasse viro creduntur. *Σπάδα οὐδετέρως κώμη Περσικὴ, ἐν ᾗ πρώτη εὐνουχισμὸς γέγονεν* Steph. de urbibus. Cf. Petron. c. 119. Alii ad Semiramim referunt. v. Ammian. 14, 6, 17. et Claudian. in Eutrop. 1, 47 sq. 339 sq. 414 sq.“ *Lips.* Ab aliis evirationis inventio tribuitur Medis, Lydis et Lyttusae reginae. v. Athen. XII. p. 514. D. Suidas v. *Ξανθός*, (qui in reb. Lyd. II. tradit, a Gyge Lydorum rege primum puellas fuisse castratas, ut iis adolescentibus diutius uteretur) et fragm. ex Hellanico petitum in Heerenii Bibl. d. alt. Literatur u. Kunst T. VI. p. 18. „Morem vero hunc ipso Mose antiquiorem fuisse patet ex Deuteron. 23, 1. v. Goguet origine des loix I, 1, 3. et Beckmann Gesch. d. Erfind. 5, 4. p. 472. 476.“ *Wagner* ad Ammian. 14, 6, 17. Periander, Cypseli filius et Corinthiorum tyrannus, trecentorum principum Corcyraeorum liberos Sardes ad Alyatten Lydorum regem castrandos misit, *ἐπὶ τῇ ἐκτομῇ*. v. Herodot. 3, 48. et Diog. Laert. 7, 2. Panionius Chius pueros speciosos emit et exsectos Sardibus Ephesique magno pretio vendidit. v. Herodot. 8, 105. Romae multi alebantur spadones, ut ministri essent et feminarum custodes. v. 4, 10. Ovid. Am. 2, 3. Iidem, ad libidinem, non ad generationem idonei, in deliciis erant et mulieribus et viris ipsisque Imperatoribus. v. 12, 66. H. 2, 71. 3, 40. Iuvenal. 1, 22. 6, 366 sq. Suet. Claud. 14. Martial. 5, 76. 6, 2. 7. 22. 67. 9, 7. 9. Sed Domitianus castrari mares vetuit. v. Suet. Dom. 7. Stat. Silv. 3, 3, 2. 3, 4, 73 sq. Martial. 6, 2. Philostr. vita Apoll. 6, 17. Ex quo veniam huius rei petitam a praeside provinciae dicit Iustin. apolog. 2. Ceterum in Oriente eunuchi et erant olim et etiam nunc sunt regum ministri principes et consiliarii, gazae eorum et corporis custodes, praefecti gynecaeis et cubicularii, unde et dicti *εὐνοῦχοι* ab *εὐνὴ*, cubile, et *ἔχειν*, curare, custodire, ut *πολιοῦχος* et similia. v. Xenoph. Cyrop. 7, 5. 58 sq. Herodot. 6, 32. 8, 105 sq. intpp. Act. Apost. 8, 27. 34 sq. Chrysost. orat. 21. p. 505. ed. Reisk. Brisson. de regno Pers. II. p. 163 sq. Ab his enim hominibus nihil timent reges, et ministri dignitas in Principis gloriam tota recidit; *Brot.* — *neminem gentis Arsacidarum* — *Phraaten regis Phraatis* IV *filium Roma poscebant*, v. ad 2, 1, 1. 2, 3, 2. 6, 42, 2. et 12, 14, 1. — *Nomine tantum*, Arsacide, *et auctore*, Caesare, *opus* esse dicebant. — *ut sponte* (v. ad 2, 59, 2.) *Caesaris, ut genus Arsacis* (v. ad 2, 1, 1.) *ripam apud Euphratis cerneretur*, cf. Ind. III. v. *Praepositiones nominibus postpositae*. „Hunc locum non recte percepere, qui mutant prius *ut* in *et* vel delent alterum *ut*. Etenim verba minime ita cohaerent, quasi *nomine* et *auctore* effici posse dicant, *ut sponte — cerneretur*; sed verba *ut sponte — cerneretur* explicationis causa praecedentibus adduntur, ut scias, quid sibi velint verba *nomine* et *auctore*. Ante *ut sponte C.* e praeced. repetendum est *opus tantum esse*, ut ita plena sententia sit: *nomine tantum et auctore opus* esse, *auctore* tantum opus esse, h. e. ut sponte Caesaris, *nomine* h. e. ut genus Ars. — cerneretur. Potuisset omitti alterum *ut* ante *genus*; sed Tacitus rhetoricae dignitatis et emphasis causa maluit dividere *ut sponte Caesaris, ut genus A.*, quo magis sub oculos caderent haec duo gravissima rei momenta. Germanice: Nur des Namens und des Machtgebers bedürfe es, nur, dass mit Caesars Auftrage, dass ein Sprössling des Arsaces am Ufer des E. sich zeigte. Facillimam fore expeditionem hisce verbis monstrabant admixta adulatione in Caesarem.“ *Walth.*

CAPUT XXXII.

Cupitum id Tiberio. Ornat Phraaten accingitque paternum ad fastigium, destinata retinens, consiliis et astu res externas

moliri, arma procul habere. Interea cognitis insidiis Artabanus tardari metu, modo cupidine vindictae inardescere: et barbaris cunctatio servilis, statim exsequi regium videtur. Valuit tamen utilitas, ut Abdum specie amicitiae vocatum ad epulas lento veneno illigaret, Sinnacen dissimulatione ac donis, simul per negotia moraretur. Et Phraates apud Syriam, dum omisso cultu Romano, cui per tot annos insueverat, instituta Parthorum insumit, patriis moribus impar morbo absumptus est. Sed non Tiberius omisit incepta. Tiridaten, sanguinis eiusdem, aemulum Artabano, reciperandaeque Armeniae Iberum Mithridaten deligit conciliatque fratri Pharasmani, qui gentile imperium obtinebat; et cunctis, quae apud Orientem parabantur, L. Vitellium praefecit. Eo de homine haud sum ignarus sinistram in Urbe famam, pleraque foeda memorari: ceterum regendis provinciis prisca virtute egit. Unde regressus et formidine C. Caesaris, familiaritate Claudii turpe in servitium mutatus exemplar apud posteros adulatorii dedecoris habetur; cesseruntque prima postremis et bona iuventae senectus flagitiosa obliteravit.

1. *Ornat Phraaten accingitque paternum*, regium patris, *ad fastigium*, v. ad 2, 2, 1. 2, 3, 2. et cf. Suet. Tib. 49. — *consiliis et astu*, consiliis astutis; *Roth*. p. 26. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin*. *asatu* MS. pro *astu*. — *Artabanus* modo *tardari metu*, *modo* cet. v. ad 4, 50, 2. — *et* (insuper) *barbaris cunctatio servilis* — *videtur* cet. „Prudentiam ignorant barbari et primo unoque impetu feruntur. Inde cunctationem, ut quid timidum ac servile, aspernantur, fortitudinem, ut quid nobile ac regium, venerantur.“ *Brot*. — *ut Abdum* — *lento veneno illigaret*, impediret, irretiret, (ut ap. Virg. Aen. 10, 794.) vel ut *morbo implicari*. — *apud Syriam*, cf. Ind. II. v. *Apud*. — *instituta Parthorum insumit*, cf. ad 2, 2, 2. et 3, 5, 2. *insumit* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. Iac. Gron. Ern. et rec. *sumit* edd. Lips. prob. Wopk. quia sic ap. Liv. 3, 68. et Sen. de ira 3, 8. *resumit*, edd. Pich. et aliae. *induit* coni. Boxh. et Hill. Verum *insumere* exacte respondet verbo Gr. ἐνδέχεσθαι, in se suscipere, inpr. gravia, periculosa, atrocia, quod egregie h. l. convenit, quippe instituta Parthorum non poterant non gravia et molesta esse homini, *qui cultui Rom. per tot annos insueverat*, quae verba non frustra adsunt; *Walth*. Cf. 14, 44. 16, 23. Stat. Theb. 5, 110. 12, 643.

2. *omisit incepta* edd. Lips. et rec. *incoepta* edd. vet. ut c. 22. et al. — *Tiridaten sanguinis eiusdem* cet. cf. ad 2, 1, 1. et 3, 52, 2. — *reciperandaeque Armeniae Iberum Mithridaten deligit conciliatque fratri Pharasmani* cet. cf. Dio 58, 26. et Ind. I. v. *Mithridates Iberus* et *Pharasmanes*. *recuperandaeque* edd. vet. v. ad 1, 74, 3. *Hiberum* h. l. et c. 33. MS. et edd. vet. In Historiis alter cod. Flor. ubique *Hiberus*, alii vero et edd. vet. plerumque *Hiberus* et *Hyberus*: unde *Hiberus* vetustior scriptura, ut *Hanno*, *Hamilcar*, *Hannibal*, *Hasdrubal*, *Hibernia*, verior tamen sine aspiratione, ut in Graecorum scriptis *mithridantem* MS. — *et cunctis, quae apud Orientem parabantur, L. Vitellium praefecit*, cf. ad c. 28. n. 1. — *pleraque foeda*, v. ad 3, 28, 4. — *exemplar apud posteros adulatorii ingenii habetur*, „cf. Suet. Vit. 2. Dio 59, 27. et Sen. nat. qu. IV. in Praef. ubi tradit, *Plancum artificem ante Villeum* (immo *Velleium*) *maximum adulationis fuisse*. De Planci adulatoriis moribus v. Appian. B. C. 5, 50.“ *Lips*. — *prima*, quae *prisca virtute egerat*.

CAPUT XXXIII.

At ex regulis prior Mithridates Pharasmanen perpulit dolo et vi conatus suos iuvare, repertique corruptores ministros Arsacis multo auro ad scelus cogunt: simul Iberi magnis copiis Armeniam irrumpunt et urbe Artaxata potiuntur. Quae postquam Artabano cognita, filium Oroden ultorem parat: dat Parthorumque copias, mittit, qui auxilia mercede facerent. Contra Pharasmanes adiungere Albanos, accipere Sarmatas, quorum Sceptuchi, utrimque donis acceptis, more gentico diversa induere. Sed Iberi locorum potentes Caspia via Sarmatam in Armenios raptim effundunt. At qui Parthis adventabant, facile arcebantur, quum alios incessus hostis clausisset, unum reliquum mare inter et extremos Albanorum montes aestas impediret, quia flatibus etesiarum implentur vada, hibernus auster revolvit fluctus pulsoque introrsus freto brevia litorum nudantur.

1. *ministros Arsacis,* de quo v. cap. 31. — *ad scelus,* ad caedem Arsacis. Cf. ad 4, 10, 1. — *urbe Artaxata* MS. edd. vet. ante Lips. 2. et rec. *urbem* edd. Lips. 2 sq. et Grut. Cf. ad 2, 56, 1. — *filium Oroden ultorem* cet. Cf. ad 2, 1, 1. et Ioseph. A. Iud. 18, 2. 4. 8. — *dat Parthorumque copias* MS. edd. Iac. Gron. et Walth. Recte, opinor, nam *que* Tacito saepissime dicitur pro *quoque.* v. ad 2, 37, 1. *datque Parthorum copias* omnes edd. praeter duas illas. — *mittit qui auxilia m. f.,* cf. ad c. 34. n. 1. et Ind. III. v. *Asyndeta.* — *accipere Sarmatas* sc. in auxilium; *Wopk.* „Recte: nam Sarmatae, ut e seqq. patet, erant gens cuivis in auxilium vocanti parata, et fortasse operam suam sponte obtulerant Pharasmani. Hinc apte dici possunt *accipi.* Similiter 2, 40. *accepta idonea manu,* et 12, 6. *uxorem Imperator acciperet* sc. quia offerebatur." *Walth. acciere* coni. Lips. et *accire* I. Fr. Gron. Hoc receptum ab Ern. et aliis. *accipere* — *acceptis,* cf. Ind. III. v. *Verba eadem repetita.* — *Sceptuchi:* in edd. Lips. Pich. Freinsh. *Sceptruchi.* Sed σκηπτοῦχοι, principes, duces, dicuntur Hom. Il. 2, 86. Strab. XI. p. 496. et aliis a σκῆπτρον s. σκηπτὸν et ἔχειν. — *utrimque,* a Pharasmane et Orode. — *more gentico,* cf. ad 3, 43, 2. — *diversa induere* ingenia, diversam mentem, ita ut alii faverent et auxiliari statuerent Pharasmani, alii Orodi. „Idem hodie faciunt Tartari, qui ea loca tenent." *Ern.*

2. *Sed Iberi locorum potentes,* potiti Artaxatis aliisque locis, in *Caspia via,* per portas Caspias s. Caucasias, *Sarmatam,* Sarmatas, Pharasmani faventes — *at qui* Sarmatae — *quum alios incessus,* ceteros aditus, vias cet. *Caspia via,* quae scil. e Sarmatia per Iberos in Armeniam ducit. „Eodem sensu dicuntur *claustra Caspiarum* H. 1, 6. *Caspiae portae* et *pylae* Dioni 63, 8. Suet. Ner. 19. Ammian. 23, 6, 13. Plin. 6, 11. s. 12 pr. et 6, 13. s. 15 extr. *Caspia iuga* Sen. Thyest. v. 374 Plinius per errorem *Caspias portas* appellatas ab iis, qui cum Corbulone res in Armenia gessere, easque *Caucasias* potius dicendas existimat. Quae opinio inde nata, quod alias *Caspias portas* in Alexandri M. historia videret occurrere, per quas e Media in Parthiam transitus. De utrisque v. Freinsh. ad Curt. 6, 4, 19. et addenda, quae Ad. Olearius, αὐτόπτης, scribit de munimentis montis Barmach et Derbento." *Ryck. Caspia via* recentioribus accuratius dicta *Caucasia via* seu *portae Caucasiae* et *Iberiae,* Procop. B. Goth. 4, 3. *Tzur,* nobis vulgo *Teflis*; *Brot.*" cf. Cellar. G. A. et Hard. ad Plin. 6, 14. s. 17. et S. Croix Mém. sur les pays situés entre

la mer noire et la mer Caspienne p. 139." *Oberl*, — „*Extremi Albanorum montes* versus Sarmatiam tangunt *mare* Caspium et ad illud usque perpetuis fere montibus a Sarmatis separantur; ergo aditus in Albaniam per litoris eius oram et plana vicina. Sed haec quoque, inquit, clausa tunc Sarmatis, quia ab oriente flabant *Etesiae* et undas in plana impellebant atque ita restagnabant. Transitus autem Sarmatis non alius in Armeniam quam per Albanos et in Albanos per illud litus." *Lips*. „*At qui Parthis adventabant*, Sceptuchi Sarmatarum conducticii, qui pro Parthis stabant, *facile arcebantur*, quum Iberi, Albani et alii Sceptuchi simul foederati *alios incessus clauderent*: *unum reliquum* iter per Albanas pylas s. portas Caspias, nunc *Derbent* in prov. Shirvan: (per quam portam, ab Alexandro M. olim communitam et antiquitatum, viatorum incuria nobis nondum satis compertarum, fecundam, e Moscovia in Persidem transitur) sed *mare inter* — *impediebat*, *quia flatibus* cet. *Etesiae* Gall. *le vent de Nord-Est* et *hibernus auster* non *le vent du midi*, sed *le vent de Sud-Ouest*: nam australi vento *revolvi fluctus* possunt in mare Caspium. Flatus *Etesiarum* iuxta Plin. 2, 47. et Columel. 11, 2. incipiunt VI Id. Iul. et perflant diebus canicularibus. Inde verum huiusce belli tempus accipimus." *Brot*. *aestas* defendi potest, quia etesiae ventus aestivus: sed fortasse *aestus* scripsit Tacitus; *Ern*. „Immo aperte hic sibi invicem opponuntur *aestas* et *hibernus auster*. Intelliguntur autem ἐτήσιαι βορέαι, de quibus v. Herodot. 2, 20. Aristot. probab. 26, 2. Plin. 2, 47. Colum. 11, 2. De iisdem locis scribit Curtius 6, 4, 19. *A septentrione ingens in litus mare incumbit longeque agit fluctus et magna parte exaestuans stagnat. Idem alio coeli statu recipit in se fretum eodemque impetu, quo effusum est, relabens terram naturae suae reddit.* Qui Curtii locus satis disturbat difficultatem, qua Taciti verba laborare videbantur Ryckio." *Walth*. De *etesiis* cf. ad H. 2, 98, 2. — *brevia*, v. ad 1, 70, 1.

CAPUT XXXIV.

Interim Oroden sociorum inopem auctus auxilio Pharasmanes vocare ad pugnam et detrectantem incessere, adequitare castris, infensare pabula; ac saepe in modum obsidii stationibus cingebat, donec Parthi contumeliarum insolentes circumsisterent regem, poscerent proelium. Atque illis sola in equite vis; Pharasmanes et pedite valebat. Nam Iberi Albanique salsuosos locos incolentes duritiae patientiaeque magis insuevere; feruntque se Thessalis ortos, qua tempestate Iason post avectam Medeam genitosque ex ea liberos inanem mox regiam Aeetae vacuosque Colchos repetivit. Multaque de nomine eius et oraculum Phrixi celebrant: nec quisquam ariete sacrificaverit, credito, vexisse Phrixum, sive id animal, seu navis insigne fuit. Ceterum directa utrimque acie, Parthus imperium Orientis, claritudinem Arsacidarum, contraque ignobilem Iberum mercenario milite, disserebat: Pharasmanes, integros semet a Parthico dominatu, quanto maiora peterent, plus decoris victores aut, si terga darent, flagitii atque periculi laturos. Simul horridam suorum aciem, picta auro Medorum agmina, hinc viros, inde praedam ostendere.

1. *auctus auxilio*, ut *auxilia* c. 33. et al. pro militibus auxiliaribus. Cf. Ind. III. v. *Abstracta pro concretis*. — *vocare ad pugnam*, provocare

ad p. Cf. ad 4, 43, 1. et H. 4, 80, 3. — *detrectantem incessere*, invadere, aggredi, h. l. conviciis, ut 14, 17. H. 2, 23. 3, 77. — *infensare pabula*: „pro usitatiori *infestare*, ut 13, 37. 41. et *infensum* pro *infestum* 11, 1. 15, 10.“ *Ern.* — *in modum obsidii* edd. rec. In edd. vet. male omissum *in*. — *contumeliarum insolentes*, cf. ad 3, 38, 2. — *illis*, Parthis, *sola in equite vis*, quod de iis notissimum est. „Peditem, ut in fuga, sic in acie, fluxa vestis impediebat. v. Herodian. 4, 30.“ *Oberl.* De qua Parthorum veste v. ad G. 17. n. 2. — *feruntque se Thessalis ortos* cet.“ Cf. Plin. 6, 13. et Strabo XI. p. 498. qui etiam de *oraculo Phrixi* et vetita *arietis* caede haec tradit: ἐν τῇ Μοσχικῇ τὸ τῆς Λευκοθέας ἱερὸν, Φρίξου ἵδρυμα καὶ μαντεῖον ἐκείνου, ὅπου κριὸς οὐ θύεται. At aliter Iustinus, qui 42, 3. hos ad Orientem Albanos deducit ex Italia ab Albano monte.“ *Lips.* — *qua tempestate*, quo tempore, (v. Ind. II.) *Iason* — *inanem* (liberis) *mox regiam Aeetae vacuosque* (qui sine rege erant) *Colchos repetivit*, v. ad 1, 3, 2. Nam res haec varie et a quibusdam ita traditur, ut Medea, a Iasone primum *avecta*, dein repudiata, sed tandem recepta, una cum eo repetierit Colchos et Aeetam regno pulsum reduxerit. v. Diodor. 4, 55. 56. Iustin. 2, 6, 14. inpr. 42, 2, 3. Hygin. fab. 26. 27. Apollodor. 1, 9, 28. ubi v. *Heyne*. *Iaso* MS. et ed. Bekk. 2. v. ad 3, 26, 2. *regiam aetae* MS. — *multaque de nomine eius*, Iasonis, *celebrant*: „sc. loca sive templa et monumenta de nomine eius dicta, τά τε Ἰασόνεια καὶ ἄλλα ὑπομνήματα. v. Strab. I. p. 45. XI. p. 503. et Iustin. 42, 3.“ *Lips.* — *oraculum Phrixi* et templum; cf. verba Strabonis modo adscripta et intpp. Mel. 1, 21. Mythus de Argonautis, de *Iasone, Medea et Aeeta*, de *Phrixo*, de *ariete*, qui Phrixum Colchos vexerit per Hellespontum, in quo soror eius et itineris comes, Helle, delapsa ariete et submersa, de aureo huius vellere, notissimus est. v. Heyne ad Apollod. 1, 9, 16—28. et Herrmanni Handb. d. Mythol. T. III. p. 277—295. *oraclum* (ut *vinclum* et similia) edd. vet. ante Lips. et ed. Bekk. 2. *Phryxi* et *Phryxum* vitiose scriptum in edd. Oberl. Bekk. Lün. Kiessl. Walth. — *credito*, quum is creditus sit. — *seu navis insigne fuit*, quod multi credidere. v. Diodor. 4, 48. et Schol. Apollon. 1, 256. *Insigne* navis, παράσημον, a quo nomen ei datum, fuit imago dei vel herois, animalis, galeae, clipei aliusve rei picta aut sculpta in prora, quemadmodum in puppi tutela sive praesidium navis, simulacrum vel statua dei seu deae tutelaris ibi collocata. Nonnunquam vero tutela s. praesidium navis et insigne unum idemque fuit et ex auro vel ebore vel simili materia. Cf. intpp. Virg. Aen. 5, 116 sq. 10, 171. Sil. 14, 409. 437 sq. Val. Fl. 1, 301. Ovid. Trist. 1, 10, 1. Pers. 6, 30. Petron. Sat. c. 105. 108. Act. Apost. 28, 11. Meurs. ad Lycophr. Cass. v. 110. 1299. Schütz. ad Aeschyl. Sept. c. Theb. v. 210. Scheffer. de mil. nav. 3, 1. p. 372 sq.

2. *claritudinem Arsacidarum*, v. ad 2, 1, 1. — *mercenario milite*, cf. Ind. III. v. *Adiectiva in sexto casu absolute posita*. Frustra *mercenarium militem* coni. Acid. *mercennario* edd. Ber. et Rhen. 1. — *disserebat*: „Ita 1, 4. et 2, 27. *differebat* coni. Lips. quod non quadrat ad *imperium Orientis, clarit. Ars.*“ *Walth.* — *integros semet a Parthico dominatu*, cf. ad Agr. 31. n. 7. — *plus decoris victores aut, si terga darent, plus flagitii atque periculi laturos*, cf. ad Agr. 31. n. 7. Frustra Rickliefs vult *at* pro *aut*. Similiter H. 2, 56. *in praedam aut, si repugnatum foret, ad excidium destinabant.*“ *Walth.* — *horridam suorum aciem, picta auro Medorum agmina* — *ostendere*, ut ap. Liv. 9, 40. *horridum militem esse debere, non caelatum auro et argento, sed ferro animisque fretum*, cuius loci memor fuisse videtur Tacitus. Cf. etiam Iuvenal. 2, 11. 12. 8, 112 sq. et Liv. 44, 41. *cuius confertae* phalangis *et intentis horrentis hastis intolerabiles vires sunt*; quali phalange nihil intolerabilius se vidisse Aemilius dixit. v. Polyb. 29, 6, 11 sq. Plut. Aemil. p. 264. *Horrere*,

inhorrere et Gr. φρίσσειν dicuntur quae erecta sunt sive eminent, v. c. hastae, capilli, aristae, valli. — *picta auro agmina,* quorum et milites et arma auro picta sunt, distincta vel rutilantia, fulgentia, ut *arma picta* ap. Virg. Aen. 8, 588. 11, 660. 12, 281. — *praedam,* et quidem maiorem, quoniam picta sunt auro agmina.

CAPUT XXXV.

Enimvero apud Sarmatas non una vox ducis: se quisque stimulant, ne pugnam per sagittas inirent; impetu et cominus praeveniendum. Variae hinc bellantium species, quum Parthus sequi vel fugere pari arte suetus distraheret turmas, spatium ictibus quaereret; Sarmatae omisso arcu, quo brevius valent, contis gladiisque ruerent, modo equestris proelii more frontis et tergi vices, aliquando, ut conferta acies, corporibus et pulsu armorum pellerent, pellerentur. Iamque et Albani Iberique prensare, detrudere, ancipitem pugnam hostibus facere, quos super eques et a propioribus vulneribus pedites afflictabant. Inter quae Pharasmanes Orodesque, dum strenuis adsunt aut dubitantibus subveniunt, conspicui eoque gnari, clamore, telis, equis concurrunt, instantius Pharasmanes: nam vulnus per galeam adegit, nec iterare valuit praelatus equo et fortissimis satellitum protegentibus saucium. Fama tamen occisi falso credita exterruit Parthos, victoriamque concessere.

1. *non una vox ducis,* unica, sola, ut 4, 16. et al. Non unius ducis; *Ern.* — *inirent*: in MS. *sinerent.* — *impetu et cominus,* non, ut Parthi, *spatium ictibus quaerendo.* „Haec per ἓν διὰ δυοῖν dicta, vel ita ut *cominus* positum sit, quia deerat adiectivum, quo notio huius vocis substantivo iungeretur, vel pro impetu cominus facto, vel denique ita ut *et cominus* ἐξηγητικῶς adiectum sit ad explanandam vocem *impetu.*" *Roth.* p. 28. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin. comminus* edd. Ber. Rhen. Micyll. Lips. — *Parthus sequi* (persequi) *vel fugere pari arte suetus:* nam Parthi *pugnant aut procurrentibus equis aut terga dantibus: saepe etiam fugam simulant, ut incautiores adversum vulnera insequentes habeant: plerumque in ipso ardore certaminis proelia deserunt ac paulo post pugnam ex fuga repetunt, ut, quum maximo vicisse te putes, tunc tibi discrimen subeundum sit,* Iustin. 41, 2. Cf. Dio 35, 5. 40, 15 sq. Appian. Bell. Parth. p. 143 sq. intpp. Virg. Ge. 3, 30. Horat. od. 1, 19, 11. 2, 13, 17. — *distraheret turmas,* diduceret, extenderet; *Ern.* „Appian. l. l. ἀνῆγον ὀπίσω καὶ σχίδνασθαι δοκοῦντες ἅμα καὶ διαλύειν τὴν τάξιν. *Distrahere hostem* 1, 60. Non satis recte interpretantur ausdehnen: immo zerstreuen." *Walth.* Cf. ad 1, 32, 2. — *Sarmatae omisso arcu, quo brevius valent, contis gladiisque ruerent,* irruerent, *modo equestris proelii — pellerentur,* cf. loc. class. H. 1, 79. ibique notata. *quo brevius valent,* breviter, primis scil. congressibus, non diu; *Pich.* et *Ern.* „Immo *brevius* quam Parthi: hi enim ex propinquo invalidi; quae res P. Ventidio de illis victoriam dedit. *Adeo se admovit, ut sagittas, quibus ex longinquo usus est, cominus applicitas eluderet* Frontin. Strat. 2, 2, 5. Passus est hostem castris succedere, donec absumpto iactus spatio *adimeret usum sagittarum* Flor. 4, 9." *Gron.* Rectius de spatio, quam de tempore haec accipies: nam cur *non diu* Sarmatae arcu valuerint, non satis apparet; *Walth.* Reddas Germ. mit welchem sie mit Erfolg weniger weit schiefsen als die Parther; *Kiessl.* — *quum* — *modo*

equestris proelii more frontis et tergi vices sc. essent, (cf. Ind. III. v. *Ellipses* 1. *a.*) nam *Parthus sequi vel fugere pari arte suetus; aliquando — pellerent, pellerentur:* nam *Sarmatae impetu et cominus* pugnare solebant. *equestris proelii more*, ut ap. Sall. Iug. 59. *quibus illi freti non, uti equestri proelio solet, sequi, dein cedere, sed advorsis equis concurrere, implicare ac perturbare aciem*, et locis similibus ad Agr. 36. n. 4. adscriptis. *equestris* edd. Rhen. 2. 3. et dein omnes. *equites tres* MS. edd. Ber. et Rhen. 1. *frontis et tergi vice*, h. e. alterna mutatione, modo frontis, modo tergi, male coni. Lipsius. Gruterus accusativum *vices* absolute positum censebat, ut 6, 33. H. 1, 44. 2, 78. 3, 61. 4, 18. 19. Exempla vero non satis congrua. Alii post *vices* intelligunt *erant*. Sed omnia pendent ex praec. *quum;* unde et *pellerent, pellerentur.* — *ut conserta acies* MS. et edd. omnes ante Ern. *conferta* reposuere Ern. Brot. Ob. Lün. Bekk. „Sed bene h. l. convenit *conserta acies* h. e. in qua non *frontis et tergi vices* sunt, sed vir viro, arma armis conserta. Sic *pugnam* et *proelia conserere* et ap. Curt. 3, 2, 13. *conserta robora virorum*, 3, 11, 4. *conserti et quasi cohaerentes.*“ *Walth.* Dicitur quidem *conserere manus* et *pugnam*, ut et simpl. *conserere* Liv. 44, 4. nusquam vero *conserta acies*, sed *conferta* Liv. 3, 70. h. e. densa, constipata, a *confercire*, et *confertissima acies* Caes. B. G. 1, 24. Vulgaris quoque lectio ap. Curt. 3, 2, 13. est *conferta* et verior 3, 11, 4. *conferti.* Sic et *conferta moles* 4, 62. *conferti caedem continuant* 14, 36. *confertiores* Liv. 9, 27. *rari in confertos illati* Liv. 23, 27. *stantibus ac confertis equis* Liv. 22, 47. *confertum agmen* Liv. 22, 28. et similia, ut συστάδην μάχεσθαι de conferta acie et pugna stataria, quae cominus fit pedibusque collatis, et contr. σποράδην μάχεσθαι ap. Polyb. 3, 72, 10. 3, 73, 8. 11, 32, 7. 13, 3, 7. *Conserta* et *conferta* a librariis ubivis confunduntur. v. Drak. ad Liv. 3, 70. 22, 28. et inf. 12, 35. ubi *conferto* minus aptum *gradui* esse videtur quam *conserto* et *conserto gradu* ita dictum ut *collato pede* Liv. 6, 12. 13. 26, 39. *conferre gradum cum aliquo* Liv. 7, 33. *pes pede collatus* Liv. 28, 2. *collatis signis* Liv. 2, 50. 37, 21. 38, 41. — *pulsu armorum*, ut *impulsu clipeorum* et *flictu galearum* ap. Sil. 9, 322. 324. de pugna conferta. Sed dictio *pulsu armorum pellerent, pellerentur* non multis placebit. Conieci olim *punctu armorum* neque huius me nondum poenitet, etsi Walther dixerit: quod nemini invideo. Sermo est de pugna conferta, in qua non tam caesim quam punctim peti hostes et feriri solebant: (v. Liv. 22, 46. et Veget. de re mil. 1, 12.) praeterea de Parthis et Sarmatis, de quibus supra dictum, illos *ictibus* rem gerere et c. 34. iis *solam in equite vim* esse, hos *contis gladiisque ruere*, ut H. 1, 79. *omnem Sarmatarum virtutem esse in pernicitate equorum et in contis gladiisque, quos praelongos utraque manu regant.* Cf. verba Tuberonis ad H. 1, 79. adscripta: Sarmatae *spiculo aut umbone equestris scuti occurrentem repellunt* et *circumactis equis consultoque lanceis proiectis.* — *detrudere* equis, de pugna conferta. — *ancipitem pugnam hostibus facere*, Parthis, *quos super*, insuper, *eques et pedites afflictabant*, sc. Sarmatarum vel Pharasmanis, qui et equite et pedite valebat. v. cap. 34. „Ante *quos* maiorem distinct. pone et *quos* intellige Albanos Iberosque. *Quos super* dictum pro *super quos*, ut *humum super* 16, 35. Accipe equitem super capita Albanorum et Iberorum hostem sagittis afflictasse. Nam *quos* hic, ut saepe, ad remotius subiectum respicit. (Cf. Ind. III. v. *Constructio verborum insolentior* n. 5.) Alii *super* interpretantur *insuper*, quod ita dici idoneis exemplis debuissent probare. Pro nostra ratione faciunt 1, 68. 3, 46.“ *Walth.* Ad eam transferre liceat, quod ille paulo ante de mea emendatione dixit: hanc nemini invideo. Idem mihi nonnunquam tribuit, quae aliis, non mihi in mentem venere. *Super* vero pro *insuper* dixere Suet. Iul. c. 28. (ubi v. Burm.) Virg. Aen. 2, 71. 5, 482. 8, 245. 11, 226. Ovid.

Met. 12, 206. Horat. Sat. 2, 7, 78. et epist. 2, 2, 33. Phaedr. 4, 23. et al. — *et a propioribus vulneribus:* „Sic omnes edd. Sed praeposit. *a* irrepsisse puto. Si vera esset, intelligerem ex usu Graecorum, qui ἀπό ita ponunt, ut significet modum et rationem aliquid faciendi, ut ἀπὸ κυάμων καθίστασθαι ἄρχοντες Xenoph. mem. Socr. 1, 2, 9. βάπτοντες αὐτὰ ἀπὸ βοτανῶν Palaeph. c. 41. ἡ πόλις ἀπὸ σκυτάλης μιᾶς καὶ τρίβωνος ἄρχουσα τῆς Ἑλλάδος Plut. Lys. c. 30. *et e propiori* sc. loco corr. Heins.“ *Walth.*

2. *dum strenuis adsunt,* cf. Ind. II. v. *Strenuus.* — *conspicui,* v. ad 2, 17, 2. — *eoque,* v. ad 1, 16, 1. — *gnari,* v. ad 1, 5, 3. — *praelatus equo et fortissimis satellitum protegentibus saucium,* v. ad 2, 6, 2. et 5, 10, 1. — *fama tamen occisi falso credita:* at veram eius mortem memorat Ioseph. A. J. 18, 2. *didita* (ut 11, 1.) leg. putabat Lips. Sed cf. H. 2, 60, 5. et 4, 34, 8. quibus locis idem coni. Lips. et, quod minus probandum, *deditum* et *dedita.* Tacito efficax verbum est *credere,* Gr. πληροφορεῖσθαι, exploratissimum et indubitatum habere, et *credita fama* opponitur ambiguae aut incerto auctore iactatae; *Gron.* obss. 3, 10. *Didita* fama est, quae opera data vulgatur, dolo, fraude: quod hinc alienum est; *Walth.*

CAPUT XXXVI.

Mox Artabanus tota mole regni ultum iit. Peritia locorum ab Iberis melius pugnatum. Nec ideo abscedebat, ni contractis legionibus Vitellius et subdito rumore, tanquam Mesopotamiam invasurus, metum Romani belli fecisset. Tum omissa Armenia versaeque Artabani res, illiciente Vitellio, desererent regem saevum in pace et adversis proeliorum exitiosum. Igitur Sinnaces, quem antea infensum memoravi, patrem Abdagesen aliosque occultos consilii et tunc continuis cladibus promptiores ad defectionem trahit, affluentibus paulatim, qui metu magis quam benevolentia subiecti repertis auctoribus sustulerant animum. Nec iam aliud Artabano reliquum quam si qui externorum corpori custodes aderant suis quisque sedibus extorres, quis neque boni intellectus neque mali cura, sed mercede aluntur, ministri sceleribus. His assumptis in longinqua et contermina Scythiae fugam maturavit spe auxilii, quia Hyrcanis Carmaniisque per affinitatem innexus erat, atque interim posse Parthos, absentium aequos, praesentibus mobiles, ad poenitentiam mutari.

1. *tota mole regni,* cunctis viribus copiisque, ut ap. Flor. 3, 5, 14. Cf. ad Agr. 17. n. 3. Haec tamen Artabani expeditio non ad a. U. 788. sed 789. pertinet, ut ipse Tacitus c. 38. docet; *Brot.* — *ultum iit. peritia* cet. ex emendat Lips. *regni ultimi* (*id peritia* — *pugnatum*) edd. Ber. et Rhen. 1. *regni ultimi. id peritia* cet. edd. Rhen. 2. 3. et cet. ante Lips. — *nec ideo abscedebat, ni* — *fecisset,* v. ad 1, 35, 3. et Ind. III. v. *Verborum Modi* I. 1. — *subdito rumore,* ut H. 3, 25 pr. Cf. ad 1, 6, 6. — *Tum omissa Armenia,* relicta ab Artabano, vel abiectum eius recuperandae consilium. Cf. ad 3, 47, 1. — *illiciente Vitellio* (cf. cap. 32.) scil. Parthos et Armenios, ut *desererent* cet.

2. *Igitur Sinnaces, quem antea infensum memoravi* cap. 31. 32. *ante* edd. Lips. sed *antea* MS. et edd. vet. — *Abdagesen* ed. Iac. Gron. et aliae. *Abdagaesen* MS. *Abdagesem* edd. vet. Cf. ad 11, 8, 1. — *aliosque occultos consilii,* cf. ad 4, 7, 1. et Ind. III. v. *Adiectiva relativa Genitivis obiecti iuncta.* „Sensus est: alios, qui adhuc occultaverant consilium

defectionis, *et tunc continuis cladibus regis promptiores* ad illud proferendum." *Freinsh. Occultis c.* opponuntur *continuis cladibus promptiores; Walth.* *occultos consilii* ex emend. Faerni et Freinsh. *occ. consilit* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. *occ. consulit* edd. Lips. Pich. al. quod probat Roth. ad Tac. Agr. p. 208. ut *occultos* pro adv. positum sit. *occulto consulit, conciliat, colligit* coniecturae virorum doctorum. — *quam benevolentia subiecti* imperio Artabani. *benivolentia* edd. Ber. et Rhen. ut paene ubivis. — *reliquum* praesidium, homines, quibus fidere posset. — *boni intellectus,* intelligentia, cognitio boni, ut 13, 38. O. 19. 31. G. 27. Cf. ad O. 19. n. 1. *boni,* ut *recti* Agr. 1. ubi v. nota 1. — *ministri sceleribus,* ut paulo ante *corpori custodes aderant.* Cf. ad 11, 10, 3. et Ind. III. v. *Dativus obiectivus.* — *contermina Scythiae* ad orientem Caspii maris — *Hyrcani* ad austrum Caspii maris, nunc *le Mazanderan* et *le Corcan; Brot.* — *Hyrcanis Carmaniisque per affinitatem innexus erat,* ut 16, 4. et H. 4, 68. Cf. ad c. 42. n. 2. *Carmaniisque* MS. et edd. omnes praeter illam I. Fr. Gron. in qua *Carmanisque* scriptum. *Carmania* regio Persidis occident. ad sinum Persicum sita, nunc *Kerman* s. *Khirman* s. *Shirdjan.* v. Mannerti geogr. V, 2. p. 66. — *atque spe, interim posse Parthos absentium regum aequos,* (Cf. Ind. III. v. *Adiectiva relativa Genitivis obiecti iuncta*) *praesentibus mobiles, ad poenitentiam mutari:* „idem consilium Chilperico Francorum regi datum et successu simili, ratione item pari. v. Aimoin. 1, 7." *Lips. praesentibus mobiles,* cf. ad H. 3, 64, 2. et Ind. III. v. *Dativus obiectivus.*

CAPUT XXXVII.

At Vitellius, profugo Artabano et flexis ad novum regem popularium animis, hortatus Tiridaten, parata capessere, robur legionum sociorumque ripam ad Euphratis ducit. Sacrificantibus, quum hic more Romano suovetaurilia daret, ille equum placando amni adornasset, nuntiavere accolae, Euphratem nulla imbrium vi sponte et immensum attolli, simul albentibus spumis in modum diadematis sinuare orbes, auspicium prosperi transgressus. Quidam callidius interpretabantur initia conatus secunda neque diuturna, quia eorum, quae terra coelove portenderentur, certior fides, fluminum instabilis natura simul ostenderet omina raperetque. Sed ponte navibus effecto tramissoque exercitu primus Ornospades multis equitum millibus in castra venit, exsul quondam et Tiberio, quum Dalmaticum bellum conficeret, haud inglorius auxiliator eoque civitate Romana donatus; mox, repetita amicitia regis, multo apud eum honore, praefectus campis, qui Euphrate et Tigre inclitis amnibus circumflui Mesopotamiae nomen acceperunt. Neque multo post Sinnaces auget copias; et columen partium Abdageses gazam et paratus regios adiicit. Vitellius ostentasse Romana arma satis ratus monet Tiridaten primoresque, hunc, Phraatis avi et altoris Caesaris, quae utrobique pulchra, meminerit, illos, obsequium in regem, reverentiam in nos, decus quisque suum et fidem retinerent. Exin cum legionibus in Syriam remeavit.

1. *hortatus Tiridaten* (cf. ad 11, 8, 1.) *parata* (imperium Parthicum sibi iam paratum) *capessere,* cf. ad 11, 1. et Ind. III. v. *Infinitivi Verborum* n. 7. — *quum hic more Romano suovetaurilia daret,* ut exercitus lustraretur. v. ad H. 4, 53, 8. *suovetaurilia* edd. omnes praeter Ald. in

qua *sue, ove, taurilia* e coni. Rhen. *solitaurilia* malebat Alciatus. v. ad H. 4, 53, 8. — *ille* more Persarum *equum placando amni adornasset:* „Quod de amne nobis non lectum. Equus tamen sollennis victima Soli apud Persas. v. Iustin. 1, 10. Xenoph. Anab. 4, 5. et Cyrop. 8, 3. Pausan. 3, 20. Sic et apud Massagetas. v. Strab. XI. p. 513. *θεὸν δὲ ἥλιον μόνον ἡγοῦνται· τούτῳ δὲ ἱπποθυτοῦσι.* Idem vero lib. XV. p. 727. de Carmaniis scribit *ὄνον τε θύουσι τῷ Ἄρει, ὃν Πέρσαι σέβονται θεῶν μόνον,* fortasse per oblivionem: nam alii Persis Solem, quem Mithram dicunt, deum unicum tribuunt. Ceterum et aliis gentibus victima equus: apud Mysios et Romanos Marti. v. Flor. 4, 12. et Fest. v. *Equus.*" *Lips. placando numini* coni. Petav. „Male. Quanta fuerit apud Persas fluviorum religio, docet Herodot. 1, 138. Eos equo placabant Parthi, Romani tauro. v. Plut. Lucull. p. 507." *Brot.* Cf. ad 1, 79, 2. Schweigh. ad Appian. Mithrid. c. 70. Wagner ad Ammian. 18, 7, 1. — *albentibus spumis in modum diadematis sinuare orbes,* cf. Sil. 13, 27. „*Diadema* commune olim insigne regum, non aliud quam fascia tenuis et alba cingens caput. Cf. ad c. 42 extr. Sen. ep. 80. Flor. 3, 19. Sil. 16, 241. Plin. 11, 16. Suet. Iul. cap. 79. Valer. Max. 6, 2, 7. Egesip. B. Ind. 2, 1. ubi leg. *albatumque diadema.* Apud Persas non omnino candidum diadema nec capiti nudo circumplexum, sed cidari sive tiarae. v. Xenoph. 8, 3, 7. Curt. 3, 3. ubi *caerulea,* et 6, 6. *purpurea fascia albo distincta* dicitur." *Lips.* Diadema Persicum in orbem sinuatum, ut Masson ap. Haym Tesoro Britannico T. I. p. 148. docet; *Brot.* Cf. Casaub. ad Suet. Iul. 79. Cuperi obss. 1, 6. Ciampin. opp. musiv. c. 14. p. 110. inpr. Burm. ad Val. Fl. 6, 700. et Spanhem. de usu et pr. num. Diss. V. p. 456—472. 622. 679—685. ed. Amst. 1671. ubi praeter alia docet, hoc regiae potestatis insigni, ex Oriente demum ab Alexandro et ex Macedonia a Romanis petito, neminem regum Imperatorumve Rom. usum esse, et poetas, monetarios, pictores et sculptores, qui illud iis vel adeo diis et heroibus tribuant, ad sua tempora respexisse et morem tum Principibus familiarem. — *auspicium prosperi transgressus,* non quod ipse transgressus prosper, sed quod hic prosperi successus, rei prospere gerendae initium futurus sit; *Ern.* Cf. Ind. III. v. *Appositio. prospere* ed. Rhen. 1. — *initia conatus secunda, neque,* sed non, *diuturna,* cf. ad G. 45. n. 12. Ad eandem superstitionem pertinet deploratio ap. Achill. Tat. lib. 5. de Clitophonte et Leucippe: *Γάμος ἐπὶ κύματος; γάμος ὑπὸ θαλάσσης φερόμενος; θάλαμον ἡμῖν θέλεις γενέσθαι μὴ μένοντα, Iac. Gron.*

2. *multis equitum millibus,* cf. Ind. III. v. *Adiectiva in sexto casu absolute posita.* — *quum Dalmaticum bellum conficeret* Tiberius, qui primum a. U. 742. ornamenta triumphalia accepit, deinde de Dalmatis et Pannoniis equo ovavit a. 745. tum triumphavit a. 747. tandem de iisdem et Illyrico triumphum iam a. 762 decretum, sed ob cladem Varianam dilatum egit a. 765. v. Dio 54, 31. 55, 28—34. 56, 11—17. Suet. Aug. 21. 22. et Tib. 9. 17—21. ad quae loca cf. Oudend. — *Tigre,* ut *Baete* ap. Liv. 28, 21. pro vulg. *Tigri* et *Tigride.* — *inclitis:* in MS. et plerisque edd. et vet. et rec. *inclutis;* in nonnullis *inclytis.* Cf. ad 1, 1, 2. et H. 2, 2, 4. — *Abdageses,* pater Sinnacis. v. ad c. 31. n. 2. — *adiicit:* in MS. et edd. vet. ante Ryck. ut et in Bekk. 2. *adicit,* ut plerumque. Cf. Drak. ad Liv. 2, 10. — *hunc — illos,* proprie dicendum *illum — hos.* Cf. ad 2, 77, 1. — *Phraatis avi,* cf. ad 2, 1, 1. — *et altoris Caesaris,* qui eum Romae curasset educandum et nunc regem Armeniae destinasset. v. cap. 32. 41. 43. *et altoris* edd. Rhen. 2. 3. et dein omnes. *ut altoris* MS. edd. Ber. Rhen. 1. — *utrobique:* in MS. *utrubique.* — *quisque — retinerent* MS. edd. Ber. Rhen. 1. Pich. et rec. *retineret* edd. Rhen. 2. 3. et cet. ante Pich. Cf. Ind. III. v. *Nomina collectiva.*

CAPUT XXXVIII.

Quae duabus aestatibus gesta coniunxi, quo requiesceret animus a domesticis malis. Non enim Tiberium, quanquam triennio post caedem Seiani, quae ceteros mollire solent, tempus, preces, satias mitigabant, quin incerta vel abolita pro gravissimis et recentibus puniret. Eo metu Fulcinius Trio, ingruentis accusatores haud perpessus, supremis tabulis multa et atrocia in Macronem ac praecipuos libertorum Caesaris composuit, ipsi fluxam senio mentem et continuo abscessu velut exsilium obiectando. Quae ab heredibus occultata recitari Tiberius iussit, patientiam libertatis alienae ostentans et contemptor suae infamiae, an scelerum Seiani diu nescius, mox quoquo modo dicta vulgari malebat veritatisque, cui adulatio officit, per probra saltem gnarus fieri. Iisdem diebus Granius Marcianus senator, a C. Graccho maiestatis postulatus, vim vitae suae attulit, Tatiusque Gratianus praetura functus lege eadem extremum ad supplicium damnatus.

1. *Quae duabus aestatibus gesta coniunxi*, cf. ad c. 36. n. 1. — *Fulcinius Trio*, de quo v. 2, 28. 5, 11. 6, 4. — *ingruentes accusatores haud perpessus*, „intellige: sed voluntaria morte accusationem frustratus: nam *κατηγορηθεὶς* — *ἑαυτὸν προαπέκτεινε* Dio 58, 25.“ *Walth.* — *supremis tabulis* testamenti *multa et*, et quidem, (v. ad 1, 33, 2.) *atrocia* cet. v. ad 2, 48, 1. *ipsi*, Caesari, *fluxam senio mentem*, v. ad 3, 50, 2. — *continuo abscessu*, discessu, absentia ab Urbe, (de qua v. ad 4, 57, 2.) h. e. propter eum, eius causa. Cf. Ind. III. v. *Ablativi Substantivorum absoluti* cet. p. 800. Frustra coniiciunt *continuos abscessus* et *continuum abscessum*. — *obiectando*, v. ad 6, 45, 2. et 14, 31, 3. — *Quae ab heredibus occultata recitari Tiberius iussit* in senatu. *haeredibus* edd. vet. ante Lips. ut paene ubivis. — *contemptor suae infamiae, an — nescius*, v. ad 2, 38, 5. — *quoquo modo* MS. edd. vet. Pich. et rec. *quoque modo* edd. Lips. Grut. — *veritatisque*, v. ad 12, 49, 1.

2. *Granius Marcianus* MS. (in quo tamen vitiose *granus*) et ed. Bekk. *Granius Martianus* edd. cet. — *senator*, v. ad 3, 36, 2. — *maiestatis postulatus*, v. ad 1, 71, 1. et 1, 74, 1. — *Tatiusque:* in MS. *Tariusque* test. Iac. Gron. — *praetura functus*, v. ad 2, 33, 1. — *lege eadem*, maiestatis.

CAPUT XXXIX.

Nec dispares Trebellieni Rufi et Sextii Paconiani exitus. Nam Trebellienus sua manu cecidit, Paconianus in carcere ob carmina illic in Principem factitata strangulatus est. Haec Tiberius non mari ut olim divisus neque per longinquos nuntios accipiebat, sed Urbem iuxta, eodem ut die vel noctis interiectu literis consulum rescriberet, quasi aspiciens undantem per domos sanguinem aut manus carnificum. Fine anni Poppaeus Sabinus concessit vita, modicus originis, Principum amicitia consulatum ac triumphale decus adeptus maximisque provinciis per quatuor et viginti annos impositus, nullam ob eximiam artem, sed quod par negotiis neque supra erat.

1. *Trebellieni Rufi*, v. 2, 67. 3, 28. — *Sextii Paconiani*, v. cap. 3. et 4. — *in carcere — strangulatus est*, v. ad 3, 51, 1. — *per longin-*

quos nuntios, ex longinquo vel ad procul absentem perferendos; *Ern.* — *Urbem iuxta*, περί τε τὸ Ἀλβανὸν καὶ περὶ τὸ Τούσκουλον διατρίβων, Dio 58, 24. — *manus carnificum* MS. edd. Ber. Rhen. 1. Pich. et dein omnes. *manum* c. edd. Rhen. 2. 3. et cet. Cf. ad 12, 49, 1.

2. *Poppaeus Sabinus*, avus maternus Poppaeae Sabinae et cos. a. U. 762. v. Suet. Vesp. 2. et Ind. 1. — *modicus originis*, v. ad 2, 73, 1. — *concessit vita* sua sponte; *Lips.* Immo morte naturali et fato: nam ἥδιστα προαπηλλάγη, πρίν τινα αἰτίαν λαβεῖν, Dio 58, 25. — *triumphale decus adeptus* a. 779. v. 4, 46. 47. 13, 45. 14, 1. — *maximisque provinciis per XXIV annos impositus:* „Muretus dubium movit ex eo, quod Tiberius tantum XXIII annos imperavit et Pomponius Labeo sub Tiberio octo annos praefuerit Moesiae. Sabinus Moesiae praepositus a. U. 763. vivo Augusto; addita Macedonia et Achaia a. 768. v. 1, 80. et 5, 10. His adhuc praeerat a. 779. (v. 4, 46.) Sed Moesiae Pomponius Labeo, fortasse sub Sabino: nam eius iussu legionem ducit in Thraciam. 4, 47. (At cf. 6, 29 pr.) Item a. 782. ut e 5, 10 patet: unde iam anni XIX efficiuntur. Quando ex istis provinciis Romam redierit, non traditur. Tacito autem credo eum hoc ipso anno in provincia mortuum esse; quod probabile fit ex 1, 80. et clarum est e Dione 58, 25. qui in actis huius anni mortem eius refert et in provinciis fuisse successoremque habuisse Regulum.“ *Ern.* — *neque supra* negotia *erat*, non acrior quam ista negotia requirerent; Iac. Gron. „*Neque enim eminentes virtutes sectabatur Tiberius* 1, 80.“ *Walth.*

CAPUT XL.

Q. Plautius, Sex. Papinius Coss. sequuntur.′ Eo anno, * neque quod L. Aruseius morte affecti forent, assuetudine malorum ut atrox advertebatur, sed exterruit, quod Vibulenus Agrippa Eques Romanus, quum perorassent accusatores, in ipsa curia depromptum sinu venenum hausit prolapsusque ac moribundus festinatis lictorum manibus in carcerem raptus est faucesque iam exanimis laqueo vexatae. Ne Tigranes quidem, Armenia quondam potitus ac tunc reus, nomine regio supplicia civium effugit. At C. Galba consularis et duo Blaesi voluntario exitu cecidere, Galba tristibus Caesaris literis provinciam sortiri prohibitus; Blaesis sacerdotia, integra eorum domo destinata, convulsa distulerat; tunc ut vacua contulit in alios: quod signum mortis intellexere et exsecuti sunt. Et Aemilia Lepida, quam iuveni Druso nuptam retuli, crebris criminibus maritum insecuta, quanquam intestabilis, tamen impunita agebat, dum superfuit pater Lepidus; post a delatoribus corripitur ob servum adulterum: nec dubitabatur de flagitio. Ergo omissa defensione finem vitae sibi posuit.

1. *Q. Plautius, Sex. Papinius coss. sequuntur:* ita et Dio 58, 26. *Q. Plautius* edd. Rhen. 2. 3. et dein omnes. *Quintius Pl.* edd. Ber. et Rhen. 1. — „*Sex. Papinius* cognominatur *Gallienus* in ant. inscr. apud Onuphr. et Pigh. (*Allenius* ap. Gruter. p. 447.) Hunc Plinius consulem se vidisse ait 15, 14. Filii casus narratur inf. c. 49.“ *Ryck.* — *sequuntur.* v. ad 3, 52, 1. — *Eo anno* * *neque* cet. Ita libri vet. Desunt non dubie propria aliquot nomina eorum, qui damnati occisique; *Lips.* *Eo anno neque quod alii, neque quod L. Aruseius* cet. coni. Vertran. Alii verba tantum emendanda censuere. *Eo anno neque* h. e. non dico alia, sed

neque, quod *L. Aruseii* (pater et filius: quod non vulgare erat exemplum et invidiosum, ut illud, de quo v. Suet. Oct. 13. et Dio 51, 2.) — *ut atrox advertebat*, in se convertebat, (v. ad 1, 41, 1.) *sed exterruit* sc. homines, corr. Gron. *affectus foret* Hiller. racem. 33. 34. *Neque eo anno, quod L. Aruseius morte affectus foret* Moebius in Seebodii bibl. crit. a. 1829. p. 675. „Hae emendationes minime satisfaciunt. Nam quomodo tandem *ut atrox adverti* potuit, quod L. Aruseius, vir obscurus, (cf. ad c. 7. n. 1.) *morte affectus* foret? Facile intelligis, atrocissimum aliquod facinus hic latere. Sed coniectando consulere locis depravatis ingratus est labor; quare abstineo, nisi forte tibi placeat, quod amicus per iocum aliquando suppeditabat: *eo anno neque quod L haruspices morte affecti forent*. Haruspices certe pars curarum Tiberii fuere. v. Suet. Tib. 63." *Walth.* — *assuetudine malorum*, cf. Ind. III. v. *Ablativi Substantivorum absoluti.* — *ut atrox advertebatur*, v. ad 2, 32, 3. — *quod Vibulenus Agrippa — vexatae:* „Eandem rem habet Dio 58, 21. (nisi quod *Vibulenus* ibi audit Ὀυϊούτλιος) sed in actis a. U. 786. Inde Bipontini volunt haec inseri 5, 6. Dionis loco accuratius inspecto intelliges, illius contextum et ipsum premi depravationis et permixtionis suspicione. Nam verba *ἐπεὶ μέντοι Ὀυϊούτλιός τις Ἀγρίππας ἱππεὺς φάρμακον ἐν αὐτῷ τῷ βουλευτηρίῳ ἐκ δακτυλίου ῥοφήσας ἀπέθανε* prorsus ibi adsunt praeter structuram rationemque loci." *Walth.* — *festinatis lictorum manibus*, cf. Ind. III. v. *Oratio praegnans.* — *faucesque iam exanimis laqueo vexatae*, strangulatae, ut damnatus supplicioque affectus videri posset: nam mors vel indici solebat vel voluntaria prohiberi, quoniam eorum, qui tali morte praevenerant damnationem, *humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi*, c. 29. v. ad 4, 30, 2.

2. *Ne Tigranes quidem Armenia quondam potitus — effugit*, v. ad 2, 3, 2. et Ind. I. v. *Tiridates. potitus*, v. ad 2, 42, 1. *positus* MS. — *nomine regio*, cf. Ind. III. v. *Ablativi Substantivorum absoluti.* — *supplicia civium*, quibus cives affici solent, non reges; *Ern.* — *C. Galba consularis — prohibitus*, cf. ad 3, 52, 1. et Suet. Galb. 3. — *duo Blaesi*, fortasse ille, qui Seiani avunculus fuit, et frater eius. Cf. Ind. I. v. *Iunius Blaesus*. Male *Blaesii* et paulo post *Blaesiis* edd. vet. ante Ryck. *Blaesis* MS. et ex eo nihil annotatum de praec. nominativo; *Iac. Gron.* — *voluntario exitu cecidere*, v. ad 4, 30, 2. *exitu*, v. ad 2, 71, 1. — *integra eorum domo — convulsa — vacua*, v. ad 1, 3, 2. — *contulit* sc. Caesar. — *signum mortis*, cf. Ind. III. v. *Appositio.* — *exsecuti sunt* sc. mortem.

3. *Aemilia Lepida iuveni Druso nupta*, filio Germanici. Cf. ad 3, 23, 1. et 11, 37. — *retuli* in capite libri V deperdito. — *insectata:* in MS. *insecuta.* — *intestabilis*, destestabilis, ut c. 51. 15, 55. H. 4, 42. Cf. intpp. Sall. Iug. 67. 190. Gron. ad Liv. 37, 57, 15. Heindorf. ad Horat. Sat. 2, 3, 181. — *agebat*, v. ad 1, 68, 1. — *dum superfuit*, v. ad 4, 7, 1. — *pater* M. *Lepidus*, cf. c. 27. et ad 1, 13, 2. — *corripitur*, v. ad 4, 3, 1.

CAPUT XLI.

Per idem tempus Clitarum natio Cappadoci Archelao subiecta, quia nostrum in modum deferre census, pati tributa adigebatur, in iuga Tauri montis abscessit locorumque ingenio sese contra imbelles regis copias tutabatur, donec M. Trebellius legatus, a Vitellio praeside Syriae cum quatuor millibus legionariorum et delectis auxiliis missus, duos collis, quos barbari insederant, (minori *Cadra*, alteri *Davara* nomen est) operibus circumdedit et erumpere ausos ferro, ceteros siti ad deditionem

coegit. At Tiridates volentibus Parthis Nicephorium et Anthemusiada ceterasque urbes, quae Macedonibus sitae Graeca vocabula usurpant, Halumque et Artemitam Parthica oppida recepit, certantibus gaudio, qui Artabanum Scythas inter eductum ob saevitiam exsecrati come Tiridatis ingenium Romanas per artes sperabant.

1. *Clitarum natio:* male *Citarum natio Cappadociae, Archelao subiecta* edd. vet. ante Lips. qui recte haec emendavit docuitque, *Clitas* non Cappadoces fuisse, sed Cilices agrestes, (v. 12, 55.) et Ciliciam Tracheam proprios habuisse reges ad tempora Vespasiani. *cietarum* MS. in quo etiam literae *i* vocis *Cappadoci* superscriptum *e* a manu rec. *Caletarum* perperam scripsit Noris. ad cen. Pis. 2, 6, 10. *Cappadoci Archelao* filio Archelai regis Cappadocum, qui inde *Cappadox* dictus. „Pater iam pridem mortuus, eiusque regnum in provinciam redactum. v. 2, 42. Filius retinebat oras Ciliciae maritimas, quas pater acceperat ab Augusto. v. Dio 54, 9.“ *Walth.* — *deferre census,* v. ad 1, 31, 1. — *dati tributa,* v. ad G. 43. n. 3. — *locorumque ingenio.* v. ad 3, 26, 1. — *a Vitellio praeside Syriae,* cf. cap. 32.

2. *volentibus Parthis,* v. ad 1, 59, 1. — *Nicephorium* ad Billicham fl. et *Anthemusias* sive *Anthemus, Anthemusia* (quod etiam nomen regionis fuit) et *Anthemusium* ad Euphratem et Armeniam, Mesopotamiae oppida. Nicephorium conditum ab Alexandro appellatumque Νικηφόριον, victoriae tributum, postea dictum *Callinicum, Constantina, Constantia, Leontopolis, Vacca, Rafica, Racca.* De *Macedonica* Anthemusiae origine nihil aliunde constat, et nonnulli nomen ei inditum putant ab Anthemunte opp. Maced. Cf. Ptol. et Isidorus Charac., Strabo XVI. p. 514. al. 748. Hard. ad Plin. 5, 24. s. 21. 6, 26. s. 30. intpp. Ammiani Marc. 4, 3, 3. et Eutrop. 8, 2. et 3. Cellar. geogr. ant. III, 15. p. 603. 605. 619 sq. d'Anville l'Euphrate et le Tigre p. 25. 26. Assemani bibl. orient. 3, 2. p. 731. Schultens. Ind. geogr. v. Racca. — *urbes Macedonibus sitae,* a Maced. positae, conditae, exstructae, ut *urbem a Macedone Philippo sitam* 3, 38 extr. „Immo: a Maced. habitatae, h. e. urbes Macedonum, ut *vallum duabus legionibus situm* H. 4, 22. Ea enim est notissima dativi vis. Hoc tamen minime negat, Macedonas et ipsos illarum urbium auctores fuisse.“ *Walth.* Sed *situm* dici pro *habitatum* haud crediderim. Cf. ad 2, 7, 2. 3, 38, 3. G. 3. n. 7. et Ind. III. v. *Dativus subiectivus.* — *Graeca vocabula usurpant,* Gr. nomina habent; *Ern.* — *Halum* non nisi Tacitus memorat. *Artemita* non Mesopotamiae, ut Plin. 6, 26. perperam dixit, sed Assyriae urbs, (v. Strab. XVI. p. 744.) decem stadiis orientem versus Seleucia distans; *Brot.* — *Scythas inter,* cf. Ind. III. *Praepositiones nominibus postpositae.* — *eductum,* v. ad 1, 4, 5. — *come Tiridatis ingenium,* ut al. *facile, humanum,* benignum, cui opponitur *horridum* 4, 7, 1. et *iniucundum* Agr. 22. — *Romanas per artes:* nam Romae aliquamdiu vixerat. Cf. c. 43 extr.

CAPUT XLII.

Plurimum adulationis Seleucenses induere, civitas potens, septa muris neque in barbarum corrupta, sed conditoris Seleuci retinens. Trecenti opibus aut sapientia delecti ut senatus; sua populo vis: et quoties concordes agunt, spernitur Parthus; ubi dissensere, dum sibi quisque contra aemulos subsidium vocant, accitus in partem adversum omnes valescit. Id nuper acciderat Artabano regnante, qui plebem primoribus tradidit

ex suo usu. Nam populi imperium iuxta libertatem, paucorum dominatio regiae libidini propior est. Tum adventantem Tiridaten extollunt veterum regum honoribus et quos recens aetas largius invenit: simul probra in Artabanum fundebant, materna origine Arsacidem, cetera degenerem. Tiridates rem Seleucensem populo permittit. Mox consultans, quonam die solennia regni capesseret, literas Phraatis et Hieronis, qui validissimas praefecturas obtinebant, accipit brevem moram precantium: placitumque opperiri viros praepollentis; atque interim Ctesiphon sedes imperii petita. Sed ubi diem ex die prolatabant, multis coram et approbantibus Surena patrio more Tiridaten insigni regio evinxit.

1. *Seleucenses*, Seleucia ad Tigrim, al. Babylonia, *civitas potens, septa muris*, cuius conditor Seleucus Nicator, primus Syriae rex post obitum Alexandri M. „*Seleucia* nunc vicus est, dictus *al Modain*. Ex Seleuciae et Ctesiphontis ruderibus Abdalla Almansores anno Hegirae 140. p. Chr. 757. urbem *Bagdad* condidit." *Brot.* Abulfedae temporibus duo ibi oppida fuere, Sabat et Nehri-Schir. Cf. nota 2. et ad 2, 69, 2. 11, 8. Strab. XVI. p. 738. Hard. ad Plin. 6, 26. s. 30. et Mannert. geogr. V, 2. p. 413. — *neque in barbarum corrupta:* „Graece οὐ διαφθαρθεῖσα εἰς τὸ βάρβαρον, (non enim intell. *nomen* vel *morem*) *sed conditoris Seleuci retinens*, h. e. eorum, quae conditoris sunt. Sensus est: Seleucenses non recesserunt ab institutis conditoris, ut ad modum circumiectae regionis barbarorum more agerent. Kiesslingius *barbarum* pro masculino habet, τὸν βάρβαρον, quod durius dictum videtur." *Walth.* Omnino *barbarum* est neutrum, τὸ βάρβαρον, Germ. ausländisches, fremdes Wesen und Sitte, ut H. 5, 2. et *conditor* pro moribus, institutis, legibus conditoris. v. ad 12, 49, 1. *in barbarum corrupta*, cf. Ind. III. v. *Oratio praegnans*. — *spernitur Parthus: ubi* cet. Ita edd. Rhen. 2. 3. et rec. *spernuntur: Parthus, ubi* cet. MS. edd. Ber. Rhen. 1. — *nam populi imperium iuxta libertatem, paucorum dominatio regiae libidini propior est*, ut *velocitas iuxta formidinem, cunctatio propior constantiae est* G. 30. *Iuxta aliquid* esse dicitur quod ei proximum est et simillimum, Germ. nächst, Gr. ἐγγύς, ut ἐγγύτερον οὐδέν ἐστιν ὕπνου τῷ ἀνθρωπίνῳ θανάτῳ ap. Cic. cf. 6, 13. 14, 42. H. 2, 76. G. 21. Liv. 9, 9. „Sensus est: Populi imperium parum abest a libertate, quae contraria regum dominationi. Imitatus est Thucydidem 3, 62. ubi ὀλιγαρχία dicitur esse ἐγγυτάτω τυράννου. Idem 1, 13. ἐγγύτατα τοῦ νῦν τρόπου." *Ern.*

2 *Tiridaten extollunt veterum regum honoribus*, v. ad 1, 2, 6. et 2, 53, 2. — *materna origine Arsacidem*, (cf. ad 2, 1, 1.) *cetera degenerem*, v. ad c. 15. n. 1. *paterna origine* corr. Freinsh. et Ryck. „Rationes ponunt tales: primo, quia 2, 3. *Arsacidarum e sanguine* Artabanus dicitur. Bene respondet Ern. etiam posteros e filiabus sanguinis nostri esse vel e sanguine nostro. Cf. ad 3, 4, 2. et 4, 52, 2. Secundo: quia oppositio non satis constet, quod fuerit per matrem ex gente Arsacidarum, sed *degener*. Respondeo, oppositionem hic non esse eam, quam illi putant. Concedunt Seleucenses, Artabanum materna quidem origine Arsacidem esse, non igitur genuinum Arsacidem et purum, Arsacidem tamen, *cetera*, ceterum vero *degenerem*, ut, si ob originem ferri possit, intolerabilis sit, quia degeneraverit moribus. Tertio: quia matres apud Parthos neque darent neque auferrent nobilitatem, ut pateat in Vologese *materna origine ex pellice Graeca* nato 12, 44. Respondeo, pellicem Graecam non esse parem virgini e stirpe Arsacidarum natae et in ma-

trimonium principis viri collocatae: Cambysem non puduisse Cyri. Quarto: quia nemo apud Parthos assumeretur in regnum, ni Arsacides per patrem 6, 31. Respondeo, ex illo loco hoc non consequi: nam *genus Arsacis* non excludit nepotes filiabus nobili matrimonio oriundos. Ceterum alia etiam sunt indicia, Artabanum materna origine fuisse Arsacidem. Nam 2, 3. ipse dicitur *apud Dahas adultus*; itaque mater principi viro apud Dahas Scythiae populum matrimonio iuncta. (Hinc et Scytharum auxilia ab eo concita c. 44 pr.) Porro Artabanus *Hyrcanis Caramaniisque per affinitatem innexus erat* 6, 36. Quae affinitas monstrat alienam a puris Arsacidis originem. Igitur nil opus est ulla mutatione aut contorta Broterii coniectura, ex qua Arsacidem *materna origine* dixissent, ut spurium indigitarent.“ *Walth.* — *Ctesiphon sedes imperii*, ubi Parthorum reges agebant hiemes. v. Strab. XVI. p. 743. et Herodian. 3, 9. „Ea urbs sive pagus potius vicinus Seleuciae. v. Strabo l. l. Plinius 6, 30. *Ctesiphontem iuxta tertium ab ea* (Seleucia) *lapidem in Chalonitide condidere Parthi.* Conditorem eius Vardanem sive Varanem regem facit Ammianus 23, 6, 23. Pugnat tamen iis Procop. B. Pers. 2, 28. *apud Assyrios civitates duae maximae sunt Seleucia et Ctesiphon, Macedonum aedificia.* De Ctesiphontis situ et duplici munitissima arce v. Gregor. Naz. orat. IV. in Iulianum.“ *Lips.* Urbs antiquissima potius et celeberrima *Ctesiphon,* olim vocata Esphanir et Chalneh s. Chalno, (כלנה et כלנו Gen. 10, 10. Ies. 10, 9. Amos. 6, 2.) sita in orientali Tigris ripa, ut *Seleucia* ei opposita in occidentali; unde Arab. *Madain* s. *Modain*, h. e. duo oppida, quae postea in unum coaluisse creduntur. v. Bocharti Canaan 4, 18. Michaelis Spicileg. geogr. ext. T. II. p. 228—231. Mannert. geogr. V, 2. p. 405. Abulfedae dicitur *Tisbon.* — *Surena* titulus dignitatis supremae vel secundae post regem apud Persas, Germ. Grofs-Wessir; *Wagner* ad Ammian. 24, 2, 4. 30, 2, 5. „Cf. Strab. XVI. p. 747. Plut. in Crasso c. 56. 59. p. 561. 562. Zosim. 3, 15.“ *Ern.* v. etiam Brisson. de regno Pers. l. 1. et Appian. in Parth. — *Tiridaten insigni regio evinxit*, ut 15, 2. *diademate caput Tiridatis evinxit.* v. ad c. 37. n. 1.

CAPUT XLIII.

Ac si statim interiora ceterasque nationes petivisset, oppressa cunctantium dubitatio et omnes in unum cedebant: assidendo castellum, in quod pecuniam et pellices Artabanus contulerat, dedit spatium exuendi pacta. Nam Phraates et Hiero et si qui alii delectum capiendo diademati diem haud concelebraverant, pars metu, quidam invidia in Abdagesen, qui tum aula et novo rege potiebatur, ad Artabanum vertere. Isque in Hyrcanis repertus est illuvie obsitus et alimenta arcu expediens. Ac primo, tanquam dolus pararetur, territus: ubi data fides, reddendae dominationi venisse, allevatur animum et, quae repentina mutatio, exquirit. Tum Hiero pueritiam Tiridatis increpat, neque penes Arsacidem imperium, sed inane nomen apud imbellem externa mollitia, vim in Abdagesis domo.

1. *Ac si statim interiora — petivisset — omnes in unum cedebant,* v. ad 4, 9, 1. — *oppressa cunctantium dubitatio* sc. erat. Cf. Ind. III. v. *Ellipses* l. *a.* *dubitatione, omnes* corr. Freinsh. quod elegantius videbatur Ernestio. „Immo vitiosum puta. Nam sic opprimenda cunctantium dubitatio ponitur ut non pendens ex illa conditione *si-petivissent*, et quasi *per se constans.* Verum duo hic distinguuntur, quae inde pen-

debant." *Walth.* — *omnes in unum cedebant,* v. ad 1, 1, 2. — *assidendo castellum:* „Sic *moenia Urbis assidens* 4, 58 extr. et al. *praesidere.* Cf. ad 3, 39, 1. et 4, 58, 3. *Assidere* promiscue pro *obsidere* dictum affirmat Kritz. in Allg. Schulzeitung a. 1830. n. 16. p. 127. Quod multum a vero abest: nam *assidere* significanter exprimit inertem irritamque moram." *Walth.* Sic *sedere, considere, assidere castris* cet., Gr. ἧσθαι, καθῆσθαι. *Civilis omissa oppugnandi spe rursus per otium assidebat* sc. castra s. castris Rom. H. 4, 30 extr. — *capiendo diademati,* v. ad c. 37. n. 1. — *diem haud concelebraverant* edd. Pich. et rec. *diem haci conc.* MS. edd. Ber. Rhen. 1. *d. non conc.* edd. Rhen. 2. 3. Ald. cet. *navi non conc.* corr. Faernus. „Consideres, an sit legendum *gnari non celebraverant:* nam verbo comp. non utique opus est. *Gnari* sunt, quibus nuntiatum erat, illum diem capiendo diademati delectum, ut praesto adessent." *Walth.* Ad illum diem spectant verba extrema cap. 42. In MS. saepe *hau* pro *haud* vel *haut* positum; *Iac. Gron.* — *Abdagesen:* in plerisque edd. inde a Rhen. 2. 3. *Abdagesem.* Cf. ad 11, 8. *Abdacesen* MS. edd. Ber. Rhen. 1. Sed paulo post et c. 36. 37. *abdagaesis* et *abdagaesen.* — *novo rege potiebatur,* eum ex arbitrio suo regebat; *Ern.* — *vertere* scil. se. Cf. Ind. II.

2. *alimenta arcu expediens,* venatu sibi parans; *Ern.* „Sic *expedire pecunias* ap. Suet. Iul. c. 4." *Walth.* — *reddendae dominationi venisse* sc. *se,* nisi id excidit. Cf. ad 5, 5, 1. et Ind. III. v. *Dativus obiectivus.* — *allevatur animum,* v. ad 2, 17, 2. et Ramshorn. Gram. p. 235. — *neque penes Arsacidem imperium esse.* Cf. ad c. 42. n. 2. — *inane nomen - vim* cet. v. ad 3, 17, 2. — *externa mollitia,* Romana. Cf. cap. 41 extr.

CAPUT XLIV.

Sensit vetus regnandi, falsos in amore odia non fingere: nec ultra moratus, quam dum Scytharum auxilia conciret, pergit properus et praeveniens inimicorum astus, amicorum poenitentiam; neque exuerat paedorem, ut vulgum miseratione adverteret. Non fraus, non preces, nihil omissum, quo ambiguos illiceret, prompti firmarentur. Iamque multa manu propinqua Seleuciae adventabat, quum Tiridates, simul fama atque ipso Artabano perculsus, distrahi consiliis, iret contra an bellum cunctatione tractaret. Quibus proelium et festinati casus placebant, disiectos et longinquitate itineris fessos, ne animo quidem satis ad obsequium coaluisse disserunt, proditores nuper hostesque eius, quem rursum foveant. Verum Abdageses regrediendum in Mesopotamiam censebat, ut amne obiecto, Armeniis interim Elymaeisque et ceteris a tergo excitis, aucti copiis socialibus et quas dux Romanus misisset, fortunam tentarent. Ea sententia valuit, quia plurima auctoritas penes Abdagesen et Tiridates ignavus ad pericula erat. Sed fugae specie discessum; ac principio a gente Arabum facto, ceteri domos abeunt vel in castra Artabani, donec Tiridates cum paucis in Syriam revectus pudore proditionis omnes exsolvit.

1. *Sensit* Artabanus *vetus regnandi,* (v. ad 2, 66, 2.) *falsos in amore odia non fingere,* proditores antea et hostes falso quidem profiteri amorem, at eosdem in amore falsos *non fingere odia* adversus Tiridatem; *Brot.* „*Humanae mentes frustratae boni spe asperius offenduntur,* quum

mutato rectore flagitioso aerumnarum vis manet Aurel. Vict. de Caes. c. 40 extr." *Gron.* — *nec ultra:* in ed. Walth. *non ultra.* — *quam dum* edd. Rhen. 2. 3. et dein omnes. *quam tum* MS. *quantum* edd. Ber. Rhen. 1. — *Scytharum auxilia,* v. ad c. 42. n. 2. — *neque exuerat paedorem,* squalidas lacerasque vestes; *Brot.* Cf. c. 43. *repertus est illuvie obsitus. paedorem* edd. Rhen. 1. Lips. posteriores, Pich. et dein omnes. *pedorem* edd. Ber. Rhen. 2. 3. Ald. Lips. 1. — *ut vulgum miseratione adverteret,* v. ad 1, 41, 1. et 2, 29, 1. — *prompti,* v. ad 4, 60, 3.

2. *simul fama* de reditu Artabani *atque ipso Artabano,* inopinato ipsius Artabani adventu. Paulo ante *adventabant* MS. — *percussus* MS. edd. Ber. Rhen. 1. Micyll. *perculsus* edd. Rhen. 2. 3. Ald. et rec. quod praeferendum videtur. v. ad 1, 12, 3. *quum Tiridates — distrahi consiliis,* v. ad 2, 40, 1. — *iret contra an bellum cunctatione tractaret,* cf. Ind. II. v. *Tractare* et Ind. III. v. *Ellipses n. 8.* — *proelium et festinati casus,* proelium festinatum, licet *eventus ambigui.* — *disiectos,* v. ad 1, 32, 2. — *ad obsequium coaluisse,* v. ad 3, 38, 3.

3. *amne obiecto,* Tigri, ad quem sita Seleucia. — *Elymaeisque,* inter Parthos, Medos et Mesopotamiam incolentibus a Media usque ad sinum Persicum. *elimeisque* MS. — *ignavus ad pericula* MS. (teste Pich. non Vict.) edd. Pich. et rec. *ignarus ad p.* edd. vet. quod pueritiae Tiridatis (c. 43.) magis convenit; *Roth.* ad Tac. Agr. p. 158. — *fugae specie discessum,* defectum ab eo, relictus est; *Ern.* — *Tiridates cum paucis in Syriam revectus,* h. e. reditus eius in Syriam. cf. Ind. III. v. *Participia Perf. pass. pro Substant. abstractis.* — *pudore proditionis omnes exsolvit,* effecit, ut non esset amplius cur puderet eos proditionis, ut sine proditionis infamia eum deserere possent et ad Artabani partes transire. Cf. ad H. 3, 61, 3. et G. 24. n. 9.

CAPUT XLV.

Idem annus gravi igne Urbem afficit, deusta parte Circi, quae Aventino contigua, ipsoque Aventino. Quod damnum Caesar ad gloriam vertit exsolutis domuum et insularum pretiis. Millies sestertium ea munificentia collocatum; tanto acceptius in vulgum, quanto modicus privatis aedificationibus. Ne publice quidem nisi duo opera struxit, templum Augusto et scenam Pompeiani theatri; eaque perfecta, contemptu ambitionis an per senectutem, haud dedicavit. Sed aestimando cuiusque detrimento quatuor progeneri Caesaris Cn. Domitius, Cassius Longinus, M. Vinicius, Rubellius Blandus delecti additusque nominatione consulum P. Petronius. Et pro ingenio cuiusque quaesiti decretique in Principem honores. Quos omiserit receperitve, in incerto fuit ob propinquum vitae finem. Neque enim multo post supremi Tiberio consules, Cn. Acerronius, C. Pontius, magistratum occepere, nimia iam potentia Macronis, qui gratiam C. Caesaris nunquam sibi neglectam acrius in dies fovebat, impuleratque post mortem Claudiae, quam nuptam ei retuli, uxorem suam Enniam immittendo amore iuvenem illicere pactoque matrimonii vincire nihil abnuentem, dum dominationis apisceretur. Nam etsi commotus ingenio simulationum tamen falsa in sinu avi perdidicerat.

1. *Idem annus* (cf. Ind. II. v. *Annus* et ad 12, 49, 1.) *gravi igne Urbem afficit* etc., ut et exundatione Tiberis. v. Dio 58, 26. Utriusque mali saepe fit mentio. Cur frequentissima fuerit haec inundatio, v. ad 1, 76, 1. Praecipuae

autem et incendiorum et obscuritatis ruinarumque causae fuerunt altitudo aedificiorum et angustiae viarum. Hinc etiam modus aedificiorum ab Augusto definitus et mensor eorum fuit inter magistratus. Cf. ad 4, 64, 1. Strab. V. p. 235. Aur. Vict. epit. 13. Reines. synt. inscr. 9, 85. Sen. contr. CCXIX. 9, 2. et 11. Vitruv. 2, 9. Iuvenal. 3, 6 sq. Heubach. comm. de politia Rom. §. 17. et 45. — *deusta parte Circi* maximi ut 15, 38. — *Aventino* sc. monte, vel ut *Aventinum* H. 3, 70. 85. Gr. τὸ Ἀβεντῖνον sc. ὄρος. — *domuum et insularum* combustarum. *Insulas* nonnulli putant aedes dici aliis a nulla parte iunctas, alii aedes plures unius domini iunctas, de omni parte liberas et egenis locandas, (v. Ern. clav. Cic., Manut. et Graev. ad Cic. Coel. 7. Casaub. ad Suet. Iul. c. 42.) sed Niebuhr. hist. Rom. T. II. p. 340. ed. 2. aedes, quarum tabulata singula locarentur. — *Millies sestertium ea mun.* collocatum, (erogatum; *Ern.*) ut a. U. 780. deusto Coelio monte. v. 4, 64. et Suet. Tib. 48. *in* pro *ea* MS. — *tanto acceptius in vulgum, quanto modicus* cet. cf. Ind. II. v. *In* et Ind. III. v. *Comparationis usus modusque* n. 2. *a.* — *modicus* (parcus) *privatis aedificationibus*, v. ad c. 30. n. 2. 3, 37, 2. 12, 49, 1. — *templum Augusto — dedicavit*, cf. Dio 57, 10. Suet. in Tib. 47. in Cal. 21. Vell. 2, 130. De *Pompeiano theatro* v. ad 3, 72, 3. — *perfecta*, semiperfecta ap. Suet. l. l. — *contemptu ambitionis an per senectutem*, cf. Ind III. v. *Ellipses* n. 8. et *Constructio verborum variata*. — *aestimando cuiusque detrimento — delecti*, cf. Ind. III. v. *Dativus* n. 3. — *quatuor progeneri Caesaris* cet. „Ex his *Rubellius Blandus*, Iuliae Drusi filiae, Tiberii neptis, coniux, solus fuit natura *progener*, ceteri adoptionis iure. *Cn. Domitius* Agrippinam, *Cassius Longinus* Drusillam, *M. Vinicius* Iuliam a. Livillam, Germanici filias, uxores duxerant.“ *Brot.* Cf. Ind. I. et 4, 75. 6, 15. 27. — *cuiusque*: in MS. *cuius*.

2. *supremi Tiberio consules*, ab eo destinati. — *Cn. Acerronius* Proculus et *C. Pontius Nigrinus*: ita ap. Dion. 58, 27. in lap. ant. ap. Onuphr. et in alio ap. Fabrett. p. 674. In hoc alter consul vocatur *C. Petronius Pontius Nigrinus*, sed vitiose *Portius* in MSS. et edd. vet. Suet. Tib. 73. Cf. ibi intpp. et inf. ad 14, 5, 1. — *Macronis*, v. ad c. 15. n. 3. et Ind. I. — *C. Caesaris*, Caligulae. — *post mortem Claudiae, quam nuptam ei retuli* c. 20. Eam ex partu mortuam dicit Suet. Cal. 12. et Philo legat. ad Caium p. 1000. sed repudiatam Dio 59, 8. — *impuleratque — uxorem suam Enniam immittendo amore iuvenem illicere* cet. cf. Dio 58, 28. et Suet. Cal. 12. Si illi fides habenda, Macro ἐς ἔρωτα αὐτὸν (C. Caesarem) τῆς ἑαυτοῦ γυναικὸς Ἐννίας Θρασύλλης προὐπήκτο, si huic, C. Caesar *Enniam Naeviam Macronis uxorem sollicitavit ad stuprum, pollicitus et matrimonium suum, si potitus imperio fuisset, et per hanc insinuatus Macroni veneno Tiberium aggressus est*. „Taciti verba triplici modo accipi possunt. Alii coniungunt *immittendo amore*, quae ratio parum subsidii habet a loquendi usu. Alii malunt *impuleratque — Enniam immittendo*, unde in edd. Rhen. Ald. aliisque comma post *immittendo* positum. Ita accusativus ad utrumque verbum pertinet, (v. ad H. 1, 64.) et *immittendo* dictum pro *immittens*, (ut *obiectando* c. 38. pro *obiectans*) et ut *immittere aliquem accusando alicui* 11, 1. Sed melius fortasse *impulerat* referemus ad *gratiam* ut sit: impulsum addiderat suae apud Caium gratiae, h. e. enixiore et peculiari quadam opera incitaverat, scil. *Enniam immittendo*. Tum infinitivi *illicere* et *vincire* constructione graeca positi pro ὥστε cum infinit. (cf. ad 11, 1.) et *amore illicere* dictum ut *pellicere adulterio* 4, 3. ubi v. nota 2. Postremam rationem video et Rothio acceptam in Seebodii Neuem Archiv für Philol. u. Paedag. a. 1830. p. 29.“ *Walth.* Haec potius ratio parum subsidii habet a loquendi usu, plus prima, quam solam probarunt Wopkensius in Act. Traiect. et Walch. in Emend. Liv. p. 98. *Impulerat illicere* et

vincire dictum ut 13, 19. 14, 60. et similia, (cf. Ind. III. v. *Infinitivi* n. 7.) *immittendo amore* ut alia, de quibus v. Ind. III. v. *Gerundia et Gerundiva in Ablativo*, et *immittere amorem alicui* pro *inspirare*, ut ap. Sen. Herc. Oet. v. 554 sq. *Immitte amorem: vincat exempla omnia. Amare discat coniuges. Si quas decor Immisit Ioles pectori Herculeo faces, Exstingue totas.* Saepius hostili animo aliquid alicui *immitti* dicitur, ut 3, 16. 4, 19. 54. 73. 11, 1. 12, 54. H. 2, 29. Agr. 18. Cf. Cort. ad Sall. Cat. 48. et ad Plin. ep. 6, 31. inpr. Roth. ad Tac. Agr. p. 269 sqq. Ceterum paene eadem de arte et consilio Othonis traduntur 13, 46. — *dum dominationis apisceretur*, v. ad 3, 55, 1. et Ind. II. v. *Apisci*. — *commotus ingenio*, v. ad 1, 33, 2. et 3, 26, 1. — *simulationum falsa*, cf. Ind. III. v. *Adiectiva neutra pro Substant. posita* p. 805. — *in sinu avi perdidicerat*; frustra *aviae* (Liviae, omnium artium istius generis peritissimae, etsi propr. proaviae) corr. Casaub. ad Suet. Cal. 10. „Non minor simulandi magister Tiberius *avus*, et in huius contubernio iam quadriennium exegerat. Cf. c. 20. et Suet. l. l." *Ryck.* — *in sinu avi*: „*Sinus* proprie spatium togae pectori proximum; hinc pectus, gremium et transl. consuetudo familiaris, ut Agr. 4. O. 28. Inde sinus maris, ora eius et regio, quae alteri se quasi insinuat, ut 4, 67. 14, 9. H. 3, 66. G. 1. 37. Agr. 23. mediterraneus terrae angulus, ut 4, 5. G. 29. quod est in medio et parte interiore, ἐν μυχῷ οἴκου, γῆς, ut 13, 40. H. 3, 38. locus abditus, latebrae, ut H. 2, 92. 4, 14. recessus, refugium, ut Agr. 30. potestas, (nam quae quis in sinu habet, qui crumenae vice fungebatur, ea possidet) ut H. 1, 52. 3, 19. 69." *Boett.* in Lex. Tac. Cf. ad Agr. 4. n. 4. et O. 28. n. 2.

CAPUT XLVI.

Gnarum hoc Principi, eoque dubitavit de tradenda re publica primum inter nepotes, quorum Druso genitus sanguine et caritate propior, sed nondum pubertatem ingressus; Germanici filio robur iuventae, vulgi studia, eaque apud avum odii causa. Etiam de Claudio agitanti, quod is composita aetate, bonarum artium cupiens erat, imminuta mens eius obstitit. Sin extra domum successor quaereretur, ne memoria Augusti, ne nomen Caesarum in ludibria et contumelias verterent, metuebat: quippe illi non perinde curae gratia praesentium quam in posteros ambitio. Mox incertus animi, fesso corpore, consilium, cui impar erat, fato permisit, iactis tamen vocibus, per quas intelligeretur providus futurorum. Namque Macroni non abdita ambage *Occidentem ab eo deseri, Orientem spectari*, exprobravit, et C. Caesari, forte orto sermone L. Sullam irridenti, *omnia Sullae vitia et nullam eiusdem virtutem habiturum*, praedixit. Simul crebris cum lacrimis minorem ex nepotibus complexus, truci alterius vultu, *occides hunc tu*, inquit, *et te alius*. Sed gravescente valetudine nihil e libidinibus omittebat, in patientia firmitudinem simulans solitusque eludere medicorum artes atque eos, qui post tricesimum aetatis annum ad internoscenda corpori suo utilia vel noxia alieni consilii indigerent.

1. *Gnarum hoc Principi*, scil. talem esse et Caium et Macronem, alia utriusque ingenia, consilia et artes. Cf. seqq. *Gnarum*, v. ad 1, 5, et Ind. II. — *eoque dubitavit de* cet. cf. ad 1, 16, 1. et 4, 40, 3. *dubitavit inter nepotes*, cf. Ind. II. v *Inter*. — *quorum* sc. alter, vel e

quibus ille *Druso genitus*, Tiberius. v. ad 2, 84, 1. — *sanguine et caritate propior*, propinquior; *Ern*. Oberat tamen matris impudicitia; *Mur*. *caritate* edd. Ber. Lips. et rec. *charitate* edd. Rhen. et cet. — *Germanici filio*, Caio Caesari, Caligulae — *vulgi studia*, cf. 1, 41. Suet. Cal. 9. 14. 15. — *de Claudio agitanti* mente consilia. v. ad Agr. 13. n. 4. — *quod is composita aetate*, ea aetate, qua hominum animus solet esse *compositus*, ab affectibus motibusve vehementioribus iuvenum alienus, placidus et sedatus. *Ern*. et *Walth*. Germ. gesetztes Alter. Sic et 13, 1. Cf. ad 1, 1, 4. — *bonarum artium cupiens erat*, cf. 11, 13. 24. 12, 43. 13, 3. Suet. Claud. 3. 41. 42. — *imminuta mens eius*, mentis imbecillitas; unde inter ludibria aulae erat. v. 3, 18. 11, 3. 13. 28. 12, 3. 67. Suet. Claud. c. 2—5. Iuvenal. 6, 115 sq. 620 sq. *obstitit*, cf. ad 11, 3, 1. — *ne memoria Augusti, ne nomen Caesarum in ludibria et contumelias verterent*, v. ad 12, 26, 2. *verterent* MS. edd. Ber. Rhen. Ald. Micyll. Pich. et rec. *verteret* edd. Lips. et Grut. Utrumque probum: nam duo h. l. sunt subiecta; *Walth*. — *perinde*, cf. Ind. II. — *gratia praesentium* hominum, *quam in* (inter, apud) *posteros ambitio*, ut *gloria ad posteros* 1, 8. et *fama in Sabinos* ap. Liv. 1, 18. Haec pro *in posteris* et *in Sabinis* dicta censet Walch. emend. Liv. p. 46.

2. *iactis tamen vocibus*, cf. ad 11, 9, 2. et Ind. II. v *Iacere*. — *occidentem* solem *ab eo deseri*, Tiberium mox moriturum nec diu potentia usurum, *orientem spectari*, C. Caesarem ei in imperio successurum captari. Cf. Dio 58, 28. „Simile dictum memorat Xiphil. 71, 34. et illud Pompeii de Sulla Plut. in Pomp. c. 22. p. 625. ὅτι τὸν ἥλιον ἀνατέλλοντα πλείονες ἢ δυόμενον προςκυνοῦσιν, ὡς αὐτῷ μὲν αὐξανομένης, μειουμένης δὲ καὶ μαραινομένης ἐκείνῳ τῆς δυνάμεως. Fons dicti acuti ab eo, quod plerisque populis religione receptum, salutare solem orientem. v. ad H. 3, 24.“ *Lips*. Similiter ap. Stat. Theb. 1, 170. *venturus amatur*; *Oberl*. — *minorem ex nepotibus*, Tiberium. v. ad 2, 84, 1. — *complexus*, v. ad 1, 40, 2. — *alterius* nepotis, C. Caesaris, *truci vultu*, cf. Ind. v. *Adiectiva in sexto casu absolute posita*. — *Occides* (C. Caesar) *hunc* (Tiberium) *tu*, *et te alius*, Chaerea. Cf. ad 2, 84, 1. Dio 58, 22. Suet. Cal. 23. et 58.

3. *in patientia firmitudinem simulans*: Muretus coni. *impatientia* (libidinum); Ern. *intemperantia*, (coll. Suet. Tib. 72. *partim intemperantia, partim dissimulatione*) Crollius *et patientia*, Hillerus *impotentia* (libidinum), Heinsius *nihil e libidinis omittebat impatientia, firmitudinem simulans*. „Sed nihil laborat vulgatum. *In patientia* dicitur ut *in metu*, *in gaudio*, *in tristitia* aliaque. Iam in metu fortitudinem, in gaudio tristitiam, in tristitia gaudium *simulare* est fortitudinem, tristitiam, gaudium simulare, licet intus sis metuens, gaudens, tristis. Ita Tiberius *in patientia*, ἐν μέσῃ τῇ ἀσθενείᾳ, μεταξὺ ἀσθενῶν, *firmitudinem simulat*, h. e. praetulit firmitudinem, licet verus status, in quo versabatur, erat patientia. Nam *patientia* hic metonymice ut saepissime dicitur pro iis, quae quis patitur. Sic 6, 1. ap. Sen. nat. qu. 1, 16. (*est aliqua etiam prostitutis modestia, et illa corpora publico obiecta ludibrio aliquid, quo infelix patientia lateat, obtendunt*) et ep. 78. 82. 97. v. Roth. Quaest. gram. in Seebodii Neuem Archiv für Phil. u. Paed. a. 1830. n. 3. et 4.“ *Walth*. Cf. ad 6, 1, 2. 12, 49, 1. *firmitudinem*, v. ad c. 24. n. 1. — *solitusque eludere* (v. ad 2, 79, 1.) *medicorum artes atque eos, qui post tricesimum aetatis annum* cet. cf. cap. 50. Suet. Tib. c. 68 extr. et Plut. de valet. tuenda c. 49. p. 136. ἤκουσα Τιβέριόν ποτε Καίσαρα εἰπεῖν ὡς ἀνὴρ ὑπὲρ ἑξήκοντα (immo τριάκοντα, *Lips*. ut ap. Tac. et Suet.) γεγονὼς ἔτη καὶ προτείνων ἰατρῷ χεῖρα καταγέλαστός ἐστιν. „Contra sapientum praecepta id factum dicit Broukhus. ad Suet. l. c. ubi laudavit Cic. de off. 2, 14. Atqui sic fere Socrates ap. Xenoph. mem. Socr. 4, 7, 9.“ *Ern*.

CAPUT XLVII.

Interim Romae futuris etiam post Tiberium caedibus semina iaciebantur. Laelius Balbus Acutiam P. Vitellii quondam uxorem maiestatis postulaverat, qua damnata, quum praemium accusatori decerneretur, Iunius Otho tribunus plebei intercessit: unde illis odia, mox Othoni exsilium. Dein multorum amoribus famosa Albucilla, cui matrimonium cum Satrio Secundo coniurationis indice fuerat, defertur impietatis in Principem. Connectebantur et conscii et adulteri eius Cn. Domitius, Vibius Marsus, L. Arruntius. De claritudine Domitii supra memoravi. Marsus quoque vetustis honoribus et illustris studiis erat. Sed testium interrogationi, tormentis servorum Macronem praesedisse, commentarii ad senatum missi ferebant; nullaeque in eos Imperatoris literae suspicionem dabant invalido ac fortasse ignaro, ficta pleraque ob inimicitias Macronis notas in Arruntium.

1. *Laelius Balbus*: in MS. *Laetius B.* — *maiestatis postulaverat*, v. ad 1, 74, 1. — *qua damnata quum praemium accusatori decerneretur*, v. ad 4, 30, 2. — *Iunius Otho*: in MS. *iunius artho* et deinde *mox athoni*. — *unde illis odia*, h. e. Balbo et Othoni, illi apud senatum populumque, huic apud dominantes; *Pich.* „Immo: ipsis inter sese; quae odia Balbus exsecutus est accusatione et damnatione Othonis. Inde *mox Othoni exsilium* fuit.“ *Gron.*

2. *cum Satrio Secundo*, Seiani cliente *et coniurationis* Seiani *indice*, cf. 4, 34. et 6, 8. — *defertur impietatis in Principem*, v. ad 1, 72, 2. et 1, 74, 1. — *et adulteri eius*, etiam ad. e. — *Arruntius*: in ed. Ber. *Aruncius*, in Rhen. 1. *Arruncius.* — *de claritudine Domitii supra memoravi* 4, 75. — *Marsus quoque vetustis honoribus — erat*, cf. Ind. III. v. *Ablativi qualitatis.* — *testium interrogationi:* „Ea est actoris, quum testem sive suum sive adversarii interrogat: cuiusmodi est oratio Cic. in Vatin. ex qua intelligitur, etiam obiecta esse testibus interrogando, quibus fides eorum infirmari posset. cf. Casaub. ad Suet. Oct. c. 33.“ *Ern.* clav. Cic. — *Macronem praesedisse:* in MS. *M. praesidiis se.* „Ille exercebat tormenta non ex senatus auctoritate, sed e sua et Tiberii voluntate. Quae extorserat, *ad senatum mittebantur* in *commentariis* designata, quasi re satis explorata et ad sententiam ferendam praeparata. Dio 58, 24. ἀφείθη μὲν γὰρ τῶν αἰτιαθέντων τότε οὐδείς, πάντες δ᾽ ἠλίσκοντο, οἱ μὲν πλείους ἐκ τῶν τοῦ Τιβερίου γραμμάτων καὶ ἐκ τῶν τοῦ Μάκρωνος βασάνων cet.“ *Walth.* — „*Commentarii* in genere sunt libri, in quibus memoriae causa res perscribimus quascunque, unde de tabulis acceptorum et expensorum, de tabulis censoriis, libris pontificum saepe dicitur. *Commentarii regum* ap. Cic. p. Rabir. perd. 5. sunt libri, in quibus regum leges scriptae sunt, ut illa constitutio de iudicando perduelle. *Commentarii* h. l. intell. in quos relata erant, quae testes et servi torti edidissent.“ *Ern.* ad h. l. et in Clave Cic. „*Commentarii* sc. libri sive *commentaria* sc. scripta dicebantur libri, in quibus non fuse lateque, sed breviter et veluti per capita res describerentur; unde et *commentarios* in auctorum scripta *expositiones* potius et rectius *commentationes* (meditationes) dixeris, etsi scio, a Gell. 2, 6. laudari *commentaria in Virgilium composita.* Vocantur etiam *Diurna, Ephemerides, Regesta* a verbo *regerere*, quo Quintil. usus est, unde vulgo *Registra.* Hinc et *commentarienses*, a quibus vel Principum commentaria vel nomina detentorum perscribebantur et acta, quoties apud fiscum agebatur. Huiusmodi vero commentarii s. commen-

taria erant omnium fere magistratuum, regum, praetorum, pontificum, imperatorum, publica et urbana.“ *Marc. Donatus. Commentarii* vocantur etiam *acta*, (unde *commentarii senatus*, in quibus dicta et acta in senatu perscriberentur, Ann. 15, 74. id. qd. *acta senatus*) *diaria*, Gr. *ὑπομνήματα, ἐφημερίδες*, Gall. *Mémoires*. Cf. ad 3, 3, 1. H. 4, 40, 9. O. 23. n. 3. — *ferebant*, v. ad 1, 5, 5 extr.

CAPUT XLVIII.

Igitur Domitius defensionem meditans, Marsus, tanquam inediam destinavisset, produxere vitam: Arruntius cunctationem et moras suadentibus amicis, *Non eadem omnibus decora*, respondit: *sibi satis aetatis, neque aliud poenitendum quam quod inter ludibria et pericula anxiam senectam toleravisset, diu Seiano, nunc Macroni, semper alicui potentium invisus, non culpa, sed ut flagitiorum impatiens. Sane paucos et supremos Principis dies posse vitari: quemadmodum evasurum imminentis iuventam? An, quum Tiberius post tantam rerum experientiam vi dominationis convulsus et mutatus sit, C. Caesarem, vix finita pueritia, ignarum omnium aut pessimis innutritum, meliora capessiturum Macrone duce, qui ut deterior ad opprimendum Seianum delectus plura per scelera rem publicam conflictavisset? Prospectare iam se acrius servitium eoque fugere simul acta et instantia.* Haec vatis in modum dictitans venas resolvit. Documento sequentia erunt, bene Arruntium morte usum. Albucilla irrito ictu a semet vulnerata iussu senatus in carcerem fertur. Stuprorum eius ministri, Carsidius Sacerdos praetorius, ut in insulam deportaretur, Pontius Fregellanus amitteret ordinem senatorium, et eaedem poenae in Laelium Balbum decernuntur. Id quidem a laetantibus, quia Balbus truci eloquentia habebatur promptus adversum insontes.

1. *cunctationem et moras* synonyma, ut 4, 11. *moram* in aliquot edd. med., non in vett. De L. *Arruntio* v. ad 1, 13, 1. — *inter ludibria et pericula* cet. cf. cap. 5. 6. 7. *pericularia* MS. Hinc *pericula paria, p. talia, p. tot, p. vix, p. sui, p. iis* coniecere viri docti et *pericula varia* Lips. quod ceteris praeferendum. Cf. tamen ad 1, 44, 2 extr. — *Sane*, v. ad 3, 6, 2. — *paucos et supremos* edd. Rhen. 2. 3. Ald. et rec. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin* n. II. *suprema* edd. Ber. Rhen. 1. — *quemadmodum evasurum* sc. *se*. Cf. Ind. III. v. *Ellipses* n. 14. — *imminentis* Principis, C. Caesaris. v. ad 1, 4, 3. — *vi dominationis convulsus*, v. ad 4, 40, 1. — *conflictavisset*, cf. Ind. II. et Wakefield ad Lucret. 5, 965. — *acrius servitium*, v. ad 1, 5, 5. et 3, 28, 3. — *acta et instantia*, praeterita, quibus odio et honore, futura, quibus metu impleretur. — *venas resolvit*, v. ad 4, 22, 2. — *bene Arruntium morte usum*, eum bene fecisse, quod mortem voluntariam sibi conscivisset.

2. *Albucilla*, v. cap. 47. — *a semet vulnerata* edd. Rhen. 2. 3. Ald. et rec. *ac s. v.* edd. Ber. Rhen. 1. — *irrito ictu a semet vulnerata iussu senatus in carcerem fertur*, cf. ad 4, 30, 2. et 6, 40, 1. — *Stuprorum eius ministri*, a quibus stuprata fuerat; *Ern.* Cf. cap. 47. — *Carsidius Sacerdos*, v. ad 4, 13, 3. *Grasidius S.* edd. vet. ante Ern. — *ut in insulam deportaretur*, v. ad 1, 3, 6. *deportaretur* edd. Rhen. 2. 3. Ald. et rec. *deportatur* edd. Ber. Rhen. 1. — *amitteret ordinem senatorium*, v. ad 12, 4, 4. — *eaedem poenae*: in MS. *aedem paene*. — *decernuntur*,

verbum postremo praedicato accommodatum; ad priora intell. *decretum, ut.* — *id quidem a laetantibus* senatoribus sc. *decretum,* vel *actum, factum.* Illud intell. ex praec. verbo *decernuntur;* hoc multis locis v. c. 14, 6 extr. ad *id tantum,* H. 3, 63 pr. ad *id ipsum* et alibi. Cf. ad Agr. 19. n. 2. et Ind. III. v. *Ellipses* n. 2. — *Balbus truci eloquentia* sc. *ὤν.* Cf. Ind. III. v. *Ablativi qualitatis* et *Ellipses* n. 1. *γ.* Sic *trux oratio, ingenium, sententia, orator* H. 2, 42. Liv. 3, 54. 29, 19. 34, 5. — *habebatur,* credebatur, vel erat. Cf. Ind. II. — *promptus,* cf. ad 1, 13, 1.

CAPUT XLIX.

Iisdem diebus Sex. Papinius, consulari familia, repentinum et informem exitum delegit iacto in praeceps corpore. Causa ad matrem referebatur, quae pridem repudiata assentationibus atque luxu perpulisset iuvenem ad ea, quorum effugium non nisi morte inveniret. Igitur accusata in senatu, quanquam genua Patrum advolveretur luctumque communem et magis imbecillum tali super casu feminarum animum aliaque in eundem dolorem maesta et miseranda diu ferret, Urbe tamen in decem annos prohibita est, donec minor filius lubricum iuventae exiret.

1. *Sex Papinius consulari familia,* cf. ad 3, 52, 1. et 6, 40, 1. — *exitum,* v. ad 2, 71, 1. — *quae pridem repudiata* a filio, quum ad incestum pellicere eum conata esset. — *assentationibus atque luxu:* „haec per *ἓν διὰ δυοῖν* dicta pro *assentationibus luxus.* Non dubium quin vocem *assentationibus* consulto elegerit Tacitus ad rem exprimendam, quum vocibus *lenocinari, irritare, irritamenta, blandiri, blandimenta* et aliis ad eam rem indicandam uti posset, si lenociniis quibusdam muliebribus illectum peccasse Papinium dicere vellet: honesto autem vocabulo *indulgentiae* (Agr. 4.) abuti noluit. Nec vero probabile, matrem incestam eamque pridem repudiatam posse blandimentis sermonis fallacibus filio persuadere, ut flagitium admittat. Id superest, quod rei maxime consentaneum videtur: assentando luxum sive iuvando animum filii ad luxuriam proni." *Roth.* p. 34. Cf. Ind. III. v. *Hendiadyoin* I, 2. — *perpulisset iuvenem ad ea, quorum — inveniret,* h. e. ad incestum. Cf. ad 15, 68, 1. „*Cicero thalamum invasit natae* Serv. ad Virg. Aen. 6, 623." *Lips.* Cf. Mureti Varia 1, 12.

2. *quanquam genua Patrum advolveretur,* v. ad 1, 13, 5. *genua patris* MS. — *luctumque communem* parentum in morte liberorum; *Ern.* „Lipsius iocatur tantum verbis: anne etiam *lectum?* Non damnavit *luctum.*" *Walth.* — *alia in eundem dolorem maesta,* cf. Ind. III. v. *In* p. 668. — *diu ferret,* diceret, dicendo prae se ferret, ut 2, 43. 3, 41. 6, 11. 11, 18 31. 15, 8. 46. 16, 2. H. 2, 26. O. 25. *diu* significat mulieris loquacitatem, qua in longius extrahebat querelas suas; *Walth.* Frustra Lipsius corr. *differret,* (spargeret in omnes qui aderant) et Boxh. *dissereret,* (quod probavit Wopk. coll. 4, 50. 5, 4. 12, 2. 14, 13.) perperam Scheff. obss. misc. T. VIII. p. 291. *diu fleret.* — *minor filius:* „pariter dictus *Sex. Papinius,* de quo v. Sen. de ira 3, 18. — *lubricum iuventae,* ut 14, 36. (cf. Ind. III. v. *Adiectiva neutra pro Substant.*) et *in lubrico egit* o. 51. *lubrica aetas* 13, 2. *lubrica ad mutandam fidem classis* H. 2, 101. *lubricum forum* O. 13. h. e. ubi causae tractantur, quarum eventus sunt incerti et periculosi. Metaphora petita a via lubrica, in qua gressus non est firmus et tutus. *lubricum iuventae exiret* pro *e lubrico i. e.* „Ita *exire* accusativo iungitur 11, 25. ut *egredi* 1, 30. 15, 45. *excedere* 1, 14. 2, 33. 4, 40. *evadere* 1, 51. 5, 10. 6, 49. 12, 35. *erumpere* v. c. *pontum* 12, 63. *nubem* Virg. Aen. 1, 584. *nebulam* Val. Fl. 5, 466

Sic Gr. ἐκπλεῖν, ἐξελθεῖν, ἐκβαίνειν, v. c. ἐκπλεῖν τὸν Ἑλλήσποντον Herod. 5, 103. ἐπεὶ ἐξῆλθον τὴν Περσίδα χώρην id. 7, 29," *Walch.* ad 11, 25. et 12, 63. Cf. Ruddim. inst. gram. T. I. p. 298. Drak. ad Sil. 11, 188. 14, 493. Burm. ad Virg. Aen. 1, 584. et Val. Fl. 5, 466. *exisset* coni. Ern. Sed cf. Ind. III. v. *Verborum Tempora* II. p. 847.

CAPUT L.

Iam Tiberium corpus, iam vires, nondum dissimulatio deserebat. Idem animi rigor: sermone ac vultu intentus quaesita interdum comitate quamvis manifestam defectionem tegebat; mutatisque saepius locis, tandem apud promontorium Miseni consedit in villa, cui L. Lucullus quondam dominus. Illic eum appropinquare supremis, tali modo compertum. Erat medicus arte insignis, nomine Charicles, non quidem regere valetudines Principis solitus, consilii tamen copiam praebere. Is, velut propria ad negotia digrediens et per speciem officii manum complexus, pulsum venarum attigit, neque fefellit: nam Tiberius, incertum an offensus tantoque magis iram premens, *instaurari epulas* iubet discumbitque ultra solitum, quasi honori abeuntis amici tribueret. Charicles tamen labi spiritum nec ultra biduum duraturum Macroni firmavit. Inde cuncta colloquiis inter praesentes, nuntiis apud legatos et exercitus festinabantur. XVII. Kal. Aprilis interclusa anima creditus est mortalitatem explevisse. Et multo gratantum concursu ad capienda imperii primordia C. Caesar egrediebatur, quum repente affertur, redire Tiberio vocem ac visus vocarique, qui recreandae defectioni cibum afferrent. Pavor hinc in omnes, et ceteri passim dispergi, se quisque maestum aut nescium fingere: Caesar in silentium fixus a summa spe novissima exspectabat: Macro intrepidus opprimi senem iniectu multae vestis iubet discedique ab limine. Sic Tiberius finivit octavo et septuagesimo aetatis anno.

1. *Iam Tiberium corpus — deserebat:* „manifeste imitatur Livium 1, 25. *Romanas legiones iam spes tota, nondum tamen cura deseruerat.*" *Ern.* — *intentus,* cf. Ind. II. v. *Intendere.* — *quaesita comitate,* v. ad 3, 26, 2. — *quamvis manifestam,* v. ad 1, 33, 2. — *defectionem,* v. ad c. 24. n. 1. — *apud promontorium Miseni* s. Misenum in Campania. Cf. Ind. II. v. *Apud. Misenus* s. *Misenum* opp. et prom. (*Capo di Miseno*) ubi navale ad sinum Baianum et Misenensis classis ab Augusto ibi collocata. v. Suet. Oct. 49. Virg. Aen. 6, 232 sq. Plin. ep. 6, 20. — *in villa, cui L. Lucullus quondam dominus* fuit, antea Marius, deinde Cornelia et non multo post L. Lucullus, qui eam quingentis millibus denarium et ducentis emisse dicitur. Ita Plut. in Mario c. 55. p. 424. 425. Cf. Phaedr. 2, 36. ibique intpp. Villae huius rudera adhuc exstant; *Brot.* Cf. ad 11, 1, 1. et Suet. Tib. 73. — *medicus arte insignis nomine Charicles,* cuius medicamenta ad ictericos ap. Galen. de comp. med. 9, 1, 2. exstant; *Ryck.* Medici Romanorum erant fere Graeci, servi aut libertini, et chirurgi. v. Plin. 29, 6. et 8. — *valetudines,* v. ad 12, 49, 1. *per speciem officii:* „nescio an *osculi;* ea certe mens. Suet. Tib. 72. *quum Charicles e convivio egrediens manum sibi osculandi causa apprehendisset.*" *Lips.* „Idem Suet. Caes. 82. *assidentem conspirati specie officii circumsteterunt.* Sed *officium* h. l. est in osculando; *Ern.* Recte. v. ad 2, 42, 1. H. 1, 36, 3. 1, 45, 2. —

neque fefellit sc. Tiberium. „Hic sensit dolum et arcana sua tentari. Hinc tenuit hominem quasi coena viatica prosecuturus et apparatis epulis secum discumbere iussit, et solito longius in triclinio duravit, ut eum ambiguum redderet seque firmiorem probaret quam fortassis arteria promisisset. Quidam gnari morum eius, et quantopere nollet intima sua nosci, etiam graviter *offensum* dicebant et, ut hoc quoque dissimularet, magis benignitatem et *amici honorem* fingere.“ *Gron.* — *instaurari epulas,* fieri, institui, parari coenam, (ut H. 2, 38. 70.) vel potius protrahi coenam. Tiberius *Chariclem remanere ac recumbere hortatus est coenamque protraxit* Suet. Tib. 72. — *labi spiritum* vitalem, brevem esse et angustiorem, pulsum arteriarum languere et paene deficere. Cf. ad 2, 26, 1.

2. *XVII Kal. Aprilis* MS. edd. Ern. et rec. *decimo septimo Kal. Apr.* edd. Ber. et cet. ante Ern. Sed *septimo decimo* scribendum h. l. ut ap. Suet. Tib. 73. aut illud pronuntiandum: nam sic malebant antiqui; *I. Fr. Gron.* Recte et sic ubivis: unde 3, 76. *sexagesimo quarto* suspectum; *Iac. Gron.* Hoc non suspectum: nam in numeralibus sive numeris compositis minor sine *et* maiori et maior cum *et* minori plerumque praeponitur, si non excedit XX, sed minor cum *et* maiori maiorque sine *et* minori, si supra XX est. Sic 1, 17. 30. 37. 6, 28. 50. 11, 10. 22. 13, 6. Cf. Ramshorn. Gram. p. 321 sq. Ceterum eundem mortis diem notavit Suet. Tib. 73. sed Dio 58, 28. *VII. Kal. Apr.* τῇ ἕκτῃ καὶ εἰκοστῇ τοῦ *Μαρτίου* ἡμέρᾳ, Zonaras εἰκοστῇ τοῦ *Μαρτίου.* — *interclusa anima,* ut ap. Liv. 23, 7. *spiritum* (vitalem) *intercludere* Liv. 40, 16. 24. et *impedito meatu spiritum finiebat* inf. 14, 51. — *affertur* — *afferrent,* cf. Ind. III. v. *Verba eadem repetita.* — *defectioni,* cf. ad c. 24. n. 1. Res ipsa varie tradita. v. Suet. Tib. 73. — C. *Caesar in silentium fixus,* v. ad 1, 68, 1. — *novissima,* v. ad 1, 8, 1. — *discedique ab limine,* discedere praetorianos, libertos aliosque non conscios nec fidos, ut ipse ac Caesar securius mortem seni accelerarent; *Pich.* — *Sic Tiberius finivit,* v. ad 2, 71, 1. — *octavo et septuagesimo aetatis anno:* ita etiam Suet. Tib. 73. et Eutrop. 7, 6. Dio 58, 28. dicit βίῳ ἑπτὰ καὶ ἑβδομήκοντα ἔτη καὶ μῆνας τέσσαρας καὶ ἡμέρας ἐννέα. Cf. Aur. Victor epit. c. 2. — *post septuagesimum octavum annum et mensem quartum,* ut et Plin. tradit. „Dio verius: nam natus Tiberius a. U. 712. XVI Kal. Dec. (v. Suet. Tib. 5.) mortuus autem consensu omnium a. 790. XVII. Kal. Apr. Quanquam et Dionis rationes non plane ad eum calculum pariaveris.“ *Lips.* Tacitus et Suet. annum vitae postremum imperfectum pro perfecto numerarunt; Dio accuratius definivit tempus vitae et recte calculos subduxit, si verum est, quod ille tradit, Tiberium obiisse VII Kal. Apr. et imperasse annos XXII, menses VII. et dies VII. (Ita c. 51. *tres ferme et viginti annos.*) Cf. Reimar. ad Dion. 58, 28. Hudson. ad Ioseph. A. J. 18, 6, 10. et Pagius crit. Baron. T. I. p. 29.

CAPUT LI.

Pater ei Nero et utrimque origo gentis Claudiae, quanquam mater in Liviam et mox Iuliam familiam adoptionibus transierit. Casus prima ab infantia ancipites: nam proscriptum patrem exsul secutus, ubi domum Augusti privignus introiit, multis aemulis conflictatus est, dum Marcellus et Agrippa, mox Caius Luciusque Caesares viguere. Etiam frater eius Drusus prosperiore civium amore erat. Sed maxime in lubrico egit, accepta in matrimonium Iulia, impudicitiam uxoris tolerans aut declinans. Dein Rhodo regressus vacuos Principis penates duodecim annis, mox rei Romanae arbitrium tribus ferme et vi-

ginti obtinuit. Morum quoque tempora illi diversa: egregium vita famaque, quoad privatus vel in imperiis sub Augusto fuit; occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere. Idem inter bona malaque mixtus incolumi matre; intestabilis saevitia, sed obtectis libidinibus, dum Seianum dilexit timuitve; postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam, remoto pudore et metu, suo tantum ingenio utebatur.

1. *Pater ei* fuit Ti. Claudius *Nero et utrimque — transierit*, cf. 5, 1. et Suet. Tib. 3. 4. *mater in Liviam*, propr. pater. „Non enim ipsa, sed pater adoptatus est: et tamen *transisse in Liviam familiam* dici potest, ut Tiberius ap. Suet. c. 3.“ *Ern.* Idem haud dubie legendum putabat *quanquam — transierat*. Sed cf. Ind. II. v. *Quanquam* et Ind. III. v. *Verborum Modi* III. *β*. 4. p. 845. *in Liviam et mox* in *Iuliam familiam*. „Sic *simul in frontem simul et latera* Agr. 35. ubi Gesnerus coni. *simul et in latera*. Similiter *de*, *per*, *ad*, *a* non repetuntur. v. Wopkens. Acta Trai. II. p. 67.“ *Walch.* ad Agr. p. 361. — *dum* (quamdiu) *Marcellus et Agrippa, mox Caius Luciusque Caesares viguere*, cf. 1, 3. — *frater eius* adoptivus Claudius *Drusus*, Germanici pater, *prosperiore civium amore erat*, cf. Ind. I. Suet. in Tib. 4. in Claud. 1. Vell. 2, 97. — *in lubrico egit*, v. ad c. 49. n. 2. et ad 1, 68, 1. — *accepta in matrimonium Iulia impudicitiam uxoris tolerans aut declinans*, cf. 1, 53. et Suet. Tib. 10 sq. *indicitiam uxoris* MS. — *tolerans* coram et in Urbe, *declinans* vitata eius consuetudine et Urbe relicta. *aut*, v. ad 1, 16, 1. — *Dein Rhodo regressus*, cf. 1, 53. et ad 1, 4, 6. *Dein* omnes edd. ante Oberlin. qui substituit *deinde*. — *vacuos Principis penates*, vacuam Augusti domum mortuis Marcello, Agrippa, C. et L. Caesaribus; *Pich.* Cf. 1, 3. *vacuos*, v. ad 1, 3, 2. *penates*, cf. Ind. II. et ad G. 15. n. 2 — *tribus ferme et viginti* annis; cf. ad c. 50. n. 2. — *obtinuit*, per Zeugma dictum. v. ad 2, 20, 2.

2. *Morum quoque tempora illi diversa* fuere: *egregium* sc. tempus *vita famaque*, h. e. ipse egregius fuit cet. Nam *tempori*, *anno*, *diei*, *aestati* tribui solent, quae proprie spectant ad homines et res huius temporis cet. Deinde eleganter flectitur oratio: *Idem inter bona malaque mixtus*. Ita Gron. obss. 1, 2. Cf. ad 6, 20, 1. 12, 49, 1. 14, 41, 1. Ind. II. v. *Annus* et *Dies*.“ v. etiam 1, 28. 2, 40. 3, 4. Cic. pro Lig. c. 2. Durior tamen talis locutio h. l. et *tempus* non apte *occultum ac subdolum* dici, sed *egregius — occultus ac subdolus* legendum censebat Pich. Quae emendatio mihi placeret, ni constans esset scriptura librorum. Plura dixi ad Iustin. 23, 4.“ *Wopk.* Minus probanda emend. Acid. *illi — egregio — occulto ac subdolo*. „Ad rem cf. Dio 58, 28. et Vell 2, 103. 106. 114. qui tamen nimis adulatur 2, 126. 127.“ *Brot.* — *in imperiis*, cum Augusto. Cf. 1, 3. — *donec Germanicus ac Drusus superfuere*, cf. 1, 7. 62. 4, 6. 7. *donec*, v. Ind. II. *superfuere*, v. ad 4, 7, 1. — *Idem inter bona malaque mixtus* pro: *in eodem mixta erant bona malaque*, virtutes et vitia. Sic H. 1, 10. Mucianus *malis bonisque artibus mixtus*, H. 1, 9. *nec vitiis, nec viribus miscebantur*, Agr. 4. *locum Graeca comitate et provinciali parcimonia mixtum*, Sall. Iug. 57. *taedam pice et sulphure mixtam*. — *incolumi matre*, cf. 1, 10. 4, 57. 5, 1. 2. 3. — *intestabilis saevitia*, v. ad 3, 52, 1. et 6, 40, 3. — *dum*, v. Ind. II. — *postquam — utebatur*, cf. ad 12, 13, 1.

Hannoverae typis expresserunt fratres Jaenecke.

D NOV 17 1914